UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali Benedictina Universitate Salisburgensi

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

urn:nbn:de:hbz:466:1-61800

Visual Library

Th. 4758.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ms. II
Zg

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRINCIPIA JURIS CANONICI

EX

Libro III. IV. & V. Decretalium.

GREGORII IX. PONTIFICIS M.

ANTEHAC

In Alma & Archi-Episcopali Benedictina

Universitate Salisburgensi

PRÆSIDE ET AUTHORE

Plurimùm Reverendo, Religiosissimo, ac Clarissimo Domino

P. ROBERTO KÖNIG,

Ord. S. Bened. Celeberrimi Monasterii Garstensis Superioris Austriæ Professo, Utriusque Juris Doctore, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, Inclytæ Civitatis Styrensis Parocho, Almæ Archi-Episcopalis Benedictinæ Universitatis Juvavensis SS. Canonum Professore emerito, & Rectore Magnifico

PUBLICI JURIS FACTA.

Quarta Vice

Nunc

INDICE LOCUPLETISSIMO AUCTA,

TOMUS II.

Editio Prioribus Correctior.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Regiæque Catholicæ Majestatis speciali.

M. DCC. XXV.

SALISBURGI,

Litteris & Impensis, JOANNIS JOSEPHI MAYR, Typographi & Bibliopolæ Aulico-Academici. p. m. Viduæ, & Hæredum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



APPROBATIO S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

Super Lib. III. Decretal.

INsignis Tractatus, cui titulus: *Principia Juris Canonici in III. Librum Decretalium*, Authorem suum, aliàs deprædicatissimum, mirificè deprædicat & commendat. Est eximiâ claritate perspicuus, solidis fundamentis innixus, firmis argumentis roboratus, Sacris Fidei Regulis per omnia piè & Religiosè conformatus: adeóque Luce publicâ dignissimus. Fiet aliquando (quod non vanè auguror) ut Præclarissimi hujus Tractatûs aliorúmque Commentariorum non vulgarium Compilatorem, & Scriptorem, miraturi & suspecturi sint *Quirites*, quem modò in tantâ æstimatione & pretio habent *Salisburgenses*.

Ita censet

P. CAROLUS SCHRENCKH, Ord. S. Bened. ex antiquissimo Monasterio S. Petri Salisburgi Professus, SS. Theologiæ Doctor, Celsissimi ac Reverendissimi Principis & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, SS. Theologiæ Professor Ordinarius, ac p. t. Decanus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO FACULTATIS JURIDICÆ.

Super Lib. III. Decretal.

SI *nulli Sacerdotum licet canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare, Can. nulli dist. 38.* ac non minùs verum videri debet dictum hoc: *nosce, quæ circa te gerenda sunt, quàm illud Sapientissimum Chilonis: nosce te ipsum; Wesselinus in Præfat. nomognost. jur. univ.* ad hæc recurrat Juris Canonici principia, quisquis ad SS. Canonum ductum vitæ suæ rationem instituere anhelat, nec insciti à eorum laborare sustinet, *quorum cognitio ad illam probè ducendam vel maximc est necessaria. Id. ibid.* Continet ea siquidem sacra honestatis Clericalis, morúmque in agendo præcepta; instillant maturam in conversando gravitatem; præscribunt congruentem in amictu & habitu modestiam, docent insontem in pactis & contractibus æqualitatem, erudiunt in debitè persolvendis horis canonicis, administratione Sacramentorum, veneratione Reliquiarum, observatione jejuniorum, ac immunitatis Ecclesiasticæ rudes, cohibent indecentem in negotia sæcularia immixtionem, detestantur avaram in pluralitatem beneficiorum irruptionem, ac denique hæc non minùs omnia, quàm emergentes de iis controversias eruditione tam præcellenti ac insigni, judicio tam acuto, ordine & methodo tam eleganti, stylo tam nitido, terso, ac presso pertractant, ut mireris, sub tam exiguæ chartæ mole, tam magnificas tantarum, à dignitate, gravitate, utilitate, ac necessitate, decantatarum quæstionum dexterrimè extricatas ac explanatas latere posse decisiones, aut (quod à vero non magis abludit) tantam hìc recondi solidissimæ Jurisprudentiæ partem; Dignissima proinde sunt, quæ conformiter reliquis Decretalium libris ad votum plurimorum typis & arenæ publicæ cõmittantur, qui cum iis divulgatis comperient, Clarissimum Dominum Authorem totum nunc opus Decretalium commentario suo veluti face lucidissima illustrâsse, non poterunt (si tamen æqui & boni sunt) unâ mecum de tota hac Canonica tela felicissimè pertexta eidem non plurimùm applaudere ac cordicus gratulari, in hac non iliadem in nuce, sed nucleum Juris ex iliade reperturi. ita censet

Locò Spectabilis D. Decani.

JOANNES ANTONIUS LINDNER, J. U. D. Celsiss. ac Reverendiss. Principis ac Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius, ac in Alma Universitate Salisburgensi Pandectarum Professor Ordinarius.

SERIES TITULORUM.

Ex Libro III. Decretalium.

Tit.

1. DE vita, & honestate Clericorum.
2. De cohabitatione Clericorum, & mulierum.
3. De Clericis conjugatis.
4. De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda.
5. De præbendis, & dignitatibus.
6. De Clerico ægrotante, vel debilitato.
7. De Institutionibus.
8. De concessione præbendæ, vel Ecclesiæ non vacantis.
9. Ne sede vacante aliquid innovetur.
10. De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.
11. De his, quæ fiunt à majori parte Capituli.
12. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.
13. De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.
14. De precariis.
15. De commodato.
16. De deposito.
17. De emptione & venditione.
18. De locato & conducto.
19. De rerum permutatione.
20. De feudis.
21. De pignoribus & aliis cautionibus.
22. De Fidejussoribus.
23. De solutionibus.
24. De Donationibus.
25. De peculio Clericorum.
26. De testamentis, & ultimis voluntatibus.
27. De successionibus ab intestato.

Tit.

28. De sepulturis.
29. De Parochiis, & alienis parochianis.
30. De decimis.
31. De regularibus & transeuntibus ad religionem.
32. De conversione conjugatorum.
33. De Conversione infidelium.
34. De voto, & voti redemptione.
35. De statu Monachorum, & Canonicorum regularium.
36. De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.
37. De capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.
38. De Jure patronatûs.
39. De censibus, exactionibus, & procurationibus.
40. De consecratione Ecclesiæ, vel altaris.
41. De celebratione Missarum, & Sacramento Evchariſtiæ, & Divinis officiis.
42. De Baptismo, & ejus effectu.
43. De Presbytero non baptizato.
44. De custodia Evchariſtiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum.
45. De reliquiis, & veneratione Sanctorum.
46. De observatione jejuniorum.
47. De purificatione post partum.
48. De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.
49. De immunitate Ecclesiarum, cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.
50. Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immiscеant.

RESPONDENTE

Admodum Reverendo, Religiosissimo, ac Clarissimo

D. P. MAURITIO SCHWEIGER, BENEDICTINO Gottwicensi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO
SAC. FACULTATIS THEOLOGICÆ,
Ad Lib. IV. Decretal.

TRactatus hic de Jure Matrimoniali tam principiis Theologicis, quàm Juridicis omnimoda Conformitate cohæret, nec mirum, quia & illa Sapientia, & hæc Jurisprudentia in unâ sede, Clariſſimo Authore, beato ſemper vinculo ſolidè commorantur. Nihil hinc in eo regulis aut fidei, aut bonorum morum adverſatur, ſed omni ex parte immaculatus ſolidiſſimâ Doctrinâ commonſtrat, quid in Conjugio æquum ſit, ut verum eveniat Dictum Magni Doctoris Gentium (a) *honorabile Connubium in omnibus, & thorus Immaculatus:* Æquiſſimum ergo eſt, ut, tum pro Judicio, tum pro Directione, undique exoptandus per omnem Chriſtianam Rempublicam mediis typis divulgetur.

Ita cenſet

P. MAURUS LICHTENHAIMB, O.S.B. Lib. & Exempt. Monaſterii ad S. Lambertum in Styria Profeſſ. SS. Theol. Doctor, & fidei Controverſiarum Profeſſor Ord. p. t. Sac. Facult. Theolog. Decanus.

(a) *ad Hebr. 13.*

APPROBATIO FACULTATIS JURIDICÆ.

Ad Lib. IV. Decretal.

PRæsens Tractatus de connubiis non Privatorum tantùm, sed Magnorum quoque Principum, Personarúmque Illustrium, tam solidè, támque facundè disserit, ut sit Dignissimus, qui detersâ prœli fuligine prodeat in Publicum, ac nomen & famam Clarissimi Dñi Authoris, copiosâ luce jam ante conspicuam, per urbem, & orbem circumferat, immortalitatíque consecret.

Ita censet

JOSEPHUS BERNARDUS GLETLE, J.U.D. Celsissis. & Reverendissimi Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius, Codicis & Juris Publici Professor ordinarius, ac p. t. Decanus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERIES TITULORUM
In Libro IV. Decretalium.

Tit.

1. De Sponsalibus, & Matrimoniis.
2. De Desponsatione Impuberum.
3. De Clandestina desponsatione.
4. De Sponsa duorum.
5. De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus.
6. Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.
7. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.
8. De Conjugio leprosorum.
9. De Conjugio servorum.
10. De natis ex libero ventre.
11. De Cognatione spirituali.
12. De Cognatione legali.
13. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.
14. De Consanguinitate, & Affinitate.
15. De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coëundi.
16. De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.
17. Qui filii sint legitimi.
18. Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.
19. De Divortiis.
20. De Donationibus inter virum & uxorem, & de dote post Divortium restituenda.
21. De secundis Nuptiis.

DEFENDENTE

Prænobili ac Generoso.

D. JOANNE FRANCISCO GENTILOT

ab Englsbrun, Ordinis Equestris Tridentino, Juris Utriusque Candidato approbato.

LIBER III.
DECRETALIUM.
Gregorii IX. Pontificis M.
TITULUS I.
De Vita, & Honestate Clericorum.

SUMMARIA.

1. *Vita homonymia.*
2. *Descriptio vitæ Clericorum.*
3. *Hujus vitæ auctor est* DEUS.
4. *Clerici qui, & unde dicti?*
5. 6. *Recensentur Clerici ordinum minorum.* 7. 8. *& majorum.*
9. *Nam Religiosi veniant nomine Clericorum?*
10. *An & qualiter probandus Clericatus?*
11. *Cui competat Clericatûs cognitio?*
12. *Usque 17. quænam speciatim in Clericis requiratur morum probitas?*
17. *Quæ ipsis negotia, & officia prohibita?*
18. *Usque 25. Quam honestatem servare debeant in habitu & vestitu?*
25. *In quo differat vita Clericorum à vita Laicorum?*
26. *Quis sit finis vitæ Clericorum?*
27. *Quæ effectus?*

QUoniam in hoc Libro III. de Clericis, & Religiosis, eorúmque juribus, & obligationibus agitur, suadet doctrinæ ratio, primo loco tractare *de vita & honestate Clericorum.*

§. I.

1 *Vita* vocabulum in jure bifariam sumitur: I. Pro *vita naturæ*, id est, pro corporis & animæ conjunctione, quæ juxta *l. an usufructus. §6. ff. de Usufr.* usque ad centum annos durare præsumitur. II. Pro *vitæ disciplina*, id est, pro modo, & ordine, secundùm quem quis vivere debet, & in hoc sensu alia est vita *Laicorum*, alia *Clericorum* c. *duo sunt. 7. causâ 12. q. 1.* Bart. Cartagena *h. t. observ. 1.*

§. II.

2 *Definitur* vita Clericorum, quòd sit vivendi ratio, ac disciplina, quâ quis per ordinationem, aut deputationem Ministri Ecclesiastici ad Dei speciale servitium perpetuô vinculô obstringitur.

§. III.

Causa efficiens vitæ Clericorum est Deus, 3
nam cùm vita hæc versetur circa cultum Divinum, & administrationem Sacramentorum, ad censum rerum spiritualium pertinet, quas Divinæ bonitati, tanquam causæ speciali, in acceptis referimus, prout innuit S. Jacobus, dum *c. 1. ℣. 17.* ita perorat: *omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.* Id ipsum contestantur Gloss. *in c. si Imperator. dist. 96.* Panorm. in *c. solita. num. 4. de Majorit. & obed.* Carolus de Grass *de Effect. Clericat. in prælud. num. 1.* cum aliis citatis, qui Clericatum Juri Divino adscribunt.

§. IV.

4 *Subjectum* hujus vitæ sunt *Clerici*; quod nomen primò omnibus Christianis tributum, procedente tempore pro Ministris tantùm Divini muneris usurpari cœpit. Vocantur autem Clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominus ipse sors, id est, pars Clericorum est: Clericos enim græcè, sors latinè, vel hæreditas dicitur, *c. cleros. 1. dist. 21. c. Clericus. 5. c. duo sunt 7. causâ 12. q. 1.*

5 Porro Clericorum duo sunt genera: unum eorum, qui in *Minoribus*, alterum illorum, qui in *Majoribus seu Sacris Ordinibus* constituti sunt.

Ordinibus minoribus, qui votum castitatis annexum non habent, initiati reperiuntur *Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, & Acolythi. Ostiariis* incumbit, templum Dei claudere, ac aperire: omnia, quæ intus, extráque sunt custodire: fideles recipere, excommunicatos, & infideles ingressu arcere. *Lectorum* munus est, legere ea, quæ à Sacerdote, vel Diacono populo annuntiantur, ac prædicantur, ut sic præsentium animi ad reverentiam Sacrificii excitentur. Ad *Exorcistas* pertinet, exorcismos memoriter retinere, manúsque super energumenos, sive à Dæmonibus obsessos, & catechumenos in exorcizando imponere. *Acolythorum* officium est, parare vasa vini & aquæ pro Eucharistia, eáque dare Subdiacono: item ferre cereum ante Sacerdotem, & cùm legitur Evangelium in Missa; unde & *ceroferarii* dicti *d. c. Cleros. 1. dist. 21. c. perlectis 1. dist. 25. c. seriatim. 14. dist. 32. c. de persona. 38. causâ 11. q. 1.* ubi recensiti omnes

6 Clerici appellantur. His accedunt illi, qui *primam tonsuram* impetrârunt: enimverò licèt prima tonsura propriè ordo non sit, sed prævia solùm dispositio ad ordines, *ut supra de Tempor. ordin. n. 3.* comprobavimus, nihilominus per eam Tonsurati in Clerum cooptantur, & à vulgo selecti in sortem Domini transferuntur, ita ut quoad privilegium Canonis *si quis suadente causâ 7. q. 4.* & privilegium fori, ac in quavis fere materia Clericorum nomine comprehendantur, etiam cùm agitur de Clericis ordine clericali insignitis. *c. cùm contingat 11. de ætate & qualit. c. ex literis 6. de Transact. Clem. 2. & ibi* Gloss. *h. t.* Gonzalez *ad c. 1. de Apost. at. num. 2.* Jacob Menoch. *de Jurisdict. lib. 1. c. 20. n. 10.* Cravet. *vol. 4. consil. 616. n. 4.* Barb. *de appellativa verb signif. appell. 51. n. 1.*

7 *In ordinibus majoribus*, qui ordinatos perpetuæ continentiæ lege astringunt, sunt *Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, seu Sacerdotes. Subdiaconi* ordini Diaconorum ad hoc superadditi sunt, ut illis ad altare inserviant, calicem & patenam porrigant, aquam ad commixtionem vini affundant, Epistolam solenniter cantent &c. *Diaconorum*, qui olim *Levitæ* nuncupabantur, cura est, Sacerdoti missam celebranti proximè ministrare, Evangelium publicè legere, si esset in usu, calicem populo præbere: item ex commissione Superiorum baptizare, & prædicare. *Presbyterorum seu Sacerdotum* partes sunt, offerre DEO incruentum novæ legis Sacrificium, Baptismum, aliáque Sacramenta (Confirmatione, & Ordine exceptis) administrare, verbum Divinum prædicare, & alia omnia ad salutem animarum, cultúmque Dei spectantia, quæ Episcopis reservata non sunt, secundùm leges Ecclesiasticas peragere. *c. Cleros 1. dist. 21. c. perlectis. 1. dist. 25. c. de persona 38. causâ 11. q. 1. & Novel. 123. c. 19.* ubi Justinianus: *Presbyteros autem & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus &c.* His meritò 8 Canonistæ addunt *Episcopos*, quorum propriæ functiones sunt Clericorum ordinatio, Virginum benedictio, Basilicarum conse-

cra-

cratio, unctio altaris, confectio Chrismatis, &c. *d. c. perlectis. §. ad Episcopum.* Tametsi verò in favorabilibus, & ubi de vita & honestate Clericorum agitur, servatâ proportione cum Clericis Episcopi comprehendantur. P. Engl *h. t. n.* 2. Vallens. *n.* 3. Carol de Graff. *de Effect. Clericat. in prælud. n.* 258 & 261. attamen in odiosis nomine Clericorum solùm Clerici simplices, ac inferiores, non Episcopi, nec alii indignitate positi intelliguntur. *arg. c. quia periculosum. 4. Sentent. excom. in 6.* Sylvester *V. Clericus. n.* 1. Carol. de Grass. *d. n.* 261. Jacob Menoch. *cit. c.* 20. *n.* 9. noster Panormit. *ad rubr. h. t.* Optimâ ratione: quia in istis reperitur qualitas, quæ non reperitur in Clericis simplicibus, & aliàs in odiosis appellatione simplicium non veniunt mixta, & simul juncta, ut inter alios notat Romanus *consil.* 259. Hæc satis certa sunt. Sed

9 *Dubitatur* I. Utrùm nomine Clericorum quoque Religiosi contineantur? *Affirmo*, si materia sit favorabilis, & Religiosis non minùs, quàm Clericis sæcularibus conveniens, ac proportionabilis. Sylvester *V. Clericus n.* 1. Carol. de Grass. *ubi supra n.* 248. & 265. Bonacin. in *Bull. Cœnæ disp.* 1. *q.* 16. *sect.* 1. *punct.* 3. *n.* 9. Quare in materia privilegiorum Clericalium dicta de Clericis, præsertim in Sacris constitutis, extenduntur etiam ad Religiosos cujuscunque Regulæ, non modò ad Professos, sed & ad Novitios. Jacob Menoch. *de Jurisd. lib.* 1. *c.* 20. *n.* 11. Bonacin. *cit. n.* 9. & 10. Decian. *tr. crim. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 24. Scaccia *de Judic. tom.* 1. *c.* 11. *n.* 82. Navarr. *Consil.* 25. *de Privil. n.* 7. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 7. *n.* 4. *v. ad extremum. Nego*, si materia sit odiosa, ex vulgata regula: *odia restringi, & favores convenit ampliari. c.* 15. *de R. I in* 6. Panormit. in *c.* 1. *n.* 7. *Ne Clerici, vel Monach.* Zerola in *Prax. Episc. V. Clericus. §.* 1. *in fin.* Barb. *de appellativ. verb. signif. appellat.* 51. *n.* 7. cum allegatis *ibid.* Unde interdictô in Clerum latô non censeri comprehensos Religiosos, nisi aut verba, aut causa interdicti aliud innuerent, cum Sylvestro, & Armilla docet P. Engl *h. t. n.* 2. Sayr. *de Censur. lib.* 5. *c.* 4. *num.* 29. Avila *cod. tr. p.* 5. *dist.* 1. *dub.* 4. *concl.* 7.

Dubitatur II. An, & qualiter is, qui se 10
Clericum esse asserit, id probare possit, ac debeat? Sanè cùm Clericatus sit facti, & quilibet nascatur laicus, nemo Clericus præsumitur, consequenter Clericatus ab eo probetur, oportet, qui se Clericum esse prætendit, & super Clericatu intentionem suam fundat per *c. Presbyteri* 2. *dist. inct.* 68. & *ibi* Gloss. *c.* 9. *causâ* 2. *q.* 1. Deciam. *in tr. crim. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 117. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 76. *n.* 1. Mascard. *de Probat. concl.* 302. *n.* 13. cum aliis. Quod tamen comuni DD sensu eò restringitur, nisi quis reperiretur in quasi possessione beneficii, tanquam Clericus, vel etiam in quasi possessione Clericatûs per diuturnam delationem habitûs. Mascard. *d. concl.* 302. *n.* 16. & *concl.* 304. *n.* 1. Rota *dec.* 13. *tit. de Probat. in antiq.* Menoch. *de Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 76. *n.* 19. Cæterùm probatur Clericatus iis ferme modis, quibus alia negotia, speciatim verò I. literis comendatitiis proprii Episcopi, *vel formatis*, ut vocant. *c.* 7. *de Probat.* & *ibi* Gloss. *V. literas.* Rota *part.* 5. *dec.* 34. *n.* 3. *dec.* 348. *n.* 4. & *dec.* 385. *n.* 14. II. per librum Ordinatorum reservatum in Archivio Episcopali, cùm ex eo tanquam ex originali literæ testimoniales susceptorum Ordinum transumantur. Alex. Sperel. *dec.* 17. *num.* 23. III. Per attestationem Notarii, seu instrumentum publicum de ipso Clericatu confectum. *c.* 9. *causâ* 2. *q.* 1. *c. tua.* 3. *de Cler. peregrin.* Seraphin. *dec.* 755. *n.* 1. IV. Ex confessione partis adversæ, præsertim quoad præjudicium ipsius confitentis. Rota *p.* 7. *dec.* 162. Cravet. *lib.* 1. *consil.* 93. *n.* 4. & 5. Mascard.

conc'. 305. *n.* 6. & 9. V. Per unum, aut plures testes, qui ordinationi interfuerunt per unum quidem, si probatio extrajudicialiter instituenda est, & interesse alterius per se non controvertitur. Zerol. *in Prax. Episc. V. Clericus.* §. 3. *in fin.* Rebuff. *in tr. de Nominationibus q.* 14. *n.* 32. Covar. *pract. qq. c.* 33. *n.* 3. per duos, aut plures, quoties agitur de præjudicio alterius, veluti si lis moveatur super aliquo beneficio. Petr. Rebuff. *loc. cit. n.* 54. Mascard. *concl.* 303. *n.* 5. aut remissio capti se Clericum asserentis ad forum Ecclesiasticum petatur. Rot. *p.* 2. *dec.* 509. *n.* 2. Covar. *loc. cit.* Barb. *ad c. si judex* 12. *n.* 3. *de Sent. excom. in* 6. VI. Per publicam famam, & vocem junctis aliis adminiculis. Sperell. *d. dec.* 17. *n.* 26. Rot. *p.* 1. *dec.* 613. *n.* 4. *p.* 2. *dec.* 116. *n.* 3. Carol. de Grass. *de effect. Clericat. in prælud. n.* 205. VII. Communi opinione, quâ quis per plures annos communiter Clericus reputatus fuit. *c. si judex* 12. *de Sent. excom. in* 6. Paris. *lib.* 4. *de resignat. q.* 2. *n.* 70. Rot. *p.* 7. *dec.* 162. *n.* 2. VIII. Nonnunquam Clericatus probatur juramentô, quando scilicet de nullius præjudicio agitur, nec alia probatio suppetit. Rot. *p.* 7. *dec.* 159. *num.* 11. P. Engel *ad tit. de Cleric. peregr. n.* 2.

11 Vicina, & gravis *controversia* est: cuinam Judici competat Clericatûs discussio, si dubitetur, num quis v. g. ob delictum ab executoribus Judicis sæcularis captus, sit Clericus?

Complures apud Barb. *ad c. si judex* 12. *n.* 3. *de Sent. excomm. in* 6. contendunt, Judicem laicum de Clericatu personæ captæ cognoscere posse: *primò* quia quilibet judex cognoscit de sua jurisdictione, *prætoris est enim æstimare, an sua sit jurisdictio. l. si quis ex aliena* 5. *ff. de Judic. Secundò*, quia quæstio, an quis sit Clericus? est quæstio facti, quæ nihil spiritualitatis continet, & coram Judice etiam laico tractari potest, ut docent Gutierez. *qq. lib.* 1. *c.* 34. *n.* 12. & Menoch. *de retin. poss. remed.* 3. *n.* 336. Accedit *tertiò* consuetudo, ac praxis, quâ in plerisque tribunalibus Orbis Christiani Judices sæculares de hac facti quæstione & captorum Clericatu cognoscunt, prout attestantur de Gallia Guido Pap. *dec.* 138. & *consil.* 110. *n.* 2. de Ducatu Mediolani Clar. in *pr. crim.* §. *fin. q.* 36. ℣. *regulariter.* de Regno Neapolitano, & Sicilia Carol. *de effect. Clericat. eff.* 1. *n.* 1258. alii de aliis.

Verùm opinioni huic vehementer reclamat. *c. si judex* 12. *de Sent. excomm. in* 6. ubi Bonif. VIII. apertissimis verbis decernit, discussionem Clericatûs, si malefactor captus à Judice laico se Clericum asserit, ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere, vocato tamen Judice sæculari, vel alio, cujus Interest, additâ ratione: *quia de Ecclesiastica, & spirituali:* nempe tali casu mixtim agitur de quæstione facti, & juris, neque separari ab ea potest ipse Clericatus, dum principaliter ejus titulus controvertitur. Proinde hanc decisionem meritò amplexi sunt Zerol. *in Prax. Episc. p.* 1. *V. Clericus n.* 3. Gratian. *discept. forens. c.* 190. *n.* 13. *cum seqq.* Clar. *in* §. *fin.* ℣. *dixi Clericum.* Mascard. *de Prob. l.* 2. *concl.* 789. *n.* 7. & *seqq.* & 961. *n.* 3. Carol. de Grass. *ubi supra n.* 1257.

Argumenta contraria dilutiora sunt, quàm ut consistere possint: nam *primum*, quod attinet, desumptum ex *l. si quis alienna.* id non concludit, quando, ut hic, opponitur exceptio concernens aliquid spirituale, siquidem ubi qualitas Ecclesiastica, vel spiritualis deducta est, Judex sæcularis nullatenus se ingerere potest, sed articulus ad Judicem Ecclesiasticum devolvitur arg. *c. tuam de Ordine cognit. c. per venerabilem. Qui filii sint legit.* Felin. *in c. si Clericus laicum n.* 3. & *seq. de Foro compet.* Alex. *vol.* 6. *consil.* 149. *n.* 2. & *seq.* Minùs probat argu-

argumentum *secundum*, quanquam enim demus, Judicem laicum quæstionem facti rei spiritualis cognoscere posse, quod quàm plurimi negant apud Alex. Sperell. *dec.* 8. *n.* 54. hoc tamen ita procedit, si factum sit ab omni spiritualitate abstractum; secus, si jus sit aliqualiter facto admixtum, veluti in quæstione super Clericatu, utriusque cognitio ad Judicem Ecclesiasticum remittitur, ne causarum continentia dividatur. Alex. Sperel. *loc. cit. n.* 55. Farinac. *in pr. crim. q.* 8. *n.* 25. & Ego *supra de Jud. n.* 450. *Tertiò* quoque ex allegata praxi, ac consuetudine nihil solidi infertur: etenim quòd in Regnis supradictis contrarium practicetur, id peculiaribus privilegiis SS. Pontificum imputandum esse, autumat Barb. *ad d. c. si judex n.* 3. Consuetudo autem omnis, utpote contra immunitatem Ecclesiasticam, tum per Generalia Concilia, tum per SS. Canones, tum vel maximè per Bullam Cœnæ Domini reprobatur, ac potiùs pro corruptela habenda est, per ea, quæ tradidi *de Consuetud. n.* 3. & Jacob Pignat. *tom.* 3. *consult.* 44. ubi ita sæpius decidisse S. Congregationem Cardinalium asseverat.

§. IV.

12 *Materia*, seu *objectum* vitæ Clericorum est, quam in Clericis exigit, *honestas*, eáque tum *interna*, quæ consistit in puritate animi, & virtutibus theologicis, ac moralibus; tum *externa*, quæ nostræ considerationis est, & consistit potissimùm in *morum integritate, in abstinentia à negotiis sæcularibus*, & in *habitûs externi decentia*. P. Pirthing *ad rubr. h. t.*

13 Ad *morum integritatem* pertinet I. ut Clerici non solùm castè, sed etiam cautè, ac extra omnem suspicionem incontinentiæ, & intemperantis animi vivant, quatenus in conspectu Omnipotentis DEI puro corde, ac mundo corpore valeant ministrare. Text. in *c. ut Cleric.* 13. *h. t.* Hinc sine manifesta & rationabili causa Monasteria Sanctimonialium sub pœna depositionis frequentare prohibentur. *c. monasteria* 8. *& ibi* prolixè Gonzal. *Eod.* Multò magis iisdem vitanda est familiaritas cum aliis fœminis: tritum namque adagium est: mare, ignis, & mulier tria mala: sed tamen minùs tempestuosum est mare, ignis minùs inflammat, in muliere omnia nocent. Plura de his *tit. seq.*

II. Ut Clerici à crapula, & ebrietate ab- 14
stineant, ac vinò sibi temperent, & se vino non onerent: cùm ebrietas mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. *c. à crapula* 14. *h. t.* Ut verò à periculo se inebriandi sint remotiores, *primò* in *eod. cap. à crapula.* illis inhibetur, ne ad bibendum quispiam incitetur, & usus ad æquales haustus provocandi, ac fæcundiores calices exhauriendi aboleri jubetur, adjectâ pœnâ, ut commoniti, nisi destiterint, ab officio suspendantur. *Secundò* iis interdicitur, ne edendi, vel bibendi causâ tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Text. in *c. Clerici* 4. *dist.* 44. & *c.* 15. *h. t.* Nec *tertiò* permittuntur convivia accedere, præsertim nuptialia, ubi majores illecebræ, ac sæpe Bacchus, & Venus convivantur. *c. convivia* 6. *cum seqq. dist.* 44. *c. Presbyteri* 19. *dist.* 34.

Cæterùm olim Clericus ebrietati incumbens, nec ab ea desistens, si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fuit, deponebatur, Subdiaconus verò, aut inferior communione privabatur, *c. Episcop.* 1. *dist.* 35. Imò juxta *c. fin. eod. dist.* 35. Clericus ebrius, si ebrietas fuit assidua, aut triginta dierum spatio à communione submovebatur, aut corporali subdebatur supplicio. At hodie has pœnas in usu esse negat Panormit. in *d. c. à crapula. n.* 3. *h. t.* Anchar. *n.* 4. Anton. de Butr. *n.* 5. *in fin.*

15 III. Ne Clerici ad aleas, aut taxillos ludant, vel hujusmodi ludis interſint. *c. Clerici* 15. *h.t.* Intelligitur autem nomine alearum luſus, in quo potiſſimùm fortuna victoriam parat; qualis etiam cenſetur luſus chartarum. Pirrhing. *h.t. n.* 15. de cujus quatuor Regibus ita luſit Poëta:

In mundo quatuor reges ſunt ſemper egeni;
Multa licèt rapiant, nil tamen ullus habet.

Quòd ſi luſus magis arte, quàm fortunâ regatur, ut luſus conorum, Schachorum &c. ſub aleis non comprehenditur, neque etiam Clericis interdicitur. Panormit. in *d. c. Clerici. n.* 11. P. Engel *h.t. n.* 12.

Pœnæ graves in Clericos aleatores extant tum in *c. inter dilectos* 11. *de Exceſſib. Prælat.* ubi Clericus ab officio & beneficio conſequendo arcetur, ac præſentatio, collatio, ſeu electio ipſius irrita decernitur propterea, quòd publicus aleator eſſet: tum in *c. Epiſc.* 1. *diſt.* 35. ubi Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, ſi monitus à prava conſuetudine ludendi non deſiſtat, deponi, inferiores verò Clerici excommunicari jubentur. Quas pœnas renovavit Trident. *Seſſ.* 22. *c.* 1. *de Reform.* & accuratè verſant Jacob. Pignatell. *tom.* 6. *conſult.* 93. *à n.* 25. Panorm. in *d. c. inter dilectos.* Garc. *de Benefic. p.* 7. *c.* 8. *à n.* 38. Jure Civili victori, qui ex alio pecuniam petit, denegatur actio, & victo pecuniæ, quam collufori ſolvit, etiam poſt triginta annos conceditur repetitio. *l.* 1. *&* 3. *C. de Aleatorib.* Conſequenter qui non paratâ, ſed creditâ pecuniâ luſit, *exceptionem legis alearum* objicere poteſt, ex quo, cui conceditur actio, multò magis datur exceptio. *l. invit.* 156. *§.* 1. *ff. de R.J.* Verùm hæc quoad laicos conſuetudinem vi ſuâ, etſi injuſtâ, abrogâſſe, & magnam induxiſſe ludendi licentiam, quotidie experientia teſtatur, cui plures concedunt. Jacob. Pignatell. *d. conſult.* 93. *n.* 11. *&* 12. Covar. *ad reg. peccatum p.* 2. *§.* 4. *n.* 3. Petr. Heigius *lib.* 2. *q.* 10. *n.* 31. *& ſeqq.*

IV. Ut Clerici quàm maximè ſint alieni ab omni avaritia per *c. aurum* 70. *& ſeq. causâ* 12. *q.* 2. *c. quod autem* 3. *cauſa* 23. *q.* 7. tum quia *nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam Eccleſiaſt.* 10. *v.* 10. & ut nonnemo rectè cecinit.

Auri ſtulta ſitis ſoror eſt ſitientis hydropis:
Quò plùs ſunt rapta, plùs rapiuntur opes;

Tum quia lucri cupiditas ſubvertit, & impedit lucra animarum teſte S. Philippo Nerio, qui dicere ſolitus: *qui vult fructum facere in anima, contineat manus ſuas à burſa.* Atque ad hanc magis evitandam Eccleſia Clericis ademit teſtamenti factionem: *c.* 1. *& paſſim de Teſtamentis.* uſurarum, & mercium exercitium propoſitis pœnis interdixit: *c.* 2. *& fin. h.t.* cambia, quæ maximè ſpe lucri ineuntur, inhibuit: arg. *c. ex parte* 18. *in fin. de Cenſib.* alchimiæ artem vetuit in *Extravag. ſpondent de Crim. falſi inter comm.* per quam artem an verum aurum confici poſſit? doctè diſputat Amantiſſ. meus Confrater Benedictus Behamſtein in *Diſcurſib. Phil. jurid. diſcurſ.* 9. Judices gratis judicare voluit non acceptis litium decimis, nec earum quotâ. *c. cùm ab omni* 10. *h.t.*

Circa *abſtinentiam à negotiis ſæcularibus* 17 generalis regula eſt, ne Clerici officia, munera, aut commercia, præſertim, quæ Clericali ſtatui adverſantur, vel Eccleſiaſticis functionibus impedimento ſunt, exerceant juxta *c. Clerici* 15. *c. fin. h.t. & t.t. Ne Clerici, vel Monachi ſæcularib. negot. ſe immiſc.* Præcipuè verò hìc duo referuntur, ac caventur. *Primum* eſt, ne mimis, hiſtrionibus, choreis, obſcænis comœdiis, & ſimilibus ſpectaculis intendant, vel interſint. *c. Presbyteri.* 19. *diſt.* 34. *c. Sacerdotes* 2. *diſt.* 37. *c. cùm decorem* 12. *c. Clerici* 15. *h.t. l. fin. C. de Epiſc. aud. Novel.* 123. *c.* 10. Imò Clerici, qui joculatores, goliardos, aut bufones, Gauckler/oder Schalcks-Narren/ agunt, ſi per annũ, intellige continuũ, artem hujusmodi

modi ignominiosam, aut postquam ter moniti sunt, breviori tempore exercuerunt, infames pronuntiantur, & omni privilegio clericali, adeóque & privilegio canonis ipso jure privantur, tametsi in Sacris constituti sint. *c. un. & ibi* Henr. Wagneck. *h.t. in* 6. Decian. *tr. crim. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 86. Diaz. *in pract. crim. canon. c.* 68. *n.* 3. *Alterum* est, ut à lanionum, seu macellariorum (qui, quia ex animali vivo carnes faciunt, *carnifices* dicuntur) aut tabernariorum muneribus abstineant. *Clem.* 1. *h.t.* ubi ea publicè, & personaliter exercentes, si nominatim, & ter moniti intra præfixum terminum non desistant, aut illa reassumant, clerici conjugati omninò, non conjugati verò in rebus, aut si ut Laici incedant, in personis quoque privilegia clericalia ipso facto sine alia sententia amittunt. Confer. Cæsar. de Panimoll. *dec.* 41. *n.* 5. *& seq.* Diaz. *in pr. crim. can. c.* 69. Foller. *tad. pract. crim. c.* 23. *n.* 28.

18 *Decentia habitûs externi* exigit I. ut Clerici consuram, quam coronam vocant, habeant congruentem, *c. Clerici* 15. *h.t.* hócque signaculo se ad sortem Domini pertinere ostendant. *c. duo sunt* 7. *causâ* 12. *q.* 1. ubi S. Hieronymus: *coronam*, ait, *habent Clerici ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo exspectatur, rasio verò capitis est temporalium depositio.* Certè hodie usus obtinuit, ut Clerici sæculares solùm in superiore parte capitis radantur. P. Engl *h.t. n.* 6. quòd verò nonnulli tam exiguum definiant circulum, ut timere videantur, ne pro Clericis agnoscantur, alienissimum est ab instituto Apostolico, & majorum nostrorum pietate, qui in tonsura Clericali magnum decus constituebant.

19 II. Ut Clerici neque comam nutriant, neque barbam. *c. Clericus* 5. *h.t.* & si nutriant, inviti à suis Archidiaconis tondeantur. *c. Clerici* 22. *dist.* 23. *c.* 7. *h.t.* Quin imò si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit. *c. si quis.* 23. *dist.* 23. *c.* 4. *h.t.* Quod tamen eò dictum existimem, si quis modo planè muliebri & lascivo comam laxet; nam si quis longiores quidem capillos nutriat, formam tamen ab aliis viris honestis, saltem Laicis usitatam non excedat, nec excommunicationem ipsô factô incurret, nec per sententiam Judicis Ecclesiastici propterea excommunicari, vel puniri poterit. Zoës. *h.t. n.* 9.

III. Ne Clerici armati incedant. *c.* 2. *h.t.* 20 cujus verba sunt: *Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.* Quod accipiendum est de Clericis armatis, etiamsi simul non sint usurarii, & vicissim: quandoquidem vocula *&* posita inter duo æquè principalia sumitur pro disjunctivâ, ideóque vel solùm alterutrum sufficit juxta Bartol. & alios DD. in *l.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* Armorum verò appellatione hìc ea duntaxat veniunt, quæ ex institutione sua ad offendendum ordinata sunt, ut post plures laudatos docet Jacob. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 59. *n.* 11. & 12. *per l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de vi publ.* Amplius: Monachi Benedictini non tantùm in publico arma gestantes, sed & intra septa Monasterii sine licentia Abbatum suorum tenentes excommunicationem majorem ipsô factò incurrunt. *Clem. ne in agro. §. quia verò de statu Monach.* atque hanc pœnalem dispositionem ad omnes Monachos cum Glossa extendit Panorm. *ibid.* Planè si probabilis necessitas exigat, ut si iter faciendum per vias minùs tutas, tam Religiosis, quàm sæcularibus Clericis impune arma gestare licebit. P. Engl. *h.t. n.* 13.

IV. Ut Clerici vestes proprio congruen- 21 tes Ordini semper deferant. *c. Clerici* 15. *h.t. Clem. quoniam* 2. *Eod.* Trident. *Sess.* 14. *c.* 6. *de Reform.* ubi S. Synodus decernit. Ecclesiasticas personas, quæ aut in Sacris fuerint, aut beneficia qualiacunque Ecclesiasti-

stica obtinuerint, si post admonitionem Episcopi sui etiam publicô edictô factam, honestum habitum clericalem illorum ordini & dignitati congruentem juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, & beneficio, & si semel correptæ denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum coërcendas esse, juxta constitutionem Clementis V. in Concilio Vienensi editam, quæ incipit: *Quoniam innovando, & ampliando.*

22 *Quæres* I. Num etiam Clerici primâ tonsurâ, aut majoribus ordinibus initiati habitum clericalem & tonsuram deferre teneantur? placet, & comuni DD. suffragio hæc distinctio approbata est: an habeant beneficium aliquod, vel non habeant? *Si priùs*, omninò tenentur. *d. Clem. quoniam 2. h. t.* Trident. *cit. c. 6.* Sixtus V. *in Bulla*: *Cùm Sacrosancta*, quâ sancivit, omnes Clericos beneficiatos, & pensionarios, etiamsi nec dum jus in beneficio, sed tantùm ad beneficium haberent, non deferentes habitum clericalem esse ipso jure suis beneficiis privatos. Notat verò P. Engl *h. t. n. 8. in fin.* si alicubi constans, & multi temporis usus sit, ut in minoribus constituti, qui Canonicatus v. g. obtinuerint, in quibus vel investiti adhuc non sunt, vel residentiam non fecerunt, nec fructus percipiunt, habitum clericalem non gestent, eos ob non receptam Bullam excusari posse. Sin *posterius*: absolutè quidem ad habitum, & tonsuram clericalem non adstringuntur, si tamen ea non assiduò deferant, atque insuper de tacito saltem mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deserviant, vel de ejus licentia in Seminario Clericorum, aut Schola, aut Universitate aliqua versentur, privilegio fori non gaudent, nec Judicis sæcularis forum declinare possunt. Trident. *Sess. 23. c. 6. de Reform.* quod illustrant Jacob. Pignatell. *tom. 3. consult. 7. per tot.* Franc. Bordon. *de Privileg. Cleric. c. 5. & 6.*

Hic incidit illa *disquisitio*: utrùm Clerici in Minoribus, si habitum, & tonsuram non deferant, privilegio quoque Canonis, & immunitatis à vectigalibus excidant?

Affirmant P. Engl *h. t. n. 9.* Azor. *Instit. moral. p. 3. lib. 5. c. 19. q. 6.* Filiuc. *tom. 1. t. 16. c. 11. n. 298.* Paul. Layman. *in Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. sub n. 3.* cum aliis. Quia ex una parte privilegium Canonis, cùm humani juris sit, faciliùs amittitur, quàm privilegium fori, quod est juris Divini: ex altera, quia immunitas illa, vel subjectio juris tributorum, & vectigalium consequitur ad exemptionem, vel subjectionem personæ à foro, seu jurisdictione laicali. Et ita de consuetudine observari, testis est Less. *de J. & J. lib. 2. cap. 33. n. 38.* Covar. *pr. qq. c. 31. n. 9.*

Verùm hæc sententia ab aliis haud con- 23
temnendæ authoritatis Viris meritò in dubium vocatur, eò quòd hujusmodi Clerici neutro privilegio exciderint ante Concilium Tridentinum, istud autem ad prædictas conditiones solum privilegium fori restrinxerit, ac proinde privilegium Canonis, & immunitatis à vectigalibus sub dispositione juris communis, seu antiqui reliquerit. arg. *L præcipimus 32. §. fin. C. de Appell.* Maximè quia ipsum Tridentinum, ubi privilegiis Clericorum derogare intendit, id exprimit, ùt abundè elucescit *ex eod. c. 6. sess. 23.* ubi expressit, Clericos conjugatos nullis aliis Clericorum privilegiis gaudere, præterquam Canonis & fori, & his tantùm servatis quibusdam conditionibus. Accedit, quòd sic declaraverit S. Congregatio Concilii *in una Pennensi die 2. Novemb.* 1604. cui assurgunt Molin. *tr. 3. de J. & J. disp. 54. n. 9.* Clar. *l. 5 sent. §. fin. q. 36.* Gonzal. *in reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 5.*

§. 5. *num.* 7. & cum his Jacob Pignatell. *d. consult.* 7. *num.* 79.

Neque valet illatio à privilegio fori; siquidem privilegium canonis & immunitatis ab eo diversa sunt, eorúmque privatio odiosa, & restringenda per *c. odia.* 15. *de R. J. in* 6. Videtur enim privilegium canonis magis necessarium, quàm privilegium fori, cùm clericalis status minùs inhonoretur Clericum conveniendo coram Judice sæculari, quàm percutiendo. Neque ad privationem fori sequitur immunitatis, aliorúmve privilegiorum privatio, cùm Clerici in causa feudali, & pluribus aliis casibus privilegio fori non gaudeant, sed foro laicali subjiciantur salvis reliquis privilegiis.

24 *Quares* II. Quis habitus Clericorum dicatur honestus, & ordini ac dignitati clericali congruens? Sunt, qui tria in eo considerent: nempe colorem, materiam, & formam. *Color* non sit rubens, viridis, aut violaceus. *c. Clerici* 15. *h. t.* Quamvis enim olim violaceus color apud quoscunque Clericos in usu fuerit, ut observat Baron. *ad ann.* 393. *n.* 48. nihilominus communis nunc Ecclesiæ usus obtinuit, ut colore violaceo Episcopis reservato, alii Clerici fusco, seu nigro uterentur. Insuper Clemens V. *in Clem. quoniam.* 2. *h. t.* speciatim inhibuit, ne Clerici utantur publicè *veste virgatâ, vel partitâ.* Quod *materiam* attinet, Innocentius III. *in d. c. Clerici.* constituit, ne Clerici fibulas, aut corrigias ferant auri, vel argenti ornatum habentes: ne annulis digitos exornent nisi ipsis ob dignitatem, vel ob gradum Doctoratûs permittatur: ne denique utantur frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluentiam gerentibus. Circa *formam* togæ clericalis cautum reperitur, quòd debeat esse talaris, nec nimiâ amplitudine superfluâ, aut plus æquo constricta. *d. c. penult. dist.* 23. *d. c. Clerici* 15. *h. t.* De cætero attendenda erit consuetudo cujusvis Dœcesis: quandoquidem in vestimentis, cultu corporis, & similibus, quæ intrinsecè, atque ex natura sua mala vel inhonesta non sunt, ut plurimùm consuetudo, mores, & æstimatio populi determinant, quid honestum, vel inhonestum sit.

§. VI.

Forma vitæ Clericorum stat in differentia, 25
quâ differt à vita Laicorum. Differt autem in eo, quòd Clerici Deo, ejusque ministerio sint specialiter mancipati, atque idcirco à terrenis negotiis, ac occupationibus segregati & expediti; Laici verò licèt & ipsi ad Divinum famulatum communium legum observatione exhibendum sint adstricti, nullâ tamen sacrâ ceremoniâ ministerio Divino sint dicati, & addicti, iique liberè commerciis sæcularibus vacent. Quapropter his, ut inquit D. Hieron. *in c. duo sunt.* 7. *causâ* 12. *q.* 1. *concessum est, uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere, decimas reddere; & ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint.*

§. VII.

Finis vitæ Clericorum primarius est DEI 26
Optimi Maximi honor & gloria: Secundarius propria, ac proximi virtus, & salus.

§. VIII.

Effectus vitæ Clericorum est honestatis 27
exemplum, proximi ædificatio, & ad virtutis æmulationem incitamentum: *Nam nihil est,* aiunt gravissimi Patres Tridentini Synodi *Sess.* 22. *c.* 1. *de Reformat. quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, quia in sortem Domini vocati, se Divino Ministerio dedicârunt: cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.*

TITULUS II.
De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

SUMMARIA.

1. Definitur Clericorum, & mulierum cohabitatio. 2. Allegantur Canones, quibus prohibetur. 3. An consuetudine sit permissa? 4. Quas mulieres Clericis in domo sua retinere liceat?

5. Qui in diversis ædibus habitant, non dicuntur cohabitare. 6. Cur Clericis & fœminis suspectis interdicta cohabitatio? 7. & seqq. Quæ sint pœna Clericorum cohabitantium?

QUantùm in sacris personis nitet castitas, tantùm in iisdem sordet libidinis fæculentia, quâ ne inquinentur, prohibetur hìc *cohabitatio Clericorum & Mulierum.*

§. I.

1 *Definitur* hæc cohabitatio, quòd sit suspecta Clericorum, & mulierum in una domo sub eodem tecto commorantium conversatio. Colligitur ex *c. 1. ℣. sed si qua. h. t.*

§. II.

2 *Causa efficiens* hujus cohabitationis est jus: quòd enim ea prohibita, ac illicita sit, ex juris prohibitione venit, quæ reperitur in *c. his igitur. 3. dist. 23. c. interdixit. 16. & 2. seqq. dist. 32. c. sed si fortè 21. c. oportet. 23. c. volumus. 24. c. in omnibus. 26. & seqq. c. Archi-Diaconum. 29. & 3. seqq. dist. 81.* item in *Decretal. h. t.*

3 Quamvis verò hodie per consuetudinem multùm videatur à rigore juris recessum, dum passim videas, coquas & ancillas cum Clericis cohabitare; nihilominus, quia prava consuetudo, quæ magis corruptela est, & multitudo peccantium non excusat, sed magis aggravat peccatum, ideo hodiedùm Clerici cohabitantes mulieri, in quam rationabilis suspicio cadere potest, graviter & mortaliter peccant ob periculum proprium, & scandalum pusillorum, quod ex ejusmodi cohabitatione, & consortio oritur. Barb. In *Collect. ad c. 9. h. t. n. 1.* Navarr. *in Man. c. 25. n. 109.* Quò etiam facit, quod Gregorius VII. in *c. 5. dist. 8.* scripsit ad Guitmundum Episcopum Aversanum: *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum, quod Dominus dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Non dixit: ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè, ut B. Cypriani utamur sententiâ, qualibet consuetudo, quantumvis vulgata, veritati omninò est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus.*

§. III.

Subjectum hujus cohabitationis sunt con- 4
tubernales, seu cohabitantes, nempe Clerici in sacris Ordinibus existentes, atque ideò lege cœlibatûs adstricti: & mulieres extraneæ, præsertim juvenes, cultæ, procaces, impudentes, mali nominis, ac famæ. Propinquâ consanguinitatis, & affinitatis necessitudine junctarum cohabitationem expresè veluti, licitam admittit Innocentius III. relatus in *c. à nobis 9. h. t.* & suffragatur ratio, quam Pontifex innuit: quia videlicet naturale fœdus de eorum contubernio nihil permittit sævi criminis suspicari. Quam licentiam Clericorum cohabitandi cum fœminis conjunctis quoad consanguineas usque ad gradum secundum in linea collaterali, & quartum in linea recta, quo ad affines verò usque ad gradum primum duntaxat limitavit *Canon. cum omnibus. 27. dist. 81.* & ex eo Gloss. *in c. 1. h. t. V. Canones.* Nec officit, quòd *c. 1. cit.* inhibeatur quoque contubernium Clerici cum illis personis, quas Canones concedunt, scilicet cum Matre, amita, & sorore: *quia*, ut textus habet, *instigante diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem.* Nam canon ille est particularis *Concilii, Moguntini* videlicet, ut præfert titulus in *Decretalibus, aut Nannetensis*, ut alii malunt apud Gonzal. *ibid. n. 1.* Neque per hoc, quod Gregorius IX. eum in Decretales retulerit velut suum, authoritatem accepit obligandi totum Cle-

rum

rum; approbavit enim Gregorius eum Canonem, suúmque fecit, non quoad hoc punctum concernens inhibitionem contubernii Clericorum cum fœminis propinquis, cujus contrarium hoc eodem titulo statuit ex Innocentio III. Prædecessore suo, sed quoad alia puncta in eo contenta. Aliter respondet Gloss. & Joann. Andr. *ad d.* c. 1. Certè si Clericus non solus habitet, sed alii Clerico convivat, haud mirum est, vel propriæ etiam matris cohabitationem ei esse illicitam; quandoquidem quæ respectu ipsius est mater, respectu alterius, cujus curam, & rationem habere debet, est extranea, ut in *eod.* c. 1. notavit Panormit.

§. IV.

5 *Forma* hujus cohabitationis consistit in suspecto contubernio, ac conversatione Clericorum cum mulieribus extraneis sub eodem tecto; quod addo: quia qui in uno vico, vel villa disjectis ædibus degunt, cohabitare non dicuntur. arg. *c.* 1. ℣. *sed si qua. h. t.*

§. V.

6 *Finis*, ob quem Clericis hæc cohabitatio interdicitur, est, ne ad mulieris cohabitantis præsentiam concupiscentiæ ignis vehementiùs cum summo periculo exardescat, ac in flammam luxuriæ erumpat: quoniam *propter speciem mulieris multi perièrunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Ecclesiast. c.* 9. ℣. 9.

§. VI.

7 *Effectus* hujus cohabitationis sunt pœnæ in Clericos contra Canonum præscriptum mulieribus cohabitantes statutæ; quæ aliæ, si spectemus jus Decretalium, aliæ si Tridentinum.

Jure Decretalium Clerici, qui si nimiâ familiaritate cum mulieribus suspectos se faciunt & ab earum colloquio, ac consortio ter moniti non abstinent, pœnâ excommunicationis coërceri jubentur. *c. si quisquam* 2. *h. t.* ibi: *Si quisquam Sacerdotum, id est, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, de quacunque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem inveniatur fabulari, & aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur, fœmina verò canonicè judicetur.* Quæ tam gravis pœna partim ob contumaciam, ac inobedientiam, partim ob vehementem præsumptionem infligitur, quam Clericus incurrit, dum Superiori suspectam, & scandalosam familiaritatem rationabiliter prohibenti non obtemperat.

Porro ad alias pœnas, puta ad suspensionem 8
à beneficiis, ad privationem beneficiorum, ad depositionem à dignitate, aut prælatura (quibus juxta *c. presbyter* 12. *dist.* 81. *c. à multis* 9. *de Ætat. & qualitat. &c. c. sicut* 4. *& c. si autem* 6. *h. t.* Clerici compescendi sunt, si de fornicatione, vel concubinatu verè constet) procedi non debet contra Clericos tantùm de fornicatione suspectos etiam trinâ admonitione præmissâ, ut bene monet Vivianus in *Rationali ad c.* 2. *h. t.* Vallens. *ibid. n.* 3. siquidem universaliter, quando Judex ex præsumptionibus, licèt vehementibus, procedit, multùm debet temperare sententiam, & vel nullam, vel certè minorem pœnam imponere, quàm mereretur delictum plenè probatum, teste Innocentio in *c. quia verisimile de Præsumpt. n.* 2. Itáque Clericus, qui post tertiam admonitionem cum fœmina confabulando de fornicatione se suspectum reddit, non tanquam fornicator, sed tanquam inobediens, vel contumax puniri, & ad summum purgatio canonica eidem indici potest per *c. tua nos* 8. *& ibi* Gloss. *h. t.* P. Pirrhing. *ibid. n.* 15. Cæsar. de Panimoll. *dec.* 38. *n.* 24. *& seqq.* cum relatis.

In *Concilio Tridentino Sess.* 25. *c.* 14. *de Reform.* decernitur *primò*, ut Clerici quicunque, 9
qui concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinent, aut cum iis ullam consuetudinem habent, pœnis à SS. Canonibus, vel statutis Ec-

clesiarum impositis puniantur: *Secundò* ut si primò moniti non abstinuerint, tertiâ parte fructuum ipsô factô sint privati, quæ Ecclesiæ fabricæ, aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicentur: *Tertiò* ut, si in delicto eodem, cum eadem, vel alia fœmina perseveraverint, neque secundæ monitioni paruerint, non solùm fructus omnes, & obventiones beneficiorum amittant, sed etiam à beneficiorum administratione suspendantur: *Quarto* ut, si ita suspensi nihilominùs non resipuerint, beneficiis & officiis, ac pensionibus Ecclesiasticis quibuscunque perpetuò priventur, donec post manifestam emendationem videatur cum illis dispensandum: *Quintò*, ut si consortium semel dimissum repetant, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas etiam excommunicationis gladio plectantur: *Sextò* ut Clerici beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, carcere, suspensione ab ordine, & inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta Canones puniantur. *Septimò* denique ut Episcopi hujus criminis rei, & à Synodo Provinciali admoniti, nisi se emendaverint, ipsô factô sint suspensi, & si perseverent, ad Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus fuerit, in eos animadvertat. Verùm hic nonnulla dubia se insinuant.

10 *Primum* est: utrùm Clerici concubinarii ipso jure incidant in suspensionem propriè dictam?

Non desunt DD. qui Clericos concubinarios, imò & fornicarios quoscunque ipso jure suspensos esse velint: neque id solùm impropriè, & quoad se, ita ut ipsis illicita sit administratio, & perceptio Sacramentorum, quo modo suspensus est concubinarius, aut fornicator occultus, & quicunque constitutus in peccato mortali, usque dum istud per pœnitentiam abjeatur; sed etiam quoad alios, & propriè, ita ut ante absolutionem missam celebrantes, aliósque Ordinis actus, etiam nullâ præcedente admonitione, exercentes irregularitatem contrahant, à quâ nonnisi per dispensationem Papæ liberari valeant per textum generalem in *c. 1. de Sentent. & re jud. in 6.* Ita Bellet *Disquisit. Cleric. p. 1. tit. de disciplin. Cleric. §. 5. n. 45.* ubi refert sic decisum esse à S. Congregatione Concilii. Panorm. in *c. vestra. 7. h. t. n. 7.* Garz *de Benefic p. 7. c. 14. à n. 11.* Clarus in *§. fornicatio n. 6.* & alii; quibus opitulantur textus in *c. nullus 5. c. prætr 6. dist. 32. c. si qui sunt 15. dist. 81.* ubi concubinatus sub censura interdicti personalis, vel potiùs suspensionis ab Ordinibus prohibetur; præcipuè verò textus in *c. fin. h. t.* ubi disertè cautum, Clericum, si in fornicationem prolapsus sit, suspensum non esse, *nisi peccatum hujusmodi notorium sit per sententiam, seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit.*

Verùm num firmo hæc sententia stettalo, valde dubito, *primò:* quia quàm primùm Clerici concubinarii aut fornicarii pœnitent, cessat ista suspensio, ut colligitur ex quæstione in *d. c. fin. h. t.* Pontifici proposita: *quæsitum est*, ait, *de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, priusquam pœnituerint, audiendum?* quod non convenit censuræ suspensionis, quæ indiget absolutione. *Secundò* quia Concilium Tridentinum in *d. sess. 25. c. 14. de Reform.* inter pœnas, quas in ejusmodi Clericos decernit, nullam mentionem facit de suspensione ipsô factô incurrenda, sed jubet, ut *suspendantur*, & *juxta SS. Canones puniantur*; quæ verba cùm sint comminatoria, & actionem Judicis significent, Clerici in suspensionem sine sententia non incidunt. *Tertiò* hanc opinionem comprobat consuetudo Ecclesiæ, eique subscribunt P. Engel *h. t. n. 8.* Gibalin. & Suarez, quos citat., & sequitur Gonzal. in *c. fin. eod.*

Ead. Covar. in *Clem. si furiosus p.* 1. §. 1. *n.* 5. *de Homicid.* Gutierez *Canon. qq. c.* 1. *n.* 43.

Textus, qui in contrarium allegati sunt, parùm juvant: quoniam in iis Clerici concubinarii, aut fornicarii, sicut quoad se, quando peccatum occultum est, ita, quando hoc est notorium, quoad alios suspensi dicuntur, non propriè dictâ suspensione, quo modo accepta suspensio censura est, sed impropriè, quo modo accepta denotat simplicem prohibitionem vitandi scandalum, quod secum trahit publicum peccatum, quemadmodum Abbatissa Clericos suspendere dicitur in *c.* 12. *de Majoritate & obed.* P. Engel & Gonzal. *ubi supra.* Taceo, quòd prædicti SS. Canones in hac parte per consuetudinem, & dispositionem Tridentini abrogati sint, ut cum aliis testatur Cæsar de Panimoll. *decis.* 149. *n.* 5.

11 *Alterum* est: utrùm supra enumeratis pœnis Concilii Tridentini solùm Clerici propriè concubinarii, an verò alii quoque simpliciter incontinentes subjaceant?

Pœnis illis Conciliaribus solos concubinarios propriè dictos subjacere expressè declaravit S. Congregatio Cardinalium ad Trident. *cit. Sess.* 24. *c.* 14. sine dubio ideò: quia ipsum Concilium pœnas illas in Clericos concubinarios sub qualitate concubinatûs constituit, neque ad alios incontinentes extensio facienda est, utpote in materia pœnali & odiosa. arg. *c. odia.* 15. *de R. J. in* 6. Præterea in hac sententia sunt. Garz. *de Benefic. p.* 11. *c.* 10. *n.* 186. Aloys. Ric. in *Prax. fori Eccles. dec.* 361. *in fin. & resol.* 307. *n.* 5. quos refert, & sequitur Cæsar de Panimoll. *dec.* 59. *n.* 27.

Econtra quòd prædictæ pœnæ absolutè respectu omnium Clericorum incontinentium obtineant, ex Navar. docet P. Engel *h. t. n.* 4. & ex textu Concilii Tridentini magis relucet, cùm verba ejus sint disjunctiva de Clericis, qui concubinas, seu fornicarias instar uxorum continuò detinent sive in domo sive extra, & cum iis, concubinis videlicet, aut cum aliis mulieribus, de quibus haberi possit suspicio, *ullam consuetudinem*, adeóque etiam simplicem incontinentiam sine qualitate concubinatûs habent. Idipsum confirmat praxis nostræ Germaniæ, in cujus Curiis Episcopalibus eodem modo contra Clericos fornicarios, ac concubinarios procedi solet.

Nec quempiam turbet declaratio Cardinalium à quibusdam in contrarium allata: quoniam hæc declaratio ex eo suspecta est, quòd generale Decretum Tridentini restringat, & ut fidem mereatur, in authentica forma cum sigillo solito, & subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejusdem Congregationis exhibeatur, oportet, ut *supra de Constitution. n.* 7. *ad fin.* probavimus. Neque hìc locus est *cit. Reg. odia.* ex quo enim Conciliaris dispositio Clericos fornicarios ac simpliciter incontinentes comprehendit, nulla per interpretationem ad eos fit extensio.

Porro an pœna privationis fructuum à Concilio decreta debeatur ante omnem sententiam? disputat P. Engel *h. t. n.* 5. & resolutio desumi potest ex principiis traditis in *d. tit. de Constit. n.* 24.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

SUMMARIA.

1. Quid sit cœlibatus? 2. 3. Quo jure injunctus sit Clericis? 4. usque 8. Clerici majorum Ordinum nullo modo possunt contrahere matrimonium. 8. usque 13. Quid juris, si matrimonium contrahant Clerici in minoribus constituti? 14. Quæ sit forma? 15. Quis finis? Quis effectus cœlibatûs.

CAstitas adeò in Clericis commendatur, ut etiam à conjugio, alioquin sancto, abstinere jubeantur. De *cœlibatu* igitur præsens aget Titulus.

§. I.

Cœlibatus hìc accipitur pro vita, quæ agi- 1

zur ſine conjuge, & vernaculâ vocitatur ein ledíger / oder eheloſer Stand.

§. II.

2 *Cauſa efficiens* cœlibatûs eſt jus, quod Clericis continentiæ neceſſitatem imponit. Ejus ſanctiones videre eſt apud Gratianum in *c. Diaconus* 1. *c. Presbyteris* 8. *diſt.* 27. *diſt.* 28. *pene totâ diſt.* 32. *totâ:* in Decretalibus *c. à multis* 9. *de Æt. & qualit. & ord. præſic. c.* 1. 3. 4. 5. *h. t. c.* 1. *&* 2. *Qui Clerici, vel voventes matr. contrah. poſſunt.* in Trident. *Seſſ.* 24. *de Matrim. can.* 9.

3 Inter *partes diſſidentes* hæret: quo jure, & an etiam jure Divino Clericis Cœlibatûs injunctus ſit?

Prima ſententia cœlibatum Clericorum juri Divino adſcribit, eò quòd lex continentiæ in Divinorum Miniſtris, præſertim Sacerdotibus à tempore Apoſtolorum fuerit obſervata. Unde S. Hieronymus *Epiſt.* 50. *ad Pamachium: Chriſtus virgo*, ait, *virgo Maria, utriusque ſexûs virginitatem dedicavêre. Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes: Epiſcopi, Presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* neque extat exemplum, aut conſtitutio, quâ Clericis permiſſum fuerit poſt Clericatum uxorem ducere, etſi quandoque in Eccleſia Græca fuerit toleratum, ut uxoribus ante Clericatum ductis uterentur. *c. cùm olim* 6. *h. t.* Ita Major. in 4. *diſt.* 24. *q.* 2. Petr. Barb. *in rubr. ff. ſoluto matr.* & alii apud Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 27. *n.* 4.

Altera, & verior ſententia eſt, cœlibatum SS. Ordinibus ſolo jure Eccleſiaſtico annexum eſſe: quia nullus eſt locus Scripturæ, vel Concilii, ex quo colligi poſſit, Clericis matrimonium jure Divino eſſe prohibitum. Deinde quia licèt matrimonium muniis & officiis Eccleſiaſticis impedimento ſit, iis tamen non repugnat, aut certè alioquin in Eccleſia Orientali Clericis ante ſacram ordinationem conjugatis uſus matrimonii concedi non poſſet. Ad hæc in *c. Presbyteris* 8. *diſt.* 27. & in Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 9. *de Matrim.* vis dirimendi matrimonium, quam Ordo ſacer habet, refunditur in *legem Eccleſiaſticam*, & *Sacrorum Canonum diffinitiones.* Ita P. Engel *h. t. num.* 13. Sanchez *cit. diſp.* 27. *n.* 5. & Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *c.* 13.

Neque ex obſervantia à temporibus Apoſtolorum ad noſtra tempora propagata inferri poteſt, obligationem cœlibatûs Ordinibus annexam, ex jure Divino dimanare, ſed hoc ſolùm, quòd ex Apoſtolorum inſtituto, & traditione originem, ac primordia ſua ducat.

§. III.

Subjectum cœlibatûs ſunt Clerici, qui legi 4 continentiæ ſubjacent, & matrimonium contrahere prohibentur. Ubi Clerici poſiti in Ordinibus Majoribus ſecernendi ſunt ab iis, qui conſtituti ſunt Minoribus.

Clerici Ordinibus majoribus initiati, nempe Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi nec matrimonium validè impoſterum celebrare, nec etiam in Latina, ſeu Occidentali Eccleſia matrimonio antecedenter validè contracto licitè uti poſſunt. *c. un. de Vot. in* 6. *& jura n.* 2. *cit.* Nec obſtat *Canon. Apoſt.* 5. prohibens, ne *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem ſuam prætextu religionis abjiciat:* hoc namque intelligendum eſt quoad ſuſtentationem, ſeu præſtationem & proviſionem alimentorum, ſuppoſito, quòd ante Clericatum eam duxerit, non verò quoad cohabitationem, & uſum matrimonii.

Addidi in Eccleſia Latina Clericis uxoratis conjugii uſum denegari; nam in Græca, ſeu Orientali Eccleſia, quamvis poſt ſuſceptos ſacros Ordines uxores ducere non licuerit per *c. Nicæna* 12. *diſt.* 31. *c. ſi quis eorum* 7. *diſt.* 32. *c. à multis* 9. *de Æt. qualit. & ord. præſic.* tandem tamen conceſſum fuit, ut Clerici ſaltem antea ductis uterentur, eò quòd Eccleſia Orien-

Orientalis votum continentiæ non admiserit. *c. fin. dist.* 31. *c. cùm olim* 6. *h. t. c. quæsitum* 7. *de Pœnit. & remiss.* Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 28. *à num.* 3. Azor. *Instit. moral. lib.* 13. *c.* 12. *q.* 3. *&* 5. & ego *infra ad tit. Qui Clerici vel vov. n.* 8. *&* 9.

6 Porro si qui Clericorum in Subdiaconatu & aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscantur, ad dimittendas uxores, & pœnitentiam de scelere commisso agendam per suspensionis, & excommunicationis sententiam compellendi sunt *c.* 1. *h. t.* imò ipso jure sunt excommunicati. *Clem. un. de Consanguin. & affinit.* Præterea fiunt irregulares, ita ut neque insuscepti ordinibus ministrare, neque ad altiores promoveri queant. *c.* 2. *qui Clerici vel vov.* redduntur suspecti de hæresi, ita ut contra eos procedi possit per Inquisitores S. Officii. Andr. Vallens. *h. t. n.* 6. Diaz. *in Pract. crim. can. c.* 80. *n.* 3. Cæsar de Panimoll. *dec.* 65. *n.* 6. si virginem sub figura. ac prætextu matrimonii violaverint, mulctantur etiam pœnâ stupri. Farinac. *in tit. de Delict. carn. q.* 138. *n.* 99. Vallens. *cit. n.* 6. denique beneficiis, si quæ habent, privantur *c. decernimus.* 2. *c. de iis.* 5. *c. Presbyter.* 9. *dist.* 28.

Dissentiunt verò DD. utrùm ipso jure, an per sententiam Judicis hæc privatio inducatur?

7 Priùs placuit Panormitano ad *c.* 1. *h. t. n.* 27. Farinac. *in tit. de Delict. carn. q.* 138. *n.* 98. Covar. *de Sponsal. p.* 2. *c.* 6. *§.* 3. & Cæsari de Panimoll. *cit. dec.* 65. *n.* 4. ideo: quia Beneficiatus curatus intrudens se in alterum beneficium æquè curatum, primò ipso jure privatur, quamvis assecutio secundi sit irrita. *c. cum qui* 18. *de Prabend. in* 6. ubi ratio redditur; quòd non deceat, ut invasor melioris conditionis sit, quàm is, qui justè alterum beneficium accepit. Ergo similiter Clericus temerè & invalidè contrahens matrimonium ipso jure privatur beneficiò, quod antea possedit, ne melioris sit conditionis, quàm Clericus ille, qui licitè & validè matrimonium contrahit; & beneficium ipso jure amittit.

Sed contrarium, & posterius omninò tenendum est propter textum *c. si qui* 1. *h. t.* qui jubet, constitutos in minoribus compelli ad beneficia relinquenda, constitutos verò in Majoribus ad uxores dimittendas, & agendam pœnitentiam per *sententiam suspensionis & excommunicationis*; luculentò argumentò, quòd ergo ipso jure privati non sint beneficio, à quo per sententiam suspendendi, postquam matrimonium contrahere attentârunt. Gloss. *fin. in cit. c.* 1. *h. t.* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 43. *n.* 4. Garz. *tr. de Benefic. p.* 11. *c.* 8. *n.* 17. & cum his Pirrhing *h. t. n.* 18.

Argumentum oppositum parùm stringit: etenim licèt in adducto casu videre liceat paritatem rationis, attamen casuum est diversitas, & leges pœnales etiam ob paritatem rationis extendendæ non sunt, nisi necessitas cogat, & alioquin iniquitas, contradictio jurium, vel aliud absurdum sequeretur.

Clerici in Minoribus constituti valide quidem & licitè matrimonium contrahere possunt, eò ipsò tamen quòd de præsenti contrahant, statui Clericali renuntiâsse censentur, & pene in omnibus pro Laicis habentur per *c. ex parte* 9. *h. t. c. un. h. t. in* 6. Hinc 8

I. Clerici conjugati ad beneficia Ecclesiastica obtinenda sunt inhabiles, & obtentis privantur, eò quòd in eorum conversatione malè concordet cythara cum Psalterio, neque debeat stipendium ab Ecclesia accipere, qui propter uxorem non potest ampliùs liberè Ecclesiæ deservire. *c. si qui.* 1. *c. sanè* 2. *c. quod à te.* 3. *c. diversis.* 5. *c. cum decorem* 8. *h. t.* Quamobrem etiam amittunt gratias exspectativas, accessus, regressus & alia quæcunque jura ad beneficia Ecclesiastica. Gloss. *in c. un. V. clericalis. h. t. in* 6. cùm jus ad rem facilius amittatur, quàm jus *in re arg. c. quemadmodum* 25. *de Jurejur.* uti etiam pensiones Eccle-

sia-

fiasticas, utpote quæ locò beneficii succedunt. Rota p. 8. *dec.* 33. *n.* 2. Puteus *lib.* 2. *dec.* 449. Barb. *ad d. c. si qui.* 1. *h. t. n.* 4. *&* 6. Neque ea recuperantur, etiamsi uxor ante consummatum matrimonium moriatur, aut religionem profiteatur; cùm jus semel extinctum non reviviscat cessante causâ, quâ extinctum est arg. *c. quàm periculosum.* 8. *causa* 7. *q.* 1. *Clem. gratia* 4. *de Rescript.* Pirrhing. *h. t. n.* 13. Aliud dicendum de Sponsalibus de futuro, ut quæ non tam ponunt matrimonium, quàm spem ejus.

9 *Controvertitur* I. Utrùm cum Clericis conjugatis ad obtinenda, vel retinenda beneficia Episcopis dispensare possit?

Affirmativam colorare videntur *primò c. Joannes* 7. *h. t.* in quo supponitur, Clericum uxoratum aliquando posse habere beneficium Ecclesiasticum. *Secundò c. Salonitana* 24. *dist.* 63. ubi conceditur Episcopo dispensatio cum deposito ab ordine & officio: nec non *c. ad audientiam.* 12. *de Homicid.* juxta quod Episcopus potest dispensare cum homicida, & irregulari ad beneficium simplex obtinendum. Quorum textuum vis, ut magis pateat, inde ita arguitur: *cui licet, quod est plùs, licet utique, quòd est minùs. c.* 53. *de R. J. in* 6. Ergo si Episcopus cum deposito, homicida, & irregulari in ordine ad beneficium, quod utique plùs est, dispensare potest, æquè ipsi cum Clerico conjugato, quod minùs est, dispensandi potestas competere debet.

Verùm hæc sententia ab omnibus explodituir, & meritò: quia inferior, qualis est Episcopus, contra SS. Canonum decreta dispensare non potest, nisi id ei expressè, vel saltem tacitè concessum reperiatur per *c. inferior.* 16. *de Majorit. & Obed. & ibi* P. Engl. *n.* 48. *&* 49. tantùm autem abest, ut in hoc passu ullibi SS. Canones Episcopis dispensandi facultatem concesserint, ut perspicuè potiùs denegârint, *in c. si qui.* 1. *c. sanè* 2. *c. diversis.* 5. *h. t.* Pirrhing *ibid. n.* 20.

Argumenta contraria quod attinet, ad *primum* Wagnereck & Gonzalez cum Gloss. *ad c. Joannes.* respondent, in eo Clericum uxoratum ex Pontificis, non verò Episcopi dispensatione beneficio Ecclesiastio gaudete posse, *Alterum* infirmâ laborat consequentiâ: ex quo in materia dispensationis, tanquam in materia exorbitante, supradicta *regula cui licet* non procedit, nec licet inferre à casibus permissis ad non permissos, tametsi casus permissi sint majores non permissis, est enim decantatissima regula: *quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. c.* 28. *de R. J. in* 6.

Controvertitur II. Utrùm Clerici minores matrimonium contrahendo beneficia obtenta amittant ipso jure, an verò primùm per Judicis sententiam. 10

Gloss. *in c. conjugatus.* 5. *V. ad sacros. de Convers. conjug.* Rodriq. *in Sum. tom.* 1. *c.* 123. *num.* 1. & Alex. Carerius. *lib* 3. *de Sponsal. c.* 3. concludunt, opus esse sententia Judicis, propterea: quia in *c. quod à te* 3. *& c. diversis.* 5. *h. t.* Clerici conjugati beneficiis spoliari, & privari jubentur verbis officium, & actionem, sive sententiam Judicis condemnatoriam significantibus. Unde ante ejusmodi sententiam beneficii permutatio, aut resignatio à Clerico conjugato facta valet: fructus ante eam percepti non sunt restituendi: neque ante hanc beneficium, cùm nondum vacet, ab alio impetrari potest per ea, quæ tradit Flamin. Paris. *de Resignat. benefic. lib.* 3. *q.* 16.

At contraria sententia, quòd Clerici Minores, si uxores acceperint, ipso jure excidant beneficiis Ecclesiasticis, satis clarè decisa est in *c. si qui.* 1. *h. t.* quo Episcopis mandat S. Pontifex, ut Clericos uxoratos compellant *ad relinquenda beneficia Ecclesiastica*; quibus verbis, ut Gloss. notat. subinnuit, eos beneficiis jam privatos esse. Ratio duplex est. *Prima:* quia status conjugalis de jure est in compatibilis

lis cum beneficio Ecclesiastico, consequenter Clericus, qui illum amplexatur, huic tacitè sive ipso facto renuntiare censetur. *Altera*: quia beneficii concessio ex Ecclesiæ consuetudine continet tacitam conditionem: *si Clericus manserit in cœlibatu*; ac proinde ea conditione non subsistente, beneficium statim vacet, necessum est. Quapropter Clericus beneficio ita privatus id resignare, aut permutare nequit, fructus percipiendo graviter peccat, & perceptos à die initi matrimonii restituere tenetur: item beneficium tanquam vacans ab alio impetrari, eique saltem quoad titulum validè conferri potest. P. Engl. *h. t. n.* 1. & 3. Zoël. *n.* 25. Pirrhing *n.* 11. Garz. *de Benefic. p.* 11. *c.* 8. *num.* 1. & *seq.* Cæsar de Panimoll. *d. dec.* 65. *n.* 19. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 42. *à n.* 10.

Neque hujus sententiæ veritas enervatur textibus oppositis: quoniam accipiendi sunt despoliatione, ac privatione non ipsius juris, seu tituli, sed despoliatione, ac privatione facti seu possessionis beneficiorum, quæ, cùm per contractum matrimonium ipso jure amissa sint, solùm defacto, & injustè retinentur. arg. *c. cùm nostris* 6. *c. literas* 9. *de Concess. præb.* P. Engl. *cit. n.* 2. *in fin.*

Controvertitur III. An Clerici Minores quoque beneficia amittant, si ob aliquod impedimentum dirimens invalidum contrahant matrimonium?

11 *Prima & communior* sententia affirmat cum P. Engl. *h. t. n.* 3. Wagnereck *ad c.* 1. *not.* 4. Barb. *ibid. n.* 4. 5. & 9. modò non sit nulliter contractum ex defectu consensûs, ut si contrahens fuerit amens, impubes, aut metu coactus ad contrahendum. Idem Barb. *n.* 10. Ratio capitalis est: quia ex intentione Clericorum nubentium status incompatibilis assumptus est, adeóque juris interpretatione beneficio ipsó factò renuntiatum intelligitur arg. *c. nuper* 4. *de Bigam. non ordin.* ubi propter effectum seu intentionem cum opere subsecuto quis inter bigamos reputatur, etsi revera bigamus non sit, & certè in jure frequens est, ut non ad validitatem, & veritatem rei, sed potiùs ad effectum operis subsecuti attendatur.

Altera, & verior sententia negat cum Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 34. *n.* 113. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 43. *n.* 3. Layman *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 7. aliisque. *Primò* quia in sæpe *cit. c. si qui.* 1. *h. t.* differè cavetur, ut Clerici conjugati ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas uxores compellantur; quæ ordinatio profectò solùm Clericos ligatos matrimoniô validô concernit, adeóque ad Clericos matrimoniô invalidô irretitos tanquam odiosa porrigi non debet. *Secundò* quia *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. c.* 52. *de R. J. in* 6. cùm ergo ex supposito ejusmodi matrimonium nullum sit, non inducit juris effectum. *Tertiò* quia tales Clerici, quanquam statum cum beneficiis incompatibilem assumere attentaverint, hunc tamen revera, cùm matrimonium invalidum sit, non assumpserunt, & propterea etiam beneficiis efficaci & absolutâ voluntate non renuntiârunt, hòc ipsò, quòd eorum attentatio effectum sortita non sit.

Et ex his ruit negantium fundamentum, nam talis intentio, ac conatus est inefficax, & voluntas inefficax non reputatur pro facto, quando versamur in odiosis, vel impedimentis incurrendis, nisi id jure expressum habeatur.

12 II. Clerici conjugati exuuntur omnibus penè privilegiis Ordinis clericalis. *c. Joannes* 7. *h. t.* atque ea de causa ad tributa, collectas vectigalia, gabellas, aliásque exactiones sæculari Magistratui solvendas obligantur. *c. ex parte* 9. *& ibi* Panorm. *h. t. c. in. v. in cæteris. Eod. in* 6. Covar. *var. resol. c.* 31. *num.* 6. & 7. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 16. *n.* 16.

Gaudent tamen privilegiô canonis, & fori, si modò cum una, eáque virgine contraxerint, ac habitum, tonsurámque clericalem deferant *d. c. un.* & quod Trident. *sess. 22. de Reform. c. 6.* addit, alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ deserviant, vel ministrent.

13 Vehementer inter DD. *disceptatur*: num Clerici, qui prædicta requisita habent, solùm *in criminalibus*, an verò etiam *in civilibus causis* privilegiô fori gaudeant?

Qui privilegium hoc restringunt ad causas criminales, moventur textu *d. c. un.* in quo postquam Pontifex Bonifacius VIII. constituit, *hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus & delictis trahi non posse criminaliter*, ad vindictam scilicet publicam, *aut civiliter*, ad privatum scilicet alterius interesse, *ad judicium seculare*, in fine concluśit: *in cæteris autem, si vestem & tonsuram deferant, eos gaudere nolumus privilegiô clericali.* Et licèt Trident. *in d. sess. 23. c. 6.* Clericos conjugatos Clericis non conjugatis voluerit esse pares in illis requisitis, noluit tamen esse pares in privilegiis, dum respectu illorum innovat antedictam constitutionem Bonifacii VIII. Ratio, ob quam Pontifex solas causas criminales excepit, fuit, ut consuleret honori, & reverentiæ Ordinis clericalis. Panorm. *in cit. c. Joannes 7. num. 3.* Joan. Andr. *in d. c. un. num. 2.* Bordon. *de Privil. Cleric. c. 7. num. 6. & seqq.* Alter. *de Censur. tom. 1. lib. 5. disp. 16. c. 1.*

Qui privilegium fori ad causas quoque merè civiles extendunt, similiter se fundant in text. *c. un. h. t. in 6.* eò quòd in isto S. Pontifex declaret, ad hos Clericos conjugatos extendi privilegium Concilii Parisiensis, quod habetur *in c. nullus. 2. de Foro compet.* & est universale tam quoad causas civiles, quàm criminales. Nec contrarium suadent verba textûs, *pro commissis ab eis excessibus, vel delictis*; & alia: *in cæteris autem eos gaudere nolumus privilegiô clericali*: quippe priora stant demonstrativè, ex quo causa criminalis est majoris præjudicii, quàm civilis: posteriora verò restrictivè, quoad alias exemptiones, & privilegia clericalia. Rice. *p. 3. dec. 320. n. 5.* Gavant. *in Enchir. seu Manual. Episcop. in V. Clericus num. 84.* Bonacin. *in Bulla Cœnæ punct. 3. num. 3.* Diana *Resol. moral. p. 2. tr. 2. de Immunit. Eccles. resol. 50.* Alex. Sperell. *dec. 2. num. 125.* Carol. de Grass. *de Effect. clericat. eff. 1. num. 81.*

Nos hic liberrimum cuique relinquimus statuendi arbitrium, quid ex utraque parte libuerit: nam quamcunque quis elegerit opinionem, non errabit. Sanè in nostris partibus juri huic ob multitudinem Clericorum vix usus est.

§. IV.

Forma cœlibatûs stat in continentia à con- 14
jugio, seu in vitæ statu conjugis experte.

§. V.

Finis, ob quem Ecclesia Clericos cœlibes 15
voluit, est, ne alligati uxori, & oneribus conjugii implicati à muniis, & officiis Ecclesiasticis impediantur.

§. VI.

Effectus cœlibatûs sunt, I. ut possideamus 16
corpus nostrum *in sanctificatione, & honore*: 1. *ad Thessal. c. 4. ℣. 4.* II. *Facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi*, & meditandi cœlestia, dum econtra conjugium, ejúsque usus mentem hominis ad inferiora deprimit; quemadmodum docet Apostol. 1. *Cor. 7. ℣. 32. & 33. qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO: qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.*

TI-

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda.

SUMMARIA.

1. Definitur residentia. 2. Ea alia est vera, alia ficta. 3. 4. Quo jure introducta sit residendi obligatio?

5. Quatenus ad personalem residentiam teneantur Episcopi? 6. Abbates? 7. usque 14. Parochi, & alii Curati? 14. usque 19. Canonici? 19. Beneficiati simplices?

20. Residentia exigit præsentiam in loco beneficii. 21 usque 27 sunt tamen causæ, ex quibus absens fingitur præsens. 27. 28. item exigit, ut beneficiatus personaliter fungatur officio. 29. & ut Canonicus Divinis interfit. 30. usque 35. qui tamen ex certis causis quoad lucrandas distributiones interesse censetur.

35. Quis sit finis residentiæ? 36. 37. Qui fructus residentium? 38. & seqq. Quæ pœnæ non residentium?

AD vitæ honestatem, quæ in Clericis desideratur, pertinet quoque *Residentia in Ecclesia, vel Præbenda*, ob quam fructus beneficiorum, & distributiones quotidianas percipiunt.

§. I.

1 *Definitur* hæc residentia, quòd sit præsentia, seu assidua commoratio in loco beneficii, causâ servitii Ecclesiastici personaliter præstandi.

§. II.

2 *Dividitur* in residentiam veram, & fictam. *Vera* est, quando Beneficiarius verè, & realiter præsens est in loco beneficii, & per se ipsum, seu personaliter officium, propter quod datur beneficium, exercet. *Ficta* dicitur, quando absens à loco beneficii fictione juris habetur pro præsente in ordine ad lucrandos fructus annuos, aut etiam pro interessente in ordine ad lucrandas distributiones quotidianas. Barb. in *Collectan. ad rubr. h. t. n.* 9. Pirrhing. *n.* 2.

§. III.

3 *Causa efficiens* hujus residentiæ est jus, ex quo profluit residendi obligatio. Sed quod illud? Beneficiarios simplices solo jure Ecclesiastico ad residentiam teneri, in confesso est. An verò Episcopi, & alii curam animarum habentes ad eam jure quoque Divino obligentur? in *disquisitionem* venit.

Negant Albinianus, & Catherinus *ter. d Resid.* maximè ideo: quia Ecclesia circa eorum residentiam multa determinat: & obligatio residendi per consuetudinem tolli potest. 4

Verùm Episcopos, & Beneficiarios, quibus animarum cura incumbit, ad residentiam ipso Jure Divino obligari, perspicuè definit Concilium Trident. *Sess. 23. c. 1. de Reformat. Cùm præceptô Divinô mandatum sit, omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere: qua omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possint, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Ex quo ita concludo: Episcopi, & Parochi ea, quæ ipsis Divinô præceptô imposita, & per Tridentinam Sanctionem recensita sunt, non possunt abtentes præstare, ergo eôdem Divinô præceptô residere tenentur. Imò ipsa S. Synodus eos admonet, *ut Divinorum præceptorum memores, factique formæ gregis in judicio & veritate pascant, & regant.* Ita Lother. *lib. 3. de re benefic. q. 27. n. 37.* Less. *lib. 2. de J. & J. c. 34. dub. 29. n. 153.* & cum innumeris Jacob. Pignatel. *tom. 4. consult. 7. n. 18.*

Argumenta Adversariorum nihil evincunt: nam, quod *primum* attinet, licèt in individuo quoad hoc, vel illud tempus sub certis circumstantiis multa Ecclesia circa residentiam determinet, hoc tamen nihil impedit, quò minus in genere, & prout abstrahitur à casibus particularibus, juris Divini sit, & secundùm

illam rationem genericam immutabilis, prout in simili de immunitate Ecclesiastica respondet Ægyd Rambek in *Panopl. libert. Eccles. disp.* 1. *c.* 2. *n.* 41. *& seqq.* Quoad *secundum* negamus, hanc residentiam Episcoporum, & Curatorum etiam in futurum ullâ consuetudine abrogari posse, utpote quæ semper irrationabilis, contra Jus Divinum, & magis corruptela, quàm consuetudo sit futura. Trident. *cit. Sess.* 23. *c.* 1. Zoës. *h. t. n.* 4. Reliquas rationes Catherini confutat Vasquez in *Opusc. moral. tr. de Benefic. c.* 4. *§.* 2. *dub.* 1.

§. IV.

§ *Subjectum* residentiæ sunt Beneficiarii, qui ad eam obligantur. Obligantur autem

I. Omnes Patriarchalibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque quacunque ratione, ac titulô præfecti, etiamsi Ecclesiæ Romanæ Cardinales, vel quacunque aliâ dignitate præclari sint. *c. ex gestis* 2. *h. t.* Trid. *Sess.* 6. *de Reform. c.* 1. *& cit. Sess.* 23. *c.* 1. Quo postremo loco idem Concilium declarat, quòd Episcopi ex gravi causa, æquatamen, & sine detrimento gregis, per duos, aut ad summum tres menses (computatis omnibus totius anni partialibus absentiis) à sua Ecclesia abesse queant, modò in festis solennioribus præsentes sint, scilicet Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi. Per longius tempus si abesse velint, duo simul requiruntur: *justa causa*, qualis est *Christiana charitas urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*, & *licentia*, seu *approbatio*, quæ petenda est, vel à S. Pontifice, vel à Metropolitano, vel hoc absente, ab antiquiori suffraganeo, atque in scriptis obtinenda. Trident. *cit. Sess.* 23. *c.* 1. Quâ tamen licentiâ opus non est, si periculum in mora appareat, ut declarârunt Cardinales *ibid. n.* 10. *§. non est liber.* aut si causa absentiæ sit notoria, ut si Episcopus, qui simul est Princeps Imperii, ad Comitia vocatus compareat, modò absentia tunc Ecclesiæ non sit damnosa. P. Engel *h. t. n.* 2.

II. Ad residentiam in suis Ecclesiis tenentur Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores, ita ut sine licentia Superioris, cui subsunt, ad longius tempus discedere nequeant: siquidem & ipsi nomine Pastorum, seu Curatorum Episcopis inferiorum, de quibus Trid. in *d. sess.* 23. *c.* 1. loquitur, comprehenduntur. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *disp.* 14. *q.* 1. *n.* 4. & *q.* 2. *n.* 2. Pœnæ tamen circa amissionem fructuum, de quibus *infra* §. 7. dicemus, in Abbatibus non residentibus obtinere non possunt, ex quo propter votum religiosæ paupertatis redditus proprios non habent. Utrùm autem tales inferiores Prælati per tres menses abesse possint, sicut Episcopi? ex consuetudine præcipuè locorum æstimandum esse, censet P. Engel *n.* 6. *h. t.* Et sanè passim videas, eos ad breve tempus sine licentia Superioris abesse, præsertim ex causa, quæ Prælaturæ conjuncta & notoria est; ut si Prælatus sit Status, vel Deputatus Provinciæ. 6

III. Personaliter residere debent Parochi, 7
& omnes illi, qui beneficium aliquod, cui cura animarum annexa est, obtinent. *c. quia nonnulli.* 3. §. *cùm igitur h. t.* Trident. *sess.* 23. *de Reform. c.* 1. *§. eadem omnino.* ubi sancivit, *ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognitâ, & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam ut scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.* Verùm circa hoc decretum.

Dubitatur I. Num Parochi, aut alii Curati, qui tempore modico, id est, minùs, quàm duobus mensibus abesse volunt, ab Episcopo licentiam petere, & habere teneantur? Navar. in *Man. c.* 25. *n.* 121. & complures apud Garz.

Garz. *de Benefic. p. 3. c. 2. n. 19.* autumant, Parochos, aliósve Curatos ad bimestrem tantùm absentiam haud opus habere aliquâ Superioris approbatione, eisque sufficere conscientiam justæ causæ: tum quia in *eod. c. 1.* Tridentinum ad trimestrem absentiam ab Episcopis nihil aliud exigit, quàm justam ejus causam, & postea subdit, eadem, quæ de Episcopis dicta sunt, etiam de Parochis, aliisque inferioribus Curatis accipienda esse: tum quia ante Tridentinam sanctionem ad bimestrem in anno absentiam Parochis ejusmodi licentia non erat necessaria. *c. præsertim. 3. causâ 7. q. 1.* ergo neque post Tridentinam sanctionem, nihil tale ipsis præscribentem.

8 Econtra Garz. *cit. c. 2. n. 23.* Barb. in *Collect. h. t. c. 4. n. 5.* P. Engel *n. 10.* Less. *de J. & J. lib. 2. c. 34. n. 159.* docent, etiam ad absentiam duorum mensium Parochos, aut Curatos licentiâ Ordinarii indigere, idque colligunt ex Tridentino *loc. cit.* ubi præterquam quòd velit, causam priùs cognosci, & probari per Episcopum, *quandocunque eos abesse contigerit*, statuit, ut *discedendi licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant*, facili argumento, quòd Concilium decernat, etiam licentiam discedendi ad duos menses à Parochis, vel Curatis impetrandam esse, quamvis sine scripto ea concedi possit, nec ad eam dandam gravis causa requiratur, sed sufficiat quævis causa justa, veluti recreationis, aut visitandi propinquos.

Quæ in contrarium allata sunt, tam nodosa non videntur, ut non facilè expediantur. Et quidem Tridentinum in *cit. c. 1.* non facit omnimodam paritatem inter Episcopos & Parochos, aliósve inferiores Curatos, quoad tempus residentiæ, sed tantùm quoad culpam, & pœnam, si non resideant tempore à jure præscripto, ut legenti apparebit. Quòd verò dicatur, ante Tridentinam constitutionem ad bimestrem absentiam iisdem Ordinarii licentiâ opus non fuisse, eâ, quâ asseritur, facilitate negari potest per *c. si quis in Clero. 29. causa 7. q. 1. c. relatum 4. h. t.* nec probatur per allegatum *c. præsentium.* ut quod Parochis non permittit bimestrem absentiam sine Ordinarii licentia, sed solùm enunciat, quòd ob ejusmodi absentiam ex causa infirmitatis beneficiô privari non debeant.

Planè consuetudine in pluribus Diœcesibus 9
invaluit, ut Parochi (multò magis Prælati) ad modicum tempus discedentes licentiam Episcopi non requirant, sed vel suis Capellanis, vel vicino Parocho curam & jurisdictionem interea committant. Quæ consuetudo multorum absentiam excusare potest, modò interim Ecclesia, cujus cura iis incumbit, notabile damnum non patiatur: quamvis enim residentia Curatorum in genere nullâ consuetudine immutari valeat, cùm sit juris Divini; in specie tamen, seu in hypothesi, ne v. g. Parochus ex justa causa etiam minùs duobus mensibus absit, est juris duntaxat Ecclesiastici, contra quod uti licentia ab Episcopo, aut S. Pontifice concedi, ita consuetudo introduci potest. Confer. Barb. *de Officio Paroch. p. 1. c. 8. num. 52.*

Dubitatur II. An ad legitimam absentiam 10
Parochorum, aliorúmve Curatorum sufficiat tacita, vel præsumpta Ordinarii licentia? Quod negandum: siquidem ex supra recitato decreto Tridentini requiritur licentia specialis in scripto obtenta. Hinc tametsi quis ex gravissima causa, puta ob insidias, aut bellum, ab Ecclesia discedere debeat, attamen si potest, & tempus patitur, licentiam Episcopi petere debet, & impetrare; alioquin incidet in pœnas non residentium. Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. n. 34.* ubi ita declarâsse Congregationem Cardinalium refert. Quin imò si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinenda licentia Episcopum adire nequeat, quamquam in tali 11

casu Parochus extemplo etiam ante petitam licentiam à sua Ecclesia discedere possit, nihilominus ne ex postfacto incurrat pœnas non residentium, necessum est, ut quàm primùm potest, de suo discessu, & causa absentiæ Episcopum certiorem reddat, tum ut is de sufficientia causæ cognoscat, tum etiam ut tempus redeundi determinet. P. Engel *h. t. n.* 14. Pirrhing *n.* 21 Garc. *cit. n.* 34.

11 *Dubitatur* III. Si quis præter Parochiam insuper Canonicatum, vel aliud beneficium habeat, an, & in quo per se residere, vel per Vicariũ deservire, teneatur? In hoc dubio plures casus involvuntur necessariò distinguendi.

Primus est, quando alicui Canonicatui, vel alteri beneficio annexa est Parochia perpetuò & accessoriè, quemadmodum frequenter Abbatiis, Præposituris, aliisque Dignitatibus Parochiæ incorporari solent. Hoc casu quia major ratio habenda est principalis, quàm accessorii, oportet in majori, & principali Ecclesia, sive Canonicatu personaliter, in Parochia autem per Vicarium deservire. *c. extirpanda* 39 §. *qui verò de Præbend. & ibi* Interpp. Barb. ad *Trid. sess.* 22. *de Ref. c.* 3. *n.* 6.

12 *Secundus* casus est, quando aliquis citra unionem vel incorporationem ex dispensatione Pontificis simul obtinet beneficium simplex v. g. Canonicatum & Parochiam. Et hoc casu propter curam, & salutem animarum constituit Pius V. in *Bulla: Cupientes datâ* 15. *Junii* 1568. & declarârunt Cardinales *ad c.* 1. *Trident. Sess.* 23. *n.* 10. quòd talis Canonicus in Parochia residere, & per se ipsum officium Parochi exercere debeat. Interim tamen quia ex justa causa in Canonicatu non residet, omnibus fructibus, & redditibus Canonicatûs gaudet, solis distributionibus quotidianis exceptis. Garc. *de Benefic. p.* 3. *c.* 2. *sub n.* 179. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 127. Aliud usus ostendit.

13 *Tertius* est, si aliquis ex dispensatione citra unionem, vel incorporationem habeat duo, vel plura beneficia curata. In hoc casu in Parochia digniori, vel ubi major cura animarum exercenda est, residere oportet, & in altera nihilominus cooperatorem constituere, si reditus patiantur; ad instar Episcoporum, qui, si sint plurium civitatum, seu locorum, semper in nobiliori, ac frequentiori habitare coguntur, *c. Episcopi* 3. *dist.* 80. *c.* 1. *de Privileg.* Panorm. in *d. c. extirpanda* §. *qui verò num* 5. Quare quando unum beneficium est extra, alterum intra civitatem, residendum erit in eo, quod est intra; ita ex Garc. decisum ait Barb. *d. alleg.* 53. *n.* 73. Quòd si verò Parochiæ omnino videantur æquales, propriam commoditatem sequi & in alterutra pro libitu residere licebit, ut declaravit S. Congreg. Concilii in *Abulensi* teste Jacob. Pign. *tom.* 7. *consul.* 4. *n.* 20. & ex communi docet Honor. *h. t. n.* 12.

14 IV. Ad residentiam obligantur omnes in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis provisi de dignitatibus, Canonicatibus, præbendis ac portionibus, ita ut iis *non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Trident. *sess.* 24. *de Reformat. c.* 12. Circa quod

Quæres I. An causâ, vel licentiâ Episcopi opus sit, ut Canonicus tribus mensibus abesse possit? R. Episcopo quidem incumbere, ut attendat, ne simul & semel vel omnes, vel major Canonicorum pars discedant, & ita Ecclesia debitô servitiô destituatur, aut etiam ne in præcipuas solennitates hujusmodi absentia trium mensium incidat. Trident. *cit. c.* 12. de cætero verò, cùm ipso jure sine adjecta aliqua conditione permissum sit Canonicis, tribus mensibus abesse, non erit necessarium, causam aliquam allegare, vel licentiam Episcopi obtinere, ut decisum asseverat Zerolla in *Prax. Epi-*

Episcop. p. 1. V. privatio. dub. 4. Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. num. 215.* ubi ampliùs docet, posse Canonicum sine omni causa licitè tribus mensibus abesse, & tamen fructus integros totius anni percipere: nam ideo, inquit, permittit Tridentinum istam absentiam trium mensium, ut præbendati possint capere aliquam recreationem à labore, ne nimis dura sit residentia.

15 *Quæres* II. An circa residentiam consuetudo quid immutare possit? Affirmò cum Zypæo *in Analysi Jur. Pont. h. t. n.* 13. cùm enim residentia Canonicorum non sit juris Divini, sicut residentia Curatorum, maximè illud, quòd tantùm tribus mensibus abesse liceat, non videtur negandum, quin per contrariam consuetudinem ipsi decreto Tridentini, sicut aliis legibus positivis derogari possit. Nec obstat illa clausula Concilii: *non liceat vigore cujuslibet consuetudinis &c.* quia regulariter ejusmodi clausulæ solùm de præterita, non de futura consuetudine intelligendæ sunt: & licèt lex, aut canon simpliciter consuetudinem improbet, tanquam irrationabilem, etiam in futurum, nihilominus ex nova causa verisimiliter à Legislatore non provisa consuetudo introduci potest. Covar. *var. resol. lib. 3. c. 13. n. 4.* & ego *supra in tit. de Consuet. sub n.* 19. Atque ita factum videmus in multis locis Germaniæ, ubi ad lucrandos totius anni fructus interdù sufficit tempus unius, vel alterius mensis, vel dici debet in similibus locis prædictam Tridentini constitutionem receptam non fuisse.

16 *Quæres* III. Quid si aliquis in duabus Ecclesiis Cathedralibus sit Canonicus ex dispensatione, quanto tempore teneatur residere in una Ecclesia? Expeditum est, sine dispensatione neminem posse habere duos Canonicatus: sunt enim propter personalem residentiam novem mensium beneficia incompatibilia. Imò si simpliciter dispensetur, ut duos Canonicatus habere liceat, nullâ factâ mentione, quòd simul utriusque fructibus frui possit, nihil de residentia censetur remissum, sed singulis annis ex illo duntaxat canonicatu fructus percipiet, in quo per novem menses residentiam fecerit. Honor. *h. t. n.* 14. cum pluribus *ibidem* laudatis. Sin verò simul super residentia, & percipiendis utrobique fructibus dispensetur, attendendum erit ad particularia locorum statuta, quæ variant, dum in quibusdam Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis pro residentia quatuor, in aliis quinque, in nonnullis sex Menses assignantur. Atque hujusmodi statuta non sunt effrenatè accipienda, quasi licentiam præbeant, reliquo tempore non residendi, quippe sic repugnarent Concilio Tridentino, ac per id abrogata essent, sed suppositâ Apostolicâ dispensatione de non residendo, & lucrandis nihilominùs fructibus; enim vero quanquam Pontifex talibus statutis non ligetur, quin possit absolutè super residentia dispensare, vel ipse terminum, aut tempus residendi præscribere, nisi tamen specialiter exprimat, non censetur derogare, vel evertere similia statuta, à se, vel ab antecessoribus suis approbata, aut confirmata. *c. 1. & ibi* DD. *de Const. in 6.* P. Engl. *h. t. n.* 29.

Juvat hoc loco nobilem illam *controversiam* attingere: utrùm Episcopus, qui extra suam Diœcesin cum dispensatione Sedis Apostolicæ Canonicatum in Ecclesia aliqua obtinet, in eadem residere teneatur, vel an fructus, ac si præsens esset, lucretur, si in sua Ecclesia Cathedrali resideat?

17 Sanè S. Congregatio Cardinalium *ad Trident. sess. 23. c. 1. de Reform. num.* 1. ita declaravit: *Episcopus, modo in Episcopatu resideat, solutus est à residentia beneficii simplicis, aut dignitatis, quam sine ulla animarum cura obtinet, extra Diœcesin, in aliqua Cathedrali: eámque retinere, ac ejus fructus percipere potest, exceptis portionibus, & distributionibus quotidianis, & aliis, si quæ forte sint, quæ ab-*

absentes justâ aliquâ de causâ non percipiunt. Quam declarationem secutus est Barb. *ibid. num.* 20. & Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. num.* 185. Accedit, quòd alioquin dispensatio de retinendo beneficio, aut canonicatu præter Episcopatum inanis, frustranea, ac omninò ôtiosa foret.

Non diffitendum, multùm speciei hæc primâ fronte præseferre, sed si pensiculatiùs examinentur, vix merentur assensum: *primò* quia talis dispensatio Pontificia est strictè interpretanda, & aliud est habere Canonicatum & Episcopatum, aliud utrobique percipere fructus sine residentia. *Secundò* quia etsi expresè cum aliquo dispensetur, ut in suo beneficio non teneatur residere, is tamen nequaquam fructus beneficii lucrabitur, nisi id ipsum exprimatur, sed talis dispensatio solùm operabitur, ne ob non residentiam suo beneficio privetur, ut ex communi docet Rebuff. *in prax. benefic. tit. dispens. de non resid.* Honor. *h. t. n.* 13. & 14. Felin. *in c. ati Clerus. §. de Adulteriis. n.* 16. *de Judic.* quia rationem addit: quòd fructuum perceptio non sit connexum inseparabile; & *n.* 17. generaliter subjungit, quòd dispensatio non trahatur ad consecutiva separabilia. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 120. ubi regulam tradit, quòd dispensatio non extendatur ad accessoria, si hæc sint separabilia, aut sine iis dispensatio non reddatur prorsus inanis, sed effectum habere possit; atque pro exemplo adjicit: unde dispensatio ad non residendum minimè extenditur ad fructuum consecutionem. *Tertiò* propter textum *in c. fin. de Rescript. in* 6. ubi S. Pontifex revocat indulgentias perpetuas aliquibus personis concessas *de percipiendis fructibus beneficiorum suorum, distributionibus duntaxat quotidianis exceptis, sive in scholis essent, sive in Ecclesiarum suarum altera residerent aut in Romana Curia moram traherent;* consequenter supponit, opus esse speciali indulgentiâ ad hoc, ut is, qui in alterutra suarum Ecclesiarum residet, fructus lucretur, & istum textum procedere, quando quis ex dispensatione duas Ecclesias & beneficia habet, notat Gloss. *in V. altera.* Ad hæc *quartò* suffragatur universalis, uti aliarum Germaniæ Collegiatarum, & Cathedralium, ita & hujus quoque Metropolitanæ Salisburgensis Ecclesiarum notoria observantia, immemoriali temporis usu stabilita, in quibus & in qua sine ulla Personarum distinctione, respectu, & qualitate, etiam Episcopi, si non resideant, & deserviant, fructibus destituuntur: optima autem legum interpres est consuetudo. *c. dilectus de Consuetud. l. si de interpretatione. ff. de Legib.* & ipsa pro lege servatur. *l. de quibus V. inveterata ff. Eod.*

Neque opposita sententia sibi præsidium ex allegata Cardinalium declaratione accersere potest: potest enim cum Zypæo *consult. can. lib.* 1. *tit. de Elect. consult.* 1. *§. verùm replicatur.* responderi hujusmodi declarationes Cardinalium non exhiberi authenticas & omnes impressas declarationes jam sæpius Romæ damnatas esse ut adulterinas: vel saltem illi opponi potest exceptio de non usu: utpote quæ exceptio ipsis quoque constitutionibus tam canonicis, quàm civilibus objici solet. Gloss. in *c.* 1. *de Treug. & pac.* Aretin. *consil* 11. *col. penult.* Id, quod additur, dispensationem alioquin fore inutilem, omnino negatur; ex quo ejus varia commoda supersunt: *primò* namque taliter dispensatus, si in una resideat, ad alterius residentiam sub pœna privationis adstringi non potest, ut alii possunt. Deinde ita dispensatus, si ob motus bellicos, aëris inclementiam, persecutionem, aut corporis debilitatem in uno loco, seu Episcopatu residere ac manere nequeat, ad alterum potest habere refugium. *Tertiò*, si statuta utriusque Ecclesiæ tam diuturnam residentiam non exigant, juxta eorum in-

tenorem fructus etiam utriusque participare poterit.

18 Cæterùm & illud sicco pede prætereundum non est, quòd Decretum Tridentini *supra num.* 12. relatum non afficiat fundationes à Regibus, Principibus, aliisque Laicis factas, prout S. Congregatio in *una Segobien die* 21. *Febr.* 1576. hisce verbis declaravit: *Congregatio censuit, constitutionem, seu privilegium in fundatione Ecclesiæ editam, qua permittit Canonicis abesse ultra tres menses, non esse sublatam à Concilio sess.* 24. *c.* 12. Sine dubio ideo: quia Ecclesia non facilè derogat voluntati talium Fundatorum. Fagnan in *c. licèt* 32. *de Præbend. num.* 58. Idem statuendum de statutis à Sede Apostolica confirmatis propter duplex eorum vinculum, prout iterum eadem Congregatio respondit: *Statutum*, ait: *per quod conceditur abesse ultra tres menses ab Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis, si à Sede Apostolica fuit confirmatum, non censetur derogatum per Concilium.* quam & alias declarationes refert Garc. *de Benefic. p.* 3. *c.* 2. *num* 126. Verùm hoc ipsum tum procedit, quando confirmatio Apostolica emanavit ex certa scientia, & cum causæ cognitione; secus, si fuerit facta in forma communi, utpote quæ nihil novi tribuit. *c. cùm dilecta* 4. *§. non igitur. de Confirm. util. vel inutil.* ubi Ego *n.* 6. & 8. *c. quia diversitatem* 5. ubi DD. *de Concess. prab. c. quia intentionis* 29. junctâ Gloss. *de Privileg.* Fagnan. in *cit. c. licèt n.* 62.

19 V. Denique jure communi ad residentiam personalem obligantur Beneficiati quicunque, etiam simplices, utut Beneficium sit admodum tenue, & ultra viginti solidos annui redditûs non habeat. *c. quia nonnulli.* 3. *c. consequente.* 6. *c. cùm ad hoc.* 16. *h. t. c. fin. de Rescript. in* 6. Gloss. in *extravag. execrabilis. de Præbend.* Flam. Parisius *de Resign. benefic. lib.* 1. *q.* 10. *n.* 3. At hodie generali totius orbis consuetudine beneficia simplicia (exceptis Canonicatibus & Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum) hujusmodi onus exuerunt, ita ut in illis Clericus non cogatur personaliter residere, sed per Vicarium, seu substitutum ministerium obire, & obligationi satisfacere queat, Imò in *c.* 9. *h. t.* Panormit. *ibid. num.* 3. Rota *dec.* 483. *num.* 2. *p.* 1. Garc. *cit. p.* 3. *c.* 2. *à num.* 4. qui *num.* 8. addit, ita fuisse resolutum à S. Congregatione asserente, *Episcopum non posse cogere obtinentes beneficia simplicia aliquod personale servitium suis beneficiis impendere, cùm ex antiquissima totius Ecclesiæ consuetudine nonnisi ad officium recitandum teneatur.* Quapropter, qui Capellaniam obtinet, ratione cujus in certa capella, vel altari missas dicere obligatur, poterit ad istas missas legendas alium constituere, tametsi fundatio jubeat, ut ad Capellaniam non alius, quàm qui actu Sacerdos est, præsentetur: vel ut Capellanus electus celebret, cantet, interveniat; modò non specialiter caveat, ac exprimat, quòd ipsemet beneficiatus personaliter & per se missas legere debeat: tunc enim non excusabitur, nisi propter justum & legitimum impedimentum, ut declaravit S. Congregatio Concilii in *Romana Capellaniarum die* 4. *Augusti* 1654. *ad c.* 5. *sess.* 25. *de Reform.* & alibi pluries apud Jacob. Pignatel. *tom.* 7. *concluss.* 2. *à n.* 4. Garc. *de Benefic. p.* 7. *c.* 4. *à num.* 87. Cæsar de Panimoll. *dec.* 130.

§. I.

Forma hujus residentiæ posita est in assidua 20 commoratione in Ecclesia, seu loco beneficii, servitii Ecclesiastici præstandi gratiâ. Itaque ad residentiam propriè dictam, sive ut ratione ipsius fructus beneficiales percipiantur, requiritur.

I. Assidua præsentia in loco, seu Ecclesia, in qua quis habet beneficium. Sic Episcopus residere dicitur, si in Ecclesia sua Cathedrali, aut saltem in sua Diœcesi commoretur. Tri-

dent. *sess. 6. de Reform. c. 1.* in illis verbis: *extra suam diœcesin morando*: quod tamen in *sess. 23. c. 1. §. eosdem interim.* limitatur, ut certis anni temporibus principalem cathedram non relinquat, nisi Episcopalia munia in sua diœcesi eum aliò vocent. Et hoc jam antiquitus sancitum fuerat, sed generaliter in *c. placuit. 21. causâ 7. q. 1. c. Episcopus. 4. de consecr. dist. 3.* Canonicus Ecclesiæ suæ cathedrali, vel collegiatæ ita adesse debet, ut in dies per seipsum inservire, & Divino officio, quod est scopus residentiæ, interesse possit, ut colligitur ex Trident. *sess. 24. de Reform. c. 12. §. Præterea.* Parochus in domo parochiali, vel, si non habet, intra fines parochiæ habitet, oportet; nec satisfacit, si in vicino aliquo oppido moretur, & singulis diebus festis, ac Dominicis ad Parochiam suam excurrat. Barb. ad Concil Trident. *sess. 23. de Reform. c. 1. n. 45.* cum citatis. Neque excusaretur, si diebus ferialibus abesset, causâ docendi in aliqua civitate, ut decisum refert Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. n. 179.* Ampliùs: si Parochia sit divisa, & major pars populi longè ab Ecclesia degat, & minor propè, adhuc Parochus debet habitare prope Ecclesiam. Barb. *ubi supra n. 46.*

21 Sunt verò justæ, & legitimæ causæ, ex quibus ultra tempus indultum cum consensu Papæ, vel Ordinarii absentes juris interpretatione residentes, seu in loco beneficii præsentes finguntur, ita ut consequenter fructus saltem annuos lucrentur. Earum

Prima est *Christiana charitas*; ut si quis à loco sui beneficii absit causâ convertendi aliquam Provinciam, tollendi inimicias, pacem inter dissidentes componendi, Ecclesiæ viduatæ, aliisve piis locis, vel personis miserabilibus succurrendi. Pirrhing. *h. t. n. 22.* qui ita limitat: dummodo absentia non cedat in notabile detrimentum commissi gregis: cùm Episcopus, Parochus, aut Curatus ex justitia obligatus sit ad subveniendum suis ovibus, non item aliis. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 53. n. 6.*

Secunda causa est *evidens Ecclesiæ vel Reipubl. utilitas*; ut si quis absit pro defensione jurium sui Canonicatûs, aut Ecclesiæ, qualem absentiam nec juramentum de perpetuò residendo impedit: *c. ex parte. 13. h. t.* Rota *dec. 163. n. 11. p. 4. tom. 2. Rec.* si Elector, aut Princeps Ecclesiasticus propter officia Dignitati annexa Comitiis interfit, ex quo talis causa redundat in Ecclesiæ utilitatem. Huc etiam refertur causa studiorum Theologiæ, & Juris Canonici, quibus ad quinquennium in publicis Scholis (non item in villa, seu loco privato *c. tuæ. 12. h. t.*) operam dare licet absque reddituum privatione. *c. fin. de Magistr.* & ibi Panormit. Trident. *sess. 5. de Ref. c. 1. in fin.*

Verùm hæc facultas studendi, licèt de jure communi non tantùm Canonicis, sed etiam Curatis permissa fuerit cum licentia Episcopi & substitutô Vicariô assignatâ pro sustentatione certâ portione reddituum; *c. cùm ex eo. 24. de Elect. in 6.* hodie tamen de jure novissimo Tridentini. *sess. 23. c. 1. de Reform.* Curati studiorum causâ ampliùs abesse nequeunt, neque Episcopus talem licentiam indulgere potest, prout S. Pontifex à S. Congregatione Concilii consultus respondit, teste Fagnano in *c. super specula. de Magistr. n. 17.* eò quòd secundùm Tridentinum *sess. 24. c. 18. de reform.* Ecclesiæ Parochiales provideantur per concursum, per quam illas assecuti idonei sunt de præsenti, ita ut eos studiorum causâ ab Ecclesiis suis abesse non sit opus. Fagnan. *cit. n. 17.* Quæ provisio per concursum cùm in plerisque Germaniæ nostræ Diœcesibus recepta non sit, in his cessat ratio illius declarationis, ac proinde Episcopi, licentiam prosequendi studium sacrarum illarum scientiarum Parochiis probabiliùs dare possunt; quod etiam post Concilium illud generaliter Episcopis permissum esse cum aliis relatis sustinet Pallao *disp. 2. punct. 9. §. 9. à n. 8.* Reliquis Beneficiariis non curatis, sicut Canonicis, si ad stu-

dia

dia abire velint, non tantùm potest, sed etiam teneatur hodiedum Episcopus licentiam concedere, dummodo id status Ecclesiæ patiatur, & non sit extraordinaria Clericorum penuria. *c. cùm ad hoc 16. h. t.* Garc. *de Beneficiis p. 3. c. 2. n. 82. & 86.* Cæsar de Panimoll. *dec. 20. admot. 3. n. 78.*

3 *Tertia* causa est *obedientia Superioribus debita*, ratione cujus à residentia excusantur, qui à S. Pontifice, vel à proprio Episcopo ad certa officia subeunda mittuntur, vel ad serviendum in certis functionibus assumuntur. *c. de cætero 7. c. cùm dilectus 14. c. ad audientiam 15. h. t.* Curatos tamen Episcopô inferiores extra eorundem curam, & cum curæ detrimento ad negotia, vel servitia Episcopalia, puta Vicarii, Visitatoris, Secretarii, Fiscalis, & hujusmodi assumendos non esse admonent Cardinales *ad Trid. sess. 23. c. 1. de Reform. n. 7.* Barb. *ibidem n. 52. & 53.* Piasec. in *Prax. Episc. p. 2. c. 3. n. 27.* Jac. Pignatell. *tom. 7. consult. 4. n. 4. & seqq.*

4 De eo *altercari* DD. video: num à residentia excusentur Clerici, qui Principibus sæcularibus inserviunt?

Sunt, qui asserant, Reges ac Principes à Sede Apostolica privilegia impetrâsse, ut Episcopi, aliive Clerici, qui illis inserviunt in officio aliquo, non teneantur residere in suis Ecclesiis, salvo jure percipiendorum fructuum. Boët. *dec. 17.* Rebuffus in *Concord. de Collat. §. 1.* qui testantur tale privilegium Regi Franciæ fuisse concessum. Joan. Selva *de Benef. p. 4. q. 6.* Hieron. de Cœvallos *in suis comm. contra comm. q. 588. n. 7.* qui Clericos à residentia absolvunt. Atque pro eorum opinione facit *Novel. 123. c. 9.* quâ Episcopis conceditur, ut per annum in Curia commorari possint.

Nihilominus sententiam negativam ut veriorem approbo cum Garcia *de Benef. p. 3. c. 2. n. 389.* ideo: quia ejusmodi privilegia fi quæ ab Ecclesia unquam Principibus tributa fuerunt, ea per Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 2. de Reform.* & constitutionem Pii IV. *editam 13 Calendas Martii 1565.* recantata sunt, vel certè de eo casu intelligenda, quo regnum sine alicujus Episcopi, aut Clerici præsentia comodè administrari non posset: quippe tunc, ut propter bonum commune Reipublicæ S. Pontifex in obligatione residentiæ dispenset, æquitas, vel necessitas suadet. Nec est, quòd morer *Novellam 123. c. 9.* quandoquidem constitutiones Imperatoriæ, quæ in *Codice*, ac *Novellis* speciatim de Ecclesiis, Episcopis, Clericis, Monachis, eorúmque rebus jubendo vel vetando, licèt de facto olim vim habuerint ob dissimulationem SS. Pontificum, qui tunc temporis virium defectu resistere non valebant, absolutè tamen & semper invalidæ fuerunt, tanquam latæ à non habentibus potestatem. *c. lege Imperatorum 1. dist. 10. c. Ecclesia 10. de Constitut. & ibi* Interpp.

Quarta causa est *urgens necessitas*; veluti 25
bellum, & hostium incursiones arg. *c. pastoralis 42 causâ 7. q. 1.* capitalis inimicitia, aut insidiarum timor. Gloss. *fin. in c. ult. h. t.* gravis infirmitas, quæ an talis sit, Judicis arbitriô relinquitur. Barb. *tr. de Canon. c. 24. n. 27.* Zerol. *in Prax. Episc. p. 1. §. distributiones. n. 3.* item pestis, seu contagio, ob quam Beneficiarius vel in loco residentiæ, si ibi grassetur, manere nequit, vel ad eum è loco, ubi moratur, & pestis sævit, transire non licet. Rebuff. in *prax. tit. Dispensatio de non resid. n. 31. in fin.* Barb. *d. c. 24. n. 39.* Ubi tamen pro praxi bene notandum, quòd Curati, Parochi, Prælati, Episcopi, vel quacunque dignitate clari, tempore pestis teneantur etiam cum periculo suæ vitæ residere, nec possint absque lethali culpa fugere, & oves sibi commissas deserere: quoniam boni pastoris munus efflagitat, animam suam dare pro

ovibus suis, & vitam suam corporalem pro vita, ac salute spirituali earundem exponere, exemplô D. Caroli Borromæi, qui, ut in *vita* ejus legitur, eô morbo laborantes sedulò invisens paterno reficiebat affectu, & Ecclesiæ Sacramenta propriis ipse manibus administrans mirum in modum solabatur. Barb. *ad Trid. sess.* 23. *de Reform. c.* 1. *n.* 60. Jacob Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 17. *n.* 85. *& seqq.* P. Engel *h. t. num.* 17.

26 In facto *disputatum* fuit: utrùm beneficiati religionem ingressi tempore Novitiatûs fingantur residentes, fructúsq; annuos lucrentur?

Negativæ fundamentum in eo collocatur, quòd in jure ingressus in religionem non referatur inter causas legales, quæ ita ab obligatione residendi liberant, ut unà faciant, quòd absens in ordine ad lucrandos fructus pro præsente habendus sit. Ex quo Garc. *de Benefic. p.* 11. *c.* 9. *n.* 31. deducit, Canonicum Novitium anno Novitiatûs & probationis non lucrari fructus præbendæ, quamvis sit justè excusatus à residentia. Huic accedit P. Engel *h. t. n.* 28.

Ego mallem in affirmativam deflectere: *primò* quia ingressus in religionem est causa favorabilior, quàm causa studiorum, ergò cum causâ studiorum absens fingatur residens in ordine ad lucrandos fructus, multò magis ad eum effectum præsens censeri debet absens propter ingressum religionis, sive postmodum profiteatur, sive iterum è religione exeat, abest enim interim ex justa, & honestissima causa, approbante etiam lege, ut adeò pœnam, seu privationem fructuum non mereatur. *Secundò* quia beneficium illius, qui religionem ingreditur, tempore probationis non vacat, sed, si necessariò requirat servitium, Novitius per substitutum assignatâ illi congruâ portione reddituum deservire potest. *c. beneficium* 4. *de Regularib. in* 6. ergo etiam retinet jura ex illo beneficio dimanantia, quæ inter numeratur jus percipiendi fructus. Neque *tertiò* ex eo, quòd ad bonum aspiret, & vitam religiosam probet, debet ejus conditio fieri deterior; quam ob causam Canonicus Novitius dicitur quoque retinere jus eligendi, quod habent cæteri Canonici ejusdem Ecclesiæ, ita ut ad electionem Episcopi vocari debeat. arg. *c. penult. dist.* 63. Glos. in *d. c. beneficium in V. conferendum.* Ad hæc *quartò* in Novitio considerandus est status potiùs pristinus, quàm regularis, utpote certus præ incerto. Atque hanc sententiam amplexantur complures citati ab Herman Wesseling in *suo Monopol. Juris Universi in V. Novitiatus*, ubi adducit quoque actuale præjudicium, simúlque responsum plurium DD. qui huic se decisioni subscripserunt.

Hæc si solidum robur obtinent, fundamentum, quod pro negativa allatum est, facili negotio evertitur. Verùm ne forte plùs æquò religioni favere videar, referentis duntaxat partes mihi tribuo.

II. Ad residentiam requiritur personale 27
servitium, ac ministerium sacrum, hoc est, ut munia, quæ Beneficiato ratione beneficii imponuntur, per se ipsum obeat. Trid. *sess.* 7. *c.* 3. *de Reform.* Card. *in Clem. un. in pr. n.* 22. *de Foro compet.* Lother. *de re benefic. lib.* 3. *q.* 27. *n.* 4. Clericus enim acceptando beneficium quodammodo per quasi contractum ad residendum, & serviendum in persona se obstringere intelligitur, cùm beneficium detur propter officium, & semper eligatur personæ industria. *c. quia nonnulli* 3. *c. relatum* 4. *c. conquerente* 6. *h. t.*

Ex quibus facilis est decisio illius *quæstio-* 28
nis: num Parochus satisfaciat suæ obligationi, si in Parochia quidem qræsens sit, sed omnes actus ministerii per suos Capellanos, sive Vicarios exerceat? Enim verò ut satisfaciat, omnino necessarium est, ut ad minimum aliquoties, & maximè, si Parochiani postulaverint, per semetipsum curam animarum peragat, & Sacra-

cramenta administret, *d. c. relatum* 4. *h. t. c. extirpanda* 30. §. *qui verò de Præbend.* P. Engl. *h. t. n.* 15. siquidem residentia, ad quam Parochus tenetur, non est residentia materialis, hoc est, habitatio in Parochia, sed formalis, hoc est, exercitium muneris pastoralis, ut docent Sylvester *V. residere n.* 1. Garc. *de Benefic. p.* 2. *c.* 2. *n.* 179. referens declarationem S. Congregationis. Zerol. in *Prax. Episc. p.* 1. *V. Parochus* §. 4. & constat ex Trident. *c.* 1. *de Reform. sess.* 23. dum inculcans debitum pastoralis curæ inculcat residentiam, quâ pascat, & regat. Interim quia pœna privationis fructuum est lata in absentes, qui corporaliter Ecclesias suas deserunt, verius videtur cum communi DD. apud Garc. *de Benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 53. quòd talis ad restitutionem fructuum non teneatur, præsertim si Parochiani nullum exinde patiantur detrimentum, sicut nec ille, qui malè officium Parochi administrat, quem fortè melius esset omnino abesse: quippe juxta vulgatam regulam: pœnæ non debent extendi ad casus non expressos: & fructus principaliter dantur propter obligationem ad munera parochialia subeunda, vel per se, vel saltem per alium idoneum substitutum. Neque ab Horis Canonicis ad residentiam rectè ducitur paritas: cùm hæc saltem ex rationabili causa fructuosè aliis mandetur, ut puta propter multitudinem confitentium, vel aliarum occupationum, præcipuè si per cooperatorem æquè bene ac melius animabus subjectis provisum sit; econtra onus recitandi officium Divinum purè personale est, & substitutionem nullam admittit, sicut ex natura rei nemini non patet.

29 III. Ut Canonici ratione residentiæ præter fructus annuos lucrentur distributiones quotidianas, non sufficit præsentia in Civitate, sed omnino requiritur interessentia in Divinis officiis, *c. de cætero.* 7. *h. t. c. un. Eod. in* 6. *c. licèt.* 32. *de Præbend.* Trident. *sess.* 24. *c.* 12. *de Reform.* idque variis Cardinalium declaratio-

nibus confirmant Fagn. in *d. c. licèt num.* 41. & Jacob Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 129. *n.* 24. *& seqq.* Imò Navar. Azor. Less. Garc. Hurtad. & alii apud Gonzal. in *c.* 7. *h. t. n.* 5. contendunt, Canonicos sub onere, & pœna restitutionis teneri psallere, seu cantare cum aliis in Choro, nec satisfacere, si tantùm intersint, & per Capellanos, seu Vicarios psallant, ipsi verò vel ibi, vel domi privatim Divinum officium recitent. Quod etiam Tridentinum insinuat. *cit. sess.* 24. *c.* 12. in illis verbis: *omnes verò Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis DEI nomen reverenter, devotè, distinctéque laudare.* At quòd interessentes non psallentes, sed tantùm submissâ voce horas Canonicas recitantes suas faciant distributiones, docuerunt Cajetan. in *Summ. V. horæ canonicæ.* Barb. *J. E. U. lib.* 3. *c.* 18 *n.* 83. *& ad Trident. d. c.* 12. *n.* 118. cum pluribus citatis, quibus patrocinantur textus in *d. c. licèt* 32. *de Præbend. & c. un. h. t. in* 6. ubi sola interessentia commendatur, non autem ulla psallendi obligatio injungitur. Sanè consuetudo passim obtinuit, ut Canonici in Choro præsentes, etsi non per se, sed per substitutos Vicarios psallant, pro verè interessentibus habeantur; quam consuetudinem Barb. *cit. num.* 118. & Zypeus in *Analysi h. t. n.* 28. non irrationabilem esse existimat, ex quo officii decantatio, præsertim si figurata sit, ita sit magis decens, & accurata, ut etiam advertunt P. Engel *h. t. num.* 27. & Layman. in *Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *num.* 2.

Cæterùm sunt justæ, & privilegiatæ causæ, 30
ex quibus Canonici fictione juris habentur pro actu præsentibus, non tantùm in loco beneficii, sed etiam in Choro, & officiis Divinis, ita ut quoque distributiones quotidianas percipere possint. Harum

Prima est *utilitas Ecclesiæ. c. un. h. t. in* 6. ut Canonicus si curam animarum ipsemet exer-

cere & residere velit in Parochia Canonicatui, seu Dignitati suæ annexa. Trident. *sess.* 22. *de Reform. c.* 3. si Canonicus Pœnitentiarius in Ecclesia Cathedrali sub Divino officio confessiones excipiat. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 8. secus si audiret confessiones etiam infirmorum extra Ecclesiam Cathedralem. Barb. *de offic. & potest Episc. alleg.* 56. *n.* 8. si Canonicus assistat Episcopo in Ecclesia Cathedrali, aut aliis Civitatis locis Pontificalia exercenti ad præscriptum Trident. *sess.* 24. *c.* 12. *de Reform. §. omnes verò.* Fagnan. *ad c. licèt.* 32. *n.* 168. *de Præb.* si Canonicus nomine Capituli sui Concilio generali interfit, ut ex Concilio Constantiensi *sess.* 19. cum Rebuffo tradit P. Engl *h. t. n.* 32. Quod alii ad eos quoque, qui in synodo provinciali, vel diœcesana comparent, extendunt cum Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 53. *n.* 158. *& ad cit. c.* 12. *Trident. n.* 81. & 82. si Canonicus munus inquisitoris contra hæreticam pravitatem, vel Auditoris in Rota Romana obeat. Idem Barb. *cit. alleg.* 53. *num.* 155. & 156. *& ad Trid. d. c.* 12. *num.* 76. & 77.

Non immeritò hic *quæritur*: an interessens censeatur, & distributiones quotidianas lucretur Canonicus, qui tempore Divini officii in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata missam celebrat? Communissima sententia negat, sive celebret ex mera devotione, sive pro stipendio, & eleemosyna recepta, sive ex onere Capellaniæ, quam in eadem Ecclesia in titulum habet, sive ex onere legatorum, cui Capitulum, & Canonici satisfacere tenentur; nisi in loco aliquo consuetudine contrarium practicetur, aut ex rationabili causa, approbante Prælato, puta ob supervenientem advenarum processionem, aut sublimis dignitatis personam. Aliàs pernicioſi exempli foret, si laborantibus in choro destinata stipendia prætextu remissæ, quæ in aliam horam remitti posset, aliò transferre fas esset, cum publici cantûs diminutione, propter quem distributiones diariæ institutæ sunt. Panormit. in *c. cùm olim. n.* 6. *de Sent. & re jud.* Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 11. *q.* 19. P. Engl. *h. t. n.* 33. Riccius in *Prax. distrib. dec.* 492. *n.* 2. ubi allegat decretum S. Congregationis Cardinalium.

Secunda causa, ob quam præsens in urbe, à Choro autem absens pro interessente habetur, est *infirmitas*, ob quam Canonicus ad Ecclesiam conferre non potest; ut si febri laboret, si podagrâ vexetur, si debilis sit in cruribus, seu tibiis, si utroque lumine orbatus &c. *c. un. h. t. in* 6. Barb. *ad Concil. Trident. sess.* 24. *c.* 12. *à n.* 89. *usque* 94. Turrecremata in *c. Clericus vitium dist.* 91. qui dicit, ad infirmitatis excusationem spectare non solùm infirmitatem, quam quis patitur, sed etiam, quam timere potest, & vitare cupit minuendo sanguinem, aut medicinam sumendo; latè Fagnan. in *c. licèt de Prabend. à n.* 136. modò infirmus, dum integrâ valetudine uteretur, solitus fuerit Divinis officiis interesse; Secus enim si sanus solitus non esset frequentare chorum, & multò magis si omnino non fuisset solitus residere in loco, non censeretur infirmitas dare causam absentiæ, nec proinde distributiones reciperet. Panorm in *c. ad audientiam. h. t.* Navar. *de Hor. Can. c.* 11. *n.* 9. Covar. *Var. Resol. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 8. Felin in *c. Apostolicam. n.* 12. *de Except.*

Scrupulò non caret: utrùm infirmitas sit justa, ac privilegiata causa absentium, si in eam Canonicus ob excessum in potu, propriámque culpam incidat?

Videbitur fortassis, quòd non: tum propter juris regulam, quâ culpa auctori suo prodesse non debet, tum propter *l.* 5. *ff. Quib. ex caus. major.* juxta quam caret privilegiò restitutionis, qui causam absentiæ procuravit. Quam sententiam tenuit Philipp. Franch. in *d. c. nn. num.* 17. *h. t. in* 6.

Be-

52 Benignior tamen, & verior est opinio contraria ex eo, quòd licèt Canonicus suâ culpâ in morbum inciderit, impedimentum tamen non eo fine, & animo causatum, sed per accidens subsecutum, ac ab ipso DEO illatum sit, neque illud voluntarium in causa (ut vocant Theologi) tanquam nimis remotum hic à Jure attenditur. Confert optimus textus in *c. 2. causâ 7. q. 1.* ubi Gregorius Papa: *cùm percussio*, inquit, *imminet, utrùm pro purgatione, an pro vindicta contingat, DEI in hoc judicium ignoratur: & ideo non debet à nobis addi flagellatis afflictio.* Lotter *de re benefic. lib. 3. q. 27. num. 136.* Zerol. *in Prax. Episc. p. 1. in V. distributiones. §. 3. ¥. 6.* Covar. *var. resol. lib. 3. c. 13. n. 8. ¥. 7.* Putem verò, Canonicum, qui per actus repetitos se inhabilem redderet, ægrè ferre haud posse, si ipsi distributiones quotidianæ subtraherentur.

53 *Tertia* causa, ob quam Canonico absenti tanquam interessenti quotidianæ distributiones debentur, est *justa & rationabilis corporalis necessitas. cit. c. un. h. t. in 6.* ut si Canonicus sit senio confectus, ita ut ob decrescentes corporis vires arbitriò Judicis Divinis interesse nequeat, modò aliàs interesse consueverit: Azor. *Instit. mor. p. 2. lib. 7. c. 7. q. 12.* vel si sanitatis gratiâ in balnea ivit, aut alium locum petit, quo salubriori aurâ uteretur: Pirrhing. *h. t. n. 87.* vel si impeditus fuisset à Capitulo, aut etiam expulsus, quò minùs cum aliis Choro interesset: Lotter. *cit. q. 27. n. 143.* vel si absit à Choro ac etiam à Civitate ob metum, ne ab inimicis occidatur: Fagnan. *ad c. licèt. n. 151. de Præbend.* vel si injustè fuerit incarceratus. Navar. *h. t. consil. 10. & 11.* Gratian. *Discept. forens. c. 806. n. 13.* Nec refert sive in loco beneficii, sive alibi detineatur, ut rectè advertit Fagnan. *loc. cit. n. 153.* contra Covar. vel si injustè sit bannitus, & relegatus: Barb. *ad Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de Ref. n. 103.* item injustè excommunicatus, suspensus, aut interdictus, quando eo tempore, quo censura ejusmodi in eum injustè lata est, in loco sui beneficii præsens, & Chorum frequentare solitus fuit. Cæsar de Panimoll. *dec. 20. adnot. 3. n. 68.* cum citatis. Jacob Pignatell. *tom. 4. consult. 157.*

54 *Quarta* causa prætenditur *justa consuetudo*; qualis est, vi cujus conceditur alicui Canonico, vel Beneficiato, qui per 40. annos semper diligenter interfuit Divinis, ut is imposterum, tanquam emeritus, ad nullam ampliùs præsentiam obligetur, & tamen fructus annuos, ac distributiones quotidianas lucretur. Ita declarâsse S. Congregationem Concilii, meminit Garc. *de Benefic. p. 1. c. 2. n. 344.* Et generaliter justam esse consuetudinem, qua ex legitima causa, & ad breve tempus absentes distributiones quotidianas recipiunt, tenent Fagnan. *in sepe cit. c. licèt. de Prab. n. 59. &* 134. Covar. *lib. 3. Var. c. 13. num. 5.* Jacob Pignatell. *tom. 1. consult. 130. num. 3. & seqq.* non obstante *c. un. h. t. in 6.* id namque accipiendum est de consuetudine, quâ absentibus distributiones dantur, etsi absint sine justa, & legitima causa.

§. VI.

55 *Finis* residentiæ est, ut Divinum officium, & servitium Ecclesiasticum debitè præstetur, ideo enim potissimum residentia est introducta.

§. VII.

56 *Effectus* alius est residentiæ factæ, alius residentiæ neglectæ.

57 *Effectus residentiæ factæ* est perceptio fructuum beneficialium, quorum tres species assignantur: nempe *fructus* seu *reditus annui*, *distributiones quotidianæ*, & *fructus grossi*.

58 *Fructus*, seu *reditus annui* sunt fructus præbendæ, qui in fixo consistunt, & propter annuam residentiam, ac onera annexa in loco beneficii dantur, sine ordine ad ministeria, & interessentias in officio Divino; v. g. cùm singulis Canonicis per legitimum tempus residentibus,

annuatim destinantur mille imperiales, sive sæpius, sive rariùs Ecclesiam frequentent, ac Horis Canonicis intersint. Fagnan. in *c. licèt* 32. *n.* 17. *de Præbend.*

Distributiones quotidianæ sunt, quæ dantur intuitu singulorum actuum, seu præsentiarum in Choro, & Divino officio; v. g. cùm Canonici, qui sacro Officio, Matutino, Vesperis, vel aliis Horis intersunt, pro singulis actibus certam pecuniam, sive *præsentiam*, ut appellant, accipiunt. *c. un. h. t. in* 6. Trident. *sess.* 24. *de Ref. c.* 12. Atque hæ distributiones non veniunt sub nomine fructuum, ac reddituum beneficiorum per *c. fin.* §. *in illis, de Concess. præb. in* 6. *extravag. cùm nonnullæ.* 11. §. *præterea. de Præbend.* Lotter *de re benefic. lib.* 1. *c.* 39. *n.* 22. ac proinde si alicui esset concessum privilegium, ut absens posset percipere fructus beneficii, non propterea posset accipere quotidianas distributiones, ut notat Gloss. in *d. c. un. h. t. in* 6. Azor. *Inst. mor. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 7. *q.* 2. & si quis condemnatus esset, ut restituat fructus beneficii, non teneretur vi hujus sententiæ restituere distributiones: Boër. *dec.* 383. *n.* 4. ỹ. *in contrarium.* Cæsar. de Panimoll. *dec.* 30. *adnot.* 3. *num.* 3. nec privatus ob delictum fructibus beneficii censeretur esse privatus distributionibus. Boër. *dec.* 40. *n.* 4. Rota *dec.* 1170. *n.* 2. *p.* 3. *divers.* Nisi beneficium nullos alios fructus haberet, quàm distributiones, tunc enim habentur locò fructuum beneficii. Dec. *lib.* 1. *consil.* 49. *n.* 14. & alii, quos laudat Cæs. de Panimoll. *d. adnotat.* 3. *n.* 9. Certè ad distributiones quotidianas spectant *anniversaria*, sive portiones funebres pro iis fundatæ, qui anniversariis intersunt. *c. un. in fin. h. t. in* 6.

Fructus grossi nuncupantur, qui de frumento, vino, piscibus, aut similibus rebus certis anni temporibus inter Canonicos residentes distribui solent. Garc. *de Benefic. p.* 3. *c.* 2. *n.* 440. & 441. P. Engel *h. t. n.* 36. Et hi fructus ordinariè annumerantur annuis, eò quòd plerumque æqualiter inter residentes distribuantur, absque respectu ad singulas in Choro præsentias; sin verò alicubi cum tali respectu distribuerentur, utique quotidianis distributionibus accensendi forent, quemadmodum olim contigisse colligitur ex *cit. c. un. h. t. in* 6. ubi distributiones quotidianæ *victualia* dicuntur, & ex *c. de cætero.* 7. *h. t.* ubi *victualia* illis denegantur, qui actualiter Divinis non intersunt. Gloss. *in extravag. un. Ne sede vacante.* Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *proæm. n.* 205. & fusè Quar. *in Summ. Bull. V. residentia.* ubi etiam decisionem Rotæ, & plures hujus sententiæ Authores allegat.

Non levis DD. *pugna* est: an qui in eadem Ecclesia duo beneficia habet, puta Præpositura, & Canonicatum, duplices distributiones percipiat? 37

Negant Butrio in *c. cùm olim n.* 10. *in fin. de Sent. & re jud.* Honor. *h. t. n.* 23. & Zoës. *n.* 16. *Primò* quia, qui ratione duorum beneficiorum in Choro præsens est, non magis est præsens, quàm is, qui tantùm Canonicatum habet, ergo satis est, illum vel ut Præpositum, vel ut Canonicum habere simplices distributiones, utpote quæ percipiuntur ob personalem præsentiam. *Secundò* quia distributiones quotidianæ non dantur ratione beneficii, sed ratione officii, & muneris, quod quis facit in Ecclesia. Ergo duplices distributiones non debentur ei, qui licèt duo beneficia habeat in eadem Ecclesia, duo tamen munera & officia simul non obit. Facit huc textus in *l. si plures.* 9. *pr. ff. de Pactis.* ubi dicitur esse difficile; ut unus homo duorum vicem sustineat, id quod præcipuè in hac personali præsentia, ac interessentia obtinet.

Affirmant Joan. Andr. Panormit. & Felin. *ad c. cùm olim de Sent. & re jud.* Pirrhing. *h. t. n.* 100. Covar. *lib.* 3. *var. resol. c.* 13. *n.* 6. Quibus suffragatur *primò, cit. c. cùm olim.* ex

quo

quo colligitur eum, qui simul Præpositus & Canonicus est, duplicem vocem in Capitulo habere, nisi aliud exigat Ecclesiæ consuetudo. *Secundò l. Titia. §. qui Marco. ff. de Annuis legat.* ubi notant Interpp. quòd si legentur centum singulis Senatoribus alicujus Oppidi, & Marco quinquaginta, centum & quinquaginta debeantur Marco, si is sit unus è Senatoribus. *Tertiò* juvat ratio: quòd talis Clericus Præpositi & Canonici munere simul fungatur; ergo æquum est, ut percipiat id, quod utrôque fungenti debetur; quia quando plura jura concurrunt in persona unius; perinde est, ac si concurrant in personis diversorum per *l. tutorem 21. ff. de his, quæ ut indign. & ibi* Bartol. Ad hæc licèt talis Canonicus non magis sit præsens physicè, quàm qui unum tantùm habet beneficium: magis tamen præsens est moraliter, eò quòd duorum impleat munus: nec est ratio, cur unam potiùs, quàm alteram portionem acquirat, cùm idem Clericus tanquam Canonicus, & tanquam Præpositus Divinis officiis intersit.

Ego cum Layman *in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 7. n. 4.* censeo, hac in re cujuslibet Ecclesiæ consuetudinem observandam esse. Utra verò harum opinionum ad juris obrussam examinata verior sit, problema esto.

38 *Effectus neglectæ residentiæ* sunt pœnæ, quarum quidem plures contra non residentes sancivit Jus Canonicum vetus in *c. pervenit. 20. cum multis seqq. causâ 7. q. 1. & passim h. t.* quia verò circa eas plerumque Tridentinum attenditur, pœnas ab eodem statutas breviter recensebimus.

I. Itaque *in sess. 6. c. 1. de Reform.* antiquos Canones innovavit, ac ulteriùs ordinavit, ut si quis à Patriarchali, Primitiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesin morando abfuerit, pœnam privationis quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum, ipso jure incurrat, & si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eò ipsò amittat, crescente verò contumaciâ, intra tres menses per Archi-Episcopum, vel si ipse Archi-Episcopus abfuerit, per seniorem Suffraganeum, sub pœna interdicti ingressûs in Ecclesiam eò ipsò incurrenda, R. Pontifici denuntiari debeat, ut in absentem animadvertere, & Ecclesiæ de Pastore utiliore providere possit. Insuper

II. *In sess. 23. de Ref. c. 1. §. si quis autem.* 39 S. Synodus statuit, ut si Cathedrali Ecclesiæ cuicunque præsidens ultra duos, aut summum tres menses (exclusâ necessitate, vel causâ rationabili) abfuerit, præter peccati mortalis reatum pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciat, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi retinere possit, sed vel ipse, vel ipso cessante superior Ecclesiasticus Ecclesiæ, vel pauperibus loci applicare debeat, prohibitâ quâcunque conventione, aut compositione, & non obstantibus quibuscunque privilegiis.

III. *In ead. sess. 23. c. 1. §. eadem omnino.* 40 declaravit, eadem omnino quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnam de Parochis, aliisque Curatis inferioribus intelligenda esse. Quare & ipsi, si ultra duos menses sine gravi causa, & expressa Ordinarii licentia abfuerint, fructus restituere tenentur, & ad id ab Episcopo compelli possunt: & si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, Ordinariis liberum esse voluit, per censuras Ecclesiasticas, sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliáque juris remedia, etiam usque ad privationem eos compellere nullô privilegiô, licentia, familiaritate, exemptione, pactione, statutô, consuetudine, appellatione, aut inhibitione executionem

nem hanc remorante. Antequam tamen deveniatur ad privationem beneficii, necessum est, ut absens priùs personaliter, aut si personaliter non possit, per trinum edictum citetur exspectatô post tertium edictum sex mensium spatiô. *c. ex parte* 8. *c. ex tua.* 11. *h. t.* & ibi Panorm. Zypœus *in analysi h. t. n.* 15. Layman *in Theol. mor. tom.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *num.* 3. Optimè Cæsar de Panimoll. *dec.* 80. *à n.* 11.

41 IV. *In sess.* 24. *de Ref. c.* 12. *§. præterea.* decrevit, ut qui in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata obtinet dignitatem, Canonicatum, præbendam, aut portionem, & sine legitima facultate ultra tres menses non residet, primo anno privetur dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos, & si iterum eâdem fuerit usus negligentiâ, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit: durante verò post duos annos contumaciâ, & si legitimè monitus non redierit, contra eum juxta SS. Canonum constitutiones procedatur etiam ad privationem beneficii. *c.* 8. 11. *& fin. h. t.* Barb. *ad Trident. d. c.* 12. *n.* 70. Piasec. *in Prax. Episc. p.* 2. *c.* 3. *num.* 9. Jacob Pignat. *tom.* 1. *consult.* 164. ubi *n.* 2. adducit sequentem declarationem S. Congregationis: *Sacra &c. censuit, scribendum Episcopo Asculano, ut contra Archi-Diaconum non residentem adhibeat remedia SS. Canonum ultra amissionem distributionum quotidianarum, primóque anno absentiæ privandum esse dimidia parte fructuum suæ præbendæ; secundo anno privandum esse omnibus fructibus: tertio verò anno, durante contumacia, & præcedente priùs monitione privari posse Archi-Diaconatu.*

42 V. Denique *in ead. sess.* 24. *c.* 12. *§. distributiones verò.* S. Synodus in usum revocavit decretum Bonifacii VIII. quod extat in *c. un. h. t. in* 6. & constituit, ut Canonici, qui statutis horis non interfuerint, quâvis collusione, aut remissione exclusa, distributionibus careant. Ex quo decreto DD. colligunt, nullo prætextu Episcopo, aut Capitulo licere, Canonicis, qui sine legitima causa ab Officio Divino abfuerunt, amissas distributiones remittere, relaxare, aut condonare, ne iis alioquin detur occasio se absentandi à choro, sub spe, Episcopum, aut Con-canonicos suos sibi condonaturos distributiones, quas ob ablentiam amiserunt. Fagnan. *in c. licèt.* 32. *n.* 9. *de Præbend.* Rota *in Hispalen. distribut.* 2. *Maii* 1603. *coram Coccino.* Barb. *ad Trid. cit. cap.* 12. *num.* 108. Garc. *de Benefic. p.* 3. *c.* 2. *n.* 432. ubi memorat, ita declarâsse S. Congregationem Concilii.

Non extra calcem *quæsieris*: an distributiones ab aliis Canonicis propter ablentiam amissæ reliquis interessentibus accrescant? Aliqui affirmant, nonnulli omnino negant. Mihi eorum sententia probatur, quæ rem sequenti casuum distinctione componit: *Primò* si ex communibus beneficiorum redditibus detracta, vel ex fundatione, aut fidelium oblatione pro defuncti anniversario assignata sit certa portio distribuenda inter eos, qui certo die Divino Officio intersunt, absentium portionem præsentibus accrescere, perspicuè insinuat Trid. *sess.* 21. *de Reform. c.* 3. *Secundò.* si pars aliqua ex propriis, & distinctis à mensa Capitulari redditibus quarundam dignitatum, officiorum, vel præbendarum desumpta sit, ut per modum distributionum iis dentur, qui illas dignitates, ac officia obtinent si præsentes sint, his absentibus præsentibus non accrescet, sed fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio assignanda erit juxta idem Trident. *sess.* 22. *de Ref. c.* 3. Pirrhing *h. t. n.* 101. *Tertiò* si massa aliqua habeatur, ex qua certa protio, v.g. medius florenus iis qui solenni sacro; aliquot pazii illis, qui Matutino, Vesperis, aliisve Horis Canonicis intersunt, dentur, absentium portio apud massam Ecclesiæ in ejus utilitatem convertenda remanebit. Gutierez. *qq. Can. lib.* 1. *c.* 1. *num.* 106.

TI-

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

NE Clericos in opprobrium Ordinis mendicare contingat, & ſtatus clericalis ob paupertatem vileſcat, *præbendæ, & dignitates* conſtitutæ ſunt. *c. cùm ſecundùm Apoſtolum. 16. h. t.* ubi & Gloſſ. & DD.

Pars I.

De Præbendis.

SUMMARIA.

1. Præbenda etymologia. 2. Homonymia. 3. Definitio. 4. usque 12. multiplex diviſio. 12. Origo. 13. usque 17. A quo præbendæ, ac beneficia inſtituenda? 17. 18. Quibus conferenda? 19. Aſſignatur eorum objectum. 20. usque 25. Recenſentur requiſita neceſſaria ad eorundem conſtitutionem. 25. usque 29. An Capellania, Commenda, Præſtimonium, & penſio nomine beneficiorum veniant? 29. Quis ſit finis præbendæ, ſeu Beneficii? 30. & ſeq. De fructibus beneficiorum, eorumque perceptione.

§. I.

1 *Præbenda*, unde nomen trahat, primo ſtatim intuitu apparet, nimirum à *præbendo*, eò quòd Miniſtris Eccleſiæ alimoniam, ſive jus ad proventus Eccleſiaſticos præbeat. Deſſelius *h. t. theor.* 1. Hinc & Canonici *præbendarii* dicuntur, qui præbendam accipiunt. *c. ſanctorum 2. diſt. 70.*

§. II.

2 Sumitur autem vocabulum *præbendæ* modò latè, modò ſtrictè. Latè quidem quatenus denotat perceptionem reddituum Eccleſiaſticorum, etiamſi laico competat propter ſervitium aliquod merè temporale, v. g. propter advocatiam Eccleſiæ, aliúdque officium ſæculare; quàm *laicalem præbendam* alias appellant. Vallenſ. *h. t.* §. 1. *n.* 1. Strictè verò, quatenus accipitur pro beneficio Eccleſiaſtico, ſeu *præbenda ſpirituali*; in qua acceptione iterum duplici ſignificato gaudet. *Primò* enim ſignificat portionem canonicam, ſive ipſum jus percipiendi certos redditus Eccleſiaſticos promanans ex Canonia; quæ ſimpliciter ſic dicta tantùm eſt *jus habendi ſedem in Choro, & vocem in Capitulo*, & à præbenda differt tanquam cauſa à ſuo effectu. Pirthing. *h. t. n.* 1. *Secundò*, & in præſenti capitur generaliter pro quocunque beneficio Eccleſiaſtico intuitu Divini officii, & obſequii conceſſo, atque hoc reſpectu *præbenda*, & *beneficium* in jure Canonico confunduntur, & pro *ſynonimis* uſurpantur in *c. majoribus. 8. c. tuis quæſtionibus. 23. & paſſim. h. t. c. penult. de V. S.* Gonzal. *in c. 1. n. 10. h. t.*

§. III.

3 *Definitur* Præbenda, ſeu beneficium, quòd ſit jus perpetuum percipiendi redditus Eccleſiaſticos ratione ſpiritualis officii, Eccleſiaſticâ auctoritate inſtitutum, & perſonæ Eccleſiaſticæ ab Eccleſiaſtica collatum. P. Engel *h. t. n.* 1. Layman. in *Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.*

§. IV.

4 *Dividitur* Præbenda, ſeu beneficium Eccleſiaſticum multifariam.

I. In beneficium regulare, & ſæculare. *c. cùm de beneficio 5. c. cùm ſingula 32. h. t. in 6. Clem. 1. de Elect. Clem. un. de Supplenda negligentia Prælat.* Regulare illud dicitur, quòd ſolis Religioſis conferendum eſt; quale eſt *Abbatia, Prioratus, Canonicatus regularis*; & aliquæ *Parochiæ*, de quibus *infra de Capell. monach.* Sæculare nuncupatur, quod per Clericos ſæculares regi, & adminiſtrari debet. Azor. *Inſt. mor. tom. 2. lib. 3. c. 1. q. 4.* Garz. *de Benefic. p. 6. c. 1. n. 12.* Ea verò tribus modis diſcernuntur; *Primò* fundatione: etenim pro fundatorum arbitrio beneficium vel regulare, vel ſæculare eſt, cùm eorum voluntatem omnino deceat adimpleri. *c. quæ ſemel 4. cauſâ 19. q. 3.* Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. diſp. 9. q. 3. num. 1.* ubi notat, tunc beneficium ex fundatione cenſeri regulare, quando cum auctoritate & conſenſu Epiſcopi, vel Epiſcopô ſuperioris eâ lege fundatum eſt, ut per Viros religioſos in tali beneficio deſerviatur:

sicut enim universim de ratione beneficii est, ut cum authoritate Episcopi constituatur, ita etiam ad beneficium regulare non sufficiet, si solùm per Abbatem, aut alium jurisdictionem Episcopalem non habentem ita statutum sit, ut nonnisi Regularibus conferri debeat. *Secundò* conversione, ac mutatione statûs à sæculari in regularem, & vice versâ à regulari in sæcularem. *c. ad audientiam. 5 de Eccles. ædif. Tertiò* præscriptione, quâ ut ex beneficio regulari fiat sæculare, aut econtra, præter possessionem bonæ fidei per quadraginta annos continuatam requiritur, ut Clericus sæcularis in beneficio regulari, vel Religiosus in beneficio sæculari authoritate Ordinarii tanquam Rector principalis institutus sit. *c. cùm de beneficio 5. h. t. in 6. & ibi* Passerin. *n.* 22. Feder. de Senis *consil.* 136. Sanchez *lib. 7. moral. c. 29. n.* 23. Unde si Prælatus Regularis in Parochia regulari habeat Vicarium sæcularem temporalem tantùm, hic Vicarius nunquam præscribet. Similiter si Religiosus de facto tantùm sine legitima institutione beneficium sæculare possideat, uti etiam si non tanquam beneficiatus principalis, sed quasi Vicarius, vel non ut Regularis, sed quasi Clericus sæcularis in beneficio sæculari commoretur, nunquam mutabitur status beneficii. Vid. Barb. *J. E. U. l. 3. c. 4. n. 68.* Tambur. *ubi supra n.* 4. Corrad. *in Prax Benefic. lib. 1. c. 6. n. 323. & seqq.* Pirrhing *h. t. n.* 109. *&* 110.

5 *Addubitatum* fuit: an, si de statu, seu qualitate beneficii non constet, id regulare, vel sæculare præsumatur? Omnia beneficia ex institutione sua præsumi sæcularia, asserunt Rota in *una Pamphilonen. Prioratûs. 21. Junii* 1594. *coram Pamphilio.* Mascard. *de Prob. concl.* 172. *à n.* 1. Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 7. n.* 1. Sanchez. *lib. 7. moral. c. 29. n.* 11. cùm enim Religiosi contemplantis habeant officium, *c. Monachis. c. placuit. causâ* 16. *q.* 1. non est verisimile, aliquod beneficium esse erectum, quo fortè ab hoc suo officio avocentur. Jac. Illsung. *in Theol. pract. tr. 5. disp. 2. q. 2. a. 2. n.* 177. Quapropter Passerin. *ad c. cùm de beneficio 5. num. 7. & 43. h. t. in. 6.* concludit, in dubio ei, qui asserit, beneficium esse regulare, probationem incumbere. At sunt alii, qui in tali casu attendunt ad ultimum statum beneficii, hoc est, an vacaverit per obitum personæ regularis, vel sæcularis, atque ex eo de illius qualitate judicant: quoniam generaliter in beneficialibus ultimus rei status inspicitur, & maximè consideratur per *c. querelam. 24. de Elect. c. consultationibus. 19. de Jure patronat. c. cùm olim 7. de Causa possess. & propriet.* Gonzal. *cit. Gloss. 7. n.* 23. Petr. de Murga *tr. de Benefic. q. 2. n.* 8. & alii, quos refert Rota *dec.* 737. *n. 3. p. 2. Recent.* Et hoc, quamvis appareret de variatione, & beneficium aliquando per institutos sæculares, aliquando per Regulares gubernatum fuisset. Vincent. de Franchis *p. 1. dec.* 85. *n.* 2. nisi constaret de contrario statu legitimo præcedente. Rota Romana apud Farinacium *dec.* 188. *n. 1. p. 1. Recent.* Certè, quando beneficium fundatum est in aliquo Monasterio, & de modo fundationis non constat, præsumerem illud esse regulare: nam penitissimè mihi persuasum habeo, id in favorem Monachorum esse fundatum, eâ scilicet intentione, & lege, ut per Regulares eidem provideatur, nisi per sæculares regi consueverit. Barb. *J. E. U. lib. 3. c. 5. n.* 14. Rebuff. in *Prax. benefic. in proœm. tit. quotuplex sit beneficium. n.* 6. Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. disp. 9. q. 6. n. 4.* Mascard. *cit. concl.* 172. *n.* 17.

6 II. *Dividitur* præbenda, seu beneficium in beneficium duplex, & simplex. Castro Palao in *Opere moral. p. 2. tr. 13. disp. un. punct. 2. n.* 3. Noster Petr. de Murga *tr. de Benefic. q. 2. n.* 320. *Duplex* est, quod aliquâ juris qualitate afficitur; cujus generis est *Dignitas*, quæ

quæ habet præeminentiam cum jurisdictione in foro externo; veluti *Papatus*, *Cardinalatus*, *Patriarchatus*, *Episcopatus*, *Abbatia*, *Præpositura*, *Decanatus*, *Archiaconatus &c.* de quibus *in parte altera* dicemus: *Personatus*, qui nec jurisdictionem ullam habet, nec administrationem rerum, habet tamen eminentiorem sedem, & locum in Capitulo, in Choro, ac aliis in locis respectu aliorum, qui in Ecclesia, aut Conventu suo tali, vel majori carent præeminentiâ. P. Engel *h. t. n.* 4. *Officium*, quod jurisdictione caret tam in foro interno, quàm externo, nec specialem præcedentiam in Capitulo, Choro, aut alibi habet; veluti officium *Cantoris*, *Sacristæ*, *Custodis*, & *Thesaurarii*. Vallens. *h. t. §.* 2. *n.* 6. *Beneficium curatum*, seu *parochiale*, quod curam animarum in foro pœnitentiali habet cum potestate administrandi Sacramenta Parochianis suis Clericis, & Laicis. Castro Palao *cit. n.* 3. *Simplicia* sunt omnia reliqua beneficia, quæ neque jurisdictionem fori externi, neque specialem præeminentiam, administrationem, aut curam animarum habent, sed instituta sunt ad preces tantùm persolvendas & alia Divina officia peragenda, ut *Capellaniæ*, & omnes *Canonicatus* Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ. Petrus de Murga *cit. q.* 2. *n.* 324. Præsumitur autem in casu dubio beneficium simplex potiùs, quàm duplex, eò quòd qualitas non præsumatur, nisi probetur. Card. Tusch. *concl. pract. lit. B. concl.* 63. *n.* 4. Garc. *de Benef. p.* 2. *c.* 6. *n.* 8.

7 Hic occurrit celebris *quæstio*: utrùm sub nomine beneficiorum comprehendantur tam duplicia, quàm simplicia, quando in genere eorundem fit mentio? Quæ adhibita distinctione inter materiam *odiosam* & *favorabilem* dirimitur. In materia *odiosa*, vel aliàs strictæ interpretationis tantùm veniunt simplicia, quia beneficia duplicia, curata & dignitates plùs quodammodo sunt, quàm beneficia simpliciter dicta, & propterea specialem mentionem merentur, si strictè loqui placeat. Hinc si S. Pontifex mandet, ut alicui provideatur de beneficio non factâ mentione curati, vel non curati, non debet, nec potest beneficium curatum eidem conferri per textum luculentum in *c. cùm in illis.* 16. *h. t. in* 6. non quidem quasi curata beneficia non sint propriè dicta beneficia, sed quia intentio S. Pontificis non censetur fuisse de beneficio curato rescribere, eò ipsò quòd propriis verbis non expresserit. *c. fin. h. t.* Christophorus Döring Gottwicensis, Vir de Academia nostra optimè meritus in *Disp. de jure Rescriptor. c.* 3. *n.* 3. Econtra in materia *favorabili*, & latæ interpretationis (qualis ordinariè est gratia Principis, *c. cùm dilecti.* 16. *de Donationib. c. olim.* 16. *de V. S.* exceptis tamen litteris, seu rescriptis Papalibus super obtinendo beneficio impetratis, ut quæ ambitiosa censentur. *c.* 4. *h. t. in* 6.) nomine beneficii in genere intelligitur æquè duplex ac simplex, tam curatum, quàm non curatum: cùm non minùs unum, quàm alterum naturam beneficii participet, & si favor aliquis concedatur beneficiis in genere, meritò concessus censeatur curatis, quæ ad majores labores ampliori favore digna sunt præ simplicibus. Sic dum *seq. tit.* conceditur, ut ægroti Clerici beneficia unà cum fructibus retineant, id non solùm de simplicibus, sed de curatis quoque procedit. Quod tamen ita limito, nisi expressè contrarium statuatur, vel natura beneficii aliud exigat. Quamobrem ubi in genere Beneficiatis indulgetur non residere, & officium suum per alium implere, id licèt favorabile sit, nihilominus ad Curatos extendi non potest, utpote contra rationem, & naturam beneficii curati, quod ex Jure Divino & humano residentiam exigit, ut in *tit. præced. n.* 4. probatum est.

III. *Dividitur* Præbenda, seu beneficium 8
in beneficium collativum, electivum, &

mixtum. *Collativum* est, quod collatione liberâ pro voluntate Superioris confertur. *Electivum*, quod per suffragia Capitularium, accedente postea Superioris Ecclesiastici confirmatione, vel admissione obtinetur; qualia etsi alicubi reputentur Decanatus, propriè tamen electivorum nomine veniunt solæ Prælaturæ, sive Dignitates pastorales, quas obtinentes censentur Ecclesiarum suarum quasi sponsi, & capita Collegiorum, quibus præsunt, veluti Episcopi, Abbates, Præpositi, Priores Conventuales, & similes. Azor *Instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 14. q. 2. & 5.* Gregor. Tholosan. *de Elect. c. 4. n. 2.* Beneficium *mixtum*, seu *patronatum* vocitatur, quod nominante, seu designante Patrono à Superiore confertur, ita ut Patronus primò præsentare, & postea Episcopus præsentatum instituere debeat, prout plerique Parochi, & Capellani institui solent. In dubio beneficium præsumitur *collativum*, non *electivum*, aut *mixtum*: quia esse electivum, vel mixtum non est qualitas propria beneficii, sed extrinseca, ac accidentalis, liberæque provisioni Episcoporum præjudicat. Pirrhing. *h. t. n. 16.* Castro Palao *p. 2. tr. 13. de Benefic. dis. 1. pun. 2. num. 5.*

2 IV. *Dividitur* Præbenda, ac Beneficium in manuale, & titulare. *Manuale* est, quod ad nutum conferentis revocari, & adimi potest; quò fere omnia beneficia regularia, exceptis electivis, pertinent, utpote quæ Prælati, qui ea contulerunt, Religiosis sibi subjectis pro lubitu auferre queunt, *Clem. un. de supplenda neglig. Prælat. & ibi* Interpp. *Titulare*, sive, ut alii vocant, *non manuale* beneficium est, quod in titulum perpetuum confertur, & semel collatum tolli non potest, nisi certis de causis à Jure statutis; hujusmodi sunt beneficia sæcularia, quæ suâpte naturâ, & jure ordinario perpetua sunt, & irrevocabilia, nisi ex gravi, & justa causa. *c. præcepta 16. dist. 55. c. satis 7. dist. 56. c. 2. dist. 70.* Garc. *p. 1. de Benefic. c. 4. n. 16.* Pirrhing *h. t. n. 14.*

Frequens in foro *controversia* est: numto Parochia regularis sit beneficium manuale, ita ut Beneficiati tam sæculares, quàm regulares sint ad nutum Prælati amovibiles?

Difficultatem facessit Concilium Tridentinum *sess. 7. de Reform. c. 7.* quod Episcopis potestatem dedit, ut in Parochiis, quæ Monasterio, aut Collegio unitæ sunt, vicarios perpetuos, aut temporaneos constituere possint, pròut ipsis pro bono Ecclesiarum regimine expedire videbitur, appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus minimè suffragantibus.

Sed cur ab affirmativa recedere debeam, non video: enimverò quòd Prælatus ad Parochiam regularem vicarium tam regularem quàm sæcularem ad nutum amovibilem exponere possit, habet Barb. *de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 199.* cum pluribus ibi allegatis: *Regularem* quidem, quia non est credibile, Concilium voluisse abrogare. *c. ad nostram. 5. o. porrecta 6. o. ad monasterium. 9. §. tales de Statu Monach. Clem. un. de Supplend. negl. Prælat.* aliósve antiquos Canones, juxta quos Regulares à beneficiis pro libitu revocari possunt, maximè cùm per manualitatem æquè, imò meliùs provisum sit Ecclesiis, quàm per perpetuitatem Regularium, cùm regularis Beneficiatus à rectæ vitæ, aut parochialis curæ semita deflectens facilè, & absque strepitu per solum Prælatum amovetur, & melior sufficitur, sicque religiosus obedientiarius in sacræ obedientiæ vigore continetur. *Sæcularem* verò: quia si Clericus sæcularis ab Episcopo vicarius perpetuus constitui posset, Prælatus in Parochia regulari privaretur jure suo, & impediretur, quin constituere posset vicarium regularem, usquedum sæcularis moreretur; quod Tridentinum *loc. cit.* minimè concedit. Certè quòd Episcopus

non

non possit Vicarium perpetuum deputare, quando à tempore immemoriali unio (scilicet Ecclesiæ Parochialis) facta est, & ex tunc constat, Vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus & consentientibus Ordinariis, & nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum, tenent Flores de Mena *variar. lib.* 1. *q.* 16. *n.* 44. Sanchez *in Præcept. Dec. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 29. *n.* 191. *¥.* 3. *fallit.* & cum his Barb. *ad d. c.* 7. *Trident. n.* 16.

Porrò decretum Tridentini, quod in contrarium adductum, intelligendum est de Parochiis *sæcularibus* Monasterio unitis, non verò de *Regularibus*, seu ita unitis, ut in illis ex arbitrio Prælati vicarii regulares, vel sæculares constitui possint: siquidem Pius V. in *Bulla: Ad exequendum. sub dat. Kal. Novemb.* 1567. expressè excepit tam mendicantes, quàm alios regulares habentes Parochiales Ecclesias unitas, & decernit, ut in ejusmodi Ecclesiis possint deputari vicarii ad nutum Superiorum amovibiles ex ipsis Fratribus, ac Monachis, nec illis invitis ibi Episcopi vicarios perpetuos instituere valeant. Præterea quia nonnulli Episcopi abutebantur potestate sibi datâ in Concilio *d. c.* 7. & Vicariis perpetuis tantam portionem assignabant, ut vix aliquid Monasteriis, aut Collegiis de fructibus remanserit, ideo idem Pius V. *in d. Bulla: Ad exequendum.* declaravit, quòd, cujuscunque valoris, vel oneris Parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major, quàm 100. nec minor 50. Scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis assignari, nisi jam priùs ante designationem Episcopi Vicario fuerit plùs dari solitum. Ad hæc notabile est, quòd in Parochiis unitis, in quibus Vicarius sæcularis exponitur, Episcopus non pro suo libitu possit instituere Vicarium perpetuum, sed in debeat facere ex justa causa, eaque deficiente appellatio detur. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 190. Garc. *de Benefic. p.* 9. *c.* 2. *num.* 8.

V. Beneficia ad se invicem comparata dividi solent *in sociabilia*, seu *compatibilia*, ut vocant, & *insociabilia* seu *incompatibilia*.

Incompatibilia dicuntur, quorum officium unus simul præstare nequit; qualia sunt ea beneficia, quæ singula residentiam continuam petunt; itémque uniformia sub eodem tecto, neque enim natura patitur, ut quis simul duobus locis continuò resideat, aut idem officium simul pluries præstet.

Rursus inter hæc aliqua sunt incompatibilia, ut unum alterum ipso jure excludat, quæ *incompatibilia primi generis* vocantur: alia sunt, quæ etsi simul absque dispensatione Pontificis licitè retineri nequeant, tamen non ita inter se pugnant, ut uno obtento alterum ipso jure vacet, etsi post secundi assecutionem à Superiore sit auferendum, dicunturque *incompatibilia secundi generis*.

Incompatibilia primi generis sunt beneficia habentia annexam curam animarum, dignitatem, personatum, aut officium. *c. multa* 28. *h. t. Extravag. execrabilis. Eod.* Trid. *sess.* 7. *de Reform. c.* 4. quandoquidem ipso jure primum ex his vacat, cùm secundum ejusdem generis acquiritur, & si quis etiam alterum retinere contenderit, utroque privatur ipso jure, & ad sacros insuper ordines, & beneficium quodcunque inhabilis existit. *d. Extravag. execrabilis.* Talia etiam sunt beneficia uniformia sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia, vel Capella, aut Cœmeterio illi contiguo, v. g. duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ, juxta *Clem. ult. h. t. c. literas.* 9. *de Conces. præb.* Trident. *cit. cap.* 4. Requiritur tamen ad dictum effectum, tum ut secundum beneficium integrè sit obtentum, ejúsque pacifica possessio habeatur, tum ut fructus secundi beneficii percipi valeant;

aliàs

aliàs enim talis possessio inutilis foret. *c. si tibi 26. h. t. in 6. Clem. 3. h. t.* Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 7. c. 16. q. 9.* Garc. *de Benefi. p. 11. c. 5. n. 100.* tum ut utrumque beneficium collatum sit in perpetuum, seu titulum, seu commendam juxta Trid. *loc. cit.* Unde habens dignitatem, vel beneficium curatum, licèt vicariatum generalem Episcopi acceptet, priùs tamen beneficium, seu dignitatem non perdit, cùm Vicarius sit ad nutum amovibilis, *ut supra de Officio Vicarii* diximus.

Incompatibilia secundi generis sunt cætera beneficia, quæ residentiam continuam, ac cum alio incompossibilem exigunt, licèt simplicia sint, prout colligitur ex Trid. *sess. 24. de Ref. c. 17.* in quibus non eò ipsò primum vacat, quòd secundum obtentum sit, cùm id expressum in jure non reperiatur, ut notat Less. *de J. & J. lib. 2. c. 34. dub. 27. n. 144.* Azor. *Inst. moral. p. 2. lib. 6. c. 10. q. 1.* Imò etiam quoad incompatibilia primi generis notandum, quamvis is, qui duo ejusmodi beneficia retinuit, primo ipsô factô ita privetur, ut nullâ opus sit sententiâ Judicis, secundi tamen beneficii, licèt itidem titulum & proprietatem statim perdat, possessionem nihilominus retineat, donec per sententiam privetur, prout idem Less. *d. lib. 2. c. 34. dub. 27. n. 143.* docet.

Beneficia *compatibilia* dicuntur, quorum officia præstari possunt; qualia sunt beneficia in diversis Ecclesiis, quæ nullam, vel non incompossibilem residentiam exigunt; veluti si ex statuto, aut consuetudine recepta in uno v.g. Canonicatu, tres vel sex, in altero totidem menses residere sufficiat, contra Trid. *sess. 24. de Ref. c. 12.* quod residentiam continuam, aut saltem novem mensium postulat. Layman. in *Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 8. n. 6.* Talia etiam sunt beneficia difformia in eadem Ecclesia, quorum obligatio ab uno suscipi, & commodè impleri potest; v.g. Præpositura, vel Decanatus, & simplex canonicatus: Pirrhing. *h. t. n. 136.* Less. *de J. & J. lib. 2. c. 34. n. 144.* Navar. *h. t. consil. 26.* Quò probabiliter etiam revocari possunt duo altaria ejusdem Ecclesiæ propter diversa onera, & officia illis annexa: ut si in uno bis, in altero ter, aut quater hebdomadatim distinctis diebus celebrandum esset. Navar. *h. t. consil. 16.* Pirrhing *n. 138.* Atque de hujusmodi beneficiis compatilibus sentiendum, ea tum demum juxta Trident. *sess. 24. de Reform. c. 17.* licitè simul obtineri posse, si pro congrua sustentatione necessaria sint, & simplicia, quod addo: quia licèt ante Tridentinum potuerint etiam plura curata beneficia possideri, si ita erant tenuia, ut non possent proprios Sacerdotes alere, *per c. eam te. 4. de Æt. qualit. & ord. præfic.* hodie tamen id sine Apostolica dispensatione non ampliùs licet, teste Less. *cit. c. 34. n. 147. in fin.*

§. V.

Causa efficiens Præbendæ, seu beneficii alia est remota, alia proxima. 142

Remota est jus. Sed quale? Existimem beneficia, ac præbendas eatenus jure Divino positivo esse introductas, in quantum deserviunt pro retributione temporali Divini officii, & pro necessaria sustentatione Ministrorum Ecclesiæ: ita enim edicit æterna Veritas: *dignus est operarius cibo suo. Matth. 10. ℣. 10.* Cui succlamat Doctor Gentium. *1. ad Corinth. 9. ℣. 17. Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, & qui Altari deserviunt, de Altari vivant.* Quoad titulum verò beneficialem, & modum & formam prædictæ retributionis temporalis, præbendas esse de jure humano, & sub absoluta Papæ dispensatione, sat abundè constat ex *c. omnes 1. dist. 22.* ubi dicitur Romanam Ecclesiam instituisse Patriarchatus, Primatus, Archi-Episcopatus, Episcopatus, & cujuslibet ordinis dignitates, & ex *c. in illis 2. dist. 80. c. licèt 2. pr. h. t. in 6.* ubi habetur, Ecclesiarum, Personatuum, Di-

Dignitatum, aliorúmque beneficiorum plenariam disposítionem ad Romanum Pontificem pertinere. Confer Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 1. q. 1.*

13 *Proxima* sunt ii, qui præbendas, seu beneficia erigunt, instituunt, aut fundant: nempe S. Pontifex, Episcopus, Capitulum, vel privatus.

S. Pontifex solus erigit beneficia majora, seu Dignitates Ordinis, ac Collegii Ecclesiastici. *cit. c. omnes. 1. c. sacrosancta. 2. dist. 22.* de quo *infra p. 2.*

14 *Episcopus* in sua Diœcesi creat omnia minora beneficia: *c. nemo. 9. dist. 1. de Consecrat. c. nullus omnino. 11. causâ 16. q. 7.* Trident. *sess. 24. de Reform. c. 13.* ex sæculari regulare facit, non e contra, nisi auctoritate R. Pontificis. *c. inter quatuor. 5. de Religios. domib.*

Dubitari hoc loco potest: num inferior Episcopô, præsertim Prælatus exemptus, aut nullius Diœcesis beneficium Ecclesiasticum instituere, ejúsque institutionem authorizare possit? Quod negandum, nisi habeat suffragium Episcopi Diœcesani, aut privilegium speciale à Sede Apostolica. *c. auctoritate 4. de Privil. in 6.* vel jurisdictionem quasi Episcopalem: quia talis quoad ea, quæ jurisdictionis sunt, regulariter omnia potest, quæ Episcopus in sua Diœcesi, Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 17. n. 94.* Chockier *lib. 1. q. 17. n. 25. & lib. 4. q. 20. n. 1.* Intelligitur autem Prælatus exemptus habere jurisdictionem quasi Episcopalem, quando ei jurisdictio collata est non solùm in suam Congregationem, seu Collegium, sed etiam extra per totum aliquod territorium, certis limitibus finitum, ita ut ea competat in Parochos & Parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi. Secus dicendum de Abbate exempto, qui solùm in eos, qui de Collegio sunt, jurisdictionem exercet. Azor *Instit. moral. tom. 2. lib. 3. c. 28.* P. Engl. *de Privileg. Monast. privil. 46.*

Capitulum præbendam tantùm in specie, 15
ac propriè dictam instituit, ac suppressam dignitatem restaurat. *c. dilectus. 19. h. t. c. cùm accessissent. 8. de Constit.* Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis instituere in actu erectionis spectat ad S. Pontificem, post erectionem verò potest etiam Episcopus cum consensu Capituli alios de novo creare, maximè si Canonicorum numerus præscriptus, & Ecclesia numerata non sit, eò quòd Canonicatus appellatione beneficiorum comprehendantur. Barb. *de Canon. & dignit. c. 2. n. 21. & seqq.* ita ut si nova supperadditio purè fiat, novi Canonici in nullo differant ab antiquis, & iisdem cum iis prærogativis gaudeant; secus si cum restrictione. Fagnan. in *d. c. cùm dilectus. h. t. n. 21. & 22.* Jo. Bapt. de Luca in *Theatr. verit. tom. 12. tit. de Can. & Capitul. disc. 6. n. 2. & 3.* Quòdsi Ecclesia numerata, & à S. Pontifice certus Canonicorum numerus præfixus fuerit, videtur denegata potestas inferioribus numerum augendi, ut docet idem Jo. Bapt. de Luca *cit. disc. n. 4.* nisi forte postea proventus, & facultates Ecclesiæ excreverint, ut limitat Gratian. *discept. forens. §19. num. 21.* cum Panormit. Butr. Imola, & aliis in *c. cùm. M. Ferrarien. 9. de Constit.*

Privatus beneficium fundat non per se, sed cum licentia, & auctoritate Episcopi. *c. nemo de Consecr. dist. 1.* Eâ non accedente privata oratoria construit, & dotat. *c. unicuique 33. eâd. dist. 1. c. fin. de Consib. c. patentibus. 10. de Privil.* ut amplius *n. 20.* dicemus.

Hic *scrupulus* incidit: an ei, qui bona sua 16
confert ad novi beneficii fundationem, paciscí, & conditionem adjicere liceat, ut illud sibi beneficium conferatur?

Dixeris, id licere, eò quòd in fundationibus Ecclesiarum, ut major sit hominum ad Ecclesias fundandas promptitudo, honestæ conditiones admittantur. *c. præterea. 23. de*

Jure patronat. c. verum. 4. de Condit. appos. Qua ratione motus P. Engl. *de Elect. n.* 1. tenuit, posse Patronum Ecclesiasticum, aut sibi, aut alii Prælato, vel Capitulo in Ecclesia fundata jus eligendi reservare. Deinde cùm juxta Azor. *tom.* 2. *Instit. mor. lib.* 6. *c.* 4. *q.* 25. & communem DD. fundatori liceat beneficium instituere, ea lege, & conditione, ne ullus, nisi ex sua familia, vel gente præficiatur; non est, cur eidem fundatori non liceat beneficium instituere ea lege, & conditione, ut ipsemet præficiatur.

Verùm negativa unanime Canonistarum suffragium jam dudum merita est, partim propter textus generales in *c. non est putanda* 27. *causâ* 1. *q.* 1. & in *c. ex multis.* 9. *causâ* 1. *q.* 3. partim propter textum specialem in *c. tua nos.* 34. *de Simonia.* qui disertè habet: *quòd si quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non possit sine vitio Simoniæ: cùm in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat, juxta canonicas sanctiones.* Ubi Fagnan. *n.* 3. in terminis notat, esse simoniam fundare, vel dotare Canonicatum, vel aliud beneficium Ecclesiasticum cum eo pacto, ut beneficium illud sibi conferatur. Profectò quod *ibi* statuitur de præbenda nullatenus ex pacto conferenda fundatori ejusdem, hoc idem statuendum de alia quavis præbenda, quam aliquis sibi, aut alicui suorum conferri paciscereturr, dum fundat aliud beneficium, quasi in compensationem, & remunerationem antidoralem, aut in permutationem suæ novæ fundationis. Augebitur verò, & gravius erit simoniæ delictum, si pactio hujusmodi fiat super beneficio necdum fundato, sed fundando, ut contingit, cùm quis ad obtinendum sibi, aut filio suo beneficium jam existens, confert prædium, vel numeratam pecuniam, ex qua novum aliud fundetur beneficium: tunc enim fit communio rei temporalis ad rem sacram, ex quo beneficium fundandum non est beneficium, & priusquam facta, & ab Ordinario recepta, ac approbata sit fundatio, prædium, aut pecunia ad hoc destinata manet adhuc sub genere rei merè temporalis, & profanæ, atque sub ista conditione magis reprobabitur per *d. c. tua nos.* Diversum obtinet, si fundator remota omni pactione, & intentione simoniacâ etiam occultâ & mentali gratis, & liberaliter sua bona donaret, & postea rogaret, ut sibi beneficium à se fundatum liberè & spontaneè conferretur. *d. c. tua nos. & ibi* Fagnan. *n.* 23. *& seqq.* Azor. *Instit. moral. p.* 3. *lib.* 12. *c.* 7. *q.* 2.

Rationes in partem oppositam supra adductæ procedunt, quando in fundationibus conditiones honestæ apponuntur, non verò in hypothesi, in qua Ecclesia conditionem adjectam damnat, ac improbat. Unde nec paritas vim habet, quandoquidem argumentum à pari, aut simili nunquam concludit contra expressam juris dispositionem. Eberhardus *in argumentis legalib. loc. à simili.* Et notat Barb. in *loc. commun. argument. jur. loc.* 101. argumentum à simili esse valde fragile & infirmum, ac facilè sterni posse, cùm oporteat paritatem esse in puncto; quod præcipuè in materia morali verum est, in qua cùm bonitas & malitia ab unica sæpe pendeant circumstantia, facillimè fieri potest, ut unius circumstantiæ atomus oculum, & considerationem fugiat, & ita periculosissimè ab uno ad aliud trahatur consequentia.

§. VI.

Subjectum præbendæ, seu beneficii est is, cui confertur. Requiritur autem ex parte ejus, cui confertur, ut sit habilis, legitimæ ætatis, scientiæ, non suspensus, non excommunicatus, irregularis, indignus: item ut sit

sit Clericus vel sæcularis, vel regularis pro qualitate beneficii, prout latè de hujusmodi conditionibus disseruimus in *lib. 1. ad tit. de Elect. §. 4. & in tit. de Ætat. & qualit. & ord. præficiend. per tot.* Duæ tamen supersunt *quæstiones* non indignæ, quibus immoremur.

Prima est: utrùm Religiosi de jure, & absque dispensatione Apostolica sint capaces sæcularium beneficiorum curatorum?

Qui in negativam propendent, opponunt primò *c. in Ecclesiis. 1. de Capell. Monach.* ubi Urbanus III. hæc statuit: *In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, Populus per Monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat ab Episcopo per consilium Monachorum institutur:* ubi Glossa notat, quòd Monachi curam populi habere non debeant. Cui consonant *c. placuit. 1. c. de Monachis. 3. c. Monachus. 4. c. placuit. 8. c. interdicimus. 10. causâ 16. q. 1.* Secundò obtendunt vulgatam regulam, quæ habet: *Beneficia regularia Regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda esse*, juxta *c. cùm de beneficio. 5. c. cùm singula. 32. h. t. in 6. Clem. un. de Supplend. neglig. Prælat.* Ad hæc tertiò Paulus IV. Anno 1558. in *Bulla*, quæ incipit: *Postquam Divina bonitas* nominatim prohibet, Regulares ad beneficia sæcularia aliter, quàm ex Papali dispensatione promoveri: & sub Gregorio XIII. emanavit Decretum Congregationis Concilii Tridentini, quò expressè promotionem Regularium ad Beneficia sæcularia interdixit: Gonzal. *ad Reg. Cancell. glos. 7. num. 53.* Sanch. *lib. 7. in Decal. c. 29. num. 71.* Garc. *de Benefic. 7. p. c. 10. n. 21.* Layman. in *Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 4.* Pirthing. *num. 118. h. t.* qui, & plures alii contendunt, jure saltem novissimo Regulares curata beneficia sæcularia sine dispensatione Papæ obtinere non posse.

At verò quàm multos isti, & unà seipsos fefellerint, in propatulo est: etenim *jure antiquo* regulares beneficiorum curatorum sæcularium capaces esse, clamant *c. quod Dei timorem. 5. de Statu Monach. Clem. 1. de Elect. c. nullus Religiosus. 28. c. si Abbatem. 36. Eod. in 6. c. doctos. 21. & quatuor seqq. causâ. 16. q. 1.* Imò Gregorius XV. in *Bulla*, quæ incipit: *Salvatoris nostri Jesu Christi* perspicuè fatetur, quòd longâ, & continuatâ multorum sæculorum serie Ecclesia ipsa nullos alios, quàm Familiæ Benedictinæ Alumnos Pontifices habuerit, ex eáque jam ab antiquissimis temporibus admirabili doctrina & sanctitate præditi Viri propè innumerabiles prodierint. Et quidem non tantùm intra septa Monasterii, ut dicitur, sed in toto pene terrarum Orbe, cùm pleræque gentes per religiosos ad fidem conversæ fuerint, ut passim Annales profitentur. Idipsum probatur ex Jure novissimo Tridentini, quod *sess. 14. c. 11. de Reform.* statuit, ut omnis Religiosus, *ex alio Ordine translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia sæcularia etiam curata, omninò incapax existat.* ergo supponit Tridentinum, Religiosos, si ex alio Ordine translati non fuerint, esse illorum beneficiorum capaces, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Ita P. Engl *de Privileg. Monast. privil. 45.* Bordon. *de jure Paroch. num. 51.* Præterea non est dubium, quin consuetudo jus pariat, & legem abroget *c. fin. de Consuet. l. 32. cum seqq. ff. de LL.* Panormit. *in c. cùm liceat. de Præscript. & in c. 1. de Capell. Monach.* ubi ait, contra constitutionem *hujus c. 1.* consuetudinem valere. Atqui consuetudo obtinuit, ut regulares admittantur ad beneficia sæcularia absque ulla S. Pontificis dispensatione, & obtentâ duntaxat sui Superioris licentiâ; Et hæc consuetudo tantò magis probanda est, quòd cum jure communi conveniat.

Nec argumentis contrariis hæc sententia enervatur. Nam ad Canones, qui videntur

Monachis adimere Clericorum munia, respondetur cum S. Th. *opusc. 19. contra impugnantes Religionem. c. 4. & 2. 2. q. 187. a. 1. & q. 188. a. 4. & 5.* quòd solùm loquantur, de illis Monachis, qui nec Sacerdotes erant, sed solitarii & eremitæ, non verò de illis, qui ad hoc vocati sunt, & qui non ex propria auctoritate id faciunt, sed ex commissione suorum Prælatorum. Quod attinet illam regulam universalem, *beneficia sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus conferenda esse*, ea exceptionem patitur in beneficiis sæcularibus curatis, quæ possunt Regularibus conferri, per text. & Gloss. in *c. in parochia. causâ 16. q. 1. & c. quod DEI timorem. 5. de Statu Monach.* Addo, quòd æquè prohibeantur beneficia regularia, & Monasteriis unita sæcularibus conferri, ac sæcularia Regularibus, juxta Trident. *sess. 24. de Reform. c. 10.* & tamen passim videas, Clericos sæculares assumi, & promoveri ad beneficia curata Regularium; ergo idem jus erit in promotione Regularium ad beneficia sæcularia: cùm parium eadem debeat esse dispositio juxta vulgata. Et sanè incivile foret Regulares à Clericis sæcularibus penitus excludi, dum Regulares eos in consortium admittunt. Minùs obstat Bulla Pauli IV. & Decretum S. Congregationis supra oppositum: quoniam Bulla Pauli IV. omnino revocata & ad terminos juris communis reducta est per aliam *Bullam* Pii IV. quæ incipit: *Sedis Apostolicæ solertia. Anno* 1560. ut videre est apud Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 29. n. 71.* & Tambur. *de jure Abb. tom. 3. disp. 9. q. 8. n. 13.* Decretum verò Congregationis, præterquam quòd loquatur solùm de Canonicis Regularibus, adeóque tanquam odiosum ad Regulares omnes extendi non debeat, nunquam fuit promulgatum, nunquam observatum, & multoties contra illud in Rota Romana decisum, teste Tambur. *cit. q. 8. n. 12.* & ipso Gonzal. in recentiori editione Gloss. 7. *n. 35. §. caterùm.*

Porro an Regularis de sui Prælati licentiâ, & consensu ad curatum, seu parochiale beneficium sæculare per collationem, aut institutionem canonicam tituli collatoriam assumptus, beneficiarius, ac parochus perpetuus sit, an verò amovibilis per Prælatum regularem? item an talis Religiosus suo Prælato Regulari in omnibus subjectus maneat, vel solum Episcopum Diœcesanum, seu Ordinarium loci Prælatum, & Superiorem suum recognoscat? disputat noster Petrus de Murga *tr. de Benefic. q. 2. a. 1. à num. 259.*

Altera quæstio est: an licitum sit, uni plures præbendas, ac beneficia simul conferre, aut recipere?

Hujus quæstionis decisio extat in Trident. *sess. 24. c. 17. de Reform.* ubi ita decernit: *Cùm Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere, in duabus Ecclesiis conscribi, verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non DEUM decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescant, Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut imposterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quàm regularia quæcunque etiam commendata pertineant, cujuscunque tituli, ac qualitatis existant.* Quod quidem meritò sancitum, & statutum ob multas inordinationes, quas ejusmodi præbendarum plu-

pluralitas involvit: etenim exinde sequitur *primò* diminutio cultûs Divini, dum unus locò plurium in diversis Ecclesiis instituitur: *Secundò* defraudatio piarum intentionum, quas habuêre præbendarum fundatores, ut quiidcirco bona sua Ecclesiis contulerunt, ut pro modo, & ratione facultatum sustentarentur personæ ad ministerium Ecclesiasticum deputatæ, quod evertitur, dum unus duorum loca occupat: *Tertiò* damnosa, & justitiæ distributivæ adversa inæqualitas inter personas ejusdem ordinis, & conditionis, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum suæ sustentationi necessarium habere potest. Hinc rectè S. Bernardus, relatus à D. Th. *quodlib. 9. art. 15.* dicebat, quòd *qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures futurus sit in suppliciis.* Ast

Dubitatur I. Ob quas causas S. Pontifex, & respectivè etiam Episcopus dispensare possit, ac soleat, ut unus plura beneficia consequatur, & retineat?

R. Esse plures: *prima* est necessitas Ecclesiæ, quæ contingit, quando idoneorum Ministrorum est penuria: *Secunda* est utilitas Ecclesiæ, si nimirum tanta sit alicujus prudentia, industria, ac doctrina, ut solus plùs speretur emolumenti allaturus, quàm plures alii: *Tertia* est eminens alicujus literatura, vel nobilitas generis, aut evidens meritorum prærogativa per *c. de multa. h. t.* *Quarta*, & potissima est exiguitas reddituum unius beneficii, ita ut unum ad congruam sustentationem non sufficiat. Trident. *loc cit.* Azor. *Institut. moral. tom. 2. lib. 6. c. 12. q. 2.* Panormit. in *d. c. de multa. n. 7.* Alphons. Hojeda *de Benefic. incompatib. p. 2. c. 12. n. 18.* Causâ ejusmodi deficiente dispensatio, quantumvis à R. Pontifice concessa, nullius est roboris, utpote sub- & obreptitia, nec provisus vi talis dispensationis est in conscientia securus. Panormit. in *c. quia in tantum. num. 2. h. t.* Fagnan. *ibid. num. 4.* Passerin. *ad c. 1. de Consuet. in 6. q. 2. a. 1. num. 352.* & B. Albertus M. qui cuidam, qui super pluralitate beneficiorum idoneâ causâ destitutam dispensationem impetraverat, reposuit: *poteras ire in infernum sine dispensatione, nunc ibis cum dispensatione.*

Dubitatur II. Utrùm, quando beneficia simplicia sunt compatibilia, & unum non sufficit ad congruam sustentationem, liceat tunc non tantùm duo, sed tria, quatuor, vel plura obtinere?

Complures existimant, non licere sine dispensatione Apostolica ultra duo recipere, eò quòd Trident. *sess. 24. de Reform. c. 17.* solummodò concedat, ut liceat *aliud* (quod verbum est singularis numeri) consequi, si unum non sufficiat. Barb. *ad Trident. d. c. 17. num. 4. & de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 62. per tot.* Garc. *de Benefic. p. 11. c. 5. n. 310.* ubi refert, ita sæpius censuisse S. Congregationem Concilii.

Verùm probabiliùs alii cum Azorio *p. 2. lib. 6. c. 11. q. 8.* sustinent, non tantùm duo sed, si duo non sufficiant, tria, quatuor, vel plura, usque ad congruam sustentationem sine dispensatione obtineri posse: partim quia Concilium Tridentinum in *cit. c. 17.* non loquitur limitativè per particulas taxativas *solùm, tantùm*, & similes, ac proinde non censetur voluisse coarctare Ordinarii auctoritatem ad conferendum secundum beneficium, ita ut nequeat conferre tertium, si duo ad sustentationem non sufficiant: partim quia idem juris esse videtur, quando tria, quatuórve competentem sustentationem non suppeditant, modò non plura, quàm æquum sit, in eadem persona coacerventur. Quæ sententia præsertim in Beneficiis de jure patronatûs Laicorum procedit: nam universalem praxin esse, ut Episcopus instituat præsentatos à Patronis, tametsi tertium, & quartum habeant beneficium, testatur Lambert. *de Jure*

Patron. p. 1. lib. 2. q. 7. c. 15. n. 15. Barb. *ad Trident. d. c. 17. n. 8. ℣. contra Lambert.*

§. VII.

29 *Materia*, seu *Objectum* Præbendæ, ac Beneficii partim est temporale, & profanum, partim verò spirituale. *Profanum*, seu *temporale* sunt bona Ecclesiæ, hoc est, bona ac prædia Deo dicata, & Ecclesiæ pro dote donata, ex quibus redditus beneficiales percipiuntur. *Spirituale* est Divinum officium, quod beneficio annectitur, ejúsque radix, ac fundamentum est. *c. fin. & ibi* DD. *de Rescript. in 6.*

§. VIII.

30 *Forma* Præbendæ, seu beneficii Ecclesiastici desumitur à requisitis, quæ plura:

Primum est, ut Præbenda, seu beneficium Apostolicâ, seu ordinariâ auctoritate erectum sit. Gloss. in *Clem. 2. in fin. V. si beneficiorum & ibi* communiter DD. *de Decimis.* Dec. *consil. 210. sub num. 4.* Felin. *consil. 41. num. 5. & consil. 45. num. 3.* Unde si quis Anniversarium, vel certas missas, aut preces etiam in perpetuum fundet, Episcopi verò consensus, aut approbatio non accedat, beneficium nunquam erit, sed simpliciter pium legatum, vel donatio, aut simplex deputatio Sacerdotis. P. Engl *h. t. num. 1. ℣. dico 4.* Pyr. Corrad. in *Prax. benefic. lib. 1. c. 2. num. 1. & seqq.* Rotain una *Melphiten. Legati pii. de Anno 1529. coram Dunozetto.* Consequenter neque aliquod jus patronatûs exinde quæritur fundatori: Rota *dec. 161. num. 3. p. 2. in Recent.* neque deputatus ad titulum ejusmodi donationis ordinari poterit, & si in majoribus necdum constitutus sit, non tenebitur ad Horas Canonicas, utpote necdum beneficiatus. Pyr. Corrad. *d. c. 2. num. 44.*

Altioris *inquisitionis* est: utrùm ad hoc, ut probetur existentia beneficii, necessaria sit justificatio auctoritatis Episcopalis expressæ, vel an sufficiat justificatio tacitæ? Et videtur sufficere justificatio auctoritatis tacitæ, quæ videlicet elicitur ex actibus, qui non possunt accidere, nisi in beneficiis Ecclesiasticis, sed scienter, non ignoranter gestis. Quamobrem si Episcopus consecraverit Ecclesiam, censetur illam in Ecclesiasticum beneficium erexisse: cùm consecrationis actus repugnet statui privati Oratorii. *c. nemo. 9. de Consecr. dist. 1.* Panormit. in *c. auctoritate. n. 2. de Censib.* Similiter si Episcopus sciens statum rei consecret aliquod altare, vel capellam jam fundatam, vel ordinatam per aliquem fundatorem, satis dicetur illud, vel illam in beneficium instituisse, eò quòd actus conferendi in titulum perpetuum non possit cadere, nisi in beneficium Ecclesiasticum. Dec. *consil. 248. sub n. 2.* Econtra si concedat duntaxat facultatem celebrandi missas in hujusmodi Capella seu altari, illud vel illam nequaquam in beneficium Ecclesiasticum erexisse, aut instituisse censebitur: cùm actus hic cadat etiam in privatis Oratoriis, in quibus non potest celebrari nisi de Episcopi licentia. *c. si quis etiam in fin. de Consecr. dist. 1.* Pyr. Corrad. in *Prax. Benef. lib. 1. c. 2. n. 23.* Panormit. in *c. ult. sub num. 3. ℣. Oratorium verò de Censib.* Atque cum hoc temperamento accipio Rebuff. in *Prax. Benefic. sub tit. quid sit benefic. num. 8.* quando asseruit, in dubio Capellam fundatam ad serviendum DEO, licèt non appareat de approbatione Episcopi, præsumi beneficium Ecclesiasticum.

Secundum requisitum est, ut habeat aliquid 31 spiritualitatis annexum; quamvis enim beneficium sit jus percipiendi redditus, qui per se temporales sunt, debet tamen hoc jus percipiendi redditus dari, & competere propter officium Divinum, & spirituale ministerium *c. fin. de Rescript. in 6.* Pyr. Corrad. in *Praxi benefic. lib. 1. c. 3. n. 67.* Hinc præbendæ merè temporales, v.g. Musicorum, Advocatorum, aliorúmve Ministrorum laicorum, etsi in laxiori sensu præbendæ dicantur, beneficia

tamen appellari nequeunt, & nunquam beneficiorum nomine intelliguntur, quoties de iis in genere sermo est. Panormit. *p. 2. consil. 47. num. 1.* Garz. *de Benefic. p. 1. c. 2. num. 7.*

22 *Tertium* est, quòd beneficium conferri non possit, nisi à persona Ecclesiastica, puta à S. Pontifice, Episcopo, vel alio Prælato, nullo modo autem à Laico: tametsi enim laici ex speciali juris privilegio capaces sint juris patronatûs, vi cujus possunt aliquem Clericum pro suo placito ad beneficium præsentare, juris tamen conferendi beneficia, vel instituendi omnino incapaces sunt, cùm id solummodo Prælatis Ecclesiasticis competat. *c. si quis 12. & seq. c. per laicos. 20. c. laicis. 24. causâ 16. q. 7. c. 3. de Instit.* ubi laici ad conferenda beneficia Ecclesiastica simpliciter inhabiles declarantur. Proinde si aliqua Capellania, aut anniversarium ita fundatum sit, ut hæres, vel alius laicus sine institutione Episcopi ad talem capellaniam sacerdotem constituere possit, hoc ipsò beneficium Ecclesiasticum non erit. P. Engl *h. t. num. 3.*

23 *Quartum* requisitum est, quòd beneficum conferri debeat Clerico: quandoquidem laicus incapax est beneficii Ecclesiastici, tanquam rei spiritualis, vel saltem spirituali annexæ. *c. cùm adeo. 17. & ibi* Gloss. *de Rescript. c. in Ecclesia. 2. de Instit.* Ex quo fit, quòd Clericus hoc ipsò, quòd matrimonium contrahat, & statum clericalem deserat, ipso jure beneficium perdat, nec obtinere possit. *c. 1. 2. & 3. de Clericis conjug.* deinde quòd etiam ad horam non possit laico beneficium concedi, quanquam immediatè pòst vellet fieri Clericus. Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. gloss. 2. n. 6.* nec collatio laico facta superveniente postmodum Clericatu revalidetur, sed semper maneat invalida. Paris. *de Resignat. benef. lib. 4. q. 2. n. 1. & 32.* Garc. *de Benef. p. 1. c. 2. n. 28.* Carol. de Grass. *de Effect. clericat. effect. 15. n. 1. & 9.*

24 *Quintum* requisitum est, ut beneficium sit perpetuum, & ut non conferatur ad certum tempus, nec sub conditione, sed regulariter ad vitam Beneficiati per text. in *c. sanctorum. 2. dist. 70. c. penult. de Cleric. agrot.* ac propterea in *c. 2. & 4. h. t.* constitutum est, ne Clericus sine titulo, vel fine beneficio ordinetur, unde scilicet toto vitæ tempore habeat sustentationem. Hæc tamen perpetuitas non obstat, quin beneficia regularia, & ea, quæ manualia dicuntur, sint verè beneficia: quòd enim illorum beneficiati sint tantùm manuales, & ad nutum superioris etiam absque legitima causa amovibiles, id non habent ex sua institutione, ex qua illis competit perpetuitas, sed ex privilegio, ac ex eo, quòd is, qui ita obtinet, Superiori quoad officia, habitationem, & vitæ directionem subjectus sit. Layman in *Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 1.* Verùm illud fateamur oportet, quòd beneficium manuale non sufficiat pro titulo ad sacros Ordines suscipiendos: Paris. *de Resignat. benef. lib. 2. q. 6. num. 2. & 3.* Garc. *de Benef. p. 1. c. 3. num. 83.* cum citatis: nec Beneficiatus manualis possit intitulari, seu, ut Practici loquuntur, investiri, quandoquidem intitulatio repugnat manualitati.

25 *Disceptatur* I. Utrùm nomine beneficii *Capellania* veniat? Pro resolutione.

Præmitto I. Capellaniam esse onus celebrandi annuatim missas ad certum altare à Testatore, vel alio Institutore designatum cum jure recipiendi stipendium pro labore ad sustentationem Capellani.

Præmitto II. Capellaniam aliam esse Ecclesiasticam, aliam laicalem. *Ecclesiastica* dicitur, quæ à Patrono proposita pro celebratione Missarum auctoritate Episcopi erigitur in titulum, ab eodem, vel alio Prælato conferendum Clerico apto ad celebrandum: *Laicalis* est, quæ sine auctoritate Episcopi à Testa-

ſtatore, vel alio inſtituta confertur ab illis, vel eorum hæredibus, aut aliis Sacerdoti, qui aſſumit onus, & obligationem celebrandi miſſas ſecundùm intentionem Fundatoris. Illa *collativa*, hæc *electiva*, ſeu *ſimplex* capellania indigitatur. Suarez *lib.4. de Horis Canon.c.22. n.* 11. Caſtro Palao *de Benef. diſp.* 1. *p.* 6. *per tot.* Quibus præmiſſis.

Reſpondeo, Capellaniam *Eccleſiaſticam*, cùm habeat omnia requiſita ad beneficium Eccleſiaſticum, nomen beneficii mereri, ideóque talem Capellanum teneri ad recitandum Divinum officium: Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 2. *n.* 81. Navar. *conſil.* 5. *&* 7. *h.t.* & gaudere privilegiô fori juxta Trident. *ſeſſ.* 23. *de Reform. c.* 6. ubi Barb. *num.* 16. Jacob Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 7. *n.* 15. Capellaniam verò *laicalem*, ſeu *electivam*, ex quo non eſt fundata auctoritate Epiſcopi, & non ab eo, aut alio Prælato habente jura quaſi Epiſcopalia, ſed ab aliis etiam laicis confertur, beneficiis accenſeri non poſſe, ac proinde nec obligationem recitandi Horas canonicas, nec privilegium fori ſecumferre. Diana. *p.* 1. *tr.* 2. *reſol.* 31. Bordon. *de Privil. fori cleric. c.* 5. *n.* 25. Rota *p.* 2. *dec.* 254. Addo tamen, Capellaniam in dubio, & ſi non conſtet, qualiter initio fuerit inſtituta, præſumi eſſe beneficium Eccleſiaſticum, maximè ſi appareat de aliqua collatione ab Epiſcopo facta: nam ultimus ſtatus attendendus eſt juxta *c. cùm de beneficio.* 5. *h.t. in* 6. nec præſumendum, Prælatum ſibi uſurpâſſe jus alienum. Merlin. *dec.* 501. *n.* 7. cum Gonzal. *gloſſ.* 5. *n.* 50. Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 2. *n.* 113. Pyr. Corrad. *in Prax. Benef. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 58. *&* 59. Secus, ſi clarè conſtaret de anteriori ſtatu laicali. Rota *p.* 5. *Recen. tom.* 1. *dec.* 238. *n.* 2. Bordon. *de leg. miſſar. c.* 6. *num.* 16. *&* 39. Garc. *cit. c.* 2. *n.* 115. *& ſeqq.* Pyr. Corrad. *cit. n.* 59.

26 *Diſceptatur* II. Num *Commenda* propriè ſit beneficium, ſeu præbenda Eccleſiaſtica? Videtur negare Gloſſa in *c. qui plures* 3. *cauſâ* 21. *q.* 1. quatenus ait, Commendatarium non eſſe Prælatum, ſed ſolùm Procuratorem, & Depoſitarium beneficii: commenda namque eſt quaſi depoſitio, ſeu commendatio beneficii, dum nimirum non confertur in vim abſoluti tituli, ſed illius duntaxat adminiſtratio committitur per *c. obitum.* 16. *& c. Catinenſis.* 17. *diſt.* 81.

Ego diſtinguo inter commendam temporalem, & perpetuam. *Temporalis* eſt, quæ fit propter utilitatem Eccleſiæ ad tempus; puta quia Parochus, aut Beneficiatus propter temporale impedimentum obligationi ſuæ ſatisfacere nequit, quo caſu non tantùm S. Pontifex, ſed etiam Epiſcopus, vel Abbas Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habens jus Eccleſiæ alteri ad tempus commendare poteſt, modò Eccleſia parochialis non ultra ſex menſes commendetur. *c. nemo* 15. *de Elect. in* 6. Et hæc commenda, ceu vicaria temporalis, beneficium dici non poteſt. Deſbel. *h.t. theor.* 17. Jacob Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 7. *num.* 16. Perpetua dicitur, quæ non tam propter neceſſitatem aut utilitatem Eccleſiæ, quàm in favorem perſonæ conceditur cum facultate diſponendi de beneficio, & fructibus beneficii inſtar veri beneficiati. Quæ commenda verum beneficium eſt, cùm ſit titulus canonicus: Gloſſ. & DD. in *d. c. nemo V. commendare de Elect. in* 6. Rota *p.* 3. *dec.* 765. *num.* 5. & ideo inventa, ut aliàs inhabili ad titulum beneficii (ſicuti eſt exiſtens in minori ætate, vel habens beneficium incompatibile, aut Clericus ſæcularis reſpectu beneficii Regularis, Abbatiæ, vel Prioratûs) ſaltem ſub commenda idem beneficium conferri valeat. Rebuff. in *Prax. benef. tit. de Commend. num.* 7. Hodieda *de incompatib. benefic. p.* 1. *c.* 24. *num.* 15. *in fin.* Fagnan. in *c. cùm ad noſtram. num.* 3. *de Elect.* Barb. *J. E. U. lib.* 3. *c.* 9. *num.* 24. ubi commendam perpe-

petuam appellat dispensationem palliatam ad obtinendum beneficium aliquod alioquin respectu talium personarum obtineri prohibitum. Atque ea de causa hæc commenda à solo S. Pontifice concedi potest, ut qui solùm potest dispensare super tali inhabilitate. Trident. *sess.* 7. *c.* 4. *sess.* 24. *c.* 17. *de Reform. & sess.* 25. *c.* 21. *de Regularib.*

Nec hisce sic dictis refragatur Gloss. nam sententia ejus locum habet in beneficio commendato ad tempus, & hanc esse illius intentionem, ex textibus *c.* 16. *&* 17. *dist.* 81. quos citat, apparet. Et verò Commendatarium perpetuum propriè salutari Prælatum, decidit Rota *dec.* 346. *num.* 2. *p.* 3. *Divers.* nec esse solùm Procuratorem, aut depositarium, sed dominum fructuum, sicut alios titulares, innuit forma commendationis, de qua Rebuff. in *Prax. Benefic. tit. de Commend. num.* 28. *& de Pacif. possess. num.* 43.

27 *Disceptatur* III. Utrùm *præstimonium* beneficiis adnumerari debeat?

Ita statuit Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 2. *num.* 10. Azor. *Institut. moral. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 7. *q.* 1. & cum his Castro Palao *p.* 2. *tr.* 13. *de Benef. Eccles. disp.* 1. *punct.* 7. eò quòd sub nomine beneficii comprehendatur tum *in c. fin. de Conces. præb. in* 6. tum in Trid. *sess.* 14. *c.* 9. *& sess.* 23. *c.* 18. *de Reform.* Quod & ipsa nominis ratio & definitio indicat: quippe præstimonium dicitur, quia datur *munium*, seu obsequium *præstanti*, éstque certum aliquod stipendium ex Ecclesiasticis redditibus Clericis studentibus in subsidium dari solitum & quidem propter officium spirituale, cùm sic præstimoniati Horas Canonicas recitare teneantur. Navarr. *c.* 21. *de Orat. n.* 9. Sotus *de Just. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. Suarez *lib.* 4. *de Hor. Can. c.* 22. *n.* 8. Interim si præstimonium non detur in titulum, sed ad certum tempus, vel si detur absque onere spirituali, naturam beneficii proprii non participat, de quo præstimonii genere accipiendi sunt Panorm. & Felin. in *c. post ulàsti. num.* 8. *de Rescript.* Gigas *de Pension. q.* 28. *num.* 5.

Disceptatur IV. Anne *pensio*, id est, jus exi- 28
gendi certos fructus ex alieno beneficio, pro beneficio habenda sit?

Affirmant Paulus Roman. *de Pensionibus. c.* 6. *n.* 34. *&* c. 7. *n.* 16. Fagnan. *in c. ad audientiam.* 31. *de Rescript. num.* 131. ubi asserit S. Congregationem die 18. Decemb. 1576. declarâsse, Pensionarium censeri beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio fori. *Primò* propter text. *in d. c. ad audientiam.* ibi: *recipientes ab eis pensiones, seu alia beneficia* pronomen enim *alia* similia denotat. Menoch. *lib.* 1. *de Arbitr. q.* 80. *n.* 122. *Secundò* quia pensio in titulum data dici potest jus perpetuum percipiendi fructus, ex quo non finitur durante vitâ Pensionarii, quæ autem pro tota vita conceduntur, perpetua reputantur.

Nihilominus verius censeo, pensionem Ecclesiasticam beneficium non esse, neque sub illius appellatione contineri: *primò* propter text. *in c. quamvis. h. t. in* 6. ibi: *non in pensione, sed in Beneficiis Ecclesiasticis volumus providere. Secundò* propter multiplicem rationem: tum quia beneficio adnexa est obligatio recitandi Horas Canonicas, non pensionibus: tum quia pensio oritur ex beneficio, ergo non habet rationem beneficii, quod ex alio non nascitur: tum quia jus percipiendi fructus ex alieno beneficio extinguitur morte Pensionarii, morte verò Beneficiarii non extinguitur beneficium, utpote ex sua natura perpetuum. Ita Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 3. Azor. *Institut. moral. 2. p. lib.* 3. *c.* 5. *q.* 2. *& lib.* 8. *c.* 5. *q.* 4. *&* 5. Carol. de Graff. *de Eff. Clericat. effect.* 1. *n.* 1205. cum innumeris citatis.

Nec contrarium persuadere possunt argumenta Affirmantium: etenim textum in *c. ad audientiam.* quod attinet, dictio *alia* non sem-

semper est repetitiva ejusdem qualitatis, idque solùm verum est, si materia subjecta eandem qualitatem exigere videatur, & non sit materia odiosa, ac strictæ interpretationis, nec conjecturæ aliud subinnuant. Aliàs prædicta particula accipitur tantùm disjunctivè, absque eo, quòd eandem qualitatem repetat, ut in c. *Novatianus* 6. *V. alios Pseudo-Episcopos, causâ* 7. *q.* 1. Ad *secundum* respondetur, perpetuitatem, quam exposcit beneficium, non esse referendam ad personam, sed ad naturam ipsius beneficii, quod mortuo Beneficiario non exspirat, quemadmodum pensio mortuô Pensionariô, sed solùm vacat, donec alius substituatur.

An *Coadjutoria* sive temporalis, sive perpetua appellatione beneficii intelligatur, alibi discutiemus.

§. IX.

29 *Finis* Præbendæ, seu beneficii est compensatio muneris clericalis: nam propter officium datur Ecclesiasticum beneficium. c. *fin. de Rescript. in* 6.

§. X.

30 *Effectus* Præbendæ, seu beneficii est perceptio reddituum: sunt enim beneficiati suorum beneficiorum quasi usufructuarii habentes jus percipiendi fructus ex illis. Quorum aliqui requiruntur ad honestam sustentationem ipsorum, alii verò superflui sunt, seu supra ipsorum honestam sustentationem redundant.

Opportune hìc *quæritur*: quæ sit congrua ac honesta sustentatio Beneficiatorum? Et quidem Lugo *de J. & J. disp.* 4. *sect.* 4. cum communi docet, eam esse congruam sustentationem, quæ necessaria est ad honorabilem suæ personæ, & familiæ alimoniam, juxta conditionem statûs, dignitatis, qualitatis, & regionis. *Primò* ergo requiritur competens cibus, potus, & vestitus: item habitatio commoda cum suppellectile necessaria. Menoch. Tusch. & alii, quos refert Barb. *de appellativa Verb. signif. V. alimenta.* *Secundo* veniunt medicinæ, & pharmaca ad curandos morbos tam Beneficiati, quàm suorum domesticorum. *l. si cum dotem.* §. *si autem & ibi* Bartol. *n.* 9. *ff. Solut. matrim.* Tiraquell. *tr. de Nobilit. c.* 31. *n.* 395. *Tertiò* debita Hospitalitas, non solùm illa, quæ sit erga pauperes, & peregrinos, quam apprimè Clericis commendat Trident. *sess.* 25. *de Reform. c.* 8. sed etiam hospitalitas urbana juxta Patriæ consuetudinem, intra limites tamen temperantiæ, modestiæ, & frugalitatis. P. Engl *infra de Pecul. Cleric. num.* 9. Idem est de honestis, & legitimis recreationibus cum amicis, & consanguineis. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 145. *Quarìo* ad eandem sustentationem rectè imputantur donationes remuneratoriæ ob accepta ab aliis beneficia, & obsequia, imò etiam donationes liberales in quantitate moderata. Sanchez *lib.* 2. *Consil. c.* 2. *dub.* 41. *n.* 2. Nomine verò familiæ, quam beneficiatus alere debet, intelliguntur inprimis Parentes, Fratres, Sorores, quando pauperes sunt, juxta statum suum. Lugo *d. sect.* 4. *n.* 20. Deinde officiales, famuli, ancillæ: item equi pro usu & commoditate secundùm qualitatem beneficii, & dignitatem personæ, modò servetur moderamen pro decentia statûs Ecclesiastici. Roland. à Valle *consil.* 74. *num.* 19. Bald. *consil.* 221. Dec. *consil.* 545. Cæterùm qualis sustentatio desideretur pro Episcopo, pro Canonico Comite, vel Barone, aut pro Parocho nobili, vel Graduato? ex usu, & consuetudine Virorum, qui sunt ejusdem conditionis, ac timoratæ conscientiæ, desumendum esse, post Molinam *d. disp.* 145. *n.* 13. tradit P. Engl *ubi supra.*

Magis *dubius*, & in utramque partem volubilis *articulus* est: num decedente Beneficiario, fructibus pendentibus, ac non dum perceptis, divisio fructuum inter ejus hæredes,

des, & succeſſorem beneficii pro rata temporis fieri debeat?

Prima ſententia contendit, tales fructus, præſertim civiles, pro rata temporis dividendos eſſe, ita ut, ſi defunctus poſſedit beneficium, ejúsque onera ſuſtinuit quartâ parte poſtremi anni, hæredes ejus recipiant quartam partem fructuum ejusdem anni, reliquum verò fructuum ſucceſſor in beneficio ſibi vendicet. Covar. *var. reſol. lib. 1. c. 15. n. 12. in fin.* Gonzal. in *c. 4. n. 7. de Offic. Ordinar.* Zerol. in *Praxi Epiſc. p. 1. V. beneficium. ad 6.* Garc. *de Benefic. p. 2. c. 1. n. 96.* cum citatis. Ratio punctualis eſt, quia beneficium datur propter officium, id eſt, propter onera, & ſervitia. *c. cùm ſecundùm h. t. c. fin. de Reſcript. in 6.* adeóque ſicut fructuum dotis inexactorum inter maritum & uxorem, eorúmque amborum hæredes fit diviſio pro ea parte anni, in qua maritus ſubiit onera matrimonii. *l. divortio. ff. Soluto matrim.* ita æquum eſt, ut etiam inter Succeſſorem & Beneficiati defuncti hæredes fiat diviſio fructuum pro rata, & parte anni, pro qua ſuſtinuit onera beneficii: ſiquidem inſignis convenientia eſt inter conjugium corporale, & ſpirituale, eorúmque onera. *c. 2. de Translat. Epiſc.* Panormit. in *c. cùm eſſes n. 13. de Teſtam.*

Quamvis verò annus, de cujus fructibus dividendis agitur, ad hoc, ut ſciatur, pro qua parte maritus fructus lucretur, non incipiat, ut alii anni incipere ſolent, à Calendis Januarii, aut alia die notabili, ut S. Michaëlis, vel S. Joannis Baptiſtæ, ſed à tempore celebrati matrimonii, & dotis traditæ. Text. & DD. in *d. l. divortio. in pr. & l. de diviſione. ff. Soluto matrim.* Valaſc. in *Prax. partition. & collation. c. 29. n. 2.* attamen in dividendis fructibus beneficialibus, tempore mortis Beneficiarii nondum perceptis, annum à menſe Januario inchoandum eſſe, tradunt Annæus Robertus, *lib. 3. rer. judicat. c. 4.* Chopinus, Lovetus, Baquet, Papo, & cum his Joann. Cabaſſutius in *Praxi Juris Can. lib. 2. c. 26. num. 6.*

Altera, & in puncto juris verior ſententia ſtatuit, omnes fructus pendentes, ac nondum à ſolo ſeparatos, & redditus inexactos ad Beneficii ſucceſſorem pertinere. Gloſſ. & DD. in *c. ſi propter de Reſcript. in 6.* Navar. in *Apolog. de Redditib. q. 2. monit. 13.* Petr. Barb. in *d. l. divortio p. 2. n. 57. ff. Solut. matrim.* Rot. *dec. 19. n. 5. & 6. p. 6. in Recent.* Jacob. Pignatell. *tom. 4. conſult. 126. n. 6.* per textus egregios in *c. cùm vos plerumque 4. de Offic. Ordin. c. præſenti. Eod. in 6. c. quia ſæpe. de Elect. in 6. Clem. ſtatutum 7. & Extravag. ſuſcepti. Eod.* in quibus habetur, beneficiorum fructus, & bona vacationis tempore undecunque obvenientia integrè Eccleſiæ, vel Succeſſoribus eſſe reſervanda. Quod apertâ ratione conſtat: quia jus percipiendi fructus ſive naturales, ſive civiles in defuncto finitur, & Beneficiarius uſufructuario comparatur, qui non facit fructus ſuos, nec eos transmittit, niſi quos in vita perceperit, *l. ſi uſufructuarius. 13. ff. Quib. mod. uſufr. amitt.* Sperell. *dec. 82. n. 9. & 10.* Gloſſ. in *c. præſenti. V. reſervari. de Offic. Ordin. in 6.* Hic conſonat Conſtitutio 7. Julii III. publicata Anno 1550. & confirmata ab Urbano VIII. die 5. April. 1628. juxta quam pendentes, & inexacti beneficiorum fructus, ubi non ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, ad Succeſſores, non ad hæredes pertinent, etiamſi maturati fuerint tempore demortui Beneficiati, dummodo realiter, & cum effectu non ſint percepti, & aliis propriis bonis non incorporati: aut licèt per Beneficiarium non ſteterit, quò minùs illos exegerit, imò etiamſi omnem diligentiam pro eorum exactione judicialiter adhibuerit; ut refert Paſſerin. *ad d. c. præſenti. num. 17.* Atque hanc conſtitutionem in toto orbe Chriſtiano jus

facere, adeò ut priori sententiæ non sit ulteriùs insistendum, post alios testatur Alex. Sperell. *d. dec.* 82. *num.* 11. & ex hac inexactis debitis occasione fructuum perceptorum à conductore, controversiam decidit Rota in *una Romana, seu nullius pecuniaria.* 4. *Junii*, & 19. *Novemb.* 1593. *coram de Pegna.*

Neque valet argumentum à Marito ad Beneficiarium: quia in Marito causa immediata acquirendorum fructuum dotalium sunt onera matrimonii, & ideo meritò pro rata onerum fit divisio: in beneficio autem causa immediata acquirendi fructus est titulus canonicus juxta *c.* 1. *de R. J. in* 6. Petr. Barb. in *l. divortio p.* 2. *num.* 44. *ff. Soluto matrim.* qui tamen *n.* 58. *v. neque* cum Navar. in *Apolog.* 2. *q. monitu* 12. *in fin.* etiam rectè monet, ne Beneficiarius illo anno, quo decessit, & nullos fructus percepit, beneficio sine ullo emolumento inserviisse videatur, ejus hæredibus solvendum esse honestum salarium pro modo servitii, & quantùm ad honestam sustentationem mortuus habere debebat, prout & fructuario decedenti pendentibus fructibus solvuntur impensæ, quas circa illos fecit. Bald. in *l. Pater in fin. C. de Usufr.*

Verùm, ne quid dissimulem, aliud passim practicari scio, & fateor, omnino servandam esse consuetudinem Regionis, si secundùm eam fructus beneficii pro rata inter hæredes Beneficiarii, & Successorem in beneficio dividantur, dummodo hujusmodi consuetudo legitimè probetur. Rota *dec.* 529. *n.* 3. & 29. *dec.* 722. *n.* 7. *p.* 4. *tom.* 3. *Recent.* Cæsar. de Panimoll. *dec.* 20. *aduot.* 1. *n.* 19.

Pars II.
De Dignitatibus.

SUMMARIA.

32. Dignitatis diversa acceptio. 33. Definitio. 34. usque 44. Multiplex divisio. 44. 45. Origo & causa efficiens. 46. Subjectum. 47. Materia, seu objectum. 48. Forma, seu requisita. 49. Finis. 50. Effectus, ac emolumenta.

§. I.

32 NOmen *dignitatis* diversimodè usurpatur; non tantùm in jure Civili, quò aliquando accipitur pro famâ, ac æstimatione. *l. un. C. de Infamib. l. milites.* 3. *C. de re milit.* quandoque pro conditione. *l. nepos autem.* 125. *in fin. ff. de V. S.* alibi aliter, ut notat Cassanæus in *Catalogo glor. mundi. p.* 1. *consil.* 66. sed & jure Canonico, quò adeò latè nonnunquam patet, ut omnes Clerici dignitatem habere dicantur. *c. denique dist.* 4. *c. si quis post dist.* 51. *c. reperiuntur causâ* 1. *q.* 1. Specialiter verò denotat omnem administrationem rerum Ecclesiasticarum, cui vel cohæret jurisdictio aliqua, vel potestas. Gloss. in *c.* 1. *de Consuet. in* 6. Panormit. in *c. de multa h. t.* vel saltem præeminentia, id est, gradus connexus administrationi. Panormit. *loc. cit. n.* 23. *ad fin. v. puto, quòd officium.* in qua acceptione.

§. II.

33 *Definitur* dignitas, quòd sit Ecclesiastica prærogativa, quæ cuique authoritatem conciliat, & singulare nomen, ac titulum tribuit.

§. III.

34 Dignitatis *divisiones* varii varias attulerunt: omnium autem maximè generalis ea est, quâ alia dicitur *secularis*, alia *regularis.*

Dignitatis *secularis* non tantùm multæ species infimæ, sed etiam classes, & gradus numerari possunt, & distingui debent. *Primum gradum* constituunt suprema dignitatum culmina: *Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archi-Episcopatus, & Episcopatus;* quæ dignitates *majores* vocantur, & communi appellatione beneficiorum, præsertim in pœnalibus, aliisque strictæ interpretationis Canonibus comprehendi non solent. Layman in *Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 4.

Pa-

Papatus impropriè quidem beneficium dicitur, ex quo Pontifex Superiorem in terris non recognoscit, cui beneficium in acceptis ferat. Rebuff. *tit. sæcularia beneficia quotuplicia. n.* 13. prima tamen, & apex omnium dignitatum est. *c. non decet.* 1. *dist.* 12. *c. quamvis* 3. *c. nunc autem* 7. *dist.* 21. *c. in nomine Domini* 1. *dist.* 23. *c. dudum causâ* 3. *q.* 6. *c. nemo* 13. *causâ* 9. *q.* 3. Quod & Concilium Florentinum in hunc modum definivit: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse.*

35 *Cardinalatum* præcellentem dignitatem esse, notius est, quàm ut dici debeat: Sunt enim Cardinales consultores, *fratres, & coadjutores* Romani Pontificis. *c. fundamenta* 17. §. *decet de Elect. in* 6. atque ex his quidam sunt *Cardinales Episcopi*, quidam *Cardinales Presbyteri*, aut *Diaconi*, certis Titulis inter se distincti, in quibus jurisdictionem Episcopalem habent. *c. his quæ* 11. *de Majorit. & obed.* Canis. in *Summ. Juris Can. lib.* 1. *tit.* 1. §. 5.

36 *Patriarchatus* est veluti prima sedes, seu major alicujus Regni: nam Patriarchæ, sic dicti quasi Patres Principum, & Prælatorum. *c. cleros.* 1. ℣. *Patriarcha. dist.* 21. non tantùm plures Episcopos, sed etiam Archi-Episcopos sub se habent. *c. nulli* 2. *dist.* 99. *c. duo simul.* 9. *de Offic. jud. ordin.* Unde in signum tantæ eminentiæ ubique ante se crucem deferre possunt, quod Archi-Episcopis nonnisi in sua Provincia licet. *c. antiqua.* 23. *& Clem. Archi-Episcopo.* 2. *de Privileg.* Horum alii salutantur *majores*; quales erant *Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus*, ac *Hierosolymitanus, d. c. antiqua* 23. qui potestati Christianorum per potentiam Turcarum subtracti sunt. P. Engl *ad tit. de Majorit. & obed. n.* 24. Alii *minores*; ut sunt Patriarcha *Aquilejensis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum*; quos tamen propriè *Primates* esse, vult Barb. *de appellativa Verb. Jur. signif. appellat.* 189. *ad fin.*

37 *Archi-Episcopatui* præsunt *Metropolitani*, aut *Archi-Episcopi*, inter quos hodie vel nulla vel nonnisi modica intercedit differentia, cùm *Archi-Episcopi* vocentur, quòd quasi sint *Principes Episcoporum. c. Cleros.* 1. ℣. *Archi-Episcopus. dist.* 21. *Metropolitani* verò à mensura civitatum, ac multitudine Diœcesium Episcopalium, juxta idem *c. Cleros*, ℣. *Metropolitani.* Petr. Gregor. Tholosan. in *Syntagm. juris lib.* 15. *c.* 11. *n.* 2. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 33. *q.* 4. Quamvis fieri possit, ut quis sit *Archi-Episcopus*, non verò *Metropolitanus*, quando scilicet nullum sub se habet Episcopum suffraganeum, sicut non habent Rossanensis, & Lancianensis Archi-Episcopi. Barb. *J. E. U. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 7. Archi-Episcoporum nonnulli, qui majores Metropoles regunt, *Primates* nominantur, ut in Hispania Toletanus, in Anglia Cantuariensis, in Gallia Bituricensis, & Gradensis, in Italia Aquilejensis, & Pisanus, in Germania Celsissimus noster Salisburgensis. Petr. Gregor. Tholos. *cit. lib.* 15. *c.* 10. *de Primatibus.* P. Engel *ad tit. de Majorit. & obed. num.* 23.

38 *Episcopus* hîc significat præcedentiam, & præfecturam, quâ Episcopus Clero, ac Populo præest; quoniam, ut S. Augustinus relatus in *c. qui Episcopatum* 11. *causâ* 8. *q.* 1. ait, Episcopatus græcum est, atque inde ductum vocabulum, quòd ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum sci-

scilicet gerens: *Epi* enim græcè *super*, & *scopus* idem est, quod *intentio*. Hinc & Episcopus *ibid. Superintendens*, & in *c. Cleros* 1. *¶. Episcopatûs. dist.* 21. *Speculator* appellitatur, nimirum ab officii ratione, quæ postulat, ut tanquam è specula attendat, ne cœtui sibi commisso damnum aliquod immineat.

39 Ad *secundum gradum* pertinent dignitates inferiores, puta *Archi-Diaconatus*, *Archi-Presbyteratus*, *Vicariatus generales &c.* de quibus speciales Tituli extant in *Lib.* 1. Item etiam *Præposituram*, *Decanatum*, *& Primiceriatum*, cœteris paribus, nomina dignitatum esse, testatur Cardinalis Tuschus *Conclus. pract. lit. D. concl.* 419. Ideo autem has dignitates inferiores in speciali gradu collocamus, quia in rescriptis, & reservationibus Papalibus, & universim in materia strictæ interpretationis nomine dignitatum, vel in dignitate constitutorum, soìùm istæ dignitates inferiores intelliguntur, non verò Episcopatus, & aliæ superiores, quæ specialem mentionem merentur arg. *c. dilectus* 12. *de Conces. Prab.* Card. Tuschus *lit. D. concl.* 428.

40 *Tertium gradum* tenent *Personatus* & *Officia Ecclesiastica*; quæ latiùs accepto vocabulo ad priorem quoque gradum dignitatum inferiorum revocari possunt. Nihilominus si propriè loquamur, *Dignitas*, *Personatus*, *& Officium* inter se distinguuntur, sibique mutuò opponuntur, ut apparet ex supradictis *n.* 6. Porro *Canonicatus* huc non spectant; quanquam enim Canonici Ecclesiarum Cathedralium singularem præ aliis Beneficiatis prærogativam habeant propter suffragium, & facultatem eligendi Episcopum, atque etiam Prælatis, seu in dignitate constitutis æquiparentur in eo, quòd à Sede Apostolica causæ ipsis committi, & delegari queant juxta *c. statutum.* 11. *de Rescript. in* 6. absolutè tamen Canonicatum Ecclesiæ etiam Cathedralis non esse dignitatem propriè, sed beneficium simplex, cum communi docet Navar. *de Simon. consil.* 97. Pirrhing *h. t. n.* 12.

Inter *Dignitates Regulares* primum, ac41 præcipuum *locum* occupant *Abbatiæ, & Præposituræ Regulares*: quia eas obtinentes perpetuam jurisdictionem circa personas, & universalem administrationem circa res Monasterii habent, atque nomine Prælatorum Ecclesiæ in jure Canonico gaudent. *c. decernimus* 2. *de Judiciis c. præsenti* 9. *de Offic. Ordin. in* 6. Unde etiam immediatè Episcopum sequuntur, & tam in Conciliis generalibus, quàm aliàs præcedunt Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, aliósque in dignitatibus inferioribus constitutos. arg. *c. si quis deinceps* 12. *causâ* 16. *q.* 7. Panorm. *in c. exore. n.* 3. *de Privileg.* P. Engl *de Major. & obed. n.* 62. & Ego *n.* 12. Huc revocari possunt *Generalatus*, *& Provincialatus* Ordinum Regularium.

Secundum locum habent *Prioratus con-42 ventuales*, ut Prioratus Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum &c. quia Priores Conventuales Conventui Religiosorum præficiuntur, & curam universalem tam spiritualem quàm temporalem in Prioratibus obtinent eo modo, quo Abbates in Monasteriis; quapropter etiam Abbatibus æquiparantur in *c. fin. de Regularibus.* & à Sede Apostolica Judices dari, & causæ ipsis delegari possunt. *Clem. etsi principalis* 2. *de Rescript.* Item dicuntur absolvi à Monachatu, in tantum scilicet, ut omnia, quæ acquirunt non suo Monasterio, sed tali Prioratui acquirant. Neque interest, utrùm hujusmodi Priores eligantur, vel per alium, v. g. Abbatem suum constituantur. *d. Clem. etsi principalis in fin.* Tusch. *Pract. conclus. lit. P. conclus.* 708. His similes sunt *Rectores, Guardiani*, vel quocunque alio nomine vocati Regularium Superiores, qui nullum alium Monasterii sui Superiorem agnoscunt, nisi Provincialem,

vel Generalem, sicut Abbates non exempti Episcopum. Donat. *in Prax. Regul. tom. 2. tr. 9. q. 4.* Clariss. P. Jacob. Wex *de Prælat. Regul. p. 1. c. 1. n. 13.*

43 *Tertium locum obtinent Prioratus claustrales*: sunt enim Priores claustrales primi post Abbatem juxta *c. cùm ad Monasterium §. Prior de Statu Monach.* quia tamen Abbati Monasterii, in quo Religiosis præfecti sunt, subjiciuntur, nec universalem Monasterii curam habent, sed tantùm in iis, quæ claustrum ac Regulam Monachalem concernunt, non censentur positi in dignitate Ecclesiastica juxta *Clem. etsi principalis. 2. de Rescript.* Azor. *p. 2. lib. 3. Instit. moral. c. 20.* His Silvester V. *Prælatus num. 2.* & Donat. *in Prax. Regul. tom. 2. tr. 9. q. 6.* accensent *Sub-Priores*, qui subsunt Priori conventuali, *Vicarios Conventuales* in Ordine Patrum Franciscanorum, ac *Ministros* subjectos Rectoribus, seu Prælatis localibus, eò quòd hi vel nullam, vel solùm delegatam habeant jurisdictionem.

§. IV.

44 *Causa efficiens* Dignitatis Ecclesiasticæ est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est jus partim Divinum, partim Ecclesiasticum: utrique enim ut aliorum beneficiorum, ita Dignitatum origo adscribi potest per tradita *num. 12.*

Proxima alia est Pontificatûs, alia aliarum Dignitatum.

Pontificatum instituit Christus & non alius juxta Matth. *c. 16. ℣. 16. & seqq.* ubi Petro profitenti, eum esse CHRISTUM Filium DEI vivi, dixit: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quamobrem in *c. omnes 1. dist. 22.* traditur, *illam verò*, scilicet Romanam Ecclesiam, *solus ille fundavit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato æternæ vitæ Clavigero terreni simul, & cœlestis Imperii Jura commisit.* Neque fuit unquam Catholicus, qui dubitaverit, quò minùs Christus illis verbis Primatum Petri in Ecclesia pro eo, ejúsve Successoribus, Romanis Pontificibus constituerit, ut perspicuè probat Suarez *in defensione fidei Cathol. lib. 3. c. 10.*

Aliæ Dignitates à S. Pontifice proficiscun-45
tur, & quidem dignitates ordinis, id est, Collegii Ecclesiastici ipse solus instituere potest per *d. c. omnes. 1. dist. 22.* idque propter primatum, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia obtinuit, non ab Apostolis, sed ab ipso Christo Domino Salvatore nostro. *c. non ergo 2. dist. 22.* Hinc non tantùm si agatur de nova erectione Sedis Episcopalis, sed etiam Abbatiæ, Præposituræ, vel alterius cujusvis dignitatis, Ordinis, seu collegii, ea ad solùm S. Pontificem spectat per textum notorium & Gloss. *in d. c. omnes 1. V. omnes.* Pyr. Corrad. *in Prax. Benefic. lib. 2. c. 2. n. 28.* ubi asserit, ita in Curia Romana observari. Quod intelligendum de dignitate nova, non de restauratione antiquæ: quæ fortè extincta erat; cùm enim facilis sit reditus ad statum pristinum, restauratio ejusmodi fieri potest vel à Canonicis cum authoritate Episcopi: Panormit. Imola, & alii in *c. cùm olim. 6. de Consuet.* vel ab Episcopo cum consensu Capituli, & modò congrua dos reassignetur. Felin. in *c. cùm accessissent. n. 14. & seqq. de Constitutionib.* Pyr. Corrad. *d. c. 2. n. 30. & seqq.*

§. V.

Subjectum dignitatis Ecclesiasticæ est is, cui46
confertur: Ut verò alicui conferri possit, oportet, ejus esse *capacem*; ut autem conferri debeat, requiritur præterea, ut etiam sit *dignus*. Quinam *capaces* sint, colligitur ex dictis *ad tit. de Postulatione, de Electione, & de Ætat.*

qua-

qualit. & Ord. præfix. Quinam *digni*, in tanta dignitatum varietate vix quicquam certi determinari potest. Alexander II. in *c. ex multis. 9. ℣. nec eligant causâ* 1. *q.* 3. illos dignitatibus admoveri præcipit, qui *moribus, & disciplina, atque scientiâ divites sunt*, gravissimèque increpat *in pr. ejusd. can.* Lucensis Ecclesiæ Clerum, quòd nulli unquam Clerico, quamvis Religioso, quamvis scientiâ, & moribus prædito, Ecclesiasticum beneficium concederet, sed solùm ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuisset: Et Gregorius IX. *in c. pennult. h. t.* in collatione beneficiorum in Ecclesia virtutes (quæ maximè nobilitant *c. nunquam* 4. *dist.* 56. atque clarificant *c. penult. de Consec. dist.* 5.) & vitæ honestatem potiùs, quàm ullam generis nobilitatem attendi debere statuit, etiam in Ecclesia, quæ nonnisi nobiles admittere consuevit. Ego velim, ut qui ad dignitates aspirat, rationem ineat, quid valeant humeri, quid ferre recusent: & illud Poëtæ expendat:

Ut gravis est *gemmis*, sic est gravis infula curis.
Dúmque *tegit*, *tutum* non sinit esse caput.

§. VI.

Materia, seu Objectum Dignitatis Ecclesiasticæ coincidit cum materia, seu objecto Præbendæ, ac beneficii. 47

§. VII.

Forma Dignitatis Ecclesiasticæ consistit in 8 requisitis. Tria autem ad constituendam dignitatem propriè talem concurrant, necessum est. I. Ut aliquis habeat administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione sibi perpetuò assignata. II. Ut habeat nomen dignitatis, quale est nomen Episcopi, Abbatis, Præpositi, Archidiaconi cum præcedentia, & prærogativis in Capitulo, & Choro. III. Ut ex consuetudine Ecclesiæ officium, & vel beneficium tale pro dignitate Ecclesiastica reputetur. Tuschus *Concl. Pract. lit. D. Concl.* 419. Archidiac. *c.* 1. *n.* 2. *de Consuet. in* 6. Cæsar de Panimoll. *dec.* 1. *adnot.* 6. *num.* 12. Quâ ratione Rota Romana apud Tamburinum *de Jure Abbat. tom.* 3. *dec.* 4. & 5. quamvis nomen Abbatis per se dignitatem sonet, illum tamen Abbatem sæcularem, qui nec perpetuam administrationem, nec præcedentiam ante Canonicos Ecclesiæ Cathedralis habebat, pro Prælato Ecclesiastico, vel in dignitate constituto habendum non esse, decidit, & universim ad omnem dignitatem tria illa signa requirit. Excipiuntur quædam dignitates regulares, quæ præsertim in Ordinibus Mendicantium non sunt perpetuæ, sed solùm ad certos annos, v. g. ad sexennium, vel triennium durant. Tambur. *de Jure Abb. tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. Donat. in *Prax. Regul. tom.* 2. *tr.* 9. *q.* 4. *à n.* 8.

§. VIII.

Finis dignitatis Ecclesiasticæ est Divini cultûs augmentum, cui cùm omnes fideles studere debeant, tum maximè Prælati: & recognitio majoritatis, quæ à persona personæ debetur.

§. IX.

Effectus dignitatis in triplici potissimùm jure spectatur: nempe *in honore, potestate, & emolumentis.*

De honore textus reperitur *in c. ad hoc* 7. *dist.* 89. ubi dicitur, *ad hoc gradus diversos, & ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum: neque enim universitas alia potuit ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus ejus differentia ordo servaret.* Quam verò reverentiam, & obedientiam Inferiores Superioribus præstare teneantur, exponitur *ad tit. de Majorit. & Obed.*

Pr-

Poteſtatem quod attinet, ea variat pro varietate dignitatis, ac Prælatorum, atque de ea extant plures tituli in *Lib.* 1. *Decretalium à tit.* 23. Summa autem, ac ſuprema reſidet in Romano Pontifice: quippe hic ſolus convocat & confirmat concilia generalia: ſolus jurisdictionem in omnes alios Epiſcopos exercet: ſolus Imperatores, ac Reges cenſuris coërcet: ſolus pro tota Eccleſia leges condit, atque iis, re exigente, diſpenſat: ſolus controverſias fidei dirimit, dubia S. Scripturæ diſſolvit, & vera quæque à falſis diſcernit: ſolus ubique apud Chriſtianos Principes ſuos habet Legatos: ſolus novos erigit, approbátque Epiſcopatus, ſolus univerſalem curam gerit converſionis infidelium, & Prædicatorum ad diverſas provincias mittendorum, ut Gregorius I. in Angliam, Gregorius II. in Germaniam, alii in alia terrarum loca, ac regna. Confer. Haunold. Plettenberg. in *Introduct. ad Jus Can. c.* 15.

Emolumenta debentur, ne quemadmodum omnis ordo ſine divitiis, ita Eccleſiaſtica dignitas ob paupertatem vileſcat. *Clem. in plerique* 5. ibi: *ne mendicitatis opprobrio ſerenitatem Pontificalis obnubilent dignitatis, de Elect.* Et huc pertinent non tantùm Annatarum, Palliorum, & id genus alii redditus, quos Pontifices percipiunt, ſed & ſynodaticum, ſive cathedraticum, cenſus, procurationes, charitativum ſubſidium, aliæve exactiones, de quibus *infra ſuo loco.*

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

SUMMARIA.

1. Quid ſit coadjutoria? 2. Alia eſt temporalis alia perpetua. 3. Quo jure coadjutoria ſit introducta? 4. 5. à quo? 6. quis? 7. 8. & cui detur coadjutor? 9. In quibus coadjutor coadjuti vices ſupplere debeat? 10. Ex quibus cauſis? 11. & cur coadjutor conſtituatur? 12. Coadjutori quæ poteſtas? 13. 14. Qui fructus? 15. Quæ præcedentia, ac prærogativa competant?

SPeciem præbendæ, ſeu beneficii præſefert *Coadjutoria*, quâ *Clericus ægrotans, vel debilitatus* adjuvatur.

§. I.

Definitur Coadjutoria, quòd ſit facultas, ſeu officium alicui conceſſum adjuvandi Beneficiatum impotem in regimine beneficii. Paſſerin. in *c. un. num.* 2. *h. t. in* 6. 1

§. II.

Dividitur coadjutoria in temporalem, & perpetuam. *Temporalis* eſt, quando beneficiato per infirmitatem, ſenium, aut aliam cauſam impedito coadjutor datur, quàm diu is vivit, vel impedimentum durat. *Perpetua, ſeu cum ſpe futuræ ſucceſſionis* eſt, quando coadjutor ſublato impedimento non amovetur; ſed mortuo coadjutor in ejus officium, & beneficium ſuccedit; quæ ſucceſſionis ſpecies in jure noſtro deteſtabilis eſt juxta *c. accepimus* 5. *de pact. c.* 1. *&* 2. *de Conceſſion. prab.* ideóque ab alio, quàm S. Pontifice concedi nequit, ut *n.* 5. dicemus. Differt etiam à coadjutoria temporali, quòd temporalis non ſit beneficium, cùm tantùm officii functionem, & miniſterium locò proprietarii contineat. Suarez *l.* 4. *de Orat. c.* 22. *n.* 19. Navar. *de Orat. c.* 2. *n.* 18. qui inde inferunt, coadjutorem vi hujus coadjutoriæ ad Horas Canonicas non teneri; Coadjutoria verò perpetua congruâ portione aſſignatâ, & cum futura ſucceſſione propriè beneficium dicatur. Garc. *de Beneſic. p.* 2. *c.* 5. *n.* 132. *in fin.* Petr. Gregor. Tholoſan. *eod. tr. c.* 11. *n.* 2. Fagnan. in *c. nulla n.* 66. *de Conceſſ. prabend.* 2

§. III.

Cauſa efficiens coadjutoriæ duplex eſt: *remota* nimirum, *& proxima.* 3

Remota est jus Ecclesiasticum, & illud tam antiquum, quàm novum. Antiquum: quia Coadjutorum usus semper receptus, ac probatus fuit, ut relucet ex *c. de Rectoribus 3. c. ex parte. 5. c. fin. h. t. c. un. Eod. in 6. c. 2. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* Novum: quia S. Concilium Tridentinum *sess. 25. de Ref. c. 7.* coadjutorias permittit etiam in Ecclesiis Cathedralibus, si quando urgens necessitas, aut evidens utilitas postulat, reservatâ solùm cognitione causæ Sedi Apostolicæ.

Proxima est is, qui dat coadjutorem. Spectat autem hæc datio regulariter ad Superiorem, cujus est cognoscere de morbo, defectu, impedimento, vel inhabilitate inferioris. Pro pleniore verò hujus regulæ intelligentia, coadjutorem temporalem secerno à coadjutore perpetuo, &

4 *Dico* I. Coadjutorem temporalem Parochis, Archi-Diaconis, aliisque Prælatis inferioribus non exemptis regulariter dat Episcopus, aut alius Prælatus habens jurisdictionem quasi Episcopalem, uti etiam sede vacante Capitulum. *c. de Rectoribus 3. c. consultationibus. 6. & ibi.* Joan. Andr. *n. 7.* Panorm. *n. 5. h. t.* Fagnan. *in c. nulla num. 67. de Conces. præb.* Episcopis autem, & aliis Prælatis Superioribus de coadjutore nec Legatus à latere, nec Patriarcha, aut Archi-Episcopus, sed solus S. Pontifex providet. *c. un. & ibi* Gloss. *in V. tantummodò.* Franc. *n. 4.* Passerin. *n. 15. & 16. h. t. in 6.* Fagnan. *in c. ex parte n. 2. X. Eod.* Verùm ne hoc prætextu Ecclesiæ, præcipuè à Curia Romana longiùs distantes, dispendium patiantur, Episcopo, & Capitulo tanquam Sedis Apostolicæ delegatis hæc potestas assùmendi coadjutorem ex singulari gratia communicata est, ita scilicet, ut Episcopus, qui ob senium, morbum, vel aliud impedimentum perpetuum suo munere defungi nequit, si sit compos rationis, ipse unà cum consensu Capituli, vel majoris partis ejusdem; aut si in amentiam inciderit, & de dementia constet, Capitulum authoritate Pontificia unum, vel duos coadjutores constituere possit, modò eô casu duæ Capituli partes consentiant. Quòdsi verò Episcopus mente quidem sanus, sed corpore infirmus, ac ad officium omninò inhabilis sit, & coadjutorem admittere recuset, utcunque irrationabiliter contradicat, Capitulum eundem cogere haud potest, sed tota causa illicò ad Sedem Apostolicam referenda erit. Text. & DD. *in cit. c. un. h. t. in 6.*

Dico II. Coadjutorem perpetuum, sive cum spe futuræ successionis Clericis etiam inferioribus solus S. Pontifex adjungere potest, nullatenus autem Episcopus, vel Capitulum nisi ex licentia, aut dispensatione Apostolica. Trident. *sess. 25. de Reform. c. 5.* Navar. *consil. 1. h. t.* Garc. *de Benefic. p. 4. c. 5. num. 16.* Imò neque legatum de latere, vel quemcunque alium Nuntium Apostolicum id posse, docet Flam. Paris. *de Resignat. Benef. lib. 6. q. 5. num. 15.* Ratio capitalis est: quia jure communi damnantur pollicitationes, & provisiones beneficiorum, quæ votum captandæ vel optandæ alienæ mortis involvunt. *c. nulla 2. c. relatum. 3. de Conces. præb. c. detestanda 2. Eod. in 6.* nisi fiant Sedis Apostolicæ authoritate per *c. petisti 17. causa 7. q. 1.* quæ exceptio subintelligenda est *in cit. c. nulla.* & aliis in speciem contrariis. Neque obstat Tridentinum, quod in *cit. sess. 25. c. 7.* statuit, ut coadjutoriæ cum futura successione nemini in quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur: siquidem in his, quæ de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina S. Concilium decrevit, salva semper est auctoritas Sedis Apostolicæ, ut ipsummet in *ead. sess. 25. de Reformat. c. ult.* declaravit. Unde videmus, hodiedum Principum ac Magnatum filios in ipsa adhuc adolescentia Episcopis, etiam non indigentibus, auctoritate

Pon-

Pontificiâ cum jure succedendi adjungi; cujusmodi coadjutoriæ excusari solent spe auxilii, & commodi, quod Ecclesia à talibus coadjutoribus perceptura putatur. Henr. Wagnereck *ad c. un. not. 3. h. t. in 6.*

§. IV.

6 *Subjectum* coadjutoriæ est vel activum, vel passivum.

Activum, vel, ut Philosophus loquitur, *fundamentum* coadjutoriæ est *coadjutor*; in quo desiderantur honestas natalium, morum probitas, literarum scientia, legitima ætas, ac aliæ qualitates, quæ necessariæ sunt ad adjuvandum coadjutum in exercitio illius administrationis, ad quam datur. Trident. in *sess. 25. de Reform. c. 7.* Panormit. in *c. fin. n. 1. h. t.* Honorius *n. 12.* Quamobrem si Parocho coadjutor datus sit ad gerendam curam animarum, annum 25. ætatis attigerit, oportet. Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 2. q. 6.* Si detur Episcopo, refert, an detur ad spiritualium administrationem, & tunc trigesimum annum excedere debet, ex quo hanc ætatem jus in Episcopo requirit. *c. cùm in cunctis 7. de Elect.* an verò ad gubernationem temporalium, & tunc satis est, si viginti quinque annos nactus sit, utpote quæ ætas ad administrationem temporalium in jure perfecta censetur in Tutore, Curatore, aut Procuratore per *c. qui generaliter 5. §. licèt de Procuratorib. in 6. §. 2. Inst. Qui testam. tut. dari poss.* Cæterùm non tantùm unus, sed si magis expedire videatur, etiam duo coadjutores dari possunt, non verò plures, ne Ecclesia nimiùm gravetur. Text. & DD. In *c. un. h. t. in 6.*

7 *Subjectum passivum*, sive *terminus* coadjutoriæ est *coadjutus*, sive is, cui datur coadjutor. Illis autem propriè loquendo coadjutor dari solet, quibus administratio, jurisdictio, vel saltem cura animarum incumbit; ut sunt Episcopi, vel alii Prælati Ecclesiastici; item Rectores Ecclesiarum Parochialium juxta *c. 3. 5. & 6. h. t. c. un. & ibi* Passerin. *n. 6. Eod. in 6.* Alii Clerici simplex beneficium obtinentes, cùm per se administrationem, vel curam nullam habeant, etiam non indigent coadjutore, non enim apparet, in quo adjuvari possint.

8 Trita *quæstio* est: an coadjutor etiam dandus sit iis, qui propter lepram, aut aliam infirmitatem annexum beneficio munus, officiúmque perpetuò obire nequeunt?

Sunt, qui putant, tales à beneficiis omninò removendos esse, tum propter *c. ut Abbates 1. de Ætate, qualit. & ord. præfic.* ubi Abbates, Decani, Præpositi, Archidiaconi, & Archi-Presbyteri, qui propter superveniens impedimentum ordinem dignitatibus suis annexum suscipere, & officium exercere nequeunt, illis privari jubentur: tum propter *c. tua 4. h. t.* ubi dicitur, quòd Sacerdos leprosus pro scandalo, & abominatione populi ab administrationis officio debeat removeri, sustentatione ex Ecclesiæ fructibus assignatâ.

Verùm Episcopis, Prælatis, aut Parochis perpetuò impeditis dignitates, aut officia auferenda non esse, sed dandos coadjutores, evincunt textus ineluctabiles in *c. ex parte 5. h. t. & c. un. Eod. in 6.* idque cum communi docent Panormit. in *d. c. tua. n. 4.* & Wagnereck *ibid.* Fagnan. in *c. de Rectoribus 3. n. 7. h. t.* moti *primò* quia beneficia oportet esse perpetua. *c. præcepta. 12. dist. 55. c. Sanctorum 2. dist. 70. Secundò* quia Prælaturæ, & præsertim Episcopatus assimilantur matrimonio indissolubili, adeóque Sponsi Ecclesiarum ab his ob infirmitatem, aut impedimentum superveniens separari non debent arg. *c. 2. de Translat. Episc. Tertiò* quia afflictis non est addenda afflictio. *c. ex parte 5. h. t. c. cùm percussio 2. causâ 7. q. 1.*

Nec hisce sic dictis refragatur *c. ut Abbates 1. de Ætat. qual. & ord. præfic.* quoniam

id solùm loquitur, & accipiendum est de Abbatibus, Præpositis, aliisve, qui dignitates suas nondum cœperunt administrare, nec plenè & omnino absolutè, sed sub tacita conditione ordinem annexum intra annum suscipiendi adepti sunt: his enim, si impedimentum ordinis suscipiendi perpetuum, seu diu duraturum sit, dignitates meritò adimuntur, cùm deficiat conditio, sub qua ipsis collatæ sunt. Aliud dicendum de illis, qui beneficia, & dignitates plenè assecuti sunt, jámque administrare cœperunt: quippe hi superveniente impedimento perpetuo non removendi, sed assignato coadjutore adjuvandi sunt. Layman in *cit. c. ut Abbates.* Minùs angit *c. tua 4. h. t.* quandoquidem in eo non dicitur, quòd Sacerdoti leproso beneficii titulus, & cura habitualis auferatur, sed duntaxat exercitium administrationis. Pirrhing. *h. t. num. 7.* Garc. *de Benefic. p. 4. c. 5. num. 6.* Suarez *de Censur. disp. 51. sect. 2. ad fin.*

§. V.

9 *Objectum* Coadjutoriæ est administratio officii, quod Beneficiarius principalis, cui coadjutor adjungitur, exequi non potest, cùm tamen deberet. Unde cum P. Engel *h. t. n. 6.* infero, principalem, sive coadjutum non teneri deservire in Divinis per coadjutorem illis casibus, quibus aliàs propter infirmitatem aut legitimum impedimentum posset in absentia fructus lucrari, ne sit deterioris conditiones cum coadjutore, quàm sine ipso: & ne coadjutoria, quæ datur in gratiam coadjuti, in ejus odium retorqueatur, si fortassis ob negligentiam coadjutoris fructus amittere, vel saltem coadjutorem cum difficultate convenire deberet contra *c. quod ob gratiam 61. de R. J. in 6.*

§. VI.

10 Ad *formam* coadjutoriæ pertinet legitima coadjutoris constitutio, ad quam justa causa requiritur; qualis est I. senium, vel ætas profecta Pastoris. *c. petisti. 17. causa 7. q. 1. c. un. h. t. in 6.* Jacob Pignatel. *tom. 4. consult. 137. n. 2.* ubi ait, sufficere ætatem 60. annorum. II. Infirmitas virium corporis, cùm videlicet Pastor est morbo sontico, ac incurabili affectus. *d. c. un.* veluti lepra, aut morbo paralytico. *c. 3. & fin. X. Eod.* Si morbus curabilis sit, potiùs vicarius, quàm coadjutor dabitur. Passerin. in *d. c. un. n. 23.* III. Amentia, vel alia ægritudo animi, quâ Rector est mente captus. *d. c. un.* IV. Defectus literaturæ requisitæ, ob quam Rectori ab Ordinario coadjutor adjungitur non obstante appellatione. Trident. *sess. 21. de Reform. c. 6.* V. Negligentia, cùm Pastor præstat quidem suum munus, & officium, sed negligenter. *c. quia frater 18. causa 7. q. 1.* VI. Suspicio dilapidationis, ut si Prælatus multùm æris alieni contrahat, aut sit vorago, & gurges opum. Panormit. in *c. venerabili 37. not. 4. de Offic. delegat.* Felin. in *c. licèt Heli. n. 8. de Simon.* quos refert, & sequitur Passerin. in *c. un. h. t. in 6.*

§. VII.

Finis coadjutoriæ est Ecclesiæ utilitas: de- 11
putatio enim coadjutoris fit, ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum invadat lupus rapax, vel in facultatibus suis Ecclesia, quasi viduata, detrimentum pariatur. arg. *c. ne pro defectu. 41. de Elect. & c. quamvis 14. causa 7. q. 1.*

§. VIII.

Effectus coadjutoriæ sunt: I. coadjutori 12
idem officium, & eandem potestatem tribuit, quam habet ipse Principalis, nisi specialiter ex modo, & forma collatæ coadjutoriæ potestas fuerit limitata. Passerin. in *c. un. n. 53. h. t. in 6.* P. Engel. *n. 4.* Sic coadjutor Episcopi, aut Prælati habet liberam rerum Ecclesiasticarum administrationem, eô solô exceptô, quòd ab omni alienatione bonorum, sive ad Prælatum ipsum, sive ad Ecclesiam spectantium,

pror-

prorsus abstinere debeat. *c. un.* §. *fin. h. t. in* 6. *c. u, cui.* 42. *de Elect. in* 6. Præterea Coadjutor Episcopi dementis & ad omnia officia Episcopalia incapacis plenitudine fruitur potestatis tam ordinis, quàm jurisdictionis. Flam. Paris. *de Resignat. benef. lib.* 7. *q.* 20. *n.* 25. proinde si consecratus sit, per se ipsum omnia Pontificalia exercere potest, aut si consecratus non sit, potest, & debet eadem aliis Episcopis demandare. *d. c. is, cui* 42. *de Elect. in* 6. item potest conferre omnia beneficia in illa diœcesi vacantia, ne alioquin Ecclesiæ ex diuturna vacatione grave damnum sustineant. Paris. *l. cit. n.* 26. Oldrad. *consil.* 44. Zoës. *de Prabend. n.* 13. Secus est, si coadjutor Episcopo sanæ mentis ob senium, cœcitatem, paralysim, vel alium morbum incurabilem datus sit: quippe tunc habet potestatem limitatam ad ea, quæ ad officium spectant, & quorum Episcopus impos est; nisi ipse eidem collationem beneficiorum, aut alia, quæ in generali commissione non veniunt, deleget. Oldrad. *cit. consil.* 44. *n.* 4. Navar. *consil.* 3. *h. t.* Passerinus *in cit. c. un. n.* 51. cum citatis.

13 II. Coadjutor de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipit portionem. *c. de rectoribus* 3. *h. t. c. un. Eod. in* 6. Et verò licèt absolutè loquendo reddit us, fructúsque omnes Prælato, aut Beneficiario impotiremaneant. *c. t. & 2. h. t.* eò quòd coadjutor non censeatur Beneficiatus quantùm ad fructus, & proprium commodum, sed in favorem, & emolumentum Beneficiati principalis detur, ut scilicet is per substitutum Ecclesiæ deserviat, atque ita ad effectum lucrandi fructus, & retinendi beneficium videatur per se ipsum facere, quod facit per coadjutorem juxta *c. qui facit* 72. *de R. J. in* 6. quia tamen justum, & sacris Canonibus consonum est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum reperiuntur commodare obsequium. *c. charitatem* 45. *causâ* 12. *q.* 2. ideo coadjutori de redditibus Coadjuti pro decenti sustentatione moderati sumptus designari, & relinqui debent. *cit. c. de rectoribus & c. un.* Quòdsi redditus utrique alendo non sufficiant, potiorem rationem habendum esse Principalis ægrotantis, aut aliàs inhabilis, quàm Coadjutoris actu laborantis, cum communi docet Panormit. Barb. & Wagnereck in *cit. c. de Rectoribus*, contra Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *Inst. mor. l. c.* 2. *q.* 9. Interim tali casu Coadjutori providendum erit, vel ex bonis Ecclesiæ, si quæ habeat: *d. c. de Rectoribus.* vel à Parochianis, & subditis ex administratione beneficii utilitatem percipientibus. Wagnereck *loc. cit.* vel aliunde ab Episcopo per collationem alicujus beneficii simplicis residentiam non exigentis, vel per pensionis ex alio beneficio factam assignationem juxta Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 6.

III. Tenetur Coadjutor reddere rationem 14
plenariam suæ administrationis, vel Coadjuto, si sanæ mentis extiterit; vel, si usu rationis careat, Capitulo ejusdem; vel etiam Successori ipsius, si eam ante obitum Coadjuti non reddidit. *c. un. in fin. & ibi* Interpp. *h. t. in* 6. Ex quo ipso colligitur, officium coadjutoris morte coadjuti ipsô factô exspirare, ita ut administratio transeat in Capitulum. *c.* 3. *&* 4. *de Supplend. neglig. Prælat. in* 6. *c. etsi* 1. *de Instit. in* 6. Fagnan. in *c. ex parte. n.* 11. *h. t.* cùm coadjutor duntaxat ad juvandum Prælatum inhabilem datus fuerit. Passerin. in *d. c. un. n.* 63. Multò minùs Coadjutor succedit mortuo coadjuto, nisi authoritate Apostolicâ ei cum spe futuræ successionis adjunctus sit; quo casu jus consequitur succedendi in illius officium, & beneficium, ita quidem, ut successio detur, tametsi Principalis fuerit mortuus, priusquam literæ Papales Româ adveniant, & Coadjutor officium gesserit: siquidem in rei veritate duæ

gratiæ in concessione coadjutoriæ perpetuæ continentur: una de ipsa coadjutoria in favorem Coadjuti; altera de succedendo in favorem ipsius Coadjutoris data, adeóque unâ sublatâ remanebit altera. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancellar. Gloss.* 5. §. 9. *n.* 53. & 56. Garz. *de Benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 132. P. Engel *h. t. n.* 8.

15 Lubet hic attingere *controversiam*: an Coadjutori Episcopi, vel Abbatis maximè perpetuo, si cum aliis Episcopis, vel Abbatibus concurrat, præcedentia, & locus sui Principalis debeatur?

Expeditum est, Coadjutorem repræsentare personam sui Principalis, proinde præcedere omnes, qui respectu ejus sunt inferioris Ordinis: v. g. Coadjutor Episcopi præcedet omnes Abbates, Coadjutor Abbatis omnes inferiores Clericos. Quòd verò Coadjutor absolutè locum sui principalis tenere, & omnes illos præcedere debeat, quos ipse Principalis, si personaliter adesset, antecederet, videtur tenere Navarr. *h. t. consil.* 2. *n.* 5. Ratio est: quòd in actibus illis, qui ad officium Coadjutoris pertinent, coadjutor Principalis radiis coruscet arg. *l.* 1. *C. de Offic. Vicarii.* Neque id insolitum: ita enim Legatos Domûs Austriacæ, Celsissimi Principis Salisburgensis, & Ducis Burgundiæ, ipsis Principibus in Persona præsentibus, præferri testatur Gabriel Schweder in *Introduct. in Jus Publ. part. spec. sect.* 1. *c.* 10. *n.* 14. Quod ipsum de Legatis Electorum tradit. *n.* 12.

Nihilominus negativa verior est, quòd videlicet Coadjutor Episcopi nullum ex Episcopis, & Coadjutor Abbatis nullum ex Abbatibus præcedat, licèt Principali, si personaliter compareret, primus locus competeret. Ita Menoch. *lib.* 1. *consil.* 51. *n.* 14. Jason in *l. more majorum n.* 4. *ff. de Jurisd.* Barb. *de Benef. p.* 4. *c.* 5. *à n.* 65. P. Engel *h. t. n.* 5. quia cæteris paribus & in eodem ordine, sive gradu dignitatis semper clarior est, qui propriis radiis fulget, quàm qui alienis, & semper potentius est jus, quod quis habet jure proprio, quàm alieno, ut inquit Jason *loc. cit.* Quin ipsemet Navar. *de Majorit. & obed. consil.* 8. docet, Procuratorem Abbatis in Synodo ultimum post omnes Abbates locum occupare debere: licèt enim, ait, vices alterius gerens debeat honorari tanquam repræsentans eundem, non tamen præcisè tantum, quantùm ille. Videatur etiam Decius in *t. sanè.* 11. *n.* 2. *de Offic. deleg.* ubi hanc quæstionem fusè prosequitur, & defendit, Regem Galliæ rectè quondam Ducem Sabaudiæ personaliter præsentem Legato Venetiarum præposuisse, quamquam ipsi Duci Venetiarum, si in propria Persona adfuisset, præcedentia competiisset.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

SUMMARIA.

1. Institutio quid nominis? 2. Quid rei? 3. Quæ origo? 4. 5. 6. Quis possit instituere? 7. usque 14. Quis institui? 14. In quibus beneficiis locum habeat institutio? 15. 16. Quæ sint ejus requisita? 17. Quis finis? 18. Qui effectus? 19. Quid intelligatur nomine institutionis authorizabilis? 20. Quid nomine institutionis corporalis?

MOdi acquirendi Præbendas, ac Beneficia Ecclesiastica consistunt in *Electione, Institutione, & Collatione.* De *Electione* in *Libro I. tit.* 6. actum est.

§. I.

Institutio latè accepta quamcunque beneficii concessionem, adeóque etiam electionem, & collationem continet; in quo sensu in *c.* 1. *de R. J. in* 6. dicitur: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.* Strictè autem dicta, prout hic sumitur, collationi, & electioni opponitur, & concessionem beneficii ad præsentationem Pa-

Patroni factam denotat. Wagnereck *ad rubr. h.t. not. 1. & 2.*

§. II.

2 *Definitur* institutio, quòd sit non libera beneficii ad præcedentem Patroni præsentationem legitimâ authoritate facta translatio. Zoës. *h.t. n. 1.*

§. III.

1 *Causa efficiens* institutionis est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est jus Canonicum, quo collatio beneficii authoritate Episcopi, vel alterius Ordinarii non liberè cuivis Clerico, sed necessariò illi, quem Patronus præsentavit, si idoneus fuerit, facienda est. *c. decernimus 32. causâ 16. q. 7. c. sit, ad quem. 2. & ibi* Interpp. *h. t. in 6.*

4 *Proxima* est instituens. Pertinet autem institutio præsentatorum jure communi ad Episcopum loci, in quo beneficium situm est. *c. ex frequentibus 3. h. t.* ex consuetudine verò, vel speciali privilegio etiam ad Abbatem, Archi-Diaconum, vel alium Prælatum inferiorem. *c. cùm venissent. 6. Eod.* Si tamen de jure instituendi lis oriatur inter Episcopum, & alium inferiorem Prælatum, onus probandi incumbit inferiori, & si is in probatione deficiat, jus instituendi Episcopo adjudicabitur, licèt nihil probet, cùm habeat intentionem fundatam in jure communi. P. Engl. *h. t. n. 3.* Barb. in *cit. c. ex frequentibus. num. 4.* Imò etiamsi constet, jus instituendi in aliquo beneficio alicui Prælato inferiori competere, nihilominus Clericus ab illo institutus tenetur Episcopo se præsentare, & illius examen subire: alioquin institutio ab inferiore facta irrita erit & inanis juxta Trident. *sess. 25. de Reform. c. 9. v. ad hæc.* Nisi & hoc ipsum fuerit per inferiores Prælatos speciali jure obtentum per tradita à Panormit. in *c. cùm non liceat. 12. n. 17. de Præscript.*

5 *Dubitatur* I. Quis Clericum præsentatum instituere possit Sede Episcopali vacante? R. Capitulum. *c. etsi 1. h. t. in 6. ubi* Gloss. & DD. ideo: quia institutio est actus jurisdictionis necessariæ, quæ Sede vacante est penes Capitulum. *c. 11. & 14. de Major. & obed.* Nec officit, quòd Capitulum Sede vacante nequeat conferre beneficia, quæ ad collationem Episcopi spectant. *c. 2. ne sede vacante.* quoniam alia ratio est liberæ collationis, & alia institutionis: ista in persona, quæ instituitur, supponit jus, ideóque actus justitiæ, sive necessariæ jurisdictionis est: collatio autem in persona collatarii nullum jus supponit, ideóque est quasi donatio, & actus liberalitatis, seu gratiæ, & voluntariæ jurisdictionis, per quem futuro Episcopo libera facultas conferendi beneficium, cui velit, adimeretur. Passerin. *in cit. c. etsi 1. n. 5. h. t. in 6.*

Dubitatur II. Possitne etiam officialis, 6
sive Vicarius generalis sine speciali commissione Clericum in beneficio instituere?

Negat Rebuffus *in Prax. Benefic. lib. 1. tit. Forma vicariatûs. n. 126. & seq. Primò* quia non invenitur jure cautum, quòd Vicarius sine mandato speciali instituere possit; ergo hoc illi non est concedendum arg. *l. dissentientis. C. de Repudiis. Secundò* quia Vicarius non potest quem destituere, seu privare beneficio, nisi sibi expressè concessum fuerit. *c. 2. de Offic. Vicar. in 6.* ergo nec instituere, cùm tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum ad officium Episcopi pertineat. *c. cùm ex injuncto 12. in fin. de Hæret. Tertiò* quia Officialis aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non potest, nisi beneficiorum collatio ipsi specialiter sit commissa. *c. fin. de Offic. Vic. in 6.* Verum *conferre* autem institutionem quoque comprehendit per *Rubr. ut Eccles. benef. sine diminut. confer.* Et quamvis institutio non sit libera collatio, sapit tamen quandam donationem. *c. fin. h. t.* quæ in generali mandato non venit.

Affirmant Gonzal. in *c. 3. n. 2. h. t.* Barbos. *de Offic. & potest. Epis. p. 3. alleg. 54. n. 70.*

Ho-

Honor. *de Offic. vicar. n.* 20. ubi allegat decisionem Rotæ. Zerol. in *Prax.* 1. *p. V. Vicarius n.* 15. Boër. *dec.* 30. *n.* 4. idque deducunt tum ex *c. frequentibus.* 3. *h. t.* ex illis nimirum verbis: *Officialium suorum, qui hoc de jure possunt;* tum ex *c.* 1. *h. t. in* 6. statuente, Capitulum sede vacante non posse quidem beneficia conferre, præsentatos tamen posse admittere, & instituere. Ratio peremptoria est: quia Officialis, seu Vicarius vi generalis mandati omnia potest, quæ non specialiter reperiuntur excepta, ut cum communi docet P. Engl *de Offic. Vicarii sub n.* 10. ergo etiam instituere, cùm in *d. c. fin. de Offic. Vicarii. in* 6. tantùm collatio beneficiorum excipiatur.

Unde facile erit *primæ* occurrere rationi dissentientis Rebuffi: non enim potestas Vicarii generalis ad ea restricta est, quæ in jure aut mandato expressa sunt, sed ad omnia extenditur, quæ non sunt à jure specialiter excepta, ac prohibita. *Altera* sub cane friget: siquidem non valet consequentia: non potest destituere, ergo nec instituere, nam instituere & destituere diversa jura sunt, quæ frequenter non ad eundem, sed ad diversos spectant. Flamin. Paris. *de Resignat. benefic. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 8. Gregor. Tholosan. *de Re benef. c.* 31. *n.* 11. Laurent. Nicolarts *in Praxi Benef. tit.* 1. *de Reserv. Conc. Germ. dub.* 9. *§.* 10. Certè Prælatis inferioribus nonnunquam ex privilegio, aut consuetudine competit institutio, quibus minimè competit destitutio. Panorm. *in c. accepta* 3. *prope fin. de Restitut. spoliat.* Flam. Paris. *d. c.* 10. *n.* 22. Accedit, quòd spiritualia faciliùs construantur, quàm destruantur, prout exemplis illustrat Innocentius III. in *c.* 2. *de Translat. Episc.* Ratio *tertia* ideo non urget, quia non est par ratio collationis, & institutionis, ex quo, ut paulo ante dictum, illa est species liberalitatis, ista autem actus necessitatis, cùm præsupponat jus petendi in præsentato, cui ex præsentatione jus acquisitum fuit. Proinde impropriè omnino donatio nuncupatur *in c. fin. h. t.*

§. IV.

Subjectum institutionis est Candidatus, qui 7
in beneficio instituitur. Ut autem ritè instituatur, ex parte ejus.

Requiritur I. Ut sit Clericus: quippe Laicus incapax est ad obtinenda beneficia. *c. in Ecclesia* 2. *h. t. c. cùm adeo.* 17. *& ibi* Panormit. *n.* 3. *de Rescript. c. ex literis.* 6. *de Transact.* Paris. *de Resignat. benefic. lib.* 4. *q.* 2. *n.* 2. *&* 3. ubi assignat rationem: quia Laicus est incapax spiritualium, prout est beneficium. Nec sufficit, etsi quis post institutionem illico tonsuram, ac ordines recipiat: quandoquidem hujusmodi habilitas non percutit tempus vacationis beneficii, quæ sola attenditur, nullâ habitâ consideratione habilitatis supervenientis. Rota *dec.* 95. *num.* 29. *&* 30. *dec.* 28. *num.* 18. *p.* 11. *Recent.* Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 104 Cæsar de Panimoll. *dec.* 101. *num.* 10. Sanè si Patronus ad Parochialem Ecclesiam vacantem præsentet aliquem, qui Minoribus solùm initiatus est, is repelli non debet, sed admitti, ac institui, dummodo alioquin sit idoneus, & intra tempus à jure statutum, videlicet intra annum ad sacerdotium promoveri possit. Text. & DD. *in c. fi is.* 2. *h. t.* Et generatim loquendo, si beneficium certum ordinem sacrum exigat, spectato jure communi, non est necessarium, instituendum actu habere illum Ordinem, sed satis est, si intra annum illum suscipiat. *Clem.* 2. *de Ætat. & qualit. & ord. præsic.* Pirrhing. *h. t. num.* 12.

Requiritur II. Ut à Patrono intra tempus 8
legitimum fuerit præsentatus: ut enim institutioni locus sit, de hac præsentatione, ut de aliis requisitis, doceat, necessum est. Celsus *dec.* 44. *n.* 4. *dec.* 193. *n.* 1. *dec.* 297. *n.* 1.

Dixi: *à Patrono*; nec refert, verus Patronus sit,

sit, an solùm putativus: nam ad effectum, ut quis veniat instituendus, sufficit docere, se esse præsentatum ab existente in quasi possessione Juris patronatûs juxta *c. consultationibus. 19. de Jure patronat.* Rot. *dec.* 100. *n.* 4. *coram Duran. in Placentina Canonicatûs.* 1. *Julii* 1674. *coram Tarraconen. & in Gerunden beneficii* 5. *Maii.* 1649. *coram Meltio.* Celsus *dec.* 320. *n.* 2. & si Clericus præsentatus ab Episcopo fuerit institutus, sed postea ei, qui præsentavit, lis moveatur de jure patronatûs, & alius in judicio evicerit, institutio ad eam præsentationem facta tenet. *d. c. consultationibus.* & *ibi* Fagnan. *n.* 6. Modò præsentans fuerit bonæ fidei possessor: nam si vel non possedit, sed tantùm credebatur esse patronus, vel sciens se nullum jus habere, aliquē præsentavit, qui ab Episcopo institutus sit, nihil valet, & sic ordinatus removeri debet. *d. c. consultationibus*, & *ibi* Panorm. *n.* 6. Rota *in Piscien. beneficii* 21. *April.* 1651. *coram Tarraconen. & in Terdonen. juris Patronatûs* 9. *Junii* 1653. *coram Albergato.* Cellus *dec.* 199. *n.* 4. qui *n.* 1. probat, ad acquirendam quasi possessionem præsentandi unicum actum ac unicam præsentationem sufficere. Verùm Fagnan. *loc. cit. num.* 8. *& seqq.* notat, hodie præsentationem non esse admittendam, nec præsentatum instituendum, quantumcunque præsentans sit in quasi possessione præsentandi, nisi priùs legitimè doceat de titulo, & proprietate juris patronatûs ex fundatione, vel dotatione, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus supra hominum memoriam ad præscriptum Trident. *in sess.* 25. *de Reform. c.* 9. eo solùm casu excepto, quô constat, Ecclesiam esse patronatam, & lis solùm inter duos præsentatos vertitur, ad quem ex præsentantibus jus præsentandi pertineat, & cui ex præsentatione jus acquisitum sit. Garc. *de Benefic. p.* 5. *cap.* 5. *num.* 141. Rota in *Pisana Capellania* 20. *Maii.* 1594. & in *Pampilonen. Vicaria de Ataun* 12. *Maii.* 1595.

Addidi . *intra tempus legitimum:* Et verò 9
Patrono Laico ad præsentandum quatuor. *c.* 3. *& 27. de Jure patronat.* Ecclesiastico sex menses, non à die vacationis, sed cognitionis, & notitiæ computandi, conceduntur. *c.* 22. *X. & c. un.* §. *verùm. Eod. in* 6. Cur ita? quia cùm Patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quòd unum tantùm præsentare possit ad beneficium, & factâ semel præsentatione variare nequeat, dum Laico plures vel simul, vel successivè re integrâ & institutione nondum secutâ præsentare licet. *cap.* 24. *& 29. de Jure patronat.* ideo in eo saltem relevatur, quod plus temporis habeat, ad inquirendum de Clerico aliquo idoneo. Non sufficit autem, quod intra illud tempus semestre, aut quadrimestre eligatur, & designetur Clericus præsentandus, sed ipsa actualis præsentatio à Patrono, aut per ejusdem præsentationis literas expediatur, oportet. Franc. *in cit. c. un.* §. *verùm n.* 1. & cum aliis Passer. *ibid. num.* 12. Aliàs pro illa vice beneficii provisio devolvitur ad Episcopum, sive illum, cui jus instituendi competit. *cit. c.* 3. 22. *& 27. de Jure patron.* Gloss. *in Clem. un. V. dispositionem de Supplend. neglig. Prælat.* ita tamen, ut ab iis, præsentatio extra tempus præfixum facta admitti, & præsentatus institui possit per *c. literas.* 4. *& ibi* Gloss. *V. patientia. de Supplend. neglig. Prælat.* Lambertin. *de Jur. Patron. p.* 2. *lib.* 2. *art.* 27. *n.* 3. *&* 5. Paris. *de Resignat. benefic. lib.* 7. *q.* 29. *num.* 11. nisi fortè admissio, ac institutio ejusmodi cedat in præjudicium tertii legitimè præsentati. Celsus *dec.* 279. *n.* 6.

III. *Requiritur*, ut instituendus sit dignus 10
& idoneus, id est, ut qualitates ad beneficium, cui per institutionem præficiendus est, necessarias habeat. Hinc ante institutionem examen circa doctrinam, mores, ac canonica

impedimenta subire, & si indignus repertus fuerit, repelli, si dignus admitti debet. *c. 5. 18. 24. & 29. de Jure patronat.* Trident. *sess. 24. c. 18. & sess. 25. c. 9. de Reform.* Quòd si Ordinarius indignum instituerit, damnationem sibi acquirit, & tenetur Ecclesiæ læsæ damnum resarcire instar Magistratûs, qui minùs idoneo tutelam pupilli commisit. *l. 1. Cod. de Magistrat. conven.* Ancharam. & Cardinal. *in Clem. 1. de Æt. qual. & ord. præfic.* Rebuff. *in Praxi tit. de Præsent. & Institut. num. 10.* Sin digno à Patrono intra tempus legitimum præsentato malitiosè institutionem denegaverit, Præsentato, & Patrono contra eum suppetit remedium appellationis, & querelæ. arg. *c. ex parte 10. de Concess. prab.* Gloss. & Panormit. *in c. pastoralis 29. de Jure patronat. & in c. cùm Bertholdus 18. de Sentent. & re judic.*

¶ Illud hic *quæri* potest: utrùm Episcopus in casu, quo plures præsentantur, digniorem eligere, & instituere teneatur?

℟. I. Si dignus à majori, dignior à minori parte, ac numero Patronorum præsentatus est, Episcopus dignum instituet, & digniori præferet, ut qui tali casu non censetur præsentatus. *c. quoniam 3. & ibi* Gloss. *V. qui majoribus de Jure patron. Clem. plures Eod.* Rota *Piscien. beneficii 26. Novemb. 1650. coram Celso. & in Tiraſonen. beneficii 20. Maii. 1658. coram Priolo.* Quamobrem si duo sint Patroni, Clericus & Laicus, unúmque idoneum præsentârint, postea verò variando laicus, sicut potest, alterum æquè, aut magis idoneum præsentando accumulet, Episcopus necesse habet, primum instituere, cùm sit potior, utpote ab utroque præsentatus, neque variare Laicus in præjudicium compatroni possit, ut optimè notat Panorm. in *c. cùm autem 24. de Jure patron.* Planè si dignus præsentetur à minori parte Patronorum, & indignus à majori, dignus instituendus erit, cùm præsentatio indigni non veniat attendenda, & perinde habenda sit, ac si facta non fuisset, ex quo hoc in casu totum jus consolidatur in præsentante dignum. arg. *c. dubium 22. & c. congregato 53. de Elect.* Vivian. *de Jure patron. p. 2. lib. 11. c. 8. n. 12.*

℟. II. Si præsentati sint pares in voce, & tempus ad præsentandum de jure Patronis concessum effluxerit, aut si plures à Patrono Laico simul, vel successivè præsentati fuerint, Episcopus, quem ex his vult, instituere non potest, nisi eorum merita sint omninò æqualia: aliàs namque tenetur eligere digniorem, sive magis idoneum, adeò ut si magis idoneò neglectò minùs idoneum instituat, contra justitiam distributivam peccet. *c. quoniam 3. c. cùm autem 24. & ibi* Panormitan. Joan. Andr. aliíque communiter *de Jure patron.* S. Thom. 2. 2. *q. 185. a. 3.* Censetur autem dignior, seu magis idoneus, qui majoribus juvatur studiis, & meritis: *c. si forte dist. 63.* Rota *in Leodicen. præpositura Torquon. 19. Jan. 1650. in fin. princ. coram Card. Ostbobono*, qui est incorruptæ vitæ, & morum integritate, scientiâ, prudentiáque conspicuus: Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 60. n. 101.* Rota *in d. Leodicen. præpositura §. cum Canonicis. 3.* qui est graduatus in aliqua facultate: Puteus *dec. 200. lib. 3.* Barb. *cit. num. 101.* qui est Diœcesanus, incola, *vel* indigena: per *c. ult. de Clericis peregrin.* Covarruv. *pract. qq. c. 35. n. 5.* qui est pauperior, nullum habens beneficium: Gloss. *de Jure patronat. in V. honorificum n. 42.* Seraphin. *dec. 768. n. 50.* qui est magis versatus in officiis Divinis celebrandis, & qui aliàs animarum curam exercuit. Borgnin. *dec. 30. num. 1. p. 5.* & Cæsar de Panimoll. *dec. 137. n. 7.* qui est ætate senior. Lambert. *de Jure patronat. p. 3. lib. 2. a. 13. q. 5. n. 1.* Barbar. *lib. 1. constit. 23. n. 14.* Rota *dec. 291. num. 4. p. 4. Recent.* Moneò tamen, quòd

quòd institutio digni omisso digniore facta sustineatur, ne alioquin cum damno Ecclesiæ sub hoc prætextu plurimas institutiones impugnari contingat, Panormit. in *c. pastoralis* 29. *de Jure patronat.* Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 22. *q.* 14. S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *a.* 2.

§. III. Quando Episcopus Clericum idoneum, seu dignum, qui solus à Patrono Laico præsentatus erat, vel bonâ, vel malâ fide, durante adhuc tempore quadrimestri, rejecit, Patronus verò intra illud tempus alium fortè minùs idoneum, absolutè tamen dignum, præsentavit, eúmque Episcopus instituit, hic posterior dignus etiam priori digniori præferendus, & in possessione relinquendus est, non obstante appellatione infra illud tempus à primo præsentato ad Superiorem interpositâ; partim propter jus in re, quod secundò præsentatus per institutionem adeptus est; *c. si tibi absenti* 17. *de Præbend. in* 6. partim quia per appellationem interpositam Patrono laico præjudicare non potuit, quin cumulativè secundum præsentare posset, etsi non factâ secundâ præsentatione appellatio effectum habuisset, ut Episcopo alium instituere non licuisset. Gloss. & Panormit. in *c. pastoralis* 29. *n.* 2. *& 6. de Jure patronat.* Pirrhing. *ibid. n.* 101. Interim Episcopus, si primò præsentatum malitiosè ab institutione excluserit, eidem in pœnam de alio competenti beneficio providere jubetur, quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse. Textus in *d. c. pastoralis. & ibi* DD.

12 IV. Ex parte Candidati *requiritur*, ut præsentatus coram Ordinario, sive eo, à quo instituendus est, personaliter sistatur. *c. cùm & plantare* 3. *§. in Ecclesiis* ibi: *Episcopis repræsentent. de Privil.* Verbum enim *repræsento* propriè idem sonat, ac *præsentem facio* juxta *l. consentaneum* 8. *Cod. Quommodo & quando judex.* & hinc præsentatio communiter dicitur exhibitio personæ per Patronum Episcopo, vel alteri jus institutionis habenti legitimè facta. Panormitan. in *c. ea noscitur. 6. de his, quæ fiunt à Prælat.* Nec reclamat idem *c. ea noscitur.* in illis verbis: *per se, aut per literas personas idoneas Episcopis diœcesanis præsentant*; sensus enim haud est quòd Clericus absens pro institutione præsentari possit, sed quòd Patronus præsentans etiam absens per literas præsentationem facere queat. Memini tamen quorundam Consistoriorum, & hujus quoque Salisburgensis Proto-Synedrii stylum esse, ut admittantur nonnunquam præsentationes per transmissionem instrumenti præsentationis factæ, & præsentati absentes instituantur, modò aliàs noti existant; quam praxin approbat Innocent. in *c. in Lateranensi* 31. *de Præb.* Barb. *de Offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 11. & Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 4. *n.* 86. *& seqq.* Quanquam, si subtiliter loqui velis, talis præsentatio in effectu potiùs nominatio sit, quàm vera, & formalis præsentatio.

Meritò quis *dubitet*: à quo instituendus 13
sit Clericus præsentatus ad beneficium, in quo instituendi jus ad ipsum pertinet? Enimverò hic non potest institui à se ipso: quia inter dantem, & accipientem ad evitandam ambitionem debet esse distinctio personarum: *c. fin. h. t.* & nemo in proprio facto sibi ipsi authoritatem præstare potest. *l.* 1. *ff. de Auctorit. tutor.* Neque à Procuratore, seu aliquo à se delegato: quia delegans institutus à delegato censeretur institutus à se ipso, quandoquidem *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum* juxta *c.* 72. *de Reg. Jur. in* 6. Sed nec ab alio: quia, ut in *cit. c. fin.* insinuatur, jus conferendi alius non habet. Vulgò placuit, talem esse instituendum vel ab Episcopo proprio, vel à S. Pontifice,

aut ejus Legato à Latere, vel ab eo, in quem ipse jus instituendi omnino, & absolutè transtulit, ita ut eum proprio, & non ipsius præsentati nomine instituere valeat. Panormit. in *cit. c. fin. n.* 5. *&* 6. *h. t.* Pirrhing *n.* 17. *in fine.*

§. V.

14 *Materiam*, seu *objectum* institutionis constituit beneficium vacans patronatum; *Vacans*, inquam: quoniam super vacaturo nec præsentatio, nec institutio valet per *c. nulla* 2. *c. constitutus* 11. *§. quia verò de Concess. præbend. Patronatum:* siquidem si patronatui non subsit, in eo libera collatio, non institutio obtinet. *c. cùm in illis* 16. *§. cùm autem de Præbend. in* 6.

§. VI.

15 *Forma* institutionis tribus requisitis absolvitur.

Primum est, ut institutionem præcedat Patroni præsentatio. *c. decernimus* 32. *causâ* 16. *q.* 7. *c. illud* 8. *de Jure patronat.* Alioquin institutio erit ipso jure nulla, modò Patronus, cùm hoc sciret, institerit, & intra tempus ad præsentationem concessum egerit de contemptu. *d. c. decernimus.* Panorm. *in cit. c. illud & c. ex insinuatione de Jure patronat.* Felin. *in c. cùm Bertholdus* 18. *de Sent. & re jud.* Flamin. Paris. *de Resignat. benefic. lib.* 8. *q.* 10. *n.* 10. Zerola in *Prax. Episc. p.* 1. *V. jus patronatûs §.* 8. *dub.* 8. non obstante *d. c. illud in fin.* nam, ut Panormitanus interpretatur, ibi ejusmodi institutio irritanda dicitur, non de jure, sed de facto, quatenus defacto processit, & hoc, ut evitetur jurium correctio. Quòdsi ex postfacto Patroni consensus accesserit, subsistet talis institutio saltem ut ex nunc, etsi non ut ex tunc, sicut loquuntur DD. quia invalida tantùm est in favorem Patroni. Felin *d. c. cùm Bertholdus n.* 9. posse enim consensum tam in ipso actu, quàm post actum apponi, tenet Innocentius in *c. cùm consuetudinis* 9. *de Consuetud.* per *c. cùm nos* 3. *& ibi* Interpp. *de his quæ fiunt à Prælatis.*

Alterum est, ut ante institutionem nominatim vocentur contradictores, si qui appareant, vel si nullus talis adsit, edictum generale ad valvas Ecclesiæ affigatur, quo peremptoriè, si qui velint se opponere, citentur, ut statuto die ad locum institutionis faciendæ veniant, causas impugandæ præsentationis, aut impediendæ institutionis dicturi juxta *c. fin. de Elect. in* 6. ita ut his omissis nulla & irrita sit institutio in beneficiis tam simplicibus quàm curatis. Joan. Andr. Dominic. & Ancharan. in *cit. c. fin.* Gabriel *lib.* 1. *consil.* 199. *n.* 2. Lælius Zechus *de Benef. c.* 12. *n.* 27. Garc. *eod. tract. p.* 9. *c.* 4. *n.* 1. *& seqq.* ubi id pluribus Rotæ decisionibus confirmat. Rochus de *Jure patronat. V honorificum q.* 2. *n.* 5. *& q.* 38. *n.* 69. Nisi alicubi (ut passim est) consuetudo esset in contrarium. Lambertin. *de Jure patronat. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 14. quem secuta est Rota in *una Lamascen. beneficii* 21. *Junii* 1596.

Tertium requisitum est, ut Ordinarii, sive 16
ejus, qui jus instituendi habet, auctoritas interveniat. *l. ex frequentibus* 3. *h. t.* Trident. *sess.* 14. *de Reformat. c.* 13. *& sess.* 25. *c.* 9. Hâc auctoritate neglectâ si Patronus laicus Clericum in Ecclesia patronata instituere præsumat, excommunicabitur: & Clericus perperam institutus communione privabitur, atque si in delicto perstiterit, à ministerio Ecclesiastico, & ordine deponetur. *c. præterea* 4. *& c. relatum* 21. *de Jure patronat.* Insuper talis Clericus, si postea in illo, vel alio beneficio Canonicam institutionem impetrare velit, vitium intrusionis exprimere necessum habet, tanquam inhabilis ad beneficia redditus. arg. *c. quisquis* 43. *de Elect.* Panormit. *in d. c. præterea. n.* 2.

Cæ-

Cæterùm quo tempore facienda sit præsentati institutio, jure definitum non est, ut docet Gloss. *in c. quàm sit 6. V. quam citius de Elect. in 6.* Garc. *de Benef. p. 10. c. 4. n. 1.* Rebuff. *in Prax. tit. de Devolut. n. 6.* Rota *dec. 4. v. præterea nullum de Jure patronat. in novis.* Cels. *decis. 144. n. 10.* Quòd si tamen postquam debitè petita est institutio, diutius, v. g. ultra duos menses differatur, ejus, ad quem pertinet jus instituendi, Superior, puta Metropolitanus, Legatus, aut Nuntius, vel ipse S. Pontifex à præsentato implorandus est, quatenus præfigat certum terminum; intra quem si non instituerit, ipse supplebit defectum, ac negligentiam vel compellendo illum, vel per se ipsum instituendo. Garc. *cit. c. 4. n. 5.* Pirrhing *h. t. n. 19.*

§. VII.

17 *Finis* institutionis est, ut per eam beneficio patronato vacanti collationis locò provideatur, & quidem de Clerico, quem Patronus præsentavit.

§. VIII.

18 *Effectus* institutionis est, quòd sola titulum, sive jus plenum in beneficio tribuat Clerico, qui per præsentationem ad illud jus tantùm ad rem acquisivit. *c. si tibi absenti 17. & ibi* DD. *de Prabend. in 6.* Quapropter adeò necessaria est, ut si præsentatus sine hac beneficium patronatum occuparet, séque administrationi ingereret, nihil juris consequeretur, imò jure ex præsentatione quæsito ipsô factô privaretur arg. *c. avaritiæ 5. de Elect. in 6.* Quod non solùm obtinet in *electione*, de qua expresè loquitur, & in *postulatione* juxta *c. bonæ memoriæ 23. X. Eod.* sed etiam in *præsentatione*, ac persona præsentati, ut in *d. c. avaritiæ* post alios notat Franc. Gabriel *consil. 199. n. 3. lib. 1.* P. Engel *h. t. n. 2.* Garc. de *Benef. p. 11. c. 12. n. 216.* Id tamen hinc rectè desumi, negat Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 34. n. 15.* eò quòd *d. c. avaritiæ* constitutio pœnalis, consequenter ab electis ad Prælaturas, & dignitates pastorales, de quibus disserit, non sit porrigenda ad præsentatos ad inferiora beneficia.

§. IX.

19 *Affinis* huic institutioni est I. concessio curæ animarum, id est, approbatio Episcopi diœcesani in ordine ad curam animarum, quæ dicitur *institutio authorizabilis*, & communiter inter jura Episcopalia numeratur: licèt enim ex consuetudine, vel privilegio alicui præter Episcopum competat institutio, vel collatio beneficii, non tamen eò ipsò etiam exercitium curæ animarum dare potest Beneficiato, sed ab Episcopo obtinendum est, etiam prævio speciali examine, si ita visum fuerit Episcopo, *contrariis privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemoriali* (intellige de antecedentibus) *non obstantibus.* Trident. *sess. 23. de Reformat. c. 15.* cum quo concordat Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili de Anno 1622.* & Bulla Urbani VIII. *Cùm sicut accepimus de Anno 1628.* Nihilominùs hanc institutionem authorizabilem, instar aliorum jurium Episcopalium, à Prælatis inferioribus præscribi posse, probat Panorm. in *c. cùm non liceat 12. n. 17. de Præsc.* Barb. *de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 185. alleg. 127. num. 14.* Neque verò lex, quæ tollit consuetudinem contrariam generalem tollit particularem præscriptionem arg. *c. 1. de Constit. in 6.* item & privilegium facilius tollitur, quàm præscriptio: quia illud ex mera liberalitate descendit, hæc jure communi, & ex publica causa ad tollendas lites introducta est.

20 II. Investitura, seu actualis traditio, & introductio in possessionem beneficii, quæ *installatio*, aut *institutio corporalis* appellitatur, & fieri solet per occupationem actualem cujusdam rei ad illud beneficium pertinentis; ut puta per traditionem clavium, & introductionem in domum parochialem.

Hanc aliqui distribuunt in investituram *realem*, & *verbalem*, prout scilicet contingit vel per corporalem introductionem, vel tantùm per verba cum traditione alicujus signi; quam posteriorem existimant, non tribuere actualem possessionem, sed solùm jus ad illam. P. Engel *h. t. n. 5.* Illud certum est, quòd, si cui beneficium collatum sit, ejusdem actualem possessionem propriâ authoritate apprehendere nequeat sine Superioris authoritate, qui de jure communi est Archidiaconus. *c. ad hæc 7. c. ut nostrum 9. de Offic. Archidiac.* excepto casu, quo beneficium est litigiosum, & occupatum ab alio, quem proinde expelli oporteat: tunc quippe etiam actualis introductio ad Episcopum spectat, sicut & fermè universim hodie de consuetudine ei tribuitur. *c. licèt Episcopus 29. de Prabend. in 6.*

TITULUS VIII.

De concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARIA.

1. Definitur collatio. 2. Potestas conferendi beneficia è quo jure descendat? 3. 4. Quatenus competat S. Pontifici? 5. 6. Legatis? 7. 8. Episcopis, & Capitulis? 9. 10. Aliis Prælatis? 11. Laicis? 12. Beneficium cui conferendum? 13. usque 17. Ut conferri possit, debet esse vacans. 17. usque 26. non reservatum, aut affectum. 26. Nec patronatum. 27. usque 30. Assignantur collationis requisita. 30. finis 31. 32. effectus.

AB *institutione* non multùm quoque discrepat *concessio præbendæ*, seu, ut propriâ phrasi vocatur, *collatio*; imò in lata significatione institutionem comprehendit, ut advertit Rebuff. in *Prax. benefic. tit. Forma vicariatûs. n.* 127.

§. I.

1 *Definitur* collatio, quòd sit vacantis beneficii concessio gratuita, & omnino libera, seu absque alterius præsentatione, ac nominatione facta. P. Engel *de Instit. n.* 1.

§. II.

2 *Causa efficiens* collationis, seu concessionis præbendæ alia est *remota*, alia *proxima*.

Remota est jus Canonicum, quod Episcopis, aliisve Collatoribus facultatem tribuit, liberè, & sine alterius nominatione, aut præsentatione concedendi beneficium Clerico idoneo, cui libuerit, præscriptâ certâ formâ, ac solennitatibus.

3 *Proxima* sunt Collatores: S. Pontifex, Legati à latere, Episcopi, & Capitula, Abbates, aliique, quibus jus conferendi ex speciali fundatione, privilegio, aut præscriptione competit.

4 *S. Pontifex*, tanquam Ordinarius omnium Ordinariorum, supremam, eámque absolutam potestatem habet in omnibus beneficiis totius Orbis Christiani juxta *c. 2. de Prabend. in 6.* & *Clem. 1. Ut lite pendente.* Et quidem in primordio nascentis Ecclesiæ, ac circa primam beneficiorum divisionem solus Papa omnia conferebat, & nemo alius hanc potestatem habebat teste Tamburino *de Jure Abbat. tom. 3. disp. 9. q. 1. n. 1.* Flam. Paris. *de Resignat. benefic. lib. 1. q. 10. n. 47.* Crescente postea, & dilatatâ Ecclesia in partem sollicitudinis vocati sunt Episcopi, & facultatem plenissimam disponendi circa beneficia, quam Papa in toto mundo habebat, eandem in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis acceperunt juxta *c. 3. & 4. causâ 10. q. 1. c. omnes basilicæ causâ 16. q. 7.* atque in hoc rerum statu nulla beneficia specialiter Sedi Apostolicæ reservabantur, sed confusè nunc Papa, nunc Episcopus providebat, erátque locus præventioni, ita scilicet, ut si unus à Papa, alter ab Ordinario collationem accepisset, tempus datæ & collationis inspiceretur, & qui prior tempore, potior jure haberetur. Gonzal. *ad Reg.*

Reg. de Mensib. §. 1. *n.* 53. Quia verò hæc confusa collatio, & conferendi potestas causa multarum litium fuit, Summi Pontifices hanc potestatem nonnihil limitârunt, & quædam beneficia specialiter sibi reservârunt, vel verbaliter, nimirum in Corpore Juris, in Bullis Extravagantibus, in Regulis Cancellariæ, vel in specialibus Nationum Concordatis; vel per actum realem, nempe apponendo manus, & specialem gratiam singulari personæ concedendo, per quale factum beneficium tacitè censetur reservatum, & in jure *affectum* nuncupatur. Sed de his paulò post ampliùs.

4 Porrò in curia Romana beneficiorum collationes fiunt per signaturas, & vel in *forma gratiosa*, vel in *forma commissoria*, seu, ut vulgò dicitur, in *forma dignum*: à clausula: *Dignum arbitramur, & congruum.* Literæ sub *forma gratiosa* diriguntur ad eum, cui facta est gratia, & transeunt sub serico rubeo & croceo: literæ in *forma Dignum* diriguntur ad Executores, & bullantur cum chordulis cannabis. Clariss. P. Christoph. Döring. de *Jure Resc ipt. c.* 1. *n.* 10. cum Vital. in *Clem. fin. n.* 10. & 11. *de Rescript.* Illas qui obtinet, non est obnoxius ulteriori examini per proprium Ordinarium faciendo: quia signaturam *formæ gratiosæ* præcessit ipsius Ordinarii ad Pontificem scripta attestatio de Supplicantis idoneitate, prout consueta hujus signaturæ clausula indicat: *Orator testimonio Ordinarii sui de vita, & moribus, ac idoneitate commendatur.* Per istas Ordinarius jubetur impetrantem examinare, eique, si invenerit secundùm qualitates in rescripto expressas idoneum, conferre tale, vel tale beneficium: cùm dignum sit, & congruum, ut illis Sedes Apostolica se reddat gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Quò facit *Clem. un. h. t. Clem.* 1. *de Offic. deleg.* Rebuff. *in Prax. benef. tit. de Rescripto: dignum arbitramur. n.* 2. & 3. Felin. *in c. postulásti. colum.* 3. *de Rescript.* P. Christoph. Döring. *cit. n.* 10. Cæterùm provisiones Papales, & rescripta ad beneficia strictè interpretanda, finésque, & terminos eorum exactissimè observandos esse, dubitare non sinunt textus & exempla in *c. fin. X. c. quamvis plenissima* 4. *c. cùm in illis* 16. *c. cui de non Sacerdotali* 17. *de Præbend. in* 6. *Clem.* 1. *Eod.*

Legati Cardinales, seu à latere, ut qui in 5
Provincia sibi destinata S. Pontificem repræsentant, possunt conferre omnia beneficia vacantia illius Provinciæ. *c. dilectus* 6. *X. c. officii* 1. *de Offic. legati in* 6. *c. cùm dilectus* 28. *de Jure patronat. c. si à Sede* 31. *de Præbend. in* 6. & vacatura suæ collationi reservare. *c. præsenti* 3. *de Offic. legati in* 6. modò S. Pontifex ea conferre, aut reservare soleat: quoniam potestas Legati à latere, abstrahendo à speciali mandato non ampliùs se extendit, quàm potestas ordinaria Papæ. Quare excipiuntur dignitates, & beneficia electiva *c. deliberatione* 4. *Eod. in* 6. item illa, in quibus Laicis ex fundatione, dotatione, vel constructione (secus si ex privilegio tantùm, aut præscriptione) jus patronatûs competit: cùm juri patronatûs Laicorum S. Pontifex derogare non soleat, ne Laici à fundationibus avertantur, sicut nec impedire liberas electiones. Ex eadem ratione Legatus à latere non potest apud eundem Ordinarium binâ reservatione pendente in eadem Diœcesi facere alteram. *cit. cap. præsenti & ibi* Passerin. *n.* 16. & *seq.* Planè Legati nati, & missi, seu Nuntii Apostolici in conferendis beneficiis nullam potestatem habent, nisi eam specialiter à S. Pontifice acceperint, vel, quod aliquando fieri solet, *cùm potestate Legati de latere* mittantur. *d. c.* 1. & *ibi* Passerin. *n.* 5. & 6. *c.* 3. & 4. *de Offic. legat. in* 6.

Illud

6 Illud *indagandum*: num adhuc hodie in Germania Legati à latere talem potestatem circa collationem, & reservationem beneficiorum habeant? & verius videtur, quòd in Germania vix ampliùs beneficia conferre, aut reservare possint præter illa, quæ ex negligentia aliorum Prælatorum inferiorum ad Sedem Apostolicam devoluta sunt. *c. venerabilis* 37. *de Prabend. & Clem. si de beneficio.* 5. *Eod.* quandoquidem quoad reliqua beneficia Legatorum potestas magnoperè diminuta est, dum Nicolaus V. in *Concordatis Germaniæ* suo, & suorum Successorum nomine Friderico Imperatori, aliisque Principibus, & Prælatis Germaniæ expressè promisit, quòd in eorundem mensibus, & in beneficiis non reservatis nolit Ordinariorum collationem impedire. *Concord. German.* §. *de cæteris verò.* igitur neque Legati hoc poterunt præveniendo, vel reservando? Legati namque etiam à latere nihil possunt contra S. Pontificis pacta, quæ vim juris habent, cui utique subjecti sunt Legati Apostolici. Accedit communis regula, quòd legatus illa non possit, quæ S. Pontifex ordinariè facere non solet. Dissentit Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 3. *n.* 42. ubi per extensum refert decisionem Rotæ *in una Verdunen. Canonicatus* 6. *Martii & 19. Julii* 1595. *coram Pamphilio.*

7 *Episcopi*, *Archi-Episcopi*, & cæteri *Ordinis Episcopalis* Prælati intra suam Diœcesin conferre possunt omnia beneficia, in quibus jus contrarium aliis quæsitum non est: habent enim aliàs pro se intentionem in jure fundatam. *c. regenda* 4. *causâ* 10. *q.* 1. *c. omnes basilicæ* 10. *cum seq. causâ* 16. *q.* 7. *c.* 1. *de Capell. Monach. c. cùm ex injuncto.* 12. *in fin. de Haret.* ubi ad Episcopi officium tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum pertinere dicitur. Interdum tamen collatio beneficiorum non solùm ad Episcopum, sed simul ad Capitulum spectat, & vel æquè principaliter, quo casu alter sine altero beneficium conferre nequit, nisi alterutro mortuo, suspenso, aut excommunicato, vel saltem dependenter à consensu, aut consilio ejusdem Capituli, quo casu Episcopali Sede vacante, aut Episcopo suspenso jus conferendi in Capitulum non transit. *c. un. Ne Sede vacante.* ubi latè Passerin. & alii Interpp.

Singulare *dubium*, & ingens DD. *dissenso* 8
est, ad quem collatio præbendarum, & Canonicatuum Ecclesiarum Cathedralium pertineat?

Complures collationem hanc soli Episcopo attribuunt, eò quòd solus dispositionem eunctorum beneficiorum suæ Diœcesis habeat, eique de jure antiquo, ac dispositione Ecclesiæ potestas conferendi inferiores Ecclesias, & omnia beneficia suæ Diœcesis competierit per *jura citata*; à qua regula non esse recedendum, nisi in casibus, qui postmodum à jure fuerunt expressi, asserit Gloss. *in c. quanquam V. devolvetur. de Elect. in* 6. Discrepant autem, an Episcopus ejusmodi præbendas, ac Canonias cum consensu, vel consilio tantùm Capituli conferre debeat? Consilium tantùm postulat Hostiensis in *c. cùm Ecclesia*, 31. *de Elect.* cum aliis, quibus favet textus *in c. novit.* 4. *& seq. de his, quæ fiunt à Pral.* Consensum Capituli, vel saltem majoris partis illius exigit Duare. *de Benef. lib.* 3. *cap.* 4. Selva *eod. tr.* 2. *p. q.* 22. *casu* 4. *n.* 12. quibus suffragatur *c. ea noscitur.* 6. *de his, quæ fiunt à Prælat.*

Receptior sententia vult, Canonicatus, & præbendas Ecclesiarum Cathedralium pertinere ad provisionem Episcopi, & Capituli simul, ac æquè principaliter. Gloss. *in cit. cap. cùm Ecclesia* 31. *V. postulavit de Elect.* Abbas *ibid. n.* 9. Fagnan. *n.* 11. *& seq.* Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 3. *n.* 13. *& seqq.* ubi plures decisiones Rotæ allegat. Lotter *de Benef. lib.* 2. *quæst.* 21. *n.* 8. Propterea quia in *d. c. cùm*

Ec-

Eccleſia 31. *de Elect.* reprobatur petitio Epiſcopi Vulterani electionem Canonicorum ſibi ſoli relinquendam petentis, & poſtea primùm ſubditur: maximè ſi ſit notorium, quòd ex generali conſuetudine ſolùm Capitulum, irrequiſitô Epiſcopô, eligendi Canonicos habeat facultatem; facili argumento, quòd ergo abſtrahendo à conſuetudine, nec ad Epiſcopum ſolùm, nec ad ſolum Capitulum, ſed ad utrumque ſimul electio, ſeu creatio Canonicorum ſpectet. Nec ſinè ratione: ſiquidem non minùs principaliter Canonicorum intereſt, quàm Epiſcopi, habere bonos Collegas.

Verùm quidquid circa hanc partem theoricè poſſit diſputari, vel ex jure communi, vel ex ratione: hodie attendenda ſunt ſtatuta, privilegia, fundationes, pacta conventa, uſus, & obſervantia cujusque Eccleſiæ, quarum in pluribus Canonicatus conferuntur à ſolo Epiſcopo, cum conſenſu duntaxat, aut conſilio Capituli; in multis ab Epiſcopo, & Capitulo ſimul, ita ut in concurſu Epiſcopus unam, & major Capituli pars unam ſimiliter vocem faciant, adeóque ſi diſcordent, nullius collatio ſubſiſtat: Panormit. *in cit. c. cùm Eccleſia.* n. 11. Novar. *conſil.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat.* in aliquibus à ſolo Capitulo, & vel ab omnibus, vel à ſingulis Canonicis: nam ut facilius provideatur Eccleſiis, fieri ſæpiùs ſolent alternativæ præſentationes, & collationes, quæ dicuntur per *Turnum* fieri, eæque in Metropolitana hac Salisburgenſi, & in multis Eccleſiis Gallicanis obtinent, teſte Gloſſ. in *c. fin. de Præbend. in 6.*

9 Eâdem, quâ Epiſcopi, beneficia conferendi poteſtate potiuntur *Abbates*, & *Prælati*, qui proprium habent territorium, & jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, ſicque non tantùm quòad ſe, & ſua Monaſteria, ſed etiam quòad ſubditos ſæculares à jurisdictione Epiſcopi exempti ſunt: quippe tales de jure quoque communi omnia beneficia ſui territorii conferre queunt. Panormit. in *c.* 31. *num.* 4. *de Præbend.* Tambur. *de Jure Abb tom.* 3. *diſp.* 9. *q.* 1. *n.* 2. Barb. *J. E. U. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 102. ubi *n.* 94. generaliter advertit, ejusmodi Abbates in jurisdictionibus poſſe regulariter omnia, quæ Epiſcopi poſſunt in ſua diœceſi. Aliis *Prælatis* jurisdictionem ordinariam in aliquod territorium non exercentibus, & quibusvis perſonis Eccleſiaſticis jus conferendi beneficia nonnunquam competit ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine, aut præſcriptione 40. annorum cum titulo, aut temporis immemoralis ſinè titulo. *Clem. un. de Supplend. neglig. Prælat. c. ex tenore* 13. *h. t.* juncto *c.* 1. *de Præſcript. in* 6. Pirrhing. *de Præbend. n.* 86. Flam. Pariſ. *de Reſignat. benef. lib.* 8. *q.* 9. *n.* 23. Quin imò ſi ſint in quaſi poſſeſſione juris conferendi beneficia, licitè & validè ea conferre poſſunt, ita ut Clerici ab iis proviſi collatione acceptatâ à beneficiis removeri nequeant, quantumvis poſtea conſtet, aut legitimè probetur, jus conferendi non ad Poſſeſſorem, ſed ad alium pertinuiſſe. Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 5. *n.* 57. ſinè dubio ideo: quia ex una parte collatio eſt quidam fructus juris conferendi, fructus autem percipit bonæ fidei Poſſeſſor, nec eos conſumptos reſtituere tenetur; *l. bonæ fidei.* 48 *ff. de Acquir. rer. dom.* ex altera hoc ipſo, quòd proviſi per acceptationem collationis jus in re, & proprietatem beneficii acquirant, collatio jam effectum ſortita, & juris conferendi fructus conſumptus cenſetur. *c. ſi tali.* 17. *de Præb. in* 6. Nec obſtat, quòd proprietas abſorbeat cauſam poſſeſſionis, quando de proprietate clarè conſtat. *c. cùm dilect.* 6. *d. Cauſa poſſeſſ. & propriet.* nam id procedit reſpectu futurorum eventuum, non reſpectu præteritorum. Garc. *l. c. n.* 58. contra Panormitanum.

Expedienda hic eſt *quæſtio*: num etiam Laici per viam conſuetudinis, aut præſcriptionis jus conferendi beneficia acquirere poſſint? 11

Ratio dubitandi est, quòd jus hoc Principes sæculares privilegio Apostolico obtinere possint. arg. *c. dilectus. 34. de præbend. & ibi* Barb. *num.* 4. & multi defacto obtinuerint: enimverò Imperatores Romanorum habent jus primarum precum, vi cujus in singulis Germaniæ Ecclesiis petere possunt, ut persona, quam nominant, recipiatur: Reges Galliæ sibi jus usurpant, vi cujus vacante Sede fructus beneficiorum Ecclesiasticorum percipiunt, eaque conferunt: Reges Neapolitani habuêre jus nominandi Episcopos in quadraginta Ecclesiis Cathedralibus, ut post alios testatur HermanHermes in *Fascic. Juris publ. c.* 11. *n.* 6. *&* 10. Privilegio autem parem vim habent consuetudo, & præscriptio saltem immemorialis juxta textum, & Gloss. in *c. super quibusdam. 26. de V. S.* & in *l. hoc jure. 3. §. ductus aquæ. 4. ff. de Aqua quotid. & astiv.* ita ut nec ullus titulus unquam requiratur. *c. 1. de Præscript. in 6.*

Nihilominùs per consuetudinem, aut præscriptionem, quamvis immemorialem, Laicos simile jus acquirere non posse, jam pridem in rem judicatam transiit; optimâ ratione quia laicus sine privilegio capax non est possessionis juris conferendi beneficia arg. *c. sacrosancta. 51. de Elect c. causam. 7. de Præscript.* sine possessione autem præscriptio non procedit *c. 3. de R. J. in 6.*

Undesua sponte ruit ratio dubitandi, quandoquidem in iis, quæ sine privilegio possideri non possunt, præscriptio temporis immemorialis, cùm nulla sit, vim privilegii non habet. Panormit. in *c. novit. num. 22. de Judic.* etsi quando cum immemoriali tempore concurrit fama privilegii Apostolici nonnunquam obtenti, ob ejus exhibendi difficultatem Laicus in exercitio juris conferendi sit relinquendus, donec eam famam falsam esse constet. Felin. in *d. c. causam. 7. num. 7. de Præscript.* Layman *ad c. 1. de Elect. n.* 15.

§. III.

Subjectum collationis sunt, quibus præbendæ, ac beneficia vacantia conferuntur. Debent autem beneficia non nisi merentibus, ac virtuosis conferri. *c. grave nimis. 29. de Præbend.* & ex dignis digniotibus, præsertim si beneficia sint curata. Sic enim decernit Concilium Tridentinum. *sess. 24. c. 1. de Reform. In primis meminerint, nihil se ad DEI gloriam, & populorum salutem utilius facere posse, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant: eósque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Sed audi, quid Satyricus Poëta occinat:

Quartuor Ecclesias portis intratur in omnes,
Cæsaris & Crœsi, Sanguinis, atque DEI:
Prima patet Magnis, *&* Nummis altera, Charis
Tertia, sed paucis quarta patere solet.

§. IV.

Materia, sive *objectum* collationis est beneficium, quod confertur. Ut autem conferri possit.

Requiritur I. Ut vacet, hoc est, ut possessore, vel beneficiato destituatur: id quod tripliciter fieri posse, notat Henr. Zoës. *h. t. n.* 1. cum P. Engel *n.* 2. Aliquando enim beneficium vacat, & beneficiato destituitur *de facto tantum*, videlicet quando de facto nemo est in possessione actuali beneficii, sed solùm adest aliquis beneficiatus, qui titulum & jus ad beneficium habet, ut quando beneficiatus est vi dejectus, aut injusto metu adactus beneficium resignavit. Sed hæc vacatio ad collationem non sufficit, neque propterea beneficium alteri concedi potest, cùm qui per vim, aut metum possessionem de facto amisit, re-

regressum, & beneficium restitutionis in integrum habeat juxta *c. 2. & seqq. de his, quæ vi, metúsve causa.* Interdum vacat *de jure tantùm*; ut si quis detinet beneficium ex collatione illius, qui jus conferendi non habuit, vel si quis de facto in possessione maneat, illius beneficii, quo propter delictum, aut susceptionem secundi beneficii incompatibilis ipso jure privatus est. Est hoc casu licèt absolutè loquendo beneficium tale tanquam à parte rei vacans, conferri, & impetrari queat debet tamen in impetratione fieri mentio, beneficium ab alio de facto, et sine jure, occupari; aliàs rescriptum impetratum, & collatio subsecuta nihil valet. Textus & DD. in *c. cùm nostris. 6. h. t.* Item hoc casu non potest Episcopus novum beneficiatum in corpòralem possessionem beneficii introducere, nisi priùs vocato, & examinato possessore, an fortè jus aliquod retinendi beneficii possessionem habeat. *c. licèt. 28. de Præbend. in 6.* Sæpiùs autem beneficium vacat *de jure, & de facto simul*: utcùm nec titulus, nec possessio beneficii apud aliquem est, qualiter vacare censentur beneficia per mortem, aut liberam resignationem Beneficiati. Item huc referenda sunt beneficia, quæ quidem de facto ab aliquo detinentur sed prorsus sine specie juris, & sine omni titulo etiam colorato: quoniam ejusmodi beneficia, instar beneficiorum tàm de jure, quàm de facto vacantium, liberè conferri, & impetrari possunt, nec in impetratione, vel rescripto de tali possessione mentio fieri debet juxta textum, & Panormitanum in *c. literas 9. h. t.* quod hâc ratione cum *d. c. cùm nostris. 6. Eod.* in speciem contrario conciliatur.

14 Itaque beneficium Clerici viventis & possidentis, antequam vacet, conferri nequit, & qui vivo, & non legitimè privato Sacerdoti se successorem substitui patitur, ab Ecclesiæ communione repellendus est. *c. qui in vivorum 1. h. t.* Imò tale beneficium nec promitti potest in tempus, quo vacare incipiet, ne mortem proximi quis desiderare videatur. *c. nulla. 2. c. ex tenore. 13. Eod.* quod improbum, & bonis moribus repugnat. *l. fin. C. de Pactis.* Et licet in *c. accedens. 14. h. t.* distinguatur promissio beneficii, *cùm poterit conferre Prælatus*: ab ea promissione, *cùm vacabit beneficium*; omnis tamen promissio, per quam datur via ad beneficia vacatura, est damnata à Bonifacio VIII. in *c. detestanda. 2. Eod. in 6.* eò quòd sub hujusmodi pallio verborum generalium in effectu latere videatur promissio beneficii primò vacaturi contra Decretum Concilii Lateranensis in *cit. c. nulla. 2.* relati, & inducti votum captandæ mortis non minùs, quàm si in specie beneficium primò vacaturum promitteretur. Unde & Trident. *sess. 24. de Reform. c. 19.* statuit, mandata de providendo, & gratias, quæ *exspectativæ* vocantur, nemini amplius, ne quidem Collegiis aut Universitatibus ad vacatura beneficia concedenda esse, in tantùm ut reprobet etiam *exspectativas*, & *reservationes mentales*, quibus Papa beneficium vel in genere, vel in specie per Bullam, aut per Breve reservabat personæ certæ, quam non exprimebat, sed in mente retinebat.

Dubitanti cuidam, quid *sentiendum* de pra- 15
xi, quà passim etiam timorati personis sibi probatis & charis, cùm pro beneficio supplicant, oretenus, vel scripto promittere solent, *se, cùm poterunt, gratificaturos, eósque voti compotes facturos, & vacante tali, vel tali beneficio neminem alium promoturos?* peroptimè respondet Henric. Wagnereck in *d. c. nulla h. t.* vel ejusmodi loquendi modis & gratiis etiam scripto factis solummodo spem, non rem ipsam, aut istius obtinendæ jus tribui, ut proinde promittens ad præsentationem, aut collationem faciendam non obligetur, & beneficium, cùm vacaverit, alteri sine injuria, & non obstante appel-

appellatione conferre possit juxta *cit. c. relatum. 3. Eod.* vel Canones contrarios non esse ubique in tanto rigore receptos: cùm in quibusdam Universitatibus studiorum generalium ad Gradus Academicos promoti ad Beneficia primò vacantia nominentur, teste Zoël. *h. t. n. 9.* in Ecclesia Salmantina ex immemoriali tempore, & à Pio IV. confirmata consuetudine duo Canonici supernumerarii eligantur, teste Barb. in Trident. *sess. 24. c. 19. de Reform. n. 3.* Addit Henr. Wagnereck *ut supra* quarundam Ecclesiarum more *Canonicos exspectantes* canonicatus vacaturos apertè admitti, & Calendariis inseri, prout in Ecclesia Cathedrali Constantiensi aliquot Nobiles suscipiuntur.

16 Porrò ad refrœnandas ambitiones, & fraudes supplicantium, qui advertentes, Beneficiario ægrotanti spem reconvalescentiæ præcisam esse, præproperè ante mortem ipsius ad S. Pontificem pro impetrando beneficio recurrunt, duæ *Regulæ Cancellariæ* prodierunt. *Prima*, quæ inscribitur *de non impetrando beneficium per obitum viventis*, est, quâ in ordine 21. cavetur, quod si quis impetraverit rescriptum, ut sibi provideatur de beneficio, tanquam per obitum alicujus, tunc viventis, vacante, etiamsi postea per obitum vacet, provisio, & quævis dispositio, dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. *Altera* est 30. in ordine, quæ vocatur *de verosimili notitia*, eâque cavetur, impetrationem cujuscunque beneficii sive simplicis, sive curati, sive sæcularis, sive regularis per obitum vacantis, irritam esse, nisi post obitum, & ante datam literarum Apostolicarum congruum tempus effluxerit, intra quod verosimilis notitia obitûs ad S. Pontificem pervenire potuerit. Ad quam regulam Rebuff. *glosâ 6.* dicit præmaturas hujusmodi provisiones ita nullas esse, ut nec post triennium juvent, cum neque titulum coloratum habeant, ut exigit *Regula de Triennali. 36.*

II. Ad hoc, ut beneficium conferri possit, *requiritur*, ut non sit S. Pontifici *reservatum* vel *affectum*. quippe si defacto simile beneficium ab inferiore Collatore etiam bonâ fide atque ex ignorantiâ sive juris, sive facti conferatur, collatio omninò nulla est, consequenter omnia in pristinum statum reponenda sunt, adeo ut Beneficiatus, si in dimittendo beneficio reservato difficilem se non præbeat, liberè reverti possit ad priora beneficia intuitu ejusmodi collationis fortè resignata, quanquam hæc aliis jam fuissent collata, *c. si postquam. 13. c. si beneficia. 20. de Prabend. in 6.*

Ex *beneficiis* speciali Pontificis collationi 17
reservatis aliqua reservata sunt *jure communi*, aliqua *jure extraordinario*.

Jure communi reservata dicuntur, quorum 18
reservatio continetur in Corpore juris communis; qualia sunt beneficia eorum, qui propter quodcunque negotium, vel causam pertractandam in Curia Romana, seu apud Sedem Apostolicam versantur, & ibidem, vel à Curia recedentes in loco vicino, id est, non distante ultra duas diætas legales (pro diæta computatis 20. milliaribus Italicis, sive 4. aut ad summum 5. Germanicis, arg. *l. itinere. 3. ff. de V. S. l. 1. ff. Si quis cautionib.* Clariss. P. Christoph. Döring *de Jure Rescript. c. 4. n. 6.*) moriuntur. *c. licet. 2. c. statutum. 3. c. præsenti. 34. de Prabend. in 6 Clem. si duobus. 1. Ut lite pend.* Et hoc procedit de ipsis quoque Curialibus, id est, Curiæ officialibus, licèt forsan Ecclesia Romana vacet, & ad locum Curiæ vicinum recreationis, vel ex alia quacunque causa ad tempus recedant modò non habeant ibidem domicilium. *d. c. præsenti. 34. §. idem est.* Quòd si quis non ratione Curiæ commoretur in loco, ubi S. Pontifex, ac consequenter Romana Curia est, vel in loco vi-

ci-

cino, sed ibi domum, & domicilium habeat, tunc quamvis ibidem moriatur, beneficium propterea non cadit sub hanc reservationem. *d. c. præsenti. §. sanè.* Certè si contingit, S. Pontificem aliò Sedem, ac Curiam suam transferre, & Curiales, qui eandem sequi tenentur, in itinere, aut in priori loco Curiæ, forsitan ob infirmitatem remanentes, mori, eorum beneficia reservata sunt, & apud Sedem Apostolicam vacant, utut locus ultra duas diætas à Curia distet. sæpe *d. c. præsenti. in fin.* & *ibi* DD.

19 *Jure extraordinario* illa beneficia *reservata* censentur, quæ reservata sunt per *Extravagantes*, *Regulas Cancellariæ*, *Nationum Concordata*, aut *speciales Bullas Pontificias*.

Per *Extravagantes* reservata sunt I. beneficia, quæ vacant per assecutionem alterius cum primo, seu priùs obtento incompatibilis, modò adeptio possessionis secundi sit pacifica. *extravag. execrabilis. de Præbend. apud Joann. XXII.* II. Ea, quæ vacant per mortem Cardinalium, Officialium, & Familiarium Papæ, ubicunque tales decedunt; ut etiam beneficia Legatorum, & Collectorum Ecclesiæ Romanæ, causarum Auditorum, aliorúmque Officialium. *extravag. ad regimen.* 13. *de Præbend. inter commun.* III. Omnia beneficia sæcularia, & regularia etiam electiva eorum, qui authoritate Pontificiâ sublimiores Ecclesia beneficia, ac officia tempore promotionis suæ obtinebant. *d. extravag. ad regimen.* IV. Illa, quorum vacatio in Curia, sive Romæ inducitur per translationem, depositionem, privationem, electionis aut postulationis cassationem, aut alium modum amittendi beneficia. *d. extravag. ad regimen.* idque etiamsi aliquis per contumaciam Romæ non sit, modò sententia Romæ feratur in contumacem. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. glos.* 13. *n.* 45. V. Quæcunque beneficia, quæ in manus Papæ resignantur. *d. extravag. ad regimen.* quamvis resignatio per Procuratorem fiat, & Beneficiatus longissimè distet. Covar. *pp. qq. c.* 36. *n.* 4. Gloss. *in Clem.* 1. *Ut lite pend.* Quin etiam illâ, quæ in Curia, sive civitate illa, ubi Papa degit, in manus proprii Episcopi casu ibidem commorantis renuntiantur. Covar. *Var. Resol. c.* 20. *n.* 9. Gonzal. *d. gloss.* 13. *n.* 43.

In *Regulis Cancellariæ* complures *reservationes* reperire est. 20 Ecquidem in *prima* renovatur reservatio beneficiorum *extravag. execrabilis. & extravag. ad regimen. citt.* atque novissimè in *eadem* quoque reservata sunt beneficia contra formam Concilii Tridentini collata; ut si Episcopus contulit beneficium curatum ei, qui non est 25. annorum contra Trid. *sess.* 7. *c.* 3. vel beneficium simplex minori annis 14. contra Trident. *sess.* 23. *c.* 6. Barb. *de Offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 80. In *secunda* reservantur generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primitiales, Archi-Episcopales, & Episcopales, nec non & Monasteria Virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri excedentia. Quam regulam Pius V. & Successores novâ reservatione auxerunt, omnium nempe beneficiorum, quæ vacare incipiunt in interregno post mortem Episcopi, vel Abbates, ad quem aliàs collatio spectaret, antequam Successor eligatur. Quod verò etiam Monasteriorum mentio fiat, id non de omnibus sed solùm de Monasteriis in commendam dari, & consistorialiter conferri solitis accipiendum, docet Chokier ad *d. Reg.* 2. *in fin.* Quo jure Germania utatur, dicemus *num.* 22. In *tertia Regula* reservantur dignitates majores post Pontificales in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non principalis in Collegiatis Ecclesis valorem decem florenorum auri excedentes, non quidem omnes, sed una in singulis, quæ prima est, sive Præpositura, sive Decanatus,

sive quocunque alio nomine appelletur. Gonzal. *gloss.* 9. §. 4. *n.* 11. P. Engl *de Præb. n.* 23. item omnes Prioratus, Præposituræ, & Dignitates Conventuales Ordinum quorumcunque. Quod tamen rursus de Prioratibus in commendam dari solitis intelligit, & sic declaratum esse, testatur. Barb. *cit. loc. n.* 105. Per *regulam quartam*, *quintam*, & *sextam* reservantur omnia beneficia Collectorum, Curialium, Cubiculariorum, vel Cursorum Pontificiorum. In *septima* reservantur omnia beneficia, & Canonicatus Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, SS. Petri, & Pauli, ac B. Mariæ Majoris in Urbe Romana, sicut & quæcunque beneficia ad collationem Cardinalium spectantia casu, quo illos à suis Titulis, vel Episcopatibus tempore vacantiæ abesse contingit. Demum in *Regula octava* distinctio Mensium introducta est, ut nimirum etiam beneficia præcedentibus Regulis non Comprehensa Ordinarii Collatores conferre tantùm possint, si vacare incipiant *Mense Martio*, *Junio*, *Septembri*, & *Decembri*; reliquis *octo Mensibus* quocunque modo vacantia, dummodo non per resignationem in manus Ordinarii vacare incipiant, universaliter collationi Sedis Apostolicæ reservatis. Hodie ad hanc Regulam SS. Pontifices addere solent unam exceptionem, & gratiam specialem pro Episcopis residentibus, ut videlicet, quàm diu verè personaliter in sua Ecclesia, vel Diœcesi residerint, non tantùm prædictis Mensibus, sed alternativè cùm S. Pontifice beneficia Mensibus *Februarii*, *Aprilis*, *Junii*, *Augusti*, *Octobris*, & *Decembris* vacantia conferre queant. Quæ alternativa in Germania indistinctè omnibus Episcopis per *Concordata* concessa est.

21 Frequens *disceptatio* est: quid juris sit circa beneficia per Regulas Cancellariæ reservata Sede Apostolicâ vacante.

Videbitur fortassis, vacante Sede Papali, omnem cessare beneficiorum reservationem in illis Regulis contentam, & per consequens beneficia ejusmodi per Episcopos, aliosve Collatores ordinarios liberè conferri posse: ea namque Regularum Cancellariæ natura est, quòd tantùm ad vitam Summi Pontificis durent, & cum ipsius morte exspirent, nullámque vim obligandi habeant, donec à Successore reassumantur, & renoventur, per text. in *proœm. Regular.* ibi: *quas etiam tunc suo tempore*, id est, tempore Pontificatûs sui, *observari voluit.* Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell.* §. 5. *Proœm. n.* 2. *& seqq.*

Ego hanc difficultatem dissolvendam existimo cum distinctione, ut si reservatio inducatur ratione temporis, quomodo beneficia vacantia Mense Januarii, Martii &c. reservata esse diximus, talia beneficia Sede vacante ab Ordinariis conferri possunt, modò vacatio non contigerit vivo adhuc Pontifice, & ita jam antecedenter reservatione affecta fuerit, sicut ex *Regula* 10. *Cancellaria* tradit Gonzal. *d. §. 5. n.* 84. & modò Ordinarii illa beneficia tempore Sedis vacantis contulerint, quia in *Regula* 68. sibi S. Pontifex reservat omnia beneficia aliàs per regulas reservata, quæ vacârunt Sede papali vacante, nec interim per Ordinarios de iis dispositum, seu minùs validè dispositum fuit, ut refert P. Engl *de Prabend. num.* 45. Sin verò reservatio inducatur ratione Personarum beneficium aliquod obtinentium, vel ratione ipsorum beneficiorum, quomodo reservantur beneficia officialium & familiarium Papæ; item primæ Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, ac Collegiatarum, tunc etsi vacatio contingat Sede Apostolicâ vacante, hujusmodi tamen beneficia collationi futuri Pontificis, reservata maneant, & ab Ordinariis conferri nequeant: eò quòd ipsorum reservatio non primùm Sede vacante, & postquam Regulæ Cancellariæ exspirârunt, inducta sit, ut in-

du-

ducitur reservatio Mensium, sed antea, vivente adhuc Papâ, affecta, & reservata fuerint, tunc scilicet, quando Beneficiatus factus est Officialis Pontificius, vel quando in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata fundata, & authoritate Papali erecta fuit prima dignitas Confer Gonzal. *loc. cit. num.* 46. Barb. *de Offic. & potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 62.

11 Quæ beneficia in *Concordatis Galliæ*, aut aliarum *Nationum* reservata sunt, alii disquirant. Vi *Concordatorum Germaniæ*, quæ Anno 1447. inter Nicolaum V. & Fridericum III. celebrata sunt. I. Reservantur beneficia Cardinalium, & Officialium Sedis Apostolicæ vacantia per illorum obitum, si tamen illa beneficia actualiter, cùm morerentur, tenebant, & inter illos Officiales fuerint, quorum in Concordatis fit mentio: item omnia beneficia, etiam Dignitates quæcunque si per obitum in Curia, vel in vicinia duarum diætarum vacare incipiant, aut si vacatio in Curia inducatur per privationem, vel depositionem, electionis sive postulationis cassationem, renuntiationis acceptationem, promotionem auctoritate Pontificis ad Patriarchalium, Archi-Episcopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, ac Monasteriorum Regimina, aut assecutionem pacificam beneficii incompatibilis per Pontificem immediatè collati. II. In Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus quibuscunque etiam non immediatè Sedi Apostolicæ subjectis non quidem collatio, sed confirmatio indistinctè reservatur, ita ut si intra tempus in *c. cupientes* 16. *de Elect.* in 6. præfixum petita non sit, vel si electio præcedens minùs canonica fuerit, ad Sedem Apostolicam provisio devolvatur. Similiter in Monasteriis immediatè Sedi Apostolicæ subjectis, ut in Ecclesiis Cathedralibus, libera electio Religiosis conceditur, confirmatio verò Papæ reservatur; at in aliis Monasteriis nec pro confirmatione Abbatis S. Pontificem adeundum esse decernitur, ipsáque beneficia regularia sub exspectativis gratiis non cadere declaratur. III. Quò ad alias dignitates & beneficia quæcunque hactenus dictis reservationibus non comprehensa promittit S. Pontifex, quòd nullatenus impedire velit, nec per gratias exspectativas; nec per quamcunque aliam reservationem, vel dispositionem, sub quacunque verborum forma authoritate Apostolicâ factam, vel faciendam, quò minus Ordinarii, ad quos alias collatio, præsentatio, vel electio spectat, liberè de iisdem disponere possint, si quidem vacare incipiant Mensibus *Februarii*, *Aprilis*, *Junii*, *Augusti*, *Octobris*, *aut Decembris*. IV. Econtra beneficia reliquis 6. Mensibus *Januarii*, *Martii*, *Maii*, *Julii*, *Septembris*, *& Novembris* vacantia specialiter suæ collationi reservat, cum eo moderamine, ut si Beneficiatus in Mense Papali decesserit, & intra tres Menses à die notæ vacationis in loco beneficii non appareat, quòd alicui authoritate Apostolicâ de tali beneficio provisum sit, ex tunc Ordinarius, ad quem aliàs spectat provisio, pro arbitrio conferre queat. Excipiuntur ab hac alternatione specialiter majores dignitates post Pontificialem in Ecclesiis Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis, quæ quocunque mense vacent, ad solius Pontificis provisionem pertinent, ac proinde in his quoque in Germania, nisi specialia privilegia alicubi habeantur, observanda erit supradicta Regula 3. Cancellariæ teste Brandano in *Conc. Germ. notab.* 1. *n.* 9. & Laurentio Nicolarts *eod. tr. lit.* 1. *§.* 12.

Haud immeritò *ambigitur*: utrum Sede 28 Apostolicâ vacante prædictæ reservationes cessent, ita ut Ordinarii beneficia tunc vacantia liberè conferrè possint? Id quod in Ecclesiis Parochialibus permissum esse, perspicuè constat ex *c. si Apostolicâ* 35. *de Præbend.* 6. eò quòd vacatio & mora conferendi Parochias

chias admodum periculosa, & animabus damnosa sit. Neque *hoc cap.* correctum est per *Concordata Germaniæ*, ut quæ, licet non exspirent morte Pontificis, sicut Regulæ Cancellariæ, sed perpetuam, & continuam habeant obligationem, adeóque etiam Sede vacante; non tamen aliter habent, quàm à parte rei expresè fuit in pactum deductum, reservatio autem Sede vacante in pactum minimè deducta fuit, cùm ante Concordata nulla lis, aut discordia fuerit de Parochiis Sede Apostolicâ vacante conferendis. Unde & perpetuitas obligationis Concordatorum tantùm procedit ex suppositio, quod Sedes Apostolica non vacet. Accedit, quòd in *Concordatis* prædictis non sint novæ reservationes introductæ, sed potiùs antiquæ multùm limitatæ: & incongruè dixisset Nicolaus V. in *Bulla Concordatorum. in princ.* quòd eadem Concordata non tantùm Sedi Apostolicæ, sed *ipsi Nationi Germanicæ sint utilia, & salubria.* Quantùm ad beneficia non curata, an eorum reservatio per Concordata ita perpetuetur, ut si incipiant vacare Sede Papali vacante, conferri nequeant, sed futuro Pontifici reservari debeant? Affirmant Barbos. *de Offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 75. *sub n.* 62. negat P. Engl *de Prabend. n.* 49.

24 Per *bullas novas*, seu *speciales* reservantur I. quæcunque beneficia propter crimen hæresis vacantia per Bullam Pii V. *Cùm ex Apostolatûs officio.* II. Beneficia vacantia propter crimen simoniæ, & simoniacas resignationes, sive, ut loquuntur, beneficia in confidentiam recepta per Bullam Pii V. *Romanum Pontificem,* III. Parochiæ non collatæ secundùm formam Tridentini *sess.* 24. *de Reform. c.* 18. per Bullam ejusdem Pii V. *In conferendis.* IV. Beneficia resignata, quorum publicatio, ut fieri deberet, non est facta in Ecclesia beneficii, & Cathedrali præsente populo juxta formam præscriptam in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, *Humano vix judicio,* V. Beneficia offendentis litigantes in Curia Romana, eorúmque advocatos. Judices, & Testes, sivè litigetur circa causam Profanam, sive circa beneficialem; sive offensio fiat minis sivè verberibus, aut invasione, juxta constitutiones Alexandri VI. quæ incipit: *In eminentia.* Plures alias ejusmodi reservationes consultò omitto, utpotè infrequentes, & in Germania inusitatas propter specialia Concordata, quibus per Regulas Cancellariæ, vel alias Bullas posteriores SS. Pontificum non derogatur, tum propter adjectam clausulam derogatoriam, quòd in perpetuum valere debeant, *nisi in futuro Concilio de Consensu Nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum:* tum quia tametsi non habeant rationem contractûs, aut pacti propriè dicti, adeóque concedendum sit, posse S. Pontificem his Concordatis derogare, habent tamen rationem privilegii & statuti specialis, quæ non tollit lex posterior, nisi quatenus exprimit per *c. cùm ordinem. 6. de Rescript. & c.* 1. *de Constit. in* 6. Dissentit Brandenb. in *Concord. German. q.* 10. *num.* 8.

Cæterùm generaliter advertendum est, *reservationes*, de quibus diximus, non extendi ad beneficia, quæ sunt de jure patronatûs Laicorum, quod habent ex fundatione, dotatione, aut constructione Ecclesiæ, ne alioquin laici à fundationibus absterreantur. Gloss. in *c.* 2. *V. collatio de Prabend. in* 6. imò neque ad beneficia juris patronatûs mixti, quod scilicet uni, vel pluribus ratione patrimonii, alteri autem ratione Ecclesiæ simul competit; eò quod æquum haud sit, ut Laicus propter mixturam Clerici privilegium suum perdat, cùm in re individua quis præjudicium pati, & privilegium suum amittere non debeat propter societatem alterius non privilegiati. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 18. *n.* 12. Chokier *ad eand. Reg.* 8. *gloss.* 1 *n.* 3. Di-

Diversum obtinet in jure patronatûs mixto, & multò magis simplici, si id Laico solùm competat ex privilegio, vel præscriptione, uti etiam jure patronatûs Ecclesiasticis competente. Laurent. Nicolarts in *Concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 5. *n.* 7. *&* 16. Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 1. §. 11. *n.* 552. P. Engel *de Prabend. sub n.* 8. ubi à reservationibus quoque excipit beneficia manualia, quia ob revocationem conferentis non sunt perpetua. Barb. *de Offic. potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 28. *cum seqq.* ubi similiter excipit beneficia Mensæ Prælatorum, vel Monasteriorum pleno jure in perpetuum incorporata, eò ipsò quòd nunquam vacare censeantur, & tantùm per Vicarios administrentur.

25 *Reservatis* similia sunt *beneficia affecta*; qualia dicuntur, quibus Papa manum ad effectum conferendi aliquando apposuit. Hæc, etsi aliàs reservata non sint, ab Ordinariis tamen Collatoribus conferri nequeunt, donec Papæ provisio, seu collatio effectum consecuta fuerit. *arg. cap. ut nostrum* 56. *de Appellat.* idque licèt provisio facta per Papam sit nulla, vel nequeat sortiri effectum ob incapacitatem, ac defectum impetrantis. Pyrr. Conrad. in *Prax. Benefic. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 67. *per d. c. ut nostrum.* Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 48. *n.* 15. ideo: quia affectio ex appositione manûs Papæ implicat specialem reservationem juxta text. in *Extravag. ad Romani Pontificis* 14. *v. Romani quoque de Præb.* Lotter *de Re Benef. lib.* 2. *q.* 26. *n.* 28. *& seqq.* Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 45. *per tot.*

Quamvis autem omnia rescripta, & mandata Pontificia ordinarius Collator sedulò observare debeat, nec impunè negligere, aut contemnere possit, non omnia tamen beneficium affectum, ac reservatum reddunt. Et verò refert, *purè*, an *conditionatè*: num *cum*, vel *sine clausula irritante* mandatum, seu rescriptum datum sit. Quando *purè* alicui beneficium conferri jubetur, nec est adjuncta *clausula irritans*, quòd videlicet *quidquid contra fuerit attentatum, irritum sit, & inane*; per solam præsentationem literarum Ordinario non aufertur potestas conferendi, & collatio alteri facta tenet; in pœnam tamen inobedientiæ impetranti aliunde providere cogitur. *c. dilectus* 27. *de Prab. c. si soli* 6 *h. t. in* 6. Quòdsi vero mandatum contineat *clausulam irritantem*, vel Ordinario, & executori simul aut soli Executori directum sit, isque per Decretum Ordinario interdicat, ne alteri beneficium conferat, vel is, pro quo rescribitur, vi mandati jam receptus præbendam exspectet, beneficium ita redditur affectum, ut nec validè alteri conferri possit, neque etiam vi cujuscunque gratiæ Papalis ex postfacto obtentæ, quamquam priùs Executori, vel Ordinario præsentatæ, obtineri valeat. *c. tibi* 12. §. *quia imò. de Rescript. in* 6. *d. c. si soli. 6. h. t. in* 6. *& ibi* Barb. aliique Interpp. Quando *sub conditione* de certo beneficio rescribitur, v. g. *si impetrans per Executorem à nobis destinatum repertus fuerit, vita laudabilis*, etiam *adjectâ clausulâ irritante*, nihilominùs ordinarius Collator ante conditionem impletam validè alteri beneficium conferre potest: idémque est, quamvis conditio potestativa, adeóque minùs propriè dicta, ut si mandetur de beneficio certi valoris, *nisi impetrans aliud minoris valoris acceptare velit*: quippe & hoc casu, antequam impetrans voluntatem suam declaret, Ordinarius conferre poterit tam beneficium majoris, quàm minoris valoris, non obstante decreto irritante: quandoquidem illud primum in eventum conditionis suum sortitur effectum per elegantem textum in *Clem. un. h. t.* Secus est, si *in diem* quasi gratia detur, ut si mandetur de beneficio conferendo, quod quis intra mensem duxerit acceptandum, & unà apponatur decretum irritans, tunc enim beneficium redditur affectum non minùs

quàm si purè mandatum esset: siquidem adjectio certi temporis non suspendit effectum clausulæ irritantis, sed in favorem impetrantis facta censetur, quatenus non statim voluntatem suam declarare, sed per totum mensem deliberare possit, juxta textum expressum in *d. Clem. un. § secus autem.*

26 III. Ut beneficium liberè conferri possit, *requiritur*, ut non sit patronatui subjectum, sed *liberum*: in eo namque solùm collatio sibi locum vendicat. *c. cùm in illis. de Præbend. in 6.* viget autem præsumptio juris pro libertate beneficii, ac pro statu ejus collativo, *c. omnes basilicæ. & c. nullus causâ 16. q. 7.* Cess. *dec. 45. n. 2.*

§. V.

Forma collationis, seu concessionis præbendæ consistit in gratuita, & libera translatione juris in beneficio vacante; cujus itidem plura requisita.

27 *Primum* est, ut collatio sit gratuita, neque ipsam aliqua pactio, aut promissio præcedat ob labem simoniæ. *c. accepimus. 5. e. fin. de Pact. c. de hoc. 11. & ibi* Barb. *de Simon.* Ita enim simoniam mentalem committis, si Collatori beneficii munera offeras, aut obsequia exhibens eò animô, ac intentione, ut per ea inducatur ad conferendum tibi beneficium, licèt non interveniat pactum, aut conditio expressa. *c. etsi quæstiones. 18. §. quid autem junctô c. fin. de Simon.* Imò in foro externo præsumetur subinde etiam simonia conventionalis, aut realis, cùm plerumque tacitum saltem pactum intercedat per *c. sicut tuis 33. Eod.* Quod maximè obtinet, si Collator acceptâ pecuniâ statim promittat beneficium, nisi constet, eum aliô motivô fuisse permotũ; aut si in oblatione pecuniæ mentio fiat de beneficio, vel Collator ipse petierit, ac postea pecunia soluta, pretiúmque datum fuerit. *c. ex tua. 10. de Simon.* Gloss. in *d. c. etsi quæstiones, V. non petenti.* Panormit. *ibid. n. 5.* Quòdsi munus sit modicum respectu dantis, & accipiens alioquin sit persona honestæ vitæ, nec de vitio avaritiæ suspecta, aut si ob indigentiam oblatio muneris facta fuerit, ex contrariis præsumptionibus præsumptio simoniæ elidetur, ut notatur in *d. c. etsi quæstiones.* consequenter circa munera in foro externo spectandæ sunt circumstantiæ, ex quibus colligetur, an simonia commissa sit, vel *non?* juxta Gloss notabilem in *l. cùm quid 3. ff. de Rebus credit.* Sanè periculosum semper est circa distributiones beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum munera dare, & accipere, ut proinde in *d. c. quæstiones. 18. de Simon.* merito allegetur illud Isaiæ 33. *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere.*

In facto *disceptatum* memini: an sine labe simoniæ ab eo, qui ad Canonicatum, aut aliud beneficium recipitur, ex statuto, vel inveterata consuetudine aliquid exigi possit?

Opinio multorum est, non esse simoniacum, si quid obtentu hujusmodi statuti, aut consuetudinis exigatur, modò non exigatur tanquam pretium pro ipsa collatione, aut tradenda possessione, sive eum in finem, ut possessio Canonicatûs, aut beneficii concedatur. Joan. Andr. in *c. nemo de R. J. in 6.* Joan. de Anan. *in c. Jacobus de Simon.* Ernric. Pirthing. *ad tit. de Simon. n. 91.* ubi ait: *præsertim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis in Germania nunc receptum esse, ut novi Canonici convivium dare, imò & in quibusdam locis certam pecuniæ summam Capitulo persolvere debeant: quam consuetudinem simoniæ juris Ecclesiastici damnare non ausim, cùm ea toleretur ab Episcopis, imò etiam a Papa. quem tam generalem consuetudinem integræ Nationis ignorare, non est verisimile.* Hæc ille

Verùm hanc sententiam suspectam reddere videntur *primò* textus in *c. cùm Ecclesiæ. 9. c. in tantum 36. in fin. c. Jacobus. 44. de Simonia. & Extravag. sanè Eod.* qui non obscurè indi-

indicant, simoniacum esse, insuscepti one alicujus ad Canonicatum, aut benficium exigere aut solvere aliquid etiam modicum, non obstante statuto, vel consuetudine, quamvis immemoriali. *Secundò* decretum Concilii Tridentini *sess. 24. de Reformat. c. 14.* differtè prohibens, ne in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Canonicatûs, vel beneficii aliquid detur, aut recipiatur, quòd non convertatur in usus pios, id est, ut *ibidem* declarat S. Cardinalium Congregatio, vel in *Seminarii subsidium*, vel in *pauperem eleemosynas*, vel in *Ecclesiæ fabricam*. *Tertiò* Constitutio Pii V. quæ incipit: *Durum nimis*, & per quam innovata est, Bulla novissima Innoc. XII. de die 22. Sept. Anno 1695. in quibus reprobantur omnes, & quæcunque exactiones in institutionibus, & admissionibus Beneficiatorum, ac Canonicorum quocunque modo hactenus usitatæ, *non obstantibus quibusvis etiam juramentò, confirmatione Apostolicâ, aut quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorialibus.*

Putarem, inhærendum esse distinctioni, quam ipsum Concilium Tridentinum. *cit. sess. 24. de Reformat. c. 14.* insinuat, ut nimirum munera illa, quæ jure consuetudinis, vel statuti in provisione beneficiorum, aut admissione Beneficiariorum exigi solent, recipi possint, si conferantur ad pias causas, scilicet ipsius Ecclesiæ, vel pauperum; rejicienda verò sint, si convertantur in commodum, & cedant spectis Collatorum, aut Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum. Panormit. & Felin. *in c. Jacobus. 44. de Simon.* Joan. Gutierez *can. qq. lib. 1. c. 29. à n. 26.* & cum aliis relatis Garc. *de Benef. p. 8. c. 1. à n. 83.* nisi ista pro labore gratis, ac sine taxatione, & exactione post obtentam possessionem Canonicatûs, aut beneficii exhibeantur, in quibus nulla est species simoniæ *c. quam pio. 2. in fin. causâ 1. q. 2. c. dilectus. 30. in fin. & c. tua nos 35. §. si verò. de Simon.* quemadmodum exemplis comprobari posset, & in specie de emolumentis sigilli. *Clem. statutum. ubi Gloss. V. expensa. de Elect.* item pro labore in executione dispensationis matrimonialis. Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 35. n. 10 & seq.*

Acerum requisitum collationis est, ut fiat 28
tempore legitimo. Est autem tempus legitimum spatium sex Mensium, intra quod, si ab Ordinario, vel inferiore Collatore beneficium non conferatur, pro ea vice potestas conferendi, velut caduca, gradatim ad Superiores usque ad Papam devolvitur, ita ut ille valeat Ecclesiæ de persona idonea providere. *c. nulla. 2. c. quia diversitatem. 5. c. postulâstis. 15. & ibi* DD. *h. t. c. licèt Magister. 3. de Supplend. neglig. Prælat. Clem. un. Eod.* Itaque si collatio ad Collatorem Episcopo inferiorem spectaverit, eo negligente jure devoluti pertinebit ad Episcopum, tanquam ad proximum Superiorem. *d. c. nulla. 2. h. t.* Azor. *Instit. Moral. p. 2. lib. 6. c. 27. q 4.* Idque procedit etiam in Collatoribus regularibus, ita ut Episcopus beneficia ob eorum negligentiam devoluta conferre possit tanquam Ordinarius, si exempti non fuerint; alioquin tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, si exempti sint, & R. Pontifici immediatè subjecti *d. Clem. un. de Supplend. neglig. Prælat.* Zerol. *in prax. Episcop. p. 1. V. beneficia. §. ad 3.* Rebuff. in *prax. benef. tit. de Devolut. n. 37.* Excipiuntur beneficia Monasteriis unita, ac incorporata, in quibus, quia Abbas Monasterii est principalis Rector, & nunquam propriè vacant, propriè in providendo negligentia intervenire nequit, & consequenter neque devolutio fieri. Curabit tamen Superior, ut Vicarius idoneus constituatur, sicut & toto

tempore alterius cujuscunque beneficii vacantis, præcipuè curati, ob necessariam Sacramentorum administrationem. Trident. *sess. 24. de Reformat. c. 18.* Per quem suppleatur negligentia à Capitulo, aut Episcopo in conferendis beneficiis admissa? diximus in *tit. de Supplend. neglig. Prælat. n. 7.* Illud adhuc hîc addo, quòd terminum à Jure communi collationibus beneficiorum præfixum Episcopus suis inferioribus Collatoribus restringere non possit, neque cogere, ut citiùs conferant per *c. indultum. 17. de R. J. in 6.* neque enim Episcopus contra legem Superiorum venire potest, & illud immutare, quod per SS. Pontifices de jure concessum est.

Tertium requisitum collationis est ejusdem acceptatio, ut quæ ad consecutionem beneficii collati ita necessaria est, ut sine ea in illa jus in re acquiri non possit. *c. si tibi absenti. 17. de Præbend. in 6.* Poterit autem acceptatio fieri non tantùm per ipsum, cui collatum est beneficium, sed & per Procuratorem, etiam laicum, speciale mandatum habentem: enimverò etsi laicus non sit idoneus, qui beneficium sibi acquirat, non tamen inhabilis esse videtur, cujus ministerio Clericus in acceptando beneficio utatur, ex quo acceptatio est nuda voluntatis declaratio, quæ per quemcunque fieri potest. Rota in *antiquis dec. 104. & 418.* Panormit. cum Joan. Andr. *in c. accedens. 24. num. 6. de Præbend.* ubi *num. 4.* generalem regulam ponit, in beneficialibus, & in aliis spiritualibus non sufficere mandatum generale, sed requiri speciale, tum propter qualitatem rerum; tum propter judicium. Porro absque mandato cùm quis collationem acceptavit, secutâ postmodum ratihabitione, beneficium à die acceptationis, non ratihabitionis acquisitum censetur per *c. ratihabitionem 10. de Reg. Jur. in 6.* Angel. in *l. 26. ff. & in l. 7. C de Reb. cred* Bald. *ad l. 5. C. Mandati.* Alexand. *lib. 5. consil. 78.* Quæ opinio usu receptior est, quanquam alii cum Panormit. in *cit. c. accedens. n. 5.* statuant, jus acquiri à die ratihabitionis, non acceptationis, moti ratione Gloss. *ad c. quàm sit Ecclesiis. 6. de Elect. in 6.* ubi dicitur, consensum ab Electo infra mensem à die præsentatæ electionis præstandum esse. An autem hoc inde clarè inferatur? haud immeritò dubitaveris.

Quartum & speciale requisitum est, ut Pa- 29
rochiæ non arbitrio Episcopi, sed *per concursum* conferantur, hoc est, ut vacante Ecclesiâ Parochiali per edictum publicum ad valvas illius, vel Cathedralis Ecclesiæ affixum omnes vocentur, qui volunt examinari, comparentes præstituto die se sistant coram Ordinario, & Examinatoribus, in Synodo constitutis, & qui Examinatorum judiciô magis idoneus reperietur, Ecclesiæ vacanti præficiatur. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 18.* Caveant autem concurrentes, ne quidquam occasione hujus sive ante, sive postea Examinatoribus dent, aut isti accipiant; alioquin Simoniæ vitium utrique incurrunt, à quo non absolventur, nisi dimissis beneficiis, quæ antè habebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur. Idem Trid. *loc. cit. §. caveant.*

Verùm excipiuntur ab hoc concursu Parochiæ, quæ ad jus Patronatûs Laicorum pertinent, ita ut ille, vel illi tantùm, quem, vel quos Patronus Laicus præsentârit, per Examinatores ad concursus destinatos examinari debeant. Trident. *d. c. 18. §. quòd si juris patronatûs Laicor.* Idem est, si jus patronatûs partim laicale, partim Ecclesiasticum fuerit, cùm in casu mixti patronatûs qualitas favorabilior attendenda sit, nec libertas Patroni laici propter mixturam Clerici restringi debeat. Fagnan. in *c. cùm propter. 38. de Jure patronat.* ubi hanc S. Congregationis sententiam à S. Pontifice approbatam notat, & cavendum monet à declarationibus, quas adfert

Garc.

Garc. *de Benef. p. 9. c. 2. n. 278.* Quòdsi Jus patronatûs fuerit Ecclesiasticum, concursus quidem locum habebit, sed si institutio ad Episcopum spectet, examine peracto Patronus Ecclesiasticus habebit electionem, & illum præsentabit, quem ex probatis ab Examinatoribus digniorem judicaverit. Secùs, si institutio spectet ad Prælatum Episcopo inferiorem: quippe tunc Episcopus solus ex iis, qui idonei reperti sunt, digniorem eliget, quem Patronus illi inferiori Prælato præsentat. Trident. *loc. cit. si verò juris patronatûs Eccles.* Garc. *d. c. 2. n. 262.* ubi in hanc rem plures Cardinalium declarationes adducit. Præterea in Bulla Pii V. *Ad exequendum.* excipiuntur Parochiæ, quæ Monasteriis, vel aliis Ecclesiis incorporatæ sunt, in quibus sola Prælati nominatio sufficit, & taliter nominatus sine concursu (prævio tamen examine, & approbatione Ordinarii) non tanquam Parochus, sed tanquam Vicarius ponendus est. Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 3. n. 53.* Barb. *ad Trident. d. c. 18. n. 16.*

§. VI.

30 *Finis* collationis, seu concessionis præbendæ, ac beneficii est, ut per eam Ecclesiæ vacanti provideatur de Pastore, ac Beneficiato idoneo.

§. VII.

31 *Effectus* alius est collationis oblatæ, alius collationis acceptatæ.

Effectus collationis oblatæ est, quòd ea à Collatore revocari nequeat, nec beneficium, sive præsenti, sive absenti, sive ignoranti collatum, alii conferri possit, nisi id primus recusset, aut terminus ad consentiendum assignatus præterlapsus sit. *c. si tibi absenti. 17. de Præbend. in 6.* aliter ac in donatione, quæ absenti facta ante acceptationem semper retractari potest per *l. absenti. 10. ff. de Donationib. l. qui absenti. 38. ff. de Acquir. vel amit. possess.* Cujus diversitatis hanc rationem Nostri assignant: quòd aliæ donationes ex mera liberalitate, & libera donatoris voluntate dependeant, hincque ante acceptationem voluntas mutari possit, quod secus in collatione beneficii Ecclesiastici, ubi conferens ratione officii sui conferre obstrictus est. Semel itaque factâ collatione officiô suô functus ampliùs pœnitere nequit. arg. *l. 55. ff. de Re judic.* Panormit. *in c. accedens. n. 3. de Præbend. & c. publicato. col. 3. de Elect.* Bartol. *ad l. absenti. 10. ff. de Donat.*

Effectus collationis acceptatæ est, quòd eâ 32 solâ, absque traditione possessionis beneficii, ejúsque apprehensione in illo jus in re acquiratur. *d. c. si tibi absenti. 17. de Præbend. in 6.* Ex quo consectarium est, quòd si Romanus Pontifex beneficium suæ collationi reservatum alicui contulerit, iisque ante acceptationem moriatur, beneficium non fiat vacans, sed reservatio adhuc integra, & salva maneat, cùm aliquin collatô beneficiô reservato, & subsecutâ ejus acceptatione reservatio etiam ante apprehensionem possessionis exspiret. Ludovic. Gomez in *Regul. de triennali possess. q. 20. n. 2.*

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

SUMMARIA.

1. Quid sit sedes vacans? Ex quibus causis inducatur sedis vacatio? 3. Qua dignitas dicatur sedes vacans? 4. Quot modis sedes vacet? 5. 6. 7. Quid Capitulum sede vacante possit circa provisionem beneficiorum? 7. usque 12. Circa jurisdictionis Episcopalis administrationem? 12. & seqq. circa rerum temporalium dispositionem.

HActenus de *concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.* Sed quia dubitari posset, num vacante Sede in hac concessione

sione Capitulum succedat? rubrica subjicitur: *ne Sede vacante aliquid innovetur.*

§. I.

1 *Sedes vacans* dicitur, cùm Ecclesia Cathedralis, aut Collegiata, vel Conventus Regularium, qui habent rationem Capituli, suo Antistite destituuntur. Colligitur ex *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Causa efficiens* Sedis vacantis sunt causæ, quæ vacationem inducunt; quarum præcipuæ sunt obitus, seu mors naturalis Prælati: *c. susceptum. 6. de Rescript. in 6.* Mors civilis, aut diuturna absentia, ut si Episcopus à paganis, schismaticis, vel hæreticis captus sit: *c. si Episcopus 3. de Supplend. neglig. Prælat. in 6. & ibi* Gloss. *v. nota primò.* Barb *n. 12. & 13.* Libera, & spontanea resignatio à Superiore admissa: *c. nisi 10. de Renuntiat.* Plena, & omnimoda translatio. *c. 2. & 3. de Translat. Episc.* Quando autem vacare incipiat prior Ecclesia translati Episcopi, aut alterius Prælati: *ibid. n. 11. & 12.* dictum est: Crimen hæresis: *c. si Episcopus. 1. de Paroch.* Privatio, seu amotio: *c. si quis Abbas. 15. causâ. 18. q. 2. c. ex literis 10. in fin. de Excessib. Prælat.* Censura suspensionis, vel excommunicationis, aut alius defectus Canonicus.

§. III.

3 *Subjectum* Sedis vacantis est ipsa Prælatura, quæ vacat, nempe Episcopatus, vel alia dignitas jurisdictionem annexam habens, quæ Antistite suo caret. Vacat verò Sedes, quousque novus Episcopus, aut Prælatus adeptus fuerit possessionem. Felin. *consil. 40.* Hostiens. in *c. olim. 12. de restit. spoliat.* & cum his Rebuff. in *Prax. benef. p. 1. tit. de Devolut. n. 62.*

§. IV.

4 *Forma* Sedis vacantis stat in modo vacandi. Potest autem Sedes, seu Ecclesia duobus modis vacare: verè nimirum, seu propriè, quando Sedes Prælatum non habet; & interpretativè, quando Sedes Prælatum quidem habet, sed illum hæreticum, excommunicatum, suspensum, aut ab hostibus captum. Bartholomæus Cartagena *ad h. t. observ. 2.*

§. V.

Effectus Sedis vacantis est, quòd tempore Sedis vacantis nihil sit innovandum, sive faciendum in præjudicium ipsius Sedis, aut Successoris; pro quo dilucidando servire possunt sequentes regulæ.

Prima est: *Sede vacante Capitulum nequit conferre beneficia, quorum libera collatio jure proprio ad solum Episcopum spectat. c. illa 2 & ibi* DD. *h. t.* Ratio est: quia collatio ejusmodi beneficiorum numeratur inter fructus, Gloss. in *c. cùm olim. 14. V. Capitulo. de Majorit. & obed.* qui Sede vacante debent fideliter custodiri, & Successori reservari. *c. cùm vos 4. in fin. de Offic. Ordinar. c. hac hujus. 33. causâ. 12. q. 2.*

Dicitur autem I. *Quorum libera collatio:* 6 quippe in collatione beneficiorum necessaria Episcopo Capitulum Sede vacante succedere, in confesso est. Hinc Capitulum Sede vacante potest instituere præsentatos, ut *supra de Instit. n. 5.* demonstravimus, sicut & Abbates, aut alios Prælatos electos confirmare, ut *ad tit. de Elect. n. 88.* probavimus, & textus est in *c. cùm olim. 14. de Majorit. & obed.*

Dicitur II. *Jure proprio;* etenim an Capitulum Sede vacante ea beneficia conferre possit, quæ propter negligentiam inferioris collatoris jure devoluto ad Episcopi collationem pertinent? *dissident* DD. 7

Negant Panorm in *d. c. cùm olim. 14. de M. & O.* Zoël. *h. t. n. 3.* Garc. *de Benef. p. 5. c. 7. n. 53.* & alii complures freti textu *c. illa 2. h. t.* qui universaliter asserit, quòd *nusquam inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur Episcopi vice in collationibus prabendarum.* Accedit *Regul. 2. Cancellar.* & constitutio Pii V. quæ incipit *Sanctissimus 9.* Martii 1568. edita, quibus beneficia

ficia omnia ad collationem Episcoporum, & Prælatorum spectantia, quæ Sede vacante conferri debent, sibi reservârunt Pontifices.

Verùm quòd Capitulum Sede vacante beneficia ad Episcopum devoluta conferre queat, docent Joan. And. in *c. quanquam. de Elect. in 6.* Lælius Zecchus *de Benef. & pension. c. 5. circa fin.* P. Engel *h. t. n. 5.* quibus accedo: tum quia beneficiorum devolutorum collatio non est fructus proprii Episcopatûs, sed huic advenit per accidens, non tam in favorem Episcopi, quàm bonum Ecclesiarum, & animarum; tum quia eorum collatio, etsi nemini debita sit, exigit tamen necessitas, tam Ecclesiæ, cui damnosa, quàm animarum, quibus periculosa esse solet diuturna beneficiorum vacatio, ideóque licèt non personâ Collatarii, Ecclesiæ tamen, & animarûm salute spectatâ, actus jurisdictionis necessariæ esse videtur, quem Capitulo permissum esse, nemo inficiatur.

Nec huic sententiæ quidquam derogat. *c. illa. 2. h. t.* quoniam econtra in *c. si Episcop. 3. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* generaliter statuitur, Capitulum Episcopo mortuo, vel ab hostibus capto in temporalibus & spiritualibus ministrare, ac jurisdictionem Episcopalem exercere debere, ita ut ex dispositione hujus *cap.* Capitulum sede vacante non tantùm illa locò Episcopi exercere possit, quæ specialiter in jure expressa sunt, sed vice versâ omnia posse censeatur, quæ non specialiter prohibita, & excepta reperiuntur. Quod attinet *Reg. 2. Cancell.* & *constitut. Pii V.* eæ non procedunt in Germania, quatenus derogant huic concessis privilegiis per *Concordata*, quibus Papa se Ordinariorum collationes extra casus in iis expressos nullâ reservatione, aut dispositione gravaturum pollicetur, & concordata illa tamdiu vim habitura asserit, quamdiu in futuro Concilio aliud non statuetur. Quamobrem in Germania beneficii devoluti collatio non ad Pontificem, sed juxta priorem sententiam ad Episcopum, vel potiùs juxta nostram ad Capitulum pertinebit.

Dicitur III. *ad solum Episcopum spectat; nam* 18 illa beneficia, quorum collatio communiter, & æquè principaliter ad Episcopum & Capitulũ pertinet, rectè confert Capitulũ Sede vacante per *c. un. h. t. in 6.* nec enim propter casum Episcopi in suo jure conferendi impediri debet. Non tamen ideo Capitulum conferre valet ea beneficia, quæ spectant ad solum Episcopum cum consensu, aut consilio Capituli. *de c. un. §. cùm verò.* Rebuff. in *Prax. Benef. p. 1. tit. de Devolut. n. 71. Regula secunda* est: *Capitulum sede vacante potest exercere ea omnia, quæ sunt Episcopalis jurisdictionis, & quæ ex justitia, vel necessitate ab ipsomet Episcopo expedienda forent* juxta *c. cùm olim. 14. de Majorit. & obed. c. un. Eod. in 6. c. si Episcopus. 3. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* Rebuff. *ubi supra n. 58.* Gonzal. *ad c. 3. h. t.* Vi igitur istius jurisdictionis Capitulum Sede vacante approbat Confessarios, sicut Episcopus, qui habet territorium: Felin. in *d. c. cùm olim. 14. de M. & O.* Diana *p. 8. tr. 4. resol. 46.* confirmat & infirmat electiones: *d. c. cùm olim.* interponit authoritatem in permutatione beneficiorum. Gloss. in *Clem. un. de Rer. permut.* Rebuff. *l. c. n. 95.* Clericis beneficiariis impertitur facultatem transeundi ad aliam diœcesim Azor. *Instit. moral. tom. 2. lib. 3. c. 37. q. 12.* & Ego *ad Tit. de Translat. Episc. sub n. 5.* Licèt non possit bona immobilia Ecclesiæ Cathedralis alienare, potest tamen alienationes, quæ fiunt ab Ecclesiis inferioribus, admittere: Panormit. in *cit. c. cùm. olim q. 3.* concedit literas dimissorias. *c. cùm nullus. 3. de Tempor. ord. in 6.* sed hodie ex restrictione Trid. *sess. 7. c. 10. de Ref.* intra annum nonnisi ætatis ratione beneficii sive recepti sive jam recipiendi: potest Episcopo extraneo dare licentiã exercendi Pontificalia in Ecclesia vacante. Henriq. in *Sum. l. 10. c. 22.* Quaranta *V. Capitulum* ¥. 14. imò &

ea

ea committere, quæ sunt Ordinis: Azor. *d. c.* 37. *q.* 8. facit statuta pertinentia ad totam diœcesim: *c.* 11. *c. cùm olim.* 14. *& ibi* Panormit. *n.* 24. *de M. & O.* appellationes, de quibus Episcopus jure ordinario cognoscere, recipit: Joan. Cabassut. in *Theor. & Prax. jur. Can. lib.* 2. *c.* 24. *n.* 28. potest excommunicare, suspendere & interdicere, sicut & absolvere, quos posset Episcopus: *d. c. un. de M. & O. in* 6. DD. per text. *c. ad abolendam. de Hæret. & ibi* Gloss. Præterea potest, imò infra octo dies debet Ecclesiæ viduatæ de Vicario generali, seu Officiali providere, aut priùs existentem, cujus jurisdictio simul cum Episcopo interiit, confirmare. Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 16.

Controvertitur I. an Capitulum, vel ejusdem Vicarius sede vacante habeat potestatem, visitandi diœcesin, vel certam aliquam Ecclesiam, aut Monasterium?

Joan. Monachus in *c. Ecclesiæ de Supplend. neglig. Prælat. in* 6. hanc potestatem absolutè Capitulo denegat inprimis propter textum in *c. obitum* 16. *dist.* 61. ubi S. Pontifex Gregorius Barbaro vicino Episcopo visitationem solenniter delegavit, eò quòd Sedes Episcopalis Episcopo destituta fuerit. Deinde quia Capitulum tantùm est administrator necessarius, & in iis solùm succedere videtur, quæ dilationem non patiuntur, quò visitatio non pertinet.

Panormit. *in c. cùm olim. sub n.* 2. *v. sed indistinctè. de M. & O.* Rebuff. *in Prax. benefic. tit. de Devolut. n.* 65. Rota *dec.* 346. *n.* 2. *p.* 1. *Recent.* & *in Pampilonen. juris visitandi.* 15. *Decemb.* 1623. *coram Merlino.* Lotter. *de Re benefic. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 44. generaliter Capitulo Sede vacante visitationem, seu actum jurisdictionis Episcopalis, attribuunt, quibus suffragatur. *d. c. Ecclesia.* 4. *de Supplend. neglig. Prælat.* ubi constituitur Ecclesiæ Cathedrali vacanti visitatorem quidem à S. Pontifice deputari posse, non verò ab alio, etiam Archi-Episcopo; nisi Capitulum in temporalibus & spiritualibus negligenter, aut perperam administret. Ex quo infert Panormit. *loc. cit.* posse Capitulum per se, vel per Vicarium à se constitutum visitare diœcesin, ne ab Archi-Episcopo negligentiæ argui, & alius visitator constitui possit. Neque obstat ratio in contrarium allata, quòd Capitulum sit solùm administrator necessarius; cùm & ipsa visitatio non ex mero, & libero arbitrio Episcopi, sed ex necessitate juris fieri debeat per *c. relata.* 9. *causa* 10. *q.* 1. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 3.

Ego pro componendis his opinionibus cum Joan. Andr. in *cit. c. cùm olim de M. & O.* concludo, non posse Sede vacante institui visitationem generalem totius diœcesis, ex quo non censetur necessitas, aut periculum in mora: idque admittit etiam Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 7. *q.* 14. quando modica est vacatio, videlicet cùm nondum annus effluxit à die & termino ultimæ visitationis, aut quando probabiliter creditur successor brevi futurus: econtra posse ex probabili causa, vel suspicione instituì visitationem specialem certæ Ecclesiæ, vel inquisitionem in certas personas diffamatas, siquidem hoc officium administratoris in spiritualibus exigere videtur. Et hanc distinctionem suo quoque calculo dignatur Gloss. in *c.* 1. *de Hæret.* ac in nostris partibus recepta consuetudo comprobat.

Controvertitur II. Utrùm Capitulum, vel ejus Vicarius à Capitulo constitutus Sede vacante possit dispensare, vel absolvere in casibus, quibus ipse Episcopus posset?

Posse Sede vacante dispensare Capitulum, & locò illius Vicarium in omnibus casibus, in quibus ratione Episcopalis jurisdictionis Episcopus dispensare poterat, ut in votis, in petitione debiti, in Natalibus, ut illegitimus ad Minores Ordines, aut ad beneficium simplex pro-

promoveri queat, cum communi docet Barbos. *de Canon. c.* 42. *num.* 81. item succedere Capitulum Sede vacante in facultate dispensandi super omnibus irregularitatibus, & suspensionibus in quibus potest Episcopus juxta Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de Reform.* tradit Garc. *de Benefic. p.* 5. *c.* 7. *n.* 40. cum pluribus citatis tam Theologis, quàm Canonistis: partim quia Capitulum succedit in iis, quæ Episcopo competunt jure communi, quæque spectant, ad jurisdictionem ordinariam, uti hæc potestas dispensandi & absolvendi: partim quia certi juris est, Capitulum sede vacante posse absolvere ab omni excommunicatione, sive à jure, sive ab homine lata, nisi specialiter à Sede Apostolica prohibeatur. *c. un. de M. & O. in* 6. ergo idem dicendum de aliis absolutionibus, & dispensationibus quibuscunque ex paritate rationis.

Ego cum hac sententia transeo, si legitima causa subsit, propter quam dispensatio, vel absolutio sit quasi de jure debita, vel sine periculo notabilis damni, aut scandali differri nequeat, sicut absolutio ab excommunicatione arg. *c. ut constituatur.* 25. *c. Domino sancto.* 28. junctâ Gloss. in *V. necesse dist.* 50. Aliud verò existimem, si differri commodè possit, & nulla urgens causa interveniat: cùm enim tunc sit mera gratia, in illa Capitulum Sede vacante non succedit. Nicol. Rodriquez *de Potest. Capituli Sede vac. tr.* 1. *q.* 15. *num.* 17. & communiter alii.

11 *Controvertitur* III. Anne Capitulum Sede vacante etiam ea facere, vel prætendere possit, quæ defuncto Episcopo *ex consuetudine*, aut *jure speciali* competebant? Prius affirmo: quandoquidem cæteris paribus Capitulum non minus succedit in iis, quæ ex consuetudine, quàm quæ ex jure scripto Episcopus poterat: quia etiam quæ ex consuetudine ad Episcopum spectant, ex jurisdictione & potestate ordinaria fiunt, cùm consuetudo æquè juris communis species sit, atque jus scriptum per §. *constat.* 3. *Instit. h. t.* Unde si ex consuetudine Episcopus debuit interesse alicui electioni in certa Ecclesia, mortuo Episcopo non poterit eligi irrequisito Capitulo, quidquid contradicat Hostiensis in *c. scriptum* 40 *de Elect.* Posterius & quantùm ad ea, quæ Episcopus jure speciali, scilicet ex privilegio speciali, aut ex speciali delegatione poterat, nego, quòd in iis Capitulum succedat: quia privilegium & specialis commissio non excedunt personam, cui dantur arg. *c. petitisti* 17. §. *si eundem causa* 7. *quæst.* 1. *c. sanè.* 9 *de Privilegiis. l.* 57. *ff. Mandati.* Unde Capitulum, vel ejus Vicarius non potest visitare Monasteria Monialium exempta, cùm Episcopus hâc potestate polleat, non quà Episcopus, ac Ordinarius, sed quà Delegatus Sedis Apostolicæ juxta *Clem.* 2. *de Statu Monach.* Trident *sess.* 25. *de Regularib. c.* 5.

Tertia regula esto: *Quamvis sede vacante* 12
rerum temporalium administratio ad Capitulum transeat, ea tamen facere prohibetur, quæ Ecclesiæ, aut Episcopi defuncti Successori præjudicare possunt; ut satis colligitur ex *rubr. h. t. & c.* 1. *Eod.* ubi dicitur: *Episcopali Sede vacante non debet aliquid innovari, cùm non sit, qui Episcopale jus tueatur*: sive quia tunc Ecclesia defensore caret. Panormit. *ad rubr. h. tit.* ubi ait: valere argumentum à rubro ad nigrum.

Et ideo I. Capitulum Sede vacante nihil 13
alienare potest, & si contrafaciat à Successore contractus rescindi, & alienata revocari possunt. *c. si quâ* 42. *causâ* 12. *q.* 2. Per quod tamen Capitulo non interdicuntur alienationes necessariæ: ita namque sine alterius licentia, vel Superioris authoritate liberè distrahere potest res, & fructus, qui servando perirent, aut sine magnis impensis reservari nequeunt: Panorm. in *c.* 1. *n.* 7. *h. t.* Item potest ex fructibus & redditibus Ecclesiæ solvere mercedes

ministrorum, & Officialium Episcopi, uti etiam debita à defuncto Episcopo pro utilitate Ecclesiæ contracta: Nec redditus Ecclesiæ vacantis præcisè Successori in Episcopatu reservare jubetur, sed disjunctivè, vel in utilitatem Ecclesiæ expendere, vel futuro Episcopo reservare. *c. quia sæpe contingit* 40. *& ibi* DD. *de Elect. in 6.* Imò si justa necessitas exigat, potest Capitulum mutuum accipere, & per hoc Ecclesiam, ac futurum Episcopum obligare. Gloss. *in c. cupientes* 16 §. *ad hæc Eod. in 6.* Quod saltem eo in casu approbat Gutierez *Canon. qq. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 132. quo periculum in mora est, & Superioris authoritas commodè requiri non potest. Bona verò immobilia non tantùm Capitulum, ceu administrator necessarius, alienare nequit, sed nec ille, cui à Sede Apostolica plena & libera administratio vacantis Ecclesiæ Cathedralis commissa est, *c. is, cui* 42. *de Elect. in 6.*

14 Et ideo II. Capitulum judicium de bonis, ac juribus vacantis Ecclesiæ Cathedralis nec inchoare, nec à defuncto Episcopo cœptum prosequi potest, sive agendo, sive defendendo per *c. constituti.* 3. *c. fin. & ibi.* Panormit. *h. t.* nisi magna necessitas urgeat: sicut enim in casu magnæ, & notoriæ necessitatis Capitulum vacante Sede res Ecclesiæ potest alienare juxta Gloss. in *c si quà.* 42. *causâ.* 12. *q.* 2. ita potest etiam in judicio litigare; cùm qui alienare, rem quoque in judicio deducere valeat. *arg. l.* 7. §. 2. *ff. de Jure delib.* Glossa. *in c. edoceri. V. debeant. de Rescript.*

15 Et ideo III. Capitulum, aut Oeconomi ab eo constituti tenentur conficere inventarium rerum ab Episcopo relictarum, & de redditibus Ecclesiæ obtinentibus futuro Episcopo reddere rationem instar Tutorum, vel Curatorum, vel aliorum, qui negotia aliena gerunt, aut res non suas administrant. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 16. Covar. *de Testam. c.* 12. *n.* 5. optimâ ratione; quia naturali æquitati conveniens est, ut omnis administrator, qui vel sponte, vel invitus aliena negotia in se suscepit, actûs sui rationem reddere necessitate morali adstringatur, & eo nomine condemnetur, quidquid vel non, ut oportuit, gessit, vel ex his negotiis retinet. *l.* 2 *ff. de Negotiis gestis.* idque jure etiam Divino cautum esse probant Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *casu* 209. *n.* 1. Roland. *consil.* 49. *n.* 1. cum citatis. Neque à reddendis rationibus liberare potest non usus: quoniam redditionis rationum favor tantopere jure juvatur, ut etiamsi non sit in usu, quilibet tamen administrator rationem reddere compelli possit. Guido Papæ *dec.* 631. *in pr. ℣. quarto, an pratextu. & in respons. ad quartum dub. n.* 9. quem refert, & sequitur Munnoz de Escorbar. *de Ratiocin. c.* 3. *n.* 29.

Dubitari hoc loco posset: an Sede vacante 16 Capitulum succedat in his, quæ sunt de emolumentis, aut honorariis dignitatis Episcopalis?

Capitulo, ex quo Sede vacante Episcopi vices supplet, & onera Episcopatûs vacantis sustinet, favere videtur vulgata regula: *qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra c.* 55. *de R. J. in 6.* Cujus regulæ sensus est, quòd pari de jure aliquem sequi debeant commoda, sive utilitatis temporalis, sive honoris, & onera honori, officio, vel rei, ex qua commodum sentitur, conjuncta. Et verò, ut Paulus JCtus. in *l. secundùm naturam.* 10. *ff. Eod.* asserit: *secundùm naturam est, commoda cujúsque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.*

Verùm quòd Capitulum in emolumentis, & honorariis Episcopi, eô defunctô, nequaquam succedat, & neque prætextu administrationis, privilegii, aut consuetudinis ea sibi appropriare possit, apertè decisum est in *d. c. quia sæpè contingit.* 40. *de Elect. in 6.* ibi: *quia sæpe contingit, quòd Cathedralibus, Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, Capitula, Conventus, Collegia, & singulares earundem personæ bona à Prælatis ipsarum di-*

dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus reservari, occupant, inter se dividunt, surripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt, in earum grave dispendium, & jacturam. Nos ipsorum ausus reprimere, ac ipsarum indemnitatibus præcavere volentes, decernimus, ut ii, qui præmissa de cætero præsumpserint, eò ipsò sint, & tam diu maneant ab officio, & beneficio quibuscunque suspensi, donec plenè restituerint, quicquid de bonis perceperint supradictis: non obstantibus quibuscunque privilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus, vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut alia quacunque firmitate vallatis. Et ne ulla dubitatio, vel inter bona, maximè vacante Sede obvenientia, distinguendi licentia supereſſet, ulterius in *Clem. statutum 7. Eod.* declaratur, dictam prohibitionem Bonifacii VIII. *locum habere in omni emolumento, quod provenit ex jurisdictione, & sigillo Curiæ Ecclesiasticæ, vel sæcularis, aut aliàs undecunque, quod ad Prælatos (Ecclesiis non vacantibus) pertineret, consuetudine qualibet contrariâ non obstante: ita tamen, quòd in istis & similibus rationabiles deducantur expensæ.* juxta quam *Clement.* respondit S. Congregatio Cardinalium in *Agrigentina 17. April. 1627. Emolumenta tempore vacationis Sedis Episcopalis provenientia ex jurisdictione, & sigillo, aut aliàs undecunque nec ad Vicarium, nec ad Capitulum spectant, sed debent futuro Successori reservari, si ad Episcopum, Ecclesia non vacante, pervenissent;* ut post Aldan. refert Barb. *ad Trident. sess. 25. de Reform. c. 11. n. 9.*

Neque Capitulum juvat adducta *Regula 55. Jur. in 6.* utpote quæ exceptionem patitur, quando quis gerit onus, non proprio, sed alieno nomine; ut Vicarius generalis nomine Episcopi, Coadjutor nomine principalis, & Capitulum nomine Ecclesiæ vacantis: præsertim quando onus ex propria institutione, aut naturâ rei alicui officio annexum est, quemadmodum Capitulo ratione obligationis, ac connexionis, quam habet ad Ecclesiam, & cum Capite Ecclesiæ, ejus bona tueri incumbit, non percepto inde emolumento. Vid. Gloss. in *d. Clem. statutum 7. de Elect.*

Cæterùm quæ hic exempli causâ de Ca- 17
pitulo Cathedrali diximus, de jure loquendo meritò extenduntur ad Capitula Ecclesiarum Regularium mortuô Prælatô, vel aliàs Sede Abbatiali vacante per textum in *c. fin. de Regularib. in 6. & in Clem. ne in agro. 1. §. si quis autem. in fin. de Statu Monach.* quandoquidem Capitulum Regulare non minùs in jurisdictionem Abbatis succedit, quàm Capitulum Cathedrale in jurisdictionem Episcopi, imò potiori jure, cùm redditus & jura Abbatis nullâ ratione sint distincta à redditibus & juribus Conventus, sicut tamen plures redditus & jura Episcopi à Capituli juribus sunt diversa. Hanc sententiam ex Innocentio refert & sequitur Panorm. *in c. fin. n. 8. & 9. de Statu Monach.* P. Engl. *h. t. num. 16.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 2. disp. 1. q. 4. num. 5.*

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

SUMMARIA.

1. Quid sit consensus Capituli? 2. In quo differat à consilio? 3. Quo jure sit necessarius? 4. Sufficit consensus majoris partis. 5. In quibus negotiis opus sit consensu? 6. In quibus consilio? 7. Quo modo consensus capitularis interponatur? 8. Ob quem finem? 9. Quomodo probetur?

QUemadmodum Sede vacante nihil innovandum est, ita è diverso Sede non vacante regulariter nihil à Prælatis faciendum *sine Consensu Capituli.*

§. I.

1 *Consensus Capituli*, quasi *simultaneus sensus* dicitur, estque collaudatio, sive comprobatio eorum, quæ fiunt à Prælatis. Colligitur ex *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Dividitur* consensus Capituli in consensum in specie, & in consilium: quæ duo, quamvis aliqui apud Hostiensem in *Summa h. t. n. 2.* promiscuè accipiant, in eo differunt, quòd ubi ad actum aliquem consensus Capituli desideratur, non sufficiat solùm conferre, aut consultare cum Capitulo, sed sententiam, & vota Capituli sequi oporteat, ita ut si major pars contradicat, actus talis, v. g. alienatio, fieri non possit, & aliter corruat. Gonzal. *ad Reg. 8 Cancell. gloss. 46. n. 8. & gloss. 47. n. 8.* Ricc. *- decis. Cur. Neap. dec. 192. n. 3. p. 1.* ubi autem tantùm consilium Capituli requiritur, omninò quidem collatio, & consultatio cum eodem habenda sit, adeò ut actus sine prævia consultatione factus regulariter nullus, & invalidus censeatur, *c. 4. in fin. & ibi* Barb. *h. t.* Felin. in *c. ex parte 12. n. 1. de Constit.* Prælatus tamen pluralitatem votorum sequi non teneatur, sed contra omnium mentem, ac sententiam liberè, quod videbitur, disponere possit. *c. ex veteri 53. de Elect. & ibi* Panorm. *n. 11. c. cùm olim. de Arbitr.* Sylvester *V. consilium n. 4.* Sanchez *de Matrim. lib. 1. c. 34. n. 24.* & hoc sive in jure dicatur, aliquid fieri debere *de consilio*, sive dicatur *cum consilio.* Panormit. *d. c. ex veteri. num. 2.* Sylvester *d. n. 4.* Nec propterea frustratoria est hujusmodi consultatio: auditis namque rationibus Capitularium occurritur præcipitantiæ, & Episcopo ansa suppeditatur ulteriùs deliberandi. P. Engel *h. t. n. 1.*

§. III.

3 *Causa efficiens* consensûs Capituli alia est *remota*, alia *proxima.*

Remota est jus Canonicum, quod Prælatis necessitatem imponit requirendi consensum, aut consilium Capituli, sed talem, quæ per consuetudinem contrariam limitari, aut abrogari possit. *c. ea noscitur 6. & ibi.* Panorm. *n. 6. h. t. c. non est. 3. & ibi.* Passerin. *n. 8. de Consuetud. in 6.* prout defacto passim invaluit, ut extra causam alienationis Prælati in plerisque casibus, præsertim circa res non adeò graves, aut frequentiùs occurrentes, sine consensu, vel consilio Capituli procedant, teste Barb. *ad c. 1. h. t. n. 5.* P. Engl *n. 5.* Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 100. n. ult.* & quotidianâ praxi.

Proxima est Capitulum, quod consentit. 4
Quotiescunque autem in jure consensus Capituli requiritur, non est necessarium, ut omnes de Capitulo consentiant, sed sufficit consensus majoris partis: siquidem generaliter, quod facit major pars Capituli, totum facere censetur, ut *tit. seq.* dicemus. Assensus mediæ partis Capituli haud sufficeret, nisi Episcopus etiam esset Canonicus, & quà Canonicus, seu membrum Capitulo interesset: quippe tunc adjuncto voto Episcopi major pars assentiret. Gloss. in *c. un. V. assensu. Ne sede vacante aliquid innovet. in 6.* Passerin. *ibid. num. 20.*

§. IV.

Materiam, seu *Objectum* constituunt negotia, in quibus aut consensus, aut consilium Capituli requiritur. 5

Consensus regulariter requiritur in iis, quæ sunt majoris momenti. Innocentius in *c. edoceri. n. 4. de Rescript. & c. causam. de Judiciis.* Panormit. in *c. etsi Clerici. §. de adulteriis. num. 16. Eod.* ut I. in alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum. *c. sine exceptione 52. causa 12. q. 2. c. irrita 1. h. t.* Excipitur alienatio temporalis, in qua citurnitas, vel ratihabitio Capituli etiam ex postfacto superveniens locò consensûs habetur: *c. continebatur 2. c. cùm nos. 3. Eod.* & do-

donatio, quam facit Laicus Ecclesiæ de decimis, quas ab alia Ecclesia possidet, & ab antiquo, id est, ante Lateranense Concilium, in feudum habet: hæc namque solius Episcopi consensu firmatur *c. cùm Apostolica. 7. h. t.* eò quòd melius, & honestius sit, si alia Ecclesia decimas istas possideat, quàm si illæ à Laicis detineantur, *c. prohibemus 19. de Decim.* Panormit. in *d. c. cùm Apostolica. n. 3.* II. In præsentationibus, & collationibus eorum beneficiorum, quorum jus præsentandi, vel conferendi quoque ad Capitulum, Collegium, aut Conventum spectat, nisi aliud habeat consuetudo. *c. ea noscitur 6. h. t.* adeò ut sine consensu Capituli factæ præsentationes, & collationes irritandæ, vel potiùs ipso jure irritæ sint propter verba *c. ea noscitur cit. institutionis convenit evacuari*, hoc est, ut Barbosa *ibid. n. 5.* explicat, vacuas & nullas pronuntiari. III. Si Episcopus Ecclesias Collegio, aut Monasterio unire, aut si istæ parochiales sint, earum proventus, etiam accedente consensu Patroni Viris Religiosis, sustentatione congruâ Vicarii reservata, conferre velit. *c. tua nuper. 8. c. pastoralis 9. h. t.* sine dubio ideo: quia ejusmodi unio ac collatio est quædam species alienationis perpetuæ, quâ Successoribus Prælatis in jure conferendi, quod inter fructus Episcopales numeratur, præjudicium fieret, & Ecclesia, cùm non ampliùs gauderet proprio Rectore, quasi capite minueretur, ut ait Panormit. in *d. c. tua nuper n. 4.* Imò ut Episcopus Parochiæ proventus Monasterio concedere possit, præter consensum Capituli exigitur specialis licentia S. Pontificis *d. c. pastoralis & ibi* Fagnanus *n. 1. & 4.* IV. Ubi vertitur particulare interesse Capituli: siquidem quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *c. quod omnes tangit 29. de R. J. in 6.* & quotiescunque Ecclesiæ, vel Successoribus præjudicium potest generari, ut tradit noster Panorm. in *c. novit. 4. n. 7. h. t.*

Consilium Capituli spectato jure communi 6
in rebus levioris momenti necessarium est; veluti in institutionibus, & destitutionibus Abbatum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum in beneficiis præsertim majoribus: *c. novit. 4. c. quanta. 5. h. t.* in exercitio jurisdictionalium, & administratione temporalium extra casum alienationis; nempe in cognitione causarum: *c. penult. causâ 15. q. 7.* in puniendis Clericis: *c. si quid verò dist. 86.* in ferendis censuris suspensionis, excommunicationis, ac interdicti. *c. perv. 1. de Excess. Prælat.* Addidi: *spectato jure communi*: quippe aliud usus ostendit. Porrò quorum operâ, & consilio Episcopus in processu contra Canonicos uti debeat? præscribit Trident. in *sess. 25. de Reform. c. 6.*

§. V.

Forma, seu modus præstandi consensum 7
capitularem talis est, ut convocatis omnibus Canonicis præsentibus, qui jus suffragii in Capitulo habent, iisque in locum consuetum convenientibus in communi de negotio proposito tractetur, & singulorum rationes, ac vota percipiantur. arg. *l. nec venditio 2. & l. fin. C. de Prædiis Decurionum.* Jacob. Pignatell. *tom. 1. consult. 43. num. 1.*

§. VI.

Finis, ob quem SS. Canones ad ea, quæ fiunt 8
à Prælatis, consensum Capituli exposcunt, est, ne facilè aliquid in præjudicium Ecclesiæ fiat.

§. VII.

Effectus consensûs Capituli est, quòd negotium, seu actus, ad quem requiritur, eo omisso à Prælato gestus sit nullus, ac robore firmitatis careat. *c. irrita. 1. c. novit 4. in fin. c. ea noscitur 6. h. t. & ibi* Interpp. 9

Haud immeritò hìc *quæritur*: quomodo Capitulum probare possit consensum suum non interveniisse, v. g. in alienationem, si propterea eandem alienationem impugnare, ac irritare velit?

Ratio dubitandi est *primò*: quia negatio consensûs, cùm nullas habeat qualitates, per naturam probari non potest. *c. fin. causâ 6. q. 5. c. bonæ 23. de Elect. l. 23. C. de Probat.* Et pro *secundo* probari non potest per testes: cùm extranei non admittantur ad Capitulum, ipsi verò Capitulares sint testes in causa propria, adeóque inidonei per *l. 10. ff. l. 10. C. de probat.* *Tertiò* quia in casu, quo nullus tractatus, & positivus dissensus præcessit, sed ignorantibus Capitularibus alienatio facta est, non possent plures ex ipsis etiam Capitularibus de eodem dissensu deponere, sed quilibet solùm de suo non consensu, sicque in suis dictis singulares forent, & nunquam duo in eadem assertione convenirent, quâ ratione in electionibus duobus compromissariis, vel Senatoribus personam electam nominantibus creditur, etsi centum sint electores, & omnes respondeant, se huic votum non dedisse. *c. cùm dilectus 32. de Elect.*

Verùm modus specialis probandi traditur in *c. tertio loco. 5. de Probat.* juxta quod in tali casu etiam Capitulares, vel Conventuales pro testibus sunt admittendi, & prædictam negationem, seu defectum consensûs satis probant, si juratò deponant, se unanimiter contradixisse, dum facta est mentio alienationis: ex quo ea, quæ in Capitulo aguntur, per extraneos probari non possunt, qui ad Capitula admitti non consueverunt: *c. veniens 38. in fin. de Testib.* neque tunc directè in causa propria testantur, sed ipsius Ecclesiæ. *per c. 6. & 12. Eod.* Illo verò casu, quo nullus tractatus, vel positivus Capituli dissensus præcessit, verum quidem est, quòd plenè, & juridicè defectus consensûs probari nequeat, licèt singuli Capitulares deponant, se non consensisse, nihilominùs quia non est credibile, omnes dicturos falsum, unanimis ejusmodi Capitularium depositio præsertim jurata, aliquam saltem præsumptionem, si non semiplenam, probationem inducit de omisso consensu, ut propterea elidat illam præsumptionem contrariam, quâ aliàs actus præsumitur legitimo modo celebratus. Hostiens. *h. t. n. 1.*

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt à majori parte Capituli.

SUMMARIA.

1. Capitulum quid nominis? 2. Quid rei? 3. Quis possit convocare Capitulum? 4. Quinam sint Capitulares? 5. An etiam absentes vocari debeant? 6. Quæ dicantur negotia capitularia? 7. usque 11. Quæ conditiones requirantur, ut gesta per Capitulum valeant? 11. Cur congregetur Capitulum? 12. Quid juris circa ea, quæ fiunt à majori parte Capituli?

IN *præcedenti titulo* dictum est de his, quæ fiunt à Prælato, & Capitulo simul: in *præsenti* agitur de illis, quæ fiunt à *Capitulo* seu majori ejus parte.

§. I.

Capitulum derivatur à *Capite*, sub quo regi, & gubernari debet ad præbendâ consilia. *c. novit. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. & c. cùm Clerici 19. de V. S.* Olim dicebatur *Consilium*, seu *Senatus* Episcopi, vel Prælati, ut patet ex *c. si Episcopus 73. causâ 12. q. 2.* junctâ Gloss. 1

§. II.

Definitur Capitulum, quòd sit collegium Capitularium cum suo Capite congregatorum pro tractandis negotiis spectantibus ad statum Ecclesiæ ipsorum. 2

Addidi: *cum suo Capite*; quo nomine intellige Præpositum, aut Decanum, qui pars præcipua Capituli est, ejúsque appellatione continetur: Gloss. in *c. post electionem. 7. V. mentio. de Consess. prabend. & ibid.* Panormit. *num. 9.* non Episcopum, aut Prælatum, utpote qui Capitis à membris distincti locum ha-

habent, & non censentur de ipso Capitulo, vel Canonicorum Collegio. Panorm. *loc. cit.* Felin *in c. dilecti de M. & O.* Gloss. *in Clem. ut ii. 2. de Ætat. qualit. & ordin. præsic.* Decius *consil.* 642.

§. III.

3 *Causa efficiens* Capituli est Superior, qui convocat Capitulum. Pertinet autem potestas convocandi Capitulum in Ecclesiis Cathedralibus regulariter ad Episcopum, qui si rem majoris momenti Canonicis proponendam habeat, eam non aliis committere, sed ipse tractatui personaliter interesse, vota singulorum exquirere, & secundùm ea concludere debet. Quòdsi tamen Episcopus absit, vel de commodo ipsius, aut suorum agatur, tunc convocatio ista non Vicario, seu Officiali Episcopi, sed uni de Capitulo, ad quem de jure, vel consuetudine spectat, v. g. Præposito, Decano, aut Seniori competit. Trident. *sess. 25. de Reform. c. 6. & ibi* Barb. *n.* 42. ubi insimul addit, quòd Episcopus possit Capitulum pro lubitu convocare, dummodo non proponat causam ad commodum suum suorúmque spectantem: Capitulum autem ipsum se, quandocunque vult, valeat congregare, dummodo fiat solitis, & destinatis diebus, nec eo tempore, quo Divina officia celebrantur, nisi causa urgens dilationem non pateretur, ut idem Barb. fusiùs declarat in *tr. de Can. c. 35. per tot.*

§. IV.

4 *Subjectum* Capituli sunt Capitulares, qui congregantur. Veniunt autem nomine Capitularium in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Præpositus, Decanus, & cæteri Canonici: in Monasteriis Professi. Nec tamen ex illis, nec ex his omnes, saltem jure communi, sed ii solùm, qui in sacris, sive majoribus Ordinibus ad minùs Subdiaconatûs constituti sunt juxta *Clem. ut ii. 2. de Ætat. qualit. & ord. præsic.* & Trid. *sess. 22. de Ref. c. 4.* quæ statuunt, ne quicunque Clerici sive sæculares, sive regulares jure suffragii, ac voce in Capitulo gaudeant, nisi Ordine quodam majori, saltem Subdiaconatûs insigniti sint. Optimâ ratione, ut ita, qui Divinis officiis mancipati sunt, propensiùs inducantur ad suscipiendos Sacros Ordines, & ne redditibus Ecclesiasticis suffarcinati retrocedant, & statui Clericali valedicant. Gloss. *in d. Clem. ut ii.* Jacob Pignatel. *tom. 8. consult. 115. n. 1.* Hinc votum datum ab eo, qui non est in sacris, invalidum esse, etiamsi hoc sibi ab aliis fuerit concessum, post Lecan. Cuch. Tambur. & alios docet idem Jac. Pignat. *tom. 1. consult. 226. n. 4.* Sanè in quibusdam Religionibus quoties magni momenti negotia tractanda sunt, ex specialibus, & ab ipsis Ordinum fundatoribus conditis, atque à Sede Apostolica confirmatis statutis vocem in Capitulo Professi quoque juniores habent, teste P. Engl *h. t. n. 7.*

Juvat hoc loco attingere illam *controversiam*: an, & quando ad actum capitularem vocandi sint capitulares etiam absentes? 5

Glossa in *c. 2. de Test ib. in 6.* in tribus solummodo casibus absentes vocandos esse adstruit. *Primus* est, cùm eligendus est vacantis Ecclesiæ Prælatus. *c. quia propter 42. de Elect. Secundus*, cùm aliquis recipiendus est in Canonicum, aut facienda collatio præbendarum, & beneficiorum. *c. cùm in Eccles. 33. de Præb. & dignit. in 6. Tertius*, cùm indicenda est cessatio in Divinis. *c. quamvis de Offic. Ordin. in 6.* Glossam sequuntur communiter alii propter *c. ea enim 2. causâ 10. q. 2.* ubi ad alienationem rei Ecclesiasticæ, quæ utique res ardua est, non vocantur absentes, sed consensus majoris partis *ibidem servientium* sufficere dicitur.

Verùm Felin. in *c. cùm omnes n. 22. de Constit.* Innocent. in *c. 2. de Novi op. nunt. post medium.* Panorm. in *eod. c. 2. n. 10. & in c. 1. n. 15. h. t.* Layman in *c. ult. n. 3. de Major. & obed.* tribus casibus Glossæ alios duos addunt, &

& quidem inprimis, si memoratis similes, aut magis arduæ causæ sint pertractandæ: quandoquidem ratio unica Glossæ, cur in præfatis casibus debeant vocari absentes, stat in arduitate causarum. Deinde si, quod decernendum est, tendat in præjudicium solorum absentium, ut ipsamet Glossa notat in *c. 1. v. constituendum h. t.* per text. *in l. per fundum. ff. de Servit. prad. rustic.* Ego propterea in hanc sententiam magis propendeo, quòd extensio hæc, & absentium Capitularium vocatio spectet utilitatem Ecclesiarum, ac proinde favorabilis sit arg. *c. cùm dilecta. 4. de Confirmat. util. vel inut. Ad c. ea enim 2. causâ 10. q. 2.* Respondeo, illam, de qua agit, alienationem, utpote factam in casu licito necessitatis, non fuisse magni præjudicii, & ibi Ecclesiam cum moræ periculo absentes exspectare nec potuisse, nec debuisse.

§. V.

6 *Materia, seu Objectum* Capituli sunt actus ac negotia, ad quæ tractanda Capitulares vocantur, & in loco capitulari congregantur.

§. VI.

7 *Formam* Capituli respicit legitima Capitularium ordinatio, & modus capitulariter procedendi. Plura igitur concurrant, oportet.

8 I. Requiritur, ut omnes, qui jus suffragii habent, solenniter, id est, per edictum publicè affixum, campanæ sonitum, per Nuntium, literas, vel alio usitato modo vocati fuerint. arg. *l. 2. C. de Decurionib.* Quòd si vel unus præteritus sit, potest agere de contemptu, & actum irritare: quia plùs operatur contemptus unius, quàm contradictio multorum. *c. quod sicut. 28. de Elect.* Atque hoc non tantùm in materia electionis, sed universim in omnibus actibus, ubi consensus Capituli exigitur, observari debet. Panor. *in c. 1. n. 16. h. t.*

II. Requiritur, ut Capitulares vocati in loco capitulari, vel alias idoneo uno, eodémque tempore congregentur: neque enim singulorum dispertita, sed communis demum, & simultanea eorum præsentia collegii formam præbet, nemènque meretur arg. *c. in genesi. 55. de Elect. l. penult. & ult. C. de Legation.* Unde tametsi singuli Capitulares seorsim aliquid promittant, & suam voluntatem, ac consensum declarent, non potest dici capitulum consensisse, aut actum talem expediviſſe, nisi communiter tractatus sit habitus. *c. fin. h. t.*

Sed quid dicendum de non comparentibus, 9
& si fortè non omnes Capitulares consultationi interfuerint? Et necessum non esse, ut omnes compareant, & absentium, si legitimè convocati fuerint, rationem non haberi, modò duæ minimùm partes ex toto Capitulo præsentes fuerint. arg. *l. 3. & 4. ff. Quod cujuscunque Universit. & ibi* Bartol. *n. ult.* Boër. *dec. 1. n. 4.* Panormit. *in c. 1. n. 16. h. t.* Jacob Pignatell. *tom. 1. consult. 43. n. 1.* quippe Ordo aliter non habetur, quàm duabus partibus adhibitis. *l. 3. ff. de Decret. ab ordine fac.* Quamvis verò nonnulli contendant, duas partes semper adesse debere, & nolentes venire in numerum illarum duarum partium, quæ regulariter præsentes esse debent, non computari, sed rationem eorum haberi, nec absque illis posse quid peragi, per ea, quæ tradunt Everh. *cons.* 100. *n. 1.* Burſat. *consil.* 107. *n. 3.* Mod. Pistor. *cons.* 45. *n.* 67. verius tamen putem, si per contumaciam, & volentes absint, totam facultatem statuendi, ac decidendi residere penes præsentes, ut docet Panorm. *in c. cùm omnes. 6. de Constit. & in c. in causis. 30. colum. 3. de Elect.* adeò ut tunc unus solus præsens coram vocatis testibus votum suum dicere possit. Innocent. *in c. 42. num. 5. Eod.* & Ego cum Zœpolla *ibid. sub. num. 23.* sibi enim imputent contumaces, quòd in contumaciæ suæ pœnam votis suis careant, jurique suo ipsimet præjudicent.

III. Requiritur, ut congregato sic Capitulo to
res, sive negotium deliberandum, ab eo, qui præ-

præsidet, exponatur, quò quilibet sententiam suam in medium proferre possit. Et siquidem *major, & sanior pars* Capitularium convenerit, pro eo habetur, ac si omnes convenissent per *c. 1. h. t. & l. 19. ff. ad Municipalem.* ut enim tritissimum sonat brocardicum: *in rebus ad universitatem, ut universitatem, spectantibus majora concludunt.* Martin. Rumelin. *dissert. 3. ad aur. Bull. §. in addit. lit. a.* Censetur autem pars major, quæ numerô excedit, habito respectu non ad alias partes in diversa euntes, sed ad totum Capitulum præsens, ut si ex duodecim Canonicis præsentibus octo, vel septem consentiant. *c. si cui 23. de Elect. in 6.* *Sanior* verò *pars* dicitur, quæ majoritatione, prudentiâ, & pietate nititur. *c. sana. 11. dist. 9.* In dubio tamen, & nisi contrarium probetur, pars *major*, etiam *sanior* præsumitur per *c. illud 5. dist. 23. c. in nostra. de Testib. & c. 21. de offic. deleg.* Fagn. *in c. 1. h. t. n. 4.* Porrò pars minor quando sanior est, majori quidem parti potest contradicere, ejúsque decreta mediante appellatione ad Superiorem impedire, decernere autem nomine Capituli sine illius consensu nihil valet, nisi pars major fortè ob delictum jure suffragii privata esset. Panorm. in *c. cùm in cunctis. 1. h. t. n. 11.* Ern. Pirrhing. *n. 3.*

§. VII.

11. *Finis*, ob quem Capitulum congregatur, est communis Ecclesiæ utilitas. Ne ergo Capitulares privatam utilitatem spectent: quippe verissimè alicubi Livius, quòd *respectus rerum privatarum offecerit, officiátque publicis consiliis.*

§. VIII.

12. *Effectus* Capituli est, quòd vota majora concludant, & pars major obliget minorem, etiam invitam. *c. fin. h. t.* Quod procedit in casu, quo agitur de jure communitatis, vel Ecclesiæ: secus si agitur de re, ac jure singulorum: tunc enim locum habet regula: *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. c. 29. de R. J. in 6.* & illa: *in re communi potior est conditio prohibentis. c. 56. Eod. in 6.* nimirum ubi res communis ad plures non jure Collegii, sed jure singulorum spectat. Quamobrem si major pars Capitularium consentiat, aliquid de suis redditibus remittere, & ad certum usum pium applicare, reliquis non præjudicat, nisi statuat, ut quilibet Capitularium certam portionem reddituum contribuat ad reparandam Ecclesiam Cathedralem, quo casu pars major ad se trahit, & obligat minorem, eò quòd Canonici recipiant quidam redditus jure singulorum, non tamen omninò absoluto, sed potiùs respectivo, & cum tacito onere ex authoritate juris annexo, ut in casum necessariæ reparationis conferant ex superfluis *d. c. fin. h. t. & ibi* Barb. *n. 2. & 4.* Panorm. *n. 7.* Pirrhing. *sub. n. 8.* & alii uno ore.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

DEnique post tradita de beneficiis, & beneficiorum collationibus, hîc regula statuitur, ut *sine diminutione conferantur.* Quæ diminutio fieri censetur *beneficiorum unione: divisione: dismembratione: suppressione: pensionis, aut oneris impositione.*

Pars I.

De Beneficiorum Unione.

SUMMARIA.

1. Unio quid nominis? 2. Quid rei? 3. Quotuplex? 4. Quinam possint unire beneficia? 5. 6. 7. Quæ beneficia uniri possint? 8. Quæ causa? 9. Quæ solennitates requirantur ad unionem? 10. Quis sit finis unionis? 11. & seqq. Qui effectus?

§. I.

1 *Unio ab uniendo* appellatur, eò quòd per hanc duæ, vel plures Ecclesiæ ob evidens quoddam commodum in unum conjungantur. Finckelth. *de Jure patronat. c. 5. n. 57.* Vulgò *incorporatio* indigitatur.

§. II.

2 *Definitur* beneficiorum unio, quòd sit duorum vel plurium beneficiorum, aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio Superiore facta connexio. Rebuff. in *Prax. benef. tit. de Union. benefic. num. 2.*

§. III.

3 *Dividitur* beneficiorum unio in temporalem, & perpetuam *Temporalis* dicitur, quæ ad certum tempus restricta est, ut si fiat contemplatione personæ ad ejus vitam. Et hæc non est propriè dicta unio, sed potiùs dispensatio, aut reservatio, per quam beneficium ad vitam reservatur illi, in cujus favorem fit unio Rebuff. *loc. cit. n. 9.* *Perpetua* vocatur, quæ fit absque determinatione temporis, ac in favorem Ecclesiæ, ejúsque utilitatem permittitur. Et hæc fit, quando exprimitur, ut perpetuò duret juxta *c. 33. ibi: de Capellis in perpetuum annectendis. de Prabend.* vel quando additur: *ad perpetuam rei memoriam: vel, ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. c. 5. de Rescript. in 6.* vel si fiat contemplatione Ecclesiæ. *c. novit. 1. Ne Sede vacante.* Pirrhing. *de Prabend. num. 200.*

§. IV.

4 *Causa efficiens* hujus unionis est uniens. Potest autem unire beneficia non modo S. Pontifex, aut Legatus de Latere, sed etiam Episcopus: *sicut enim unire Episcopatus, atque potestati subjicere aliena ad S. Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est, Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earundem.* Textus in *c. sicut unire. de Excessib. Prælat.* Idémque statuit Concilium Viennense *in Clem. 1. §. ad hæc. de Statu Monach.* & Trident. in *sess. 21. c. 1. de Reform.* Imò Mohed. *dec. 3. de Offic. Vicar.* docet, quòd & Vicarius generalis beneficia uniendi facultatem habeat, ex quo unire beneficia est jurisdictionis ordinariæ, & quidem contentiosæ, cùm actus unionis subsistente causâ exerceatur in invitum, *l. 2. ff. de Offic. Proconf.* omnia autem, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ regulariter ad Vicarium generalem transeunt. Felin. *in c. eam te. num. 17. in pr. de Rescript.* & Ego *supra ad tit. de Offic. Vicar. n. 21.* dissentit Rota apud Puteum *lib. 3. dec. 53.* & Rebuff. *in Prax. Benef. tit. de Forma Vicariatûs. n. 102.* ubi asserit, quòd hæc potestas Vicario non censeatur concessa, etsi post facultatem conferendi sit adjecta clausula potestatis faciendi majora expressis juxta *c. qui ad agendum. de Procurator. in 6.* Cæterùm unio est de reservatis Episcopo, & denegatur inferioribus Prælatis licèt ad eos Ecclesiæ pleno jure spectent. Panorm. & Joan. Andr. *in d. c. sicut unire. n. 2. de Excessib. Prælat.* nisi in hisce Ecclesiis jurisdictionem quasi Episcopalem exerceant. Petr. Gregor. Tholosan. *de Benef. c. 20. n. 7.* P. Engl *h. t. num. 10.*

§. V.

Materia, seu Objectum unionis sunt Ecclesiæ, ac beneficia, quæ uniuntur. Permittitur autem Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, ut possint facere uniones quarumcunque Ecclesiarum parochialium, aut aliorum quorumcunque beneficiorum, sive curatorum, sive non curatorum suæ Diœcesis, ob paupertatem aliámve justam causam, licèt illa forent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta. Trident. *sess. 21. de Reform. c. 5.* ita scilicet, ut reservatio, quamvis generalis, si est tantùm circa collationem, quam solam sibi Papa reservat, non impediat unionem, sive fiat ante, sive post, solúmque suspendat effectum, donec reservatio antecedens consumatur: quan-

quandoquidem unio nomine collationis non venit. Pirrhing *ad tit. de Præbend. n.* 106. Secus est, quando reservatio habet verba generalia, non solùm collationem comprehendentia, sed quamcunque aliam dispositionem, tunc enim sub eisdem verbis generalibus unio prohibita censetur, Panormit. in *c. sicut unire sub num.* 7. *de Excess. Prælat.*

6 Reperias tamen beneficia, quæ uniri prohibentur. Ita I. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 9. interdicit, ne beneficia diversarum diœcesium, sive curata, sive simplicia, quacunque de causa, etiam ad cultum Divinum augendum, perpetuò uniantur, ne per talem unionem limites diœcesium confundantur. II. Idem Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. c.* 13. vetat, ne imposterum Ecclesiæ parochiales uniantur Monasteriis quibuscunque, aut Abbatiis, sive Dignitatibus, vel præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, aliisve beneficiis, vel piis locis. Quo tamen decreto non obstante potest Episcopus facere unionis Parochiarum pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, Monasteriorum, & aliorum priorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, bonarúmque artium cultum. Barb. in *Collect an. ad Trident. loc. cit. n.* 10. *& seq. & J. E. U. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 34. & multò magis unire potest sæcularia quoque beneficia simplicia, vel curam duntaxat habitualem habentia: siquidem exceptio Tridentini tantùm de Parochialibus Ecclesiis firmat regulam in aliis Ecclesiis non exceptis: neque plùs censetur de jure veteri mutatum, quam expressum. *l. præcipimus* 32. *§.* 6. *C. de Appell.* P. Engel *de Capell. Monach. num.* 17. III. Idipsum Concilium in *sess.* 24. *de Reform. c.* 15. decernit, ut in Cathedralibus & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeóque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loco, & personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, aliquot beneficia simplicia, non tamen *regularia*, iis unire.

An verò beneficia nondum vacantia Monasteriis, Collegiis, vel certæ alicui dignitati, aut beneficio uniri possunt? *Scrupulum* movet, quòd S. Concilium Tridentinum in *cit. sess.* 24. *c.* 19. generaliter quascunque gratias ad beneficia vacatura deinceps concedi prohibeat, incorporatio autem, sive unio beneficii procul dubio involvat gratiam ad beneficium vacaturum, & quidem majorem, quàm simplex collatio, utpote perpetuam, & talem, quæ non exspiret, etiamsi is, cui gratia facta est, v. g. Abbas præmoriatur, antequam beneficium unitum actu vacare incipiat. 7

Attamen expediti juris est, quoad uniones, & incorporationes beneficiorum nihil immutatum esse, consequenter ut olim, ac jure veteri, ita hodiedum beneficia non vacantia uniri posse: inprimis quia Concilium Trident. *cit. c.* 19. tantùm loquitur de concessione beneficii in titulum, non de concessione in proprietatem, ut optimè observat Garc. *de Benefic. p.* 10. *c.* 1. *num.* 24. Quin imò idem Concilium *sess.* 21. *de Reform. cap.* 5. Episcopis impertitur licentiam uniendi quascunque Ecclesias & beneficia, *sine tamen præjudicio obtinentium*, ut textus sonat, adeóque supponit unionem fieri posse de beneficiis non vacantibus. Deinde ratio, ob quam Tridentinum gratias exspectativas proscribit, est votum captandæ, aut optandæ mortis alienæ: quæ hòc ipsò circa gratiam unionis cessat, quòd non exspiret, quantumvis Prælatus, qui eam obtinuit, moriatur ante beneficiatum, cujus beneficium unitum est. Accedit, quòd jure quoque communi Episcopis prohibitum fuerit, beneficia nondum vacantia alteri concedere in titulum propter votum captandæ mortis, nec tamen ob istam ratio-

nem illis interdictum sit, talia beneficia vivente, & omninò inconsulto priori Beneficiato alteri Ecclesiæ, vel dignitati unire. *c. cùm venissent 9. de Restit. spoliat. Clem. 2. de Reb. Eccles. non alien.*

§. VI.

8 *Formam* unionis præcipuè duo absolvunt: nempe causa, & solennitas canonica.

Causa est vel necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas. *c. exposuisti 33. de Præb.* Necessitas, veluti cùm duæ Ecclesiæ adeò sunt pauperes, ut impossibile sit, earum proventus ad victum duorum Sacerdotum sufficere, aut si altera hostium immanitate sit desolata. *c. postquam 49. causâ 16. q. 1. Clem. ne in agro 1. §. ad hæc de Statu Monach.* Utilitas, ut cùm locorum opportunitas, seu vicinitas id exposcit, vel temporis qualitas; ut puta, quia in loco nunc Christianorum dicitur imminutus numerus, aut quia ob fructuum tenuitatem non perinde idonei Sacerdotes ad procurandum beneficium inveniuntur. *c. eam te 4. de Ætat. qualit. & ord. præfic.* Neque verò sufficit utilitas, vel necessitas simplex, sed evidens desideratur, ac præcisa, quâ excludatur quæcunque dubitatio. Rota *dec. 65. n. 17. p. 2. divers.* Unde est, ut si propter indigentiam, aut tenuitatem reddituum fiat, opus sit occurrere difficultati, quæ oritur ex eo, quòd usque tunc Ecclesia, cui fit unio, se sustentaverit: id quippe satis est ad hanc causam evertendam. Oldrad. *consil. 262. num. 1.* qui n. 2. etiam monet, præcavendum, ne excedat causam suam, & eo prætextu unio fiat in immensum. Imò ut de egestate Ecclesiarum constet, verus annuus valor tam Ecclesiæ uniendæ quàm illius, cui uniri petitur, exprimendus est secundum *Regul. 21.* aliàs *22. Cancel. lar. de Unionib.*

9 *Solennitas* duo concernit, videlicet tractatum, ac vocationem eorum, qui per unionem beneficiorum lædi possunt.

Tractatus, in quo causa necessitatis, vel utilitatis disquiritur, debet fieri cum Capitulo. *Clem. si una 2. de Reb. Eccles. non alien.* sine dubio propter arctissimam conjunctionem, & consortium, quod est inter Episcopum & Capitulum, cum quo adeò omnia negotia ardua expedire debet *c. novit. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Cap.* Rota *dec. 222. n. 4. p. 9. Recent.* Et ideo in Ecclesiis de jure patronatûs, licèt Patronus in unionem consentiat, Episcopum adhuc sui Capituli consensum debere adhibere, respondit Rota *dec. 688. n. 2. p. 1. Recent.* Pro validitate tamen unionis sufficit, si postmodum Capituli consensus accedat. Rota *dec. 133. n. 9. & segq. p. 2. divers.* P. Engel *h. t. n. 11.* imò ex probabili sententia sufficit consensus præsumptus, etiam ex simplici temporis decursu. Gabriel *consil. 200. n. 5. & 6. lib. 1.* Verùm in unione Mensæ Capitulari, vel Episcopali facienda ne quidem consensus Capituli sufficit, sed Papæ auctoritas requiritur. *d. Clem si una 2.* ne iidem de Capitulo videantur auctorizare in re sua, quod fieri non debet. Rota *dec. 1. n. 2. in fin. de Eccles. adific. in antiq.*

Quoad *vocationem* eorum, qui possunt interesse prætendere, notandum, ex necessitate vocandum esse tam Patronum, seu eum, cui Ecclesia quoquo modo subest, quàm Collatorem. *c. suggestum. 20. de jure patronat. Clem. 1. §. ad hæc de Statu Monach.* Zabarell. in *d. Clem. si una n. 3. de Reb. Eccles. non alien.* ita ut neglecto eorum consensu irrita sit unio. Zypœus *lib. 5. consult. can. consult. 7. n. 15.* Rota *dec. 688. n. 2. p. 1. Recent.* De Rectore verò omnes conveniunt, ejus vocationem non esse necessariam, ut cui nullum fit præjudicium, cùm sit de ratione unionis, ut ejus executio suspendatur, donec, qui beneficium unitum obtinet, cedat, vel decedat. *c. consultationibus. de Donation.* Trident. *sess. 21. de Reformat. c. 5.* Rota *dec. 133. n. 13.*

num. 13. *p.* 2. *divers. & dec.* 565. *num.* 2. *p.* 5. *tom.* 2. *Recent.*

§. VII.

10 *Finis* unionis beneficiorum est utilitas, & dignitas Ecclesiarum, ut innuit Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 15. in illis verbis; *ut Divino cultui celebrando, & dignitati Ecclesia commodè valeant respondere.*

§. VIII.

11 *Effectus* Unionis beneficiorum variat pro triplici uniendi ratione: nam

I. Si duo beneficia, sive Ecclesiæ ita uniantur, ut in unum quasi corpus distinctum coalescant, ut si ex duabus Ecclesiis Parochialibus, quarum tenues valde sunt redditus, una fiat Ecclesia parochialis tertia, hujusmodi unio operatur, ut prærogativæ & privilegia data uni Ecclesiæ competant & alteri, & si contraria sint, meliora, ac favorabiliora serventur. Rota *dec.* 37. *n.* 2. *p.* 10. *& dec.* 156. *n.* 6. *p.* 11. *Recent.* Rebuff. in *Prax. Benef. tit. de Unionib. Benef. n.* 11. Garc. *de Benef. p.* 12. *c.* 2. *n.* 7. qui *n.* 12. rectè advertit, hunc uniendi modum rarum, & parùm frequentem esse.

12 II. Si ita uniuntur Ecclesiæ, ut in unum veluti corpus minimè redigantur, sed ut una superior, & principalis existat, altera verò inferior, ac tanquam accessorium subjiciatur, hoc casu inferior Ecclesia amittit nomen beneficii, quod per unionem suppressum, & extinctum est. Gloss. in *Clem. per literas* 2. *de Prabend.* Rota *dec.* 11. *num.* 1. *&* 2. *de Reb. Eccles. non alien. in antiq.* & è contrario induit nomen, & naturam ejus beneficii, cui annexa est, atque consequenter illius quoque privilegiis fruitur per *c. recolentes* 3. *de Statu Monach.* Riccius *tom.* 1. *resolut.* 387. *num.* 4. *& resol.* 391. *num.* 1. Navar. *consil.* 6. *de Verb. signif.* Petr. de Perus. *in tr. de Unione Ecclesiar. c.* 2. *n.* 10. *&* 19. Hinc omnia jura tam temporalia, quàm spiritualia cum omnibus emolumentis beneficii uniti transferuntur ad beneficium, cui fit unio. Seraph. *dec.* 1009. *n.* 4. Rota *dec.* 710. *n.* 2. *in fin. p.* 2. *Recent.* Petr. de Murga *tr. de Benef. q.* 2. *num.* 531. Hinc per unionem Ecclesia sæcularis, si uniatur regulari, proprio statu mutato fit regularis. Rebuff. *de Benef. V. Beneficium regulare.* Rota in *Parochiali Vicaria de Stella* 14. *Decemb.* 1652. *coram Ottobono.* Petr. de Murga *d. n.* 531. *& q.* 4. *n.* 26. *&* 29. aut si Ecclesia, cui facta est unio, sit exempta à jurisdictione Episcopi, & Papæ immediatè subjecta, etiam beneficium tali Ecclesiæ unitum erit exemptum. Duran. *dec.* 303. *num.* 3. *&* 4. Rota *dec.* 30. *num.* 4. *&* 7. *p.* 11. *Recent.* quæ loquitur in terminis exemptionis etiam à jure sententiali. Hinc quoque beneficium unitum nunquam dicitur vacare, cùm ejus principalis Rector sit is, cujus Ecclesiæ unitum est; neque in tali beneficio locum habet terminus Lateranensis Concilii de devolutione ad Episcopum ob vacantiam ultra 6. Menses. Joan. Honor. *tit. de Prabend. p.* 4. *num.* 6. Barb. *de Offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 58. *n.* 16. P. Engel. *de Capellis Monach. num.* 11. ubi prolixè differit, quid juris Monasterium habeat in Parochiis pleno jure unitis.

III. Si Ecclesiæ æquè principaliter, & ita adunentur, ut neutra alteri supponatur, hæc unio id solùm operatur, ut Rector unius sit etiam Rector alterius beneficii, de cætero utrumque manet in suo pristino statu cum omnibus ad sui naturam, titulum, qualitates, privilegium, & nomen pertinentibus. Gloss. in *c.* 1. *Ne Sede vacante.* P. Engel *h. t. n.* 9. Petr. de Murga *tr. de Benef. q.* 4. *num.* 12. cum citatis, adeò ut unum sub altero non comprehendatur in impetratione, nisi de utroque sit facta mentio. Garc. *de Benef. p.* 12. *c.* 2. *n.* 43. Rota *dec.* 353 *num.* 11. *p.* 10. *Recent.* Quoniam verò duo beneficia æquè principaliter unita intelliguntur unita respectu Rectoris, propterea si duo Episcopatus ita uniti fuerint,

rint, Episcopus residendo in uno potest explere negotia utriusque: & similiter in uno tantùm Vicarium generalem constituere, ad quem subditi utriusque diœcesis accedere debeant, siquidem quoad Episcopum una duntaxat diœcesis reputatur. Rota *part. 4. tom. 3. Recent. dec.* 537. *num.* 7. Cavaler. *dec.* 418. *num.* 2. & 3.

14 *Quærenti*, unde cognosci possit, an unio *principaliter*, vel *accessoriè* facta sit, peroptimè respondet Ferdin. de Castro Palao *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 6. *punct.* 12. §. 1. *num.* 10. ubi tres veluti notas observandas ostendit. *Prima* est, ut inspiciatur tenor unionis: si enim instrumentum, aut rescriptum dicat: *illud, & illud beneficium unimus;* unio est æquè principalis; si autem dicat: *tale beneficium illi beneficio unimus, & incorporamus;* censetur unio accessoriè facta. Rota *dec.* 30. *n.* 8 *p.* 11. *Recent. Secunda*, ut si ex verbis unionis id colligi nequeat, spectetur, quod beneficium magis dignum; & illud judicandum est, esse principale unitum, & minùs dignum esse accessoriè unitum: quia juxta vulgatum: magis dignum trahit ad se minùs dignum *c. quod in dubiis de Consecr. Eccles. vel altar. Tertia*, ut, si beneficia æqualia appareant, attendatur, an ex uno solùm beneficio denominatio proveniat, & illud judicabitur principale unitum, aliud accessoriè, cùm in hac æqualitate sola unio accessoria causa esse possit hujus denominationis. Rota *dec.* 114. *n.* 6. *p.* 2. *divers.* Maximè autem observandum erit ad usum, & consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Verùm si omnibus consideratis res adhuc dubia sit, præsumendum est, unionem æquè principaliter, & non accessoriè factam esse, ex quo præsumptio sumi debet potiùs pro conservatione, quàm extinctione beneficii. *c. Abbate de V. S.* Cels. *dec.* 76. *n.* 7. Rota *dec.* 330. *n.* 2. *coram Cavaler.*

Pars. II.
De Divisione Beneficiorum.

SUMMARIA.

15. Definitur divisio beneficiorum. 16. à quo? 17. in quibus beneficiis? 18. ex quâ causâ? 19. qui solennitate faciendâ sit? 20. Quis sit finis? 21. Quis effectus hujus divisionis?

§. I.

Definitur divisio beneficiorum, quòd sit 15
sectio unius beneficii in plura; ut si ex uno Episcopatu fiant duo: ex una Ecclesia Parochiali duæ: ex uno Canonicatu duplex Canonicatus, vel unus Canonicatus, & portio. Garc. *de Benef. p.* 12. *c.* 4. *num.* 1.

§. II.

Causa efficiens divisionis beneficiorum est, 16
qui ea dividit. Pertinet autem divisio Ecclesiarum Cathedralium ad solam, & supremam S. Pontificis potestatem juxta illud ab Host. in *c. sicut unire. de Excess. Prælat.* relatum: *Erigit, & subjicit Cathedras, & dividit unus.* Parochias verò, aliáque beneficia inferiora etiam Episcopus, vel alius, qui jurisdictionem Episcopalem exercet, dividere potest: quicunque enim habet uniendi potestatem, illi quoque facultas dividendi conceditur arg. *c. avaritiæ.* 10. *de Prabend.*

§. III.

Materia, seu *objectum* est beneficium, quod 17
dividitur; ex parte cujus necessarium est, ut habeat sufficientes redditus pro duabus præbendis, sive ad duos Beneficiatos honestè alendos; alioquin divisio fieri non debet, & si defactò sit facta, tum Episcopus dividens obligatus est, ex beneficiis, quæ vacaverint, integrare præbendas, ita ut portio aliqua ex beneficiis abundantibus adimatur, eáque tenuioribus adjiciatur. Non tamen requiritur, ut præbendæ de novo erectæ sint æquales antiquis, sive ut æquales redditus habeant, sed satis est, si habeant sufficientes redditus pro sus-

sten-

stentandis singulis Beneficiatis. *c. vacante.* 21 & ibi Panorm. *n.* 2. & 4. *de Prabend.* Petr. de Murga *tr. de Benef. q.* 6. *n.* 4. & 20.

§. IV.

18 *Forma* divisionis beneficiorum stat in requisitis, quæ duo.

Primum est justa, & rationabilis *causa*, videlicet necessitatis, vel utilitatis, *d. c. vacantia.* 26. *de Prabend.* Et utraque talis esse debet, ut eis alio modo congruè provideri non valeat. *c. quoniam* 14. *de Offic. ordin. c. ad audientiam.* 3. & *c. fin. de Eccles. edif.* Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 4. Rota *dec.* 223. *n.* 10. *p.* 6. *Recent.* ubi dicit, dispositionem *d. c. ad audientiam* procedere, quando aliter provideri non potest. Ideo non est causa sufficiens beneficia dividendi, ut multiplicatione beneficiorum augeatur cultus Divinus, cùm hoc cultûs Divini augmentum à beneficio non exigatur. Lambertin. *de Jure patron. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 12. *art.* 7. item non est sufficiens causa dividendi parochiale beneficium multitudo Parochianorum, si exclusâ divisione omnibus Parochianis commodè Sacramenta administrari possint ab ipso Rectore, & ab aliis Clericis in adjutorium assumptis, ut innuit Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 4. P. Engl. *ad tit. de Paroch. n.* 3. Petrus de Murga *cit. q.* 6. *num.* 5. & *seqq.*

19 *Alterum*, quod requiritur, est, ut interveniat consensus Capituli arg. *c. novit.* 4. *de his, quæ fiunt à Prælat. Clem.* 2. *de Reb. Eccles. non alien.* cùm per divisionem alteretur status Ecclesiæ, eáque sit quædam species alienationis. Pirrhing. *ad tit. de Prabend. n.* 233. Consensus autem Rectoris, cujus est beneficium dividendum, non desideratur, cùm Trident. *cit. sess.* 21. *c.* 4. dicat etiam invitis Rectoribus id fieri posse. Neque item exigitur consensus Parochianorum, cùm idem S. Concilium totam hanc causam judicio Episcopi remittat, citari tamen debent & audiri, sicut etiam Patronus, si fortè rationabilem contradicendi causam habeant. P. Engl. *h. t. num.* 4.

§. V.

Finis divisionis beneficiorum est augmen-20 tum cultûs Divini, & utilitas Ecclesiæ.

§. VI.

Effectus hujus divisionis est, quòd ex uno 21 faciat duo, vel plura beneficia, ita ut divisis fructibus duo imposterum beneficiati instituantur. Notat verò Petr. de Murga *d. q.* 6. *n.* 22. decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure in Ecclesiam Parochialem noviter erectam, sed in arbitrio Episcopi esse, an decimas, vel alios fructus eidem assignare velit.

Pars III.

De Dismembratione Beneficiorum.

SUMMARIA.

22. Quid sit dismembratio? 23. Quis possit dismembrare beneficia? 24. Quæ beneficia admittant dismembrationem? 25. Quæ causa? 26. Quæ solennitas ad dismembrationem desideretur? 27. Assignatur dismembrationis finis. 28. Effectus.

§. I.

Definitur dismembratio, quòd sit separa-22 tio aliquorum fructuum, & reddituum beneficii ab ipso beneficio, ut alteri beneficio, vel loco pio applicentur. Garc. *de Benef. p.* 3. *c.* 3. *num.* 1.

§. II.

Causa efficiens dismembrationis est S. Pon-23 tifex, cui plena in beneficiis potestas, ác omnimoda dispositio competit: *c.* 2. *de Prabend. in* 6. & Episcopus, seu Ordinarius, qui ex justa causa portiones, seu redditus beneficiorum etiam in Ecclesiis, seu Parochiis, quæ Monasteriis, aut Collegiis incorporatæ sunt minuere, seu dismembrare potest, salvâ tamen unione, ut ex *c. avaritiæ* 10. *de Prabend.* à sensu contrario colligit Pirrhing. *eod. tit. n.* 223.

§. III.

§ III.

24 *Materiam, seu Objectum* dismembrationis constituit beneficium, quod dismembratur. Ubi notandum *primò*, non posse Episcopum parochiæ, seu curati beneficii fructus dismembrare, ut simplici beneficio applicentur, eò quòd Concilium Trid. *sess. 25. de Reformat. c. 16.* simpliciter prohibeat, beneficium curatum in simplex converti; quod intelligendum est, etiam in aliqua parte fructuum, ut S. Congregatio declaravit apud Petrum de Murga *tr. de Benef. q. 5. num. 3. & 5.* Pyr. Corrad. in *Prax. benef. lib. 3. c. 2. n. 13.* Notandum *secundò*, minùs posse Episcopum separare, seu dismembrare ab Ecclesia Parochiali beneficia simplicia, seu oratoria unita, tametsi his separatis Parochialis non indigeret, eò quòd hâc ratione Parochialis ex parte in simplex beneficium converti videatur contra Trident. *d. c. 16.* ut iterum à S. Congregatione decisum esse, refert Garc. *de Benef. p. 12. c. 2. n. 87.* & cum hoc Petr. de Murga, & Pyr. Corrad. *ubi supra* Aloys. Riccius *in praxi fori Eccles. dec. 492. num. 1.*

§. IV.

25 *Forma* dismembrationis exigit causæ, & solennitatis concursum.

Justa *causa* regulariter reputatur, quæ implicat animarum periculum, cui aliâ ratione non potest prospici juxta *c. ad audientiam. 3. de Eccles ædif.* Rota *dec. 484. n. 5. p. 1. Recent.* Cels. *dec. 403. n. 5.* ubi concludit, litis extinctionem, & litigantium concordiam non esse sufficientem causam dismembrationis, ex quo hoc obtineri potest, quin beneficium dismembretur. Addidi: *regulariter*, siquidem aliquando vel sola pinguedo reddituum unius, & exilitas fructuum alterius Ecclesiæ dismembrationis justa causa censetur, ut in casu, quo Episcopus constituit ministrum in Ecclesia Parochiali, qui adjuvet Rectorem, & ad hunc effectum illi assignat pensionem ex redditibus Ecclesiæ locò beneficii. Panorm. *in c. conquerente. num. 1. & 5. de Cleric. non residen.* Rota *in Toletana beneficii. 12. Octob. 1579. coram Seraphino.* Pyr. Corrad. *in Prax. Benef. lib. 3. c. 2. num. 10.*

Quod *solennitatem* attinet, quando dis-26 membratio fit per Ordinarium, refert, fiatne beneficio vacante, vel non vacante? Si beneficium non vacet, iterum interest, fiatne, ad petitionem Rectoris, seu Parochi superstitis, vel ex officio, aut motu proprio Episcopo? Casu *priori* præter justam causam, si Ecclesia illa non sit collegiata, neque incorporata Ecclesiæ Collegiatæ, vel Conventuali, solùm requiritur auctoritas Episcopi tanquam Ordinarii; alioquin si Collegiata sit, vel tali incorporata, insuper consensus illius Collegii, vel Capituli desideratur. Casu *posteriori* cum justa causa necessarius est etiam consensus Capituli Cathedralis, tanquam solennitas aliqua necessaria ad hanc quasi alienationem faciendam per *c. dudum. 1. de Reb. Eccles. non alien. & Clem. si una. 2. Eod.* Garc. *de Benef. p. 12. c. 3. n. 11. & 12.* Consensus verò Rectoris Ecclesiæ dismembrandæ, quamvis pro suo interesse, & propter præjudicium ei imminens vocari debeat, ac audiri, non exigitur pro forma sed si justa subsit causa, Episcopus illo invito ad talem dismembrationem procedere potest per *c. ad audientiam. 3. ad fin. v. si verò persona. de Eccles. ædif.* Lotter. *de Re benef. lib. 1. q. 28. num. 6. & 10.* Sin beneficium, cujus dismembratio instituitur, vacat, Curatore ei, vel Defensor ab Episcopo deputandus est, qui de legitimitate, & veritate causæ necessariæ disquirat; aliàs dismembratio erit irrita. *d. c. dudum. 1. & ibi* Gloss. *V. Defensore.* Celsus *dec. 403. num. 3.* Garc. *d. c. num. 4.*

§. V.

Finis dismembrationis est, ut aliud benefi-27 cium tenue, aut locus pius coadjuvetur ad Beneficiatos honestè alendos,

§. VI.

§. VI.

28 *Effectus* dismembrationis est, quòd per eam salvô titulô, & remanente unitate beneficii aliqui fructus ab eo separentur, & alteri beneficio applicentur; in quo differt à *divisione*, quæ ex uno facit duo, aut plura beneficia. Garc. *de Benef. p.* 12. *c.* 4. *n.* 1. Petr. de Murga *tod. tr. q.* 5. *n.* 1.

Pars IV.

De Suppressione Beneficiorum.

SUMMARIA.

29. Suppressionis definitio. 30. Beneficia supprimere potest S. Pontifex & Episcopus. 31. Quæ beneficia supprimenda? 32. Quâ causâ? 33. Quâ solennitate opus sit in suppressione? 34. Quis sit finis? 35. Quinam effectus suppressionis?

§. I.

29 *Definitur* suppressio, quòd sit extinctio beneficiorum, aut reductio præbendarum ad minorem numerum, eò quòd redditus tenues sint, & insufficientes.

§. II.

30 *Causa efficiens* suppressionis est is, qui beneficia supprimit, ac ad minorem numerum reducit: id quod non solùm S. Pontifex, sed & Episcopus ex justa causa potest. *c. cùm accessissent.* 8. *& ibi* Innocent. *n.* 1. *c. ex parte.* 12. *& ibi* Panormit. *n.* 2. *de Constit.* Quibus succinit Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. c.* 15. ubi Episcopis concedit, in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, in quibus frequentes, adeóque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, unire; vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis, cum Patronorum consensu, si de jure patronatûs Laicorum sint, quarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere.

§. III.

Materia, seu *objectum* suppressionis est be- 31
neficium, ac præbenda, quæ supprimitur. Ubi adverte extinctionem, & suppressionem beneficii fieri posse, quanquam beneficium à S. Pontifice, vel de ejus auctoritate erectum sit, ut ex adducto Tridentini decreto colligit Pax Jordanus *tom.* 2. *de Re benef. lib.* 10. *tit.* 29. *n.* 9. atque in hunc sensum Garcias *de Benef. p.* 12. *c.* 1. *n.* 4. accipit, *c. cùm accessissent.* 8. *de Constit. & ibi* Panormit. *n.* 4. Decium *n.* 44. quatenus dicunt, dignitatem à S. Pontifice erectam, vel numerum Canonicorum ejus authoritate præfixum, aut confirmatum, per inferiorem minui, aut supprimi posse etiam ex causa; excepta nimirum prædictâ diminutione fructuum ex postfacto superveniente.

§. IV.

Formam suppressioni tribuit justa causa, & 32
solennitas: utraque enim concurrat, oportet, quando suppressio fit authoritate ordinariâ, aliàs redditur nulla *c. ex parte de Constit.* Pyr. Corrad. *in Prax. benef. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 40.

Justa causa est tenuitas reddituum talis, ut persona idonea non possit cum illis vivere, atque perferre, & absolvere omnia onera beneficio annexa *c. ult. de V. S.* ubi Gloss. & DD. Felin. in *d. c. cùm accessissent. n.* 17. *&* 19. *de Constit.* Jacob. Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 30. *n.* 3. Quamobrem ut præbendæ Cathedralium, aut Collegiatarum insignium ad augmentum distributionum supprimantur, probari debet fructus præbendarum esse ita tenues, ut nequaquam ex illis tertia pars pro distributionibus deduci possit. Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 4. Deinde constet, necessum est, non posse eis uniri aliquot beneficia simplicia sæcularia. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 15. Denique diminutio fructuum debet

esse perpetua. Rota *dec.* 316. *p.* 2. *Noviss.* ubi resolvit, diminutionem contingentem ratione ptstis, tanquam transitoriam, & non perpetuam non suffragari. Certè propter ruinam Ecclesiæ ex causa inopiæ vix reparabilem beneficia supprimenda non sunt sed potiùs in matrices, vel alias Ecclesias cum omnibus oneribus, ac emolumentis transferenda. Trid. *sess.* 21. *de Reform. c.* 7.

33 Pro *solennitate* exigitur consensus tum Ecclesiæ Cathedralis, *Clem.* 2. *de Reb. Eccles. non alien.* tum illius Ecclesiæ Collegiatæ, in qua præbenda supprimitur, ut à S. Congregatione decisum refert Barb. 3. *p. de Offic. & potest. Episc. alleg.* 67. Petrus de Murga *tr. de Benef. q.* 7. *n.* 26. Potest tamen hic consensus Capituli intervenire post suppressionem, cùm in ejus gratiam postuletur. Gratian. *Discept. forens. c.* 278. *n.* 3. Præterea requiritur consensus Patronorum, si præbendæ sint de jure patronatûs Laicorum. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 15. Panormit. Felin. & alii in *c. cùm accessissent. de Constit.* ita tamen, ut si sine causa legitima renuerent, ad consensum præstandum à proprio Superiore, veluti à Metropolitano, compelli possent. Panormitanus *p.* 2. *consil.* 59. *col.* 3. Lambertin. *de Jure patronat. p.* 2. *lib.* 1. *q.* 2. *art.* 16. & 17. noster Petrus de Murga *cit. q.* 7. *n.* 9. Aliqui exposcunt etiam beneplacitum Papæ, asserúntque tutiùs rem geri, si illud impetretur. Gloss. in *d. cùm accessissent. V. confirmatum.* Butr. *ibid. n.* 15. Jacob. Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 30. *n.* 5.

§. V.

34 *Finis* suppressionis est, ut Ministri Ecclesiæ redditibus suppressarum præbendarum decenter sustententur, & ad servitium DEI magis animentur, ut innuit Trident. *d. sess.* 24. *de Reform. c.* 15. *in pr.*

§. VI.

35 *Effectus* suppressionis est, quòd beneficium ita extinguat, ut totaliter desinat esse beneficium, & ejus redditus ad alios usus Ecclesiasticos destinentur.

Pars V.
De Pensione.

SUMMARIA.

36. Pensionis definitio. 37. Divisio. 38. Quibus beneficiis pensionem imponere possit? 39. Potest imponi vel beneficio, vel Beneficiato. 40. An successor, teneatur solvere pensiones non solutas? 41. Pensio debet consistere in quantitate. 42. Debet esse moderata. 43. & ex justa causa imponi. 44. Assignatur finis. 45. 46. & effectus pensionis. 47. Contraria.

§. I.

36 *Definitur* pensio, quòd sit certa portio redditiuum alicujus beneficii ad tempus ab eo separata, & alteri à beneficiato præstanda. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 8. *c.* 5. *q.* 1.

§. II.

37 *Dividitur* pensio in temporalem, spiritualem, & mediam, seu mixtam. *Temporalis* dicitur, quæ datur ab Ecclesia propter aliquod ministerium temporale, sive præstitum, sive præstandum Ecclesiæ; ut si pensio ex beneficiis, vel decimis præstetur alicui Principi ad hoc, ut Ecclesiam contra infideles tueatur: aut Oeconomo negotia Ecclesiastica gerenti, aut Advocato pro Ecclesia patrocinanti, aut Procuratori ad lites. *Spiritualis* seu *Ecclesiastica* est, quæ fundatur in ministerio merè spirituali; qualis est, quæ datur Coadjutori Episcopi, vel Vicario, aut Cooperatori Parochi. *Media*, seu *mixta* vocatur, quæ Clerico quidem quâ tali conceditur, non tamen propter spirituale ministerium, sed ob aliam causam; cujusmodi est ea, quæ datur Clerico inopi, aut Parocho seni ad vitæ sustentationem; vel quæ datur ei, qui beneficium resignavit alteri, reservatâ sibi cum authoritate Superioris pensione: vel ei, qui beneficium suum cum altero re-

tenuiore permutavit: vel denique ei, qui lite beneficiariâ cedit. Azor. *d. c. q.* 5. Less. *lib.* 2. *de J. & J. c.* 34. *n.* 202. Joan Gabassut. *in Jur. Can. Theor. & prax. lib.* 5. *c.* 7. *n.* 4.

§. III.

38 *Causa efficiens* pensionis est is, qui eam beneficio, aut Beneficiato imponit. Potest autem pensionem imponere inprimis S. Pontifex ex plenissima potestate, quam in beneficiis habet. *c.* 2. *de Prabend. in* 6. Deinde etiam Episcopus, non quidem pro libitu, sed ex justa, & rationabili causa, ut cum communi docet Gigas *de Pensionib. c.* 6 Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 295. *& seqq.* qui ibi quoque ostendit, eam potestatem Episcopis nec per Decretum Pauli IV. nec per constitutionem Pii V. *de confidentiis* nec per non usum, vel contrarium usum ademptum esse, quidquid alii contradicant.

§. IV.

39 *Subjectum* pensionis est vel beneficium, vel Beneficiatus, cui imponitur. Si beneficiato imponatur, ejusdem morte finitur, nec ad Successorem transit. *c. nisi.* 21. *de Prabend.* ubi Papa declarat, ob bonum pacis, & concordiæ potuisse decerni, ut unus ex duobus electis ad eandem dignitatem, habeat dignitatem, & alter annexam pensionem ex redditibus illius solvendam, ita tamen ut talis pensio non debeat solvi nisi dum vivit Beneficiarius gravatus. Secùs si pensio sit imposita beneficio, siquidem tunc censetur onus reale in ipso beneficio constitutum, & quasi servitus inhærens, consequenter transit cum ipso beneficio, & contra quemlibet possessorem beneficii ob pensionem agi potest per *c. veniens* 8. *de Transact. c. cùm venissent* 6 *de instit.* Barb. *J. E. U. l.* 3. *c.* 11. *n.* 93. sive exprimatur in pensione, ut successor teneatur, prout frequenter fit, sive non exprimatur. Gigas *de Pens. q.* 3. *n.* 2. *q.* 44. *&* 47.

40 In facto *disceptatum* fuit: utrùm Successor in beneficio pensione gravato pensiones tempore Prædecessoris decursas solvere teneatur?

Affirmat Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 191. cum innumeris citatis; tum ex juris analogia, quo novus possessor vectigalia temporis anteacti pendere tenetur: *l. Imperatores. ff. de Publican.* tum quia successor in beneficio debita Prædecessoris præstare tenetur, quæ Prædecessor in utilitatem Ecclesiæ contraxit. *c.* 1. *de Solutionib.*

Negant Flam. Parisius *de Resignat. Benef. lib.* 6. *q.* 5. *n.* 19. Faber *C. de SS. Ecclesiis. defin.* 86. & alii communiter: cùm enim ex una parte Pensionarius non habeat jus in beneficio, sed in solis beneficii fructibus; ex altera verò Successor neque jus, neque proprietatem, neque usum fructuum habuerit, qui suam beneficii possessionem præcesserunt, nulla videtur esse ratio, ob quam ad istiusmodi fructuum, ac pensionum reliqua solvenda adstringatur, quamvis ex postfacto beneficium possideat.

Ad jura contraria expedita solutio est: quoniam *l. Imperatores. ff. de Publican.* loquitur de oneribus merè realibus, pensio autem potiùs est onus mixtum, partim scilicet personale, partim reale, quod non aliter personam afficit, nisi quatenus possidet. *Cap.* 1. *de Solutionib.* scopum non ferit, quandoquidem pensiones non sunt constitutæ pro Ecclesiæ utilitate, sed pro privato Pensionarii commodo, aut indemnitate, adeóque & debitum præteritarum pensionum in utilitatem Ecclesiæ contractum non esse, palam esse.

§. V.

41 *Materia*, seu *Objectum* pensionis est certa pecuniarum quantitas, non quota pars fructuum, puta tertia, quarta, vel similis per *c. nisi essent.* 21. *de Prabend.* ibi: *ut ipse* 20. *libras de redditibus Capituli, &* 40. *de Provenbus Prioratûs percipiat annuatim;* ubi *libra* non

pondus, sed nummum, seu monetam significat arg. *l. fin. §. 2. C. de Appellat.* Et quamvis pensio imponatur super fructibus, & emolumentis omnibus beneficii. Gigas *de Pensionib. consil. 35. n. 9.* Rota *dec. 508. sub n. 3. ¥. quod autem. p. 3. Recent.* fructus tamen hi, & emolumenta sunt in simplici obligatione, non autem in solutione. Puteus *lib. 1. dec. 10. n. 6.* Seraph. *dec. 1429. n. 5.* cùm juxta stylum curiæ non fiat reservatio pensionis in fructibus, nisi ex magna causa, ut rectè advertit Covar. *Var. resol. lib. 1. c. 15. sub. n. 13. ¥. tertiò fructibus.* sinè dubio ideo; ut tollatur occasio discordiarum, quæ ex communione fructuum inter Rectorem, & Pensionarium oriri possent. *arg. l. cùm. pater 77. §. dulcissimis. 20. ff. de Legatis. 2.*

§. VI.

42 *Pensionis* pensionis posita est in moderata portione ex alieno beneficio Ecclesiastico justa de causa separata. Itaque

I. Ad pensionem legitimè, constituendam requiritur, ut sit moderata, præsertim si ex beneficiis curatis solvi debeat, ne si istorum redditus nimium diminuantur, viri docti, & ad illa idonei à cura animarum absterreantur, & à Parochiis ad pingues Canonicatus aspirent. Quamobrem Trident, *sess. 24. c. 13. de Reform.* prohibuit, ne Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundùm verum annuum valorem, non excedunt, ullis pensionibus, ac reservationibus fructuum onerentur. Quod tamen juxta morem cujúsque regionis intelligendum, monent Cardinales *ibid.* Pari ratione pensionibus gravari non debent dignitates, & Canonicatus, nisi de illa parte reddituum, quæ excedit centum Ducatos. Flam. Paris. *de Resignat. benef. lib. 6. q. 2. num. 28.* ubi asserit, ita à Sixto V. ordinatum fuisse, Beneficio simplici pensio imponi non solet, si ejus redditus viginti quatuor aureorum summam non excedunt, ut tradit Mandos. *tr. de signat. grat. tit. pensiones. col. 4. ¥. super Parochiali.*

II. Requiritur, ut pensio constituatur ex 43
justa causa; qualis est, si in judicio, vel extra de jure litigioso circa beneficium fuerit transactum reservatâ pensione ad bonum pacis: *c. de cætero. 5. de Transact. c. nisi essent. 21. de Prabend.* si beneficium dimittatur ex causa permutationis, retenta pensione ad compensandum valorem fructuum dimissi beneficii cum fructibus tenuioribus alterius: *c. ad quæst. 6. de Rer permut.* si ex causa senectutis beneficio quis cedat, ut ex Decio & Felino probat Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 8. c. 5.* Gigas *de Pension. q. 6. n. 3.* si Ecclesia indigeat aliô Ministro præter Rectorem. *c. 3. de Offic. Vicar. c. conquerente de Cleric. non resid.* item si quis de Ecclesia sit bene meritus. Gigas *de Pensionibus d. q. 6. n. 1.* si sinè ejusmodi causa pensionem obtineas, peccas, licèt S. Pontifex tecum dispensaverit, ut docet Less. *lib. 2. de J. & J. c. 34. dub. 38. n. 204.* eaque communis est Theologorum sententia, duce S. Thoma *2. 2. q. 100. a. 1. ad 7.* ubi eum, qui pecuniam accipit à dispensatore, aut procuratore, quem scit, malè commissam sibi pecuniam dispensare, æquiparat cum eo, qui sine justa causa accipit pensionem Ecclesiasticam ex Papæ dispensatione. Imo si ab Episcopo imponatur pensio, justa causa non tantùm pro justitia, sed etiam pro validitate desideratur. Garc. *de Benef. p. 1. c. 5. n. 314.* & si de causa non appareat, præsumitur in fraudem imposita, nec creditur Episopo asserenti causam interveniss. Rebuff. in *Praxi benef. tit. de Pacif. n. 109.*

Non immeritò *dubitatur*: an ad pensionem beneficio imponendam opus sit consensu Beneficiati, vel Patroni, si beneficium sit Patronatum? Neutrius consensum necessa-

rium

tium esse Pontifici, omnes facilè concedunt arg. c. 2. *de Præbend. in* 6 omisso tamen consensu beneficiati invalida est pensionis constitutio, tametsi à S. Pontifice facta sit, ut perspicuè colligitur ex *Regul. Cancell.* 45. *de Consensu in resignationib. & pensionib.* ubi cavetur, quòd literæ reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio, cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri non possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit. Nullo verò jure constitutum reperias, consensum Patroni esse necessarium, ut Beneficio patronato sive à Pontifice, sive ab Episcopo pensio imponatur. Panormit. in *c. un. num.* 20. *h. t.* Azor. *p.* 2. *Instit. moral. lib.* 8. *c.* 8. *quæst.* 1. Interim si Patronus cum tempore alimentis indigeret, quæ unâ cum pensione commodè ex beneficio præstari non possent, pensio sinè Patroni consensu concessa cedere deberet, cùm potior sit Patroni causa, quàm Pensionarii: & S. Pontifex præjudicare non soleat Patronis præsertim laicis, ne à fundationibus absterreantur, quod SS. Canones maximè cavent.

§. VII.

¶ *Finis* pensionis est alimentorum suppeditatio: pensio enim instituta est in gratiam Pensionarii ut cedat pro alimentis, & vicem beneficii obtineat; ut prolixè ostendit Lotter. *de Re benef. lib.* 1. *q.* 35. *à n.* 45.

§. VIII.

¶ *Effectus* Pensionis alius est ex parte Beneficiati gravati, alius ex parte Pensionarii.

Beneficiatus tenetur pensiones integras præstare, etiamsi fructus beneficii uno vel altero anno deficiant: quippe pensiones sunt onus reale beneficii, neque debentur præcisè intuitu fructuum, cùm nec augeantur, licèt fructus beneficii ubertim crescant, sicque defectus fructuum unius anni per alterius ubertatem compensatur arg. *c. propter sterilitatem, 3. de Locato, & conduct.*

Quotidiana *quæstio* est: utrùm Beneficiatus sinè labe simoniæ pensionem redimere, hoc est, aliquid dare possit, ut obligatio pensionis per hoc extinguatur? Ubi numerosior manus Theologorum, & Canonistarum distinguit, &

Respondet I. Pensio temporalis, seu *laica*, quæ de redditibuus Ecclesiæ propter ministerium temporale tribuitur, sive Laico, sive Clerico, potest redimi, atque etiam pretiò vendi sine simonia. Ita post Sotum & Victoriam Less. *lib.* 2. *de J. & J. c.* 35. *dub.* 22. *n.* 123. ideò, quia postquam talis pensio à spirituali titulo beneficii legitimâ authoritate separata est, neque spiritualis est, neque spiritualibus annexa, & per consequens nec materia simoniæ.

Respondet II. Pensio *spiritualis*, seu *Ecclesiastica*, quæ non nisi Clerico dari potest, & traditur pro officio spirituali v. g. Concionatoris, Coadjutoris &c. citra simoniam nec redimi, nec vendi, aut pretiò commutari potest. Ita communis DD. teste Lessio *d. dub.* 22. *n.* 122. Sanchez 7. *moral. c.* 29. *n.* 8. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. c.* 26. propterea: quia talis pensio non minùs, quàm beneficium Ecclesiasticum, in spirituali officio fundata est, & hoc officium manere debet. Quodsi manente obligatione, spirituali ipsæ temporales pensiones, seu fructus ad biennium, vel triennium redimerentur, aut ad vitam locarentur, nihil absurdi esset, ex quo non ipsum jus pensionis, sed solùm fructus redimerentur, quod in decimis quoque & redditus beneficiorum permissum, cùm fructus isti sint merè temporales, & à titulo spirituali separabiles, Suarez *cit. c.* 26. *n.* 10. Less. *d. n.* 122.

Respondet III. Pensio *media*, seu *mixta*, quæ nimirum solis Clericis conceditur, non propter titulum spiritualem, sed propter paupertatem, senium, resignationem, aut compositionem litis, per se loquendo, & abstrahendo à constitutione, & usu Ecclesiæ sinè simonia

tam redimi, quàm vendi potest, cùm enim similiter propter causas temporales, & alimenta detur, non apparet, quomodo sit spiritualis: & nec hoc, quod solis personis Ecclesiasticis conferatur, atque clericatus tanquam conditio, vel dispositio ex parte subjecti desideretur, eam spiritualem reddit. Ita Cajetan. *tom.* 1. *opusc.* 31. *resp.* 10. & teste Less. *loc. cit. n.* 124. *&* 125. passim DD. in *Clem. un. §. eâdem quoque de Supplend. negl. Prælat.* At de Stylo Curiæ Romanæ venditionem pensionis mixtæ simoniacam reputari, tradit idem Less. *n.* 129. idque propter obligationem recitandi Officium B. Virginis huic pensioni ex Constitutione Pii V. *Et proximo*, annexum: quippe cùm hæc obligatio sit spiritualis, & nunc per se annexa pensioni temporali, illam reddit spiritualem, & materiam simoniæ, ut cum aliis docet Zoësius *ad tit. de Simon. n.* 47. Eâ tamen ratione non obstante, talem pensionem sinè alia auctoritate redimi posse, asseverant Cajetanus, & Suarez *ubi supra*. Lessius *d. n.* 129. & alii, quorum agmen ducit Toletus *lib.* 5. *Inst. Sacerdot. c.* 92. dummodo non ante resignationem pactum præcesserit de pensione constituta redimenda, & per hoc non tollatur obligatio Officii B. Virginis, ubi prædicta constitutio Pii V. recepta, & usitata est; sinè dubio ideò: quia per redemptionem non tam jus ipsum spirituale sic extinguitur, quàm fructus anticipatâ solutione venduntur, quod labe simoniæ caret. Zoës. *ad tit. de Simon. n.* 48.

Verùm ab hac sententia recedere me faciunt Fagnan. in *c. ad audientiam.* 31. *num.* 88. *& c.* 15. *de Rescript.* Flam. Paris. *de Resigant. Benef. lib.* 6. *q.* 2. *n.* 128. Rebuff. *de Pacific. possess. n.* 134 Navarr. *consil.* 59. *n.* 1. *de Simon.* Gigas *de Pensionib. q.* 45. *&* 87. cum innumeris citatis, qui ad redemptionem beneficiariæ pensionis duplicem prærequirunt Romana ex Curia sumptam dispensationem, quæ tamen utraque uno tenore possit ab initio impetrari. Prima est ipsa pensionis constitutio, altera est jus, ac potestas ipsius pensionis extinguendæ; quod jus plerúmque conceditur in solutione quinque annatarum, id est, ut pensio v. g. viginti aureorum annuorum redimi possit centum aureorum semel factâ solutione: siquidem quinquies multiplicatus vicenarius numerus pertingit ad centesimum. Interdum tamen Romana Curia assignat sex, septem, aliquando octo annatas, ratiùs novem, & rarissimè decem: hæc námq; taxatio fieri consuevit secundum præsentem Pensionarii, quæ probanda est, ætatem, quia quò junior est, eò major decurrendarum annatarum numerus præsumitur, & econtra minor, quò senior est, & provectior Pensionarius.

Pensionarius pro rata suæ portionis tene 46
tur ad subsidium charitativum, ad contributiones, & alia onera imposita respectu fructuum beneficii. Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 171. Navarr. *consil.* 1. *de Eccl. ædific.* & ita in contributione pro Seminario statuit Trident. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 18. *¶. ad hanc autem portionem.* partim quia qui sentit commodum, sentire etiam debet onus ei annexum per *Reg.* 77. *Jur. in* 6. partim verò quia æquô difficiliùs esset Beneficiato, si proventibus suis, per pensionem diminutis, illis annexum onus nihilominùs permaneret. Aliquando tamen solet pensio concedi cum expressa exemptione, ut post alios notat Garc. *d. c.* 5. *n.* 127.

§. IX.

Contraria Pensionis sunt modi quibus ea 47
extinguitur. Extinguitur autem 1. morte naturali Pensionarii, quemadmodum & usufructus morte usufructuarii, & cæteræ personales servitutes. §. 3. *Instit. de Usufr.* 11. per professionem Religionis, aut per matrimonium. Azor. *Instit. Moral. p.* 2. *lib.* 8. *c.* 10. *q.* 1. *&* 3.

§. Etsi verò vacet beneficium per adeptionem Episcopatûs non tamen pensio, quæ isto casu non venit comprehensa nomine beneficii. III. per consolidationem, si Pensionarius beneficium oneratum adipiscatur, eò quod res sua nemini serviat. *l. uti frui. ff. Usufruct. quemadmod. caveat. l. tibi fundi. ff. Quemadmod. Usufr. amitt.* IV. per crimen hæresis *c. ad abolendam. de Hæreto* læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ *c. fœlicis. de Pœnis in* 6, item si quis percusserit Cardinalem *d. c. fœlicis.* aut Episcopum, in cujus diœcesi pensionem habet. *Clem. 1. de Pœnis.* V. per spontaneam remissionem: cùm enim pensio constituta sit incommodum pensionarii, potest is suo commodo, & juri renuntiare. Azor. *d. lib. 8. c. 10. §. 6.* Pirrhing. *h. t. n. 21.*

Pars VI.

De oneris impositione.

PEr *oneris impositionem* nil aliud intelligitur, quàm fructuum beneficialium reservatio; de qua potissimum in *c. un. h. t.* ubi Collator beneficii prohibetur ex eo sibi, aut Nepoti, vel alteri cuilibet reservare fructus, seu proventus, vel aliquam eorum partem, aut collationem differre, ut ipse interim percipiat fructus. Imò si eorum pars aliqua exigeretur pro collatione, institutione, aut præsentatione, ista simoniacæ, & ipso jure nullæ forent *extrav. cùm detestabile. 2. §. per electiones. de Simon. inter Commun.* & ibi Barb. *n. 5.* Attamen si justa causa subsit, veluti si Ecclesia magno ære alieno gravetur, vel alia necessitas urgeat, potest ad tempus ante beneficii collationem pars fructuum reservari. *d. c. un. & ibi* Panorm. *n. 20.* cum quo concordat. *c. penult. de V. S. ibi* DD.

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

SUMMARIA.

1. Alienationis diversa acceptio. 2. Quid sit alienatio rerum Ecclesiæ. 3. Referuntur jura prohibentia hanc alienationem. 4. Quinam possint alienare res Ecclesiæ. 5. Quæres dicantur Ecclesiæ? 6. Usque 13. Quæres vocentur immobiles? 13. usque 17. Quæ mobiles? & quid juris circa earum alienationem? 17. usque 21. Quæ causa? 21. usque 27. Quæ solennitas requiratur ad alienationem. 27. Quis sit finis? 28. & seqq. Quis effectus alienationis, & quatenus ea sit irrita.

NE Dignitates & Beneficia Ecclesiastica intereant, *rerum Ecclesiæ alienatio* quibusdam in casibus Prælatis, ac Beneficiatis interdicta est, nisi adhibitis certis solennitatibus, & existentibus causis in jure præscriptis.

§. I.

Alienationis vocabulum sumitur vel strictè vel latè. Strictè, & propriè dicta alienatio complectitur omnes contractus, & actus, per quos dominium rei tam directum, quàm utile transfertur; quales sunt *donatio, venditio, permutatio, datio in solutum, institutio, legatum. l. alienationis. 28. l. alienatum. 67. ff. de V. S. l. 1. C. de Fundo dotali.* Latè seu impropriè alienatio accipitur pro actu, quo dominium sive directum, sive utile tantùm, vel aliud jus in re, aut ad rem saltem absolutè quæsitum transit; cujusmodi sunt *feudum, emphyteusis, hypotheca*, seu *pignus, precariæ, locatio ad longum tempus, constitutio ususfructûs, usûs*, vel *servitutis realis. l. fin. C. de Reb. alienis non alienand. l. 4. §. 2. l. 8. §. 2. ff. de Alienat. judicii mut. causâ facta.* Hæc acceptio est hujus loci juxta *c. nulli. 5. h. t. extrav. ambitiosa. Eod. inter Comm.* & in ea. 1

§. II.

Definitur alienatio rerum Ecclesiæ, quòd sit dominii, vel alterius cujuscúnque juris, quod Ecclesiæ est, in alium translatio. 2

§. III.

Causa efficiens hujus alienationis est vel remota, vel proxima. 3

Re-

Remota est jus partim negativum, quo permittitur, partim positivum, quo prohibetur rerum Ecclesiæ alienatio. Et verò alienatio rerum Ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosarum sinè debita causa, & solennitate prohibetur utroque jure: Civili in *l.* 21. *C. de SS. Eccles. Novel.* 7. 46. *&* 120. Canonico in *c. ea enim.* 2. *§. hoc jus porrectum causâ.* 10. *q.* 2. ubi referuntur citatæ constitutiones civiles: & *in c. quisquis.* 19. *c. Episcopus.* 34. *non habenti.* 50. *placuit.* 51. *c. sine exceptione.* 52 *& passim causâ.* 12. *q.* 2. *c.* 1. 7. *&* 8. *de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. Cap. c.* 1. 5. *&* 6. *X. c.* 1. *&* 2. *in* 6. *Clem.* 1. *&* 2. *h. t. extravag. ambitiosæ Eod. inter commun.* Quibus cum tempore accesserunt Decretum Tridentini *sess.* 22. *c.* 11. *de Reform.* & Constitutiones Apostolicæ Leonis X. quæ incipit: *ad audientiam.* 8. *Id Maii.* 1517. Julii III. quæ incipit: *Cùm sicut accepimus.* 23. *Maii.* 1552. Pauli IV. quæ incipit: *Injunctum pridie Id. Julii* 1556. Pii V. quæ incipit: *Etsi de singulis* 11. *Calend. Januarii.* 1569. Clementis VIII. quæ incipit: *Ad Romani.* 1592. editæ. Item Decretum S. Congregationis jussu Urbani VIII. *die* 7. *Septemb.* 1624. promulgatum, cujus tenorem ad verbum refert Barb. *J. E. U. lib.* 3. *c.* 30. *n.* 16.

4 *Proxima* est is, qui res Ecclesiæ alienat, vel liberè, hoc est, sinè juris solennitate. Certè sinè justa causâ neque ullus Episcopus, neque Abbas, ac ne ipse quidem S. Pontifex rerum Ecclesiæ alienandarum potestatem habent, ut inculcant. *c. monemus.* 18. *c. quisquis.* 19. *c. non liceat Papæ.* 20. *causâ* 12. *q.* 2. Panorm. in *c. constitutus.* 8. *de Religios. domib. n.* 15. optimâ ratione: quia bonorum Ecclesiæ Domini non sunt, sed solùm Administratores.

§. IV.

5 *Materia*, seu *objectum* hujus alienationis constituunt res Ecclesiæ immobiles, & mobiles.

6 Dicitur I. *res Ecclesiæ:* ubi nomine Ecclesiæ comprehenduntur quæcunque loca pia authoritate Episcopi erecta. *extravag. ambitiosæ. h. t. inter Commun.* ibi: *locorúmque piorum quorumlibet.* Panorm. *in c. nullibi* 5. *n.* 14. *Eod.* Felin. *in c. de quarta de Præscript.* Unde ad bona Ecclesiastica, quæ in Sacris Canonibus sinè solennitate alienari prohibentur, referuntur I. bona Ecclesiarum, & Monasteriorum. *Clem.* 1. *h. t.* & *d. extravag. ambitiosæ.* idque verum est, etiamsi bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum principaliter sint destinata ad alimenta Prælatorum Menoch. *de arbitr. casu* 433. *n.* 1. Barb. *in Collect. ad c.* 6. *n.* 3. *&c.* 10. *n.* 2. *h. t.* II. bona Capellarum, Oratoriorum, & Altarium ritè consecratorum: quia dicuntur, & sunt loca Ecclesiastica. Redoan. *de alien. rer. Eccles. q* 49. *n.* 5. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 6. *præs.* 79. *n.* 12. III. Bona Confraternitatum, & Congregationum Laicorum, sicut & Xenodochiorum & Hospitalium pro peregrinis, aut miserabilibus personis recipiendis, alendis, vel curandis authoritate Ecclesiasticâ erectorum. Redoan. *d. q.* 49. Jacob. Pignatel. *tom.* 4. *consult.* 21. *per tot.* Ratio est: quia Ecclesiæ & loca pia quoad immunitatem, aliáque privilegia æquiparantur, consequenter etiam quoad servandam solennitatem in alienatione bonorum. Panormit. & Redoan. *ubi supra.*

Dicitur II. *Res immobiles,* id est unbewegliche Gütter; quæ justa causâ exigente, aut suadente ab inferioribus Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmque piorum locorum Prælatis, Rectoribus, & Administratoribus alienari quidem possunt, sed non aliter, quàm adhibitis Canonicis solennitatibus. *c. sine exceptione.* 52. *causâ* 12. *q.* 2. *c.* 1. 3. *&* 8. *de his, quæ fiunt à Prælat. d. extravag. ambitiosæ. h. t. inter Commun.* 6

Sunt autem res immobiles vel *naturaliter,* vel *civiliter* tales. *Naturaliter* immobiles sunt

sunt l. res soli, ligende Gründe *l. ult. & t.t. C. Quando decretò opus non est. l. un. C. de Usucap. transform.* ut puta ager. *l. ager. 27. ff. de V. S.* pratum *l. pratum. 31. ff. Eod.* fundus. *l. 1. ff. de Condict. tritic.* fodinæ metallicæ, Bergwerck. *l. 3. §. fin. ff. de Reb. eor. qui sub tutel.* loca nimirum ex quibus effodiuntur metalla; non verò proventus, vulgò Außbeut/ qui ex partibus metallicis percepti sunt, (veluti aurum, argentum, plumbum, ferrum, vel simile metallum) & mobilibus annumerantur, Berlich. *p. 3. concl. 35. num. 7.* Joach. Hopp. *ad Inst. de Reb. incorp.* II. Res solo naturâ cohærentes: quippe mobile immobili cohærens immobile censetur. *l. 40. ff. de Actionib. empt. l. 3. §. 15. ff. de vi, & vi armat.* uti arbores solo cohærentes, & affixæ. *l. si alius fuerit. 7. §. 5. ff. Quod vi, aut clam.* Quamvis verò & gramina, aut alii similes fructus pendentes adhuc in fundo, pars fundi, & res immobiles dicantur: *l. fructus. 44. ff. de Rei vindic.* attamen quando illorum finis spectatur, qui in ipsis à solo separatis cernitur, potiùs pro rebus mobilibus habentur, ut post Tiraquell. docet Harpp. *ad Institut. de Reb. incorporal. n. 10.* Quamobrem nec SS. Canones obstaculo sunt, quò minùs Prælatus hos fructus pendentes sine solennitate alienare, ac vendere possit. Quod ipsum etiam dicendum de Arboribus cæduis, quæ scilicet ad hoc destinatæ sunt, ut excidantur. Augustin. Barb. in *Collectan. ad Extravag. ambitiosæ. num. 27. h. t.* Quaranta *V. alienatio. n. 33.* Sunt enim hæ arbores in beneficii fructu. Pyrr. Corrad. *de Dispens. lib. 9. c. 1. num. 16.*

7 Res *civiliter* immobiles sunt, quæ naturâ moveri possunt, sed ob cohærentiam cum re immobili vel ob aliam rationem à jure pro 8 immobilibus reputantur. Quò pertinent I. mancipia rustica, sive servi glebæ, aut fundo excolendo adscripti, eò quòd fundo perpetuò adhærere cogantur. *c. nulli. 5. h. t. Novel. 7. c. 1.* II. Ædificia non ad tempus posita. *l. 7. §. 10. l. 60. ff. de Acquir. rer. dom.* qualia etiam sunt molendina pnevmatica, die Windmüllen/ & aquatica, die Wassermüllen. Hering *de Molend. q. 8. n. 30. & seqq.* III. Seræ, statuæ, aut horologia ædibus affixa *l. 9. §. 2. ff. Quod vi, aut clam.* ut & torcular, seu pressorium, si domui junctum sit. arg. *l. 21. ff. de Instructo, vel instrum. legato* IV. Machinæ, & arma bellica ad castrum, ut ibi perpetuò sint, destinata. Peter. Peck. *de Testam. Conjug. lib. 5. c. 30. n. 2.* Hopp. *ad Inst. de reb. corp. & incorp.* Matth. Berlich. *p. 3. concl. 30. n. 24.* V. Pisces propagationis causâ in stagnis, & vivariis in den Weyern positi. Bocer. *class. 5. disp. 1. th. 8. lit. A.* Secus si custodiæ tantùm gratiâ vel pro quotidiano usu habeantur. VI. Integri greges ovium, armenta boum &c. quæ propter continuam multiplicationem fœtuum immobilibus accensentur, atque ideo à Prælatis singula quidem animalia distrahi possunt sine solennitate, non item totus grex. Molina *de J. & J. disp. 465. num. 4.*

Cæterùm meminisse oportet, esse è censu 9
rerum immobilium Ecclesiæ aliquas, quæ non cadunt sub liberæ alienationis prohibitionem; ut I. res exigui valoris, v. g. terrulæ, aut vineolæ exiguæ, & Ecclesiæ minùs utiles, quas *sine consilio Fratrum*, hoc est, Capituli, ac proinde sine solennitate distrahi posse, textus est in *c. terrulas. 53. causâ 12. q. 2.* cui ex sententia S. Congregationis Cardinalium nec constitutio Pauli II. sive *extravag. ambitiosæ.* nec Decretum Trident. *sess. 25. de Reform. c. 11.* derogat, teste Fagnano in *c. nulli. h. t. n. 25.* & multò minùs *c. ut super. 8. §. fin. h. t.* utpote quod loquitur de rebus majoris momenti, quæ tamen videntur minùs utiles, non absolutè, sed respectu illarum, cum quibus commutari possunt. Quæ autem dicantur terrulæ, vineolæ, & res exigui valoris, Gloss. in *d. c. terrulas. V. exiguas.* asserit, illas posse

dici exiguas, quæ non valent ultra viginti solidos; sed cùm id jure non definiatur, rectiùs determinatio Judicis prudentiæ, ac arbitrio relinquitur arg. *l. 1. §. fin. ff. de Jure delib.* Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 51.*

10 II. Res Ecclesiæ magis onerosæ, quàm utiles, v. g. domus in Civitatibus & Castris, quæ majorum sumptuum sunt, quàm fructuum. *c. non liceat causâ 12. q. 2.* Guido Papæ *dec. 156.* Rebuff. in *Compend. alien. rer. Eccles. in fin.* item res omnino incertæ. Rota *dec. 624. n. 11. p. 1. & dec. 631. n. 3. p. 2. Recent.* ut si fortassis sint in manu Tyranni, aut alicujus potentis sine spe recuperationis. Redoan. *de alien. rer. Eccles. q. 6. num. 32. & 33.*

11 III. Res immobiles relictæ, vel donatæ Monasterio incapaci retinendi bona etiam in communi, ut sunt Fratres S. Francisci Minores & Capucini, de quibus mentionem facit Trident. *sess. 25. de Regularibus. c. 3.* has enim absque solennitate alienari, eorúmque pretium in Ecclesiæ necessitatem, & quotidianos usus Monasterii converti posse, docet Piasecius in *Prax. Episcop. p. 2. c. 5. n. 35. in fin.* Fagnan. in *d. c. nulli. h. t. n. 28.* Quaranta *V. alienatio. n. 32. & 41.* ideo: quia bona ista Monasterio incapaci relicta non sunt Ecclesiæ incorporata. *Clem. exivi. de V. S.* & ejusmodi rerum alienatio est necessaria ex necessitate statûs, sive regulæ. *c. exiit. §. ad hæc. Eod. in 6.*

12 IV. Res ab antiquo alienari, puta in feudum aut emphyteusin dari solitæ, *c. ex parte. 2. & ibi* Barb. *n. 6. de feud. extravag. ambitiosæ. h. t. inter commun.* Panormit. in *c. ut super. 8. n. 11. Eod.* Modò nova concessio non alteretur, sed fiat eodem modo, & formâ: Clarus *§. Emphyteusis. q. 6. n. 2.* Rota *dec. 180. n. 9. p. 2. divers.* nec res reversa ad Ecclesiam, ejusdem patrimonio denuo incorporata, vel Capitulariter statutum sit, ut deinceps immediatè penes Ecclesiam maneret. Quaranta *tit. alienatio rerum Eccles. n. 40.* Guido Papæ *dec. 54.* Molin. *tom. 2. de J. & J. dist. 468. n. 19.* Quænam autem res ab antiquo in Emphyteusin, feudum, aut usum fructum dari solita dicatur? non conveniunt DD. communiter tamen sententia sustinet, rem Ecclesiasticam, si duobus successivè concessa sit, & interim quadraginta annorum spatium effluxerit, jam posse dici ab antiquo alienari solitam, & denuò sine nova solennitate ita concedi posse. Clarus *cit. §. emphyteusis. q. 6.*

Dicebatur III *& mobiles;* quæ scilicet natura, aut jure de loco in locum integræ, & salvæ moveri possunt, vel à se, ut homo, pecus. *l. 1. ff. de Ædilit. edict. l. 93. ff. de V. S.* vel ab alio, ut massa auri, vel argenti: *l. 19. ff. de Auro, argent. legat.* gemmæ, & annuli: *l. 17. ff. Eod.* fructus à fundo separati: *l. fin. §. 2 ff. de Requir. reis vel absent. damn.* annui redditus, quorum dies venit: Gail. *2. observ. 10. n. 3.* navis. arg. *l. 1. §. 6. & 7. ff. de Vi, & vi arm. l. 10. §. 4. ff. Quod vi, aut clam.* ædificia, quæ super terram ad tempus tantùm ponuntur, & de loco ad locum transferuntur. *l. 18. ff. de Actionib. empt. l. 60. ff. de Acquir. rer. dom.* Germanicè nuncupantur bewegliche Güter/ fahrende Haab/ Fahrnuß/ alles was getrieben/ oder getragen werden mag. Wehner. *Observ. pract. voce* fahrende Haab.

Porrò harum rerum alienatio occurente justâ causâ Prælatis & Administratoribus rerum Ecclesiasticarum sine consuetis solennitatibus juris conceditur, præsertim earum, quæ servando servari non possunt, id est, quæ non durant ultra triennium, aut saltem absque notabili deterioratione, vel usu consumuntur, & non fructificant, veluti triticum, vineum, oleum, oves, agni, & cæteri redditus, aut fructus. Barb. in *Extravag. ambitiosæ. n. 19. h. t. & de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 38.* Azor. *Instit. moral. tom. 2. lib. 9. c. 1. q. 5.* Molin. *tom. 2. de*

13

14

de J. & J. disp. 465. Excipiuntur res mobiles pretiosæ servando servabiles, ut quæ quoad solennitatem rebus immobilibus æquiparantur, & pari passu ambulant juxta *d. Extrag. ambitiosa. h. t. inter Commun. & l. lex, quæ. C. de Administ. tut.* Augustin. Barb. in *Summ. Apostol. decis. V. Superior regularis. num.* 6. Earum autem numero reputantur illæ, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, ut torques, gemmæ, statuæ argenteæ, vasa aurea, & similia ornamenta, quæ propter pretium, artem, vel antiquitatem singularem aliquem splendotem conciliant, ita ut absque notabili diminutione ornatûs distrahi nequeant. P. Engel. *h. t. n.* 5. Aloys. Ricc. *p.* 1. *prax. aur. resol.* 58. Item Bibliotheca Ecclesiæ vel Monasterii. Tamburin. *de Jure Abb. tom.* 3. *disp.* 13. *n.* 8. non singuli libri, nisi attingant valorem constituentem rem pretiosam, aut propter antiquitatem, vel aliam similem causam Ecclesiæ, ac Monasterio specialem utilitatem, aut splendorem conferant. Donat. in *Prax. Regul. tom.* 1. *tr.* 14. *q.* 50. Cujus verò valoris res mobiles esse debeant, ut pro pretiosis habeantur? variant DD. & ipsa Praxis, quæ in una Provincia plùs, quàm in alia: plùs Episcopis, quàm aliis Prælatis: & ex his plùs uni, quàm alteri indulgere videtur. Proinde determinationem Judicis arbitrio committendam censeo, qui consuetudinem terræ, & temporum, locorúmque qualitatem, sicut & conditionem Ecclesiæ, an inops, aut dives sit, expendet. Piasec. *in Prax. Episc. p.* 2. *c.* 5. *n.* 32. Francisc. Leo in *Prax. fori Eccles c.* 15. *n.* 7.

15 Illud *indagandum*: ad quod genus rerum reducendæ sint res incorporales: num ad mobiles, an ad his oppositas immobiles? Et verò per se, & proprie neque mobiles neque immobiles sunt, quandoquidem hæc appellatio rebus solùm corporalibus, & certô locô conclusis convenit utpote quæ solæ motûs, & quietis propriè capaces sunt, proinde res incorporales constituunt potiùs tertiam, ac separatam quandam speciem *l.* 7. §. 4. *ff. de Pecul. l. à Divo Pio.* 15. §. *in venditione.* 2. *ff. de Re judic.* Si tamen necessum sit, eas ad alterutram speciem reducere, per fictionem juris pro diversitate materiæ modò ad mobiles, modo ad immobiles referuntur. Wehner. in *Observat. pract. voce* beweglicbe Güter. Ita enim jus piscandi, venandi, & servitutes, die Grund-Gerechtigkeiten inter res immobiles computantur, quia sunt qualitates prædiorum per *l.* 14. *in pr. ff. de Servitut. l.* 4. *in pr. ff. Si servit. vindic. l.* 68. *ff. de V. S.* Gail. *lib.* 2. *observ.* 11. *n.* 8. Census & redditus annui spectant ad res mobiles, si ex mobilibus, ad immobiles, si ex immobilibus debeantur arg. *Clem. exivi. §. cúmque annui redditus inter immobilia censeantur à jure de V. S.* Covar. *lib.* 3. *Var. resol. c.* 7. *n.* 2. *v.* 2. Berlich. *p.* 3. *conclus.* 3. *n.* 34. Similiter nomina, & actiones, si ad res mobiles tendant, mobilibus, si ad immobiles, immobilibus accensentur, cùm qui ad rem actionem habet, rem ipsam habere videatur. Molina *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 68. *n.* 1. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *lib.* 9. *c.* 1. *q.* 6. Berlich. *p.* 2. *concl.* 3. *n.* 8. Gail. 2. *observ.* 11. *num.* 9. ubi testatur, juxta hanc sententiam in quadam causa judicâsse Cameram Imperialem. Quapropter si quæratur, an, & quando in alienatione rerum incorporalium Ecclesiæ Canonicæ solennitates requirantur, materia præprimis spectanda erit.

Gravior *difficultas* est circa pecuniam Ec- 16
clesiæ, aut Monasterii, quibus rebus ea adnumerari debeat?

Panormit. in *c. nulli* 11. *h. t.* Sylvester *V. alienatio. q.* 8. *n.* 7. Ricc. 1. *p. prax. dec.* 50. *n.* 3. aliique pecuniam trahunt ad res mobiles, quæ servando servari non possunt, & sine solennitate alienari solent. Quibus suffragatur textus & ratio. Textus quidem in *l. si. chorus.* 79. §. 1. *ff. de Leg.* 3. juxta quam le-

gatis mobilibus debentur nummi etiam præsidii causâ repositi, die Spar-Pfeningen: & in *Novel.* 22. *c.* 45. ibi: *in pecuniis, aut aliis mobilibus rebus.* Ratio verò: quia usus pecuniæ, quantacunque etiam sit, consistit in alienatione, non ut perpetuò includatur areæ, velut inferno, ex quo nulla est redemptio, sed ut expendatur in usus quotidianos, nec reposita fructificat, sed manet otiosa juxta *c. ejiciens, dist.* 88. ibi: *ex pecunia reposita nullum usum capis.*

Tiraquell. *de utroque retract.* §. 1. *gloss.* 7. *n.* 106. Barb. *de Offic. & pot. Ep. all.* 95. *n.* 41. P. Engl *h. t. n.* 7. cum aliis citatis hanc doctrinam limitant, & saltem pecuniam magnæ quantitatis ad emptionem prædiorum, censuum, aliarúmque rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum destinatam inter res immobiles, aut mobiles pretiosas connumerant, atque ad ejus distractionem præscriptas solennitates exigunt propter textum in *l. quid ergo.* 3. §. 6. *ff. de contraria tutela, & util. act.* juxta quam Tutor sine decreto Judicis de pecunia pupillari depositа ad comparationem prædiorum sibi solvere non potest: facili argumento, quod pecunia destinata ad emptionem bonorum immobilium intra immobilia pupilli computanda sit, cùm Tutor res mobiles pupilli sine decreto Judicis alienare possit. *t. t. ff. de Reb. eor. qui sub tut.* Ratio est: quia destinatum habetur pro re perfecta DD. in *l.* 19. §. 11. *ff. de Auro & argent. legat.* Barbos. *axiom. juris* 96. *n.* 5. Neque verò si materiam pecuniæ spectes, putandum, eam fructuosè conservari non posse, cùm maximum patrimonii præsidium sit, quod sine ea fragile est. *d. l. si chorus.* 79. §. *ff. de Legat.* 3. Quamvis si usum attendas, ad quem destinata est, dicatur de his, quæ servando servari non possunt.

Plerique distinguunt inter pecuniam, quæ ad hunc finem donata, aut à Testatore est relicta, vel ex re immobili vendita pro alia ejusmodi, aut mobili pretiosa emenda comparata est, & inter eam, quæ ad immobilium emptionem simpliciter & sine voto, aut juramento à Prælato, vel ejus Antecessore destinata est: & illam ad immobiles, aut mobiles pretiosas; istam ad mobiles servando non servabiles referunt, eò quòd nuda, & simplex destinatio pecuniæ ad comparationem rei immobilis, aut mobilis pretiosæ nullam imponat obligationem, aut necessitatem applicandi eam ad hunc usum, neque conditionem pecuniæ mutet. Boërius *dec.* 209. Donat. in *Prax. regul. tom.* 1. *tr.* 14. *q.* 52. Vasquez *de Redditib. c.* 2. *n.* 44.

§. V.

Forma alienationis rerum Ecclesiæ positа 17 est in dominii, vel alterius cujuscunque juris, quod Ecclesiæ est, translatione; quæ ut in rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis servando servabilibus procedat, duo copulativè requiruntur, *causa* scilicet, & *solennitas*, nec una sine alia sufficit *c. sine exceptione, & ibi* DD. *causâ* 12. *q.* 2. *c.* 1. *&* 2. *h. t. in* 6. *& Clem.* 1. *Eod.* Dec. *consil.* 142. *n.* 4. Covar. *lib.* 2. *var. resol. c.* 17. *n.* 2. Garc. *de Benefic. p.* 12. *c.* 2. *n.* 3. *& seqq.* etiamsi alienatio fiat in aliam Ecclesiam. Rota *decis.* 277. *n.* 11. *p.* 4. *tom.* 3. *Recent.* Barb. in *Collectan.* DD. *ad c.* 1. *h. t.* Ricc. in *prax. aur. p.* 1. *resol.* 35. ubi alerit, hanc esse praxin Curiæ Romanæ.

Inter *justas causas* alienationis *prima* est Ecclesiæ *necessitas*, ut si æs alienum, quo gravatur, aliter expungi non possit, quàm re immobili, aut mobili pretiosâ distractâ, aut Creditori in solutionem datâ. *c.* 2. §. *hoc jus porrectum. causâ* 10. *q.* 2. *c. non habenti. c. placuit. causâ* 12. *q.* 2. aut ei ruina, vel damnum immineat aliter inevitabile, vel patiatur defectum sacræ suppellectilis, necessariæ ad rem Divinam ritè, decentérque obeundam, ad quam parandam, & ministros alendos fructus, & proventus non sunt sufficientes.

Syl-

Sylvester *V. alienatio. q.* 2. Seraphin. *dec.* 1490. Donat. *tom.* 1. *Prax. Regul. tr.* 14. *q.* 9. *n.* 2. sine dubio ideo: quia necessitas non subjacet legi, per *c.* 2. *de observat. jejun.* & facit licitum, quod de jure aliàs licitum non est. *c.* 4. *de R. I.*

Secunda causa est Ecclesiæ *utilitas* evidens, & indubitata, hoc est, talis, quà conditio Ecclesiæ clarè, & manifestè fit melior. *c. sine exceptione.* ibi: *quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. causâ* 12. *q.* 2. *c.* 1. ibi: *præsertim cùm evidens necessitas, vel utilitas non subesset. h. t. in* 6. Rota *dec.* 65. *n.* 17. *p.* 2. *divers. & dec.* 623. *n.* 3. *p.* 1. *Recent.* Neque verò ad hoc ut alienatio dicatur utilis, sufficit, eam Ecclesiæ non esse damnosam, sed requiritur, ut Ecclesia per eam fiat locupletior per *d. c. sine exceptione. causâ* 12. *q.* 2. *c.* 7. *h. t. c.* 7. §. *ne quis. & c.* 8. *de his, qua fiunt à Prælat. sine consens. Cap. Novel.* 120. *c.* 9. ℣. *hoc autem.* Rota *dec.* 65. *n.* 4. *p.* 2. *divers.* Cæsar de Panimoll. *dec.* 54. *adnot.* 1. *n.* 16. ubi *n.* 17. notat, majorem utilitatem attendi ex valore proprietatis rei, redditu, & proventu æquè vicina, æquè commoda, & æque cauta. Sufficit tamen ab initio utilitas putativa ad effectum sustinendi contractum, ut non dicatur nullus, quamvis ob læsionem Ecclesiæ detur restitutio in integrum. Coccin. *decis.* 445. *n.* 5.

19 *Tertia* est *pietas*, ob quem ad subsidium pauperum in gravi necessitate, vel ad redemptionem captivorum, vel ad sepulturam fidelium, vel ad templa ædificanda bona Ecclesiæ alienari posse, textus elegans est in *c. aurum.* 70. *causa* 12. *q.* 2. & in *l. sancimus.* 21. *C. de SS. Eccles.* Adde, ob hanc causam quoque à Sede Apostolica Imperatori, vel Regibus indulgeri posse, ut tertiam, vel aliam partem bonorum Ecclesiarum in suis ditionibus existentium accipiant in subsidium belli, quod contra Turcas aliósve infideles gerunt: si enim propter pauperum alimoniam, etiamsi propriâ suâ culpâ ad paupertatem redacti sint, *c. pascc. dist.* 88. ac propter redemptionem captivorum etiam sacra vasa frangere & distrahere licet *d. c. aurum.* multò magis permittendum videtur, vendi bona Ecclesiarum, ne imminenti clade ex Turcarum, vel Hæreticorum armis Christiani ab hostibus fidei cum locorum eversione in captivitatem rediganter; id quod confirmant exempla Pauli III. qui Carolo V. Clementis VII. & Innocentii XI. qui Augustissimo Imperatori Leopoldo ejusmodi indulta juxta formam *c. adversus.* 7. *de Immunit. Eccles.* concesserunt. Confer Donatum in *Prax. Regul. tom.* 1. *tr.* 14. *q.* 9. *à num.* 12.

Quarta causa alienationis est *incommoditas*, sive *inutilitas rei*: ut si res Ecclesiæ sit nociva propter crebras impensas, reparationem, custodiam aut periculum: vel si fundus Ecclesiæ sit sterilis, saxosus, aut longè remotus. *c.* 12. §. *hoc jus* ℣. *item prædium. causâ* 10. *q.* 2. *c. non liceat.* 20. *& c. terrulas.* 53. *causâ* 12. *q.* 2. Verùm quia ejusmodi rerum alienatio redundat in evidentem Ecclesiæ utilitatem, hæc causa continetur sub secunda, sicut & tertia ad causam necessitatis reduci potest. Pirrhing *h. t. num.* 25. *in fin.*

Porro si nulla ex quatuor his causis urgeat, 20 res Ecclesiæ ne quidem cum consensu Capituli, & auctoritate Superioris alienari possunt, siquidem, ut dictum, copulativè & solennitas, & causa justa ad alienationem desideratur. Quod adeò verum est, ut etiam alienatio auctoritate, & licentia Pontificis facta ex hoc capite impugnari possit: utut enim licentia alienandi à S. Pontifice obtenta consensum Capituli, & omnes alias solennitates suppleat, eò quòd Papa, sicut independentem de rebus Ecclesiæ disponendi potestatem habet, ita se solo Episcopis, vel aliis Prælatis Ecclesiasticis alienandi licentiam dare possit, & soleat, Seraphin. *dec.* 1307. *n.* 1. Menoch. in

addit. ad lib. 2. de arbitr. judic. casu 172. n. 37. nihilominus hæc authoritas, & licentia Papalis non supplet defectum causæ, nec præsumendum est, S. Pontificem unquam licentiam dare velle, rem Ecclesiasticam sine causa à SS. Canonibus approbata alienandi. Rota *dec. 178. n. 2. p. 2. diversi. dec. 2. de Confirm. util. vel inutil. in nov. dec. 430. n. 5. p. 1. Recent.* Redoan. *in tr. de Reb. Eccles. non alien. q. 22. n. 75.* Probatur autem defectus causæ ex lectura instrumenti alienationis, in quo causa in specie, & non in genere exprimi debet. Rot. *dec. 318. n. 5. p. 5. Recent. & dec. 596. num. 2. p. 4. diversi.*

21 *Solennitas* ad alienationis valorem requisita consistit in quatuor, scilicet in *tractatu, Capituli consensu*, ejusdem *subscriptione, & auctoritate*, seu *consensu Superioris. c. sine exceptione. causa 12. q. 2. Clem. 1. h. t. Extravag. ambitiosa. Eod. inter Comm.* & passim alibi. Ita nimirum, ut si alienatio fiat per Episcopum, aut alium Prælatum inferiorem, præter consensum Superioris requiratur tractatus præcedens, & consensus Capituli. *c. 1. & 2. h. t. in 6. d. Clem. 1. Eod.* si verò fiat per Rectorem Ecclesiæ, quæ Capitulo caret, Rectoris, & Superioris consensus sufficiat. *d. Clem. 1. & ibi* DD. Panormit. in *c. 1. de Dolo. n. 28.* Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. q. 25. num. 41.*

22 *Tractatus*, hoc est, inquisitio, & discussio inter Prælatum, & Capitulum, seu Conventum super justa causa propositæ alienationis, ipsum consensum, & alienationem præcedat, oportet *d. c. sine exceptione.* ibi: *cum totius Cleri tractatu. causa 12. q. 2. & d. c. 1. §. quia etiam h. t. in 6.* ubi irrita decernitur perpetua decimarum concessio: *quia tractatus solennis, & diligens, qui in talibus concessionibus & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem.* Quamvis autem expediat, duos, aut tres tractatus præmittere, unicus tamen sufficit, per textus statim allegatos, qui loquuntur in numero singulari. Panormit. in *c. tua. n. 3. de his, quæ fiunt à Prælat.* Molina *de J. & J. tom. 2. disp. 468. num. 2.*

23 *Consensum Capituli* quod attinet, necessum est, ut vel omnes, vel major, & sanior pars Capituli, aut Conventûs, factâ prævia legitima vocatione, simul, & Capitulariter congregati in alienationem faciendam consentiant. *c. 1. & ibi* Panormit. *num. 5. de his, quæ fiunt à Prælat.* Rota *dec. 118. n. 3. p. 1. Recent.* & Nos plenâ manu *supra ad tit. de his, quæ fiunt à major. parte Capit.* Verùm hunc consensum Capituli etiam post factam alienationem, præsertim temporalem, intervenire posse, & alienationem, si Capitulum postmodum habito prævio tractatu eam ratam habeat, convalescere, probat Rota *dec. 318. à n. 41. p. 5. Recent.* Panormit. in *c. 1. n. 5. de his, quæ fiunt à Prælat.* & Molina *cit. disp. 468. num. 6.* Sed hoc ita, ut alienatio valeat ex nunc, id est, à tempore ratificationis, non verò ex tunc, quando facta est. Panormit. *d. n. 6. ℣. aut actus non tenuit.* Gloss in *c. 1. V. tractatus. h. t. in 6.* cujus dictum refert Rota *d. dec. 318. num. 32.*

24 *Subscriptio* Capituli, quod in alienationem consensit, solùm requiritur in casibus per *c. sine exceptione. causa 12. q. 2.* expressis, puta in *venditione, permutatione, & donatione.* Panormit. in *d. c. 1. n. 4. de his, quæ fiunt à Prælat.* Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. q. 40. n. 1.* Imò hodiernis moribus neque in his memoratis casibus necessaria est, sed sufficit subscriptio Notarii attestantis de tractatu, & consensu majoris partis Capituli, nominibus singulorum Capitularium alienationi consentientium expressis. Rebuff. in *Compend. alien. n. 16.* Menoch. *de Arbitr. Iu addit. ad cas. 172. n. 4.* Ascan. Tamburin *de Jure Abb. tom. 3. disp. 13. p. 4. n. 10.* Pirrhing. *h. t. n. 31.*

Circa

25 Circa *consensus Superioris* secernendum est jus antiquum à novo. Jure *antiquo* solùm requirebatur consensus Episcopi illius, cui alienans erat subditus per textum in *c. Abbatibus.* 41. *causâ* 12. *q.* 2. ibi: *Abbatibus, Presbytero, cæterisque Ministris de rebus Ecclesiasticis, vel sacro ministerio deditis alienare, vel obligare absque permissu, & subscriptione sui Episcopi nihil liceat*: & si ipsemet Episcopus, vel alius Prælatus exemptus ab Episcopali jurisdictione alienare voluit, sufficiebat propria ejusdem auctoritas cum consensu Capituli, neque opus erat authoritate S. Pontificis, vel alterius proximi Superioris, sed id generaliter à Sede Apostolicâ permissum censebatur. *c. sine exceptione.* 52. *causâ* 12. *q.* 2. *Jure novo* verò nemini licet etiam cum causa, & juris solennitate alienare res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas *inconsulto Romano Pontifice* juxta *extravag. ambitiosæ h. t. inter comm.* & alienatio aliter facta invalida est. Gregor. XV. *dec.* 52. *n.* 1. Rota *dec.* 300. *n.* 2. *p.* 4. *divers. & dec.* 277. *n.* 2. *&* 4. *p.* 4. *tom.* 2. *Recent.* etiamsi alienatio fiat in casibus jure permissis, ut ex necessitate æris alieni, Rota *dec.* 203. *n.* 1. *p.* 4. *divers.* vel ex causa utilitatis. Rota *dec.* 631. *n.* 1. *p.* 2. *Recent.* Duran. *dec.* 238. *n.* 27. aut ab una Ecclesia in aliam. Ottobon. *dec.* 220. *n.* 16. Rota *dec.* 277. *n.* 10. *p.* 4. *tom.* 2. *Recent.* At hanc *extravagantem* in istis locis propter difficilem aditum ad S. Pontificem usu receptam non esse, saltem quoad hoc, ut Episcopo subjecti non hujus, sed S. Pontificis assensum requirere teneantur, post Zypœum attestatur P. Engl *h. t. num.* 15.

Præterea hodie quoque in diversis locis inter Episcopos, & Principes sæculares certa quædam *concordata* præsertim circa rerum Ecclesiasticarum alienationem, exactionem, & executionem inita sunt. Ita inter Rudolphum II. Imperatorem, & Urbanum Episcopum Passaviensum Anno 1592. in Arce Pragensi intercessit tractatus, & transactio, seu potiùs amicabilis compositio, quâ mediante Austriæ Prælati Episcopo inferiores, & Administratores Ecclesiastici quoad temporalia præcipuè dependent à Principe terræ, ut proinde etiam illius consensus in causis gravioribus requirendus sit. Eodem modo in Bavaria Anno 1583. inter Albertum & Guilielmum, Bavariæ Duces, & Ordinarios ejusdem Provinciæ certa quædam concordata mediante Nuntio Apostolico cum potestate Legati de Latere ad superiores Germaniæ partes delegato erecta sunt, quorum vigore inter alia in contractibus super rebus Ecclesiarum, seu Monasteriorum celebrandis utriusque Superioris, Ordinarii scilicet, & Principis sæcularis consensus tanquam solennitas desiderarur. Ad hæc ergo Administratores Ecclesiarum vel maximè attendant, ne se periculo exponant.

Cæterùm tractatus, consensus Capituli, 26
vel Episcopi, aliæque solennitates, si fortè de his in instrumento alienationis penitus nulla mentio facta sit, ex diuturnitate temporis, nempe 30. aut 40. annorum interveniisse præsumuntur, si cum lapsu temporis concurrat possessio, & observantia contractûs arg. *c. pervenit. 4. de Empt. & vend.* Puteus *dec.* 345. *n.* 1. *lib.* 1. Seraphin. *dec.* 642. *n.* 3. *dec.* 671. *n.* 1. *dec.* 1174. *n.* 3. *& dec.* 1228. *n.* 1. Buratt. *dec.* 45. *n.* 6. Quaranta *V. alienatio. n.* 46. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 95. *n.* 7. Quæ tamen præsumptio cessat, si tempus 30. annorum usque ad ultimam horam non sit completum. Rota *dec.* 114. *n.* 11. *p.* 9. *t.* 1. *Rec.* vel si ex tenore instrumenti reluceat, solennitates non fuisse servatas, vel malè adhibitas, ut si in instrumento enuntiata sit solennitas, sed non integrè descripta. Cavaler. *dec.* 613. *n.* 2. *&* 3. Coccin. *dec.* 101. *n.* 7. Boëtius *dec.* 115. *in fin.* Mascard. *de Prob. concl.* 1140. *à n.* 25. *& concl.* 1316. *à n.* 33. vel si excessum sit in facultate alienandi. Rota *dec.* 430. *n.* 3. *p.* 2. *Recent.*

§. VI.

§. VI.

27 *Finis* alienationis rerum Ecclesiæ pro diversa alienationis causa diversus est, ut plurimùm tamen res Ecclesiæ ob illius utilitatem alienatur. Rota. *dec.* 134. *n.* 5. *&* 7. *p.* 1. *Recent.*

§. VII.

28 *Effectus* alienationis rerum Ecclesiæ alius est, si sit legitima, alius, si illegitima.

Effectus alienationis *legitimæ* est translatio dominii, vel altetius juris, quæ firma perseverat, nisi Ecclesia notabiliter se læsam probaverit; quo casu non obstantibus adhibitis solennitatibus instar minorum restitutionem in integrum impetrare potest. *c. ad nostram.* 11. *h. t. c.* 1. *& ibi* DD. *de in integr. restit.*

29 *Effectus* alienationis *illegitimæ* est nullitas actûs: quoniam si res Ecclesiastica immobilis, vel mobilis pretiosa alienata sit, sine legitima causa, & solennitate, alienatio est ipso jure nulla, potéstque res alienata unà cum fructibus revocari à quibuscunque personis Ecclesiasticis, *c. si quis.* 6. §. *sed etiam h. t.* etiam à Successore alienantis. *c. Episcopi.* 4. *& c. ad audientiam.* 9. *h. t.* quin imò ab ipsomet alienante. *d. c. si quis.* 6. Rota *dec.* 14. *n.* 3. *p.* 1. *divers.* non obstante brocardico, quòd proprium suum factum impugnare, eique contravenire nemini liceat per *l. post mortem.* 25. *ff. de Adopt.* ut quod fallit, si actus malè gestus, &, ut alienatio, de qua loquimur, ipso jure sit nullus; arg. *c. magna. causâ* 22. *q.* 4. Mantic. *dec.* 111. *n.* 5. vel si, ut hic, agatur de favore, & jure publico, præsertim Ecclesiæ. Petr. Barb. in *l.* 1. *ff. Soluto matrim. p.* 5. *n.* 15. Planè ab altera parte contrahente nullitas alienationis, si hæc Ecclesiæ est utilis, allegari nequit: siquidem hoc Ecclesiæ privilegiũ est, ut ipsius favore contractus claudicet, & possit illa ratum habere, quod ab initio nulliter g stum fuit. Puteus *dec.* 302. *lib.* 1. *& dec.* 343. *num.* 3. *lib.* 2. Seraphin. *dec.* 256. *n.* 2. *& dec.* 278. *n.* 2. Quaranta in *Summ. Bullarii V. alienatio rer. Eccles. num.* 34. Castro Palao in *Moral. p.* 2. *c.* 12. §. 4. *num.* 5.

In facto *quæritum* scio: utrùm alienatio rei Ecclesiasticæ ex defectu solennitatis nec valeat in foro conscientiæ, etsi cæteroquin Ecclesiæ sit utilis?

30 Alienationem verè utilem Ecclesiæ, factam sine aliqua solennitate, esse nullam in foro conscientiæ, docent Suarez *de legib. lib.* 5. *c.* 302. *num.* 6. Sanchez in *Consil. moral. lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 15. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. disp.* 468. *n.* 14. Covar. 2. *Var. c.* 17. *n.* 2. & alii; idque ob defectum legitimi consensûs, sine quo jure naturæ nullus contractus consistere potest: enimverò cùm Ecclesia sit persona mystica, nequit præstare consensum, nisi mediante actu, voluntatéque eorum, quibus hunc explicare à jure permissum est, & eô modô, formâque, quibus ei à jure permissum, consensum explicare, & si aliter fiat, sine consensu sufficienti obligaretur Ecclesia. Accedit famosum illud dogma, quòd *lex justa in foro externo, sit etiam justa in foro interno.*

Econtra alienationem non solennem, Ecclesiæ tamen utilem, esse validam in foro conscientiæ, & donec per Judicem fuerit declarata nulla, rem alienatam licitè retineri posse, sustinent Panormit. in *c.* 1. *in fin. de integr. restit. & c. quia plerique n.* 31. *de Immun. Eccles.* Sylvester *V. alienatio. num.* 13. Navar. in *Commentar. de Spol. Cler.* §. 2. *n.* 6. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 9. *c.* 2. *q.* 8. Reginald. in *Prax. tom.* 2. *lib.* 30. *tr.* 3. *c.* 6. *sect.* 2. *n.* 69. *&* 70. aliique ab his relati; qui moventur *primò* quia contractus initus in utilitatem Ecclesiæ habet habitualem statum validitatis, quatenus scilicet Ecclesia potest obligare alteram partem ad servandum contractum. Ergo aliquam obligationem naturalem inducit, & in conscientia non est omninò nullus, cùm alioquin nulla partium esset invitè obligata ad standum contractui; quandoquidem con-

tra-

tractus nullus nullam obligationem parit. *Secundò*: quia solennitas illa ad præsumendam justam causam inducta non habet locum in eo foro, in quo est standum veritati, quæ DEO patet, juxta notata in *c. is, qui & c. tua. de Sponsalib.* maximè cùm non videatur fuisse mens S. Pontificis propter solius solennitatis defectum etiam pro foro conscientiæ actũ irritare, & accipientem ante Judicis sententiam ad restitutionem obligare: ubi enim verosimiliter de contraria mente Legislatoris constat, cessat regulare dogma: quòd *lex justa in foro externo sit etiam justa in foro interno. Tertiò*: quia leges annullantes testamentum non solenne non ita ei resistunt, quin propter enixam defuncti voluntatem aliqua sive moralis, sive naturalis saltem inefficax obligatio inde dimanet, quâ hæres institutus bona hæreditaria absque fraude occupata retinere possit, usquedum legitimè petantur, & abjudicentur. arg. *l. 2. C. de Fideicommiss. l. non dubium. 16. C. de Testament.* Layman *in Theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 4.* ergo pari & potiori ratione Canones annullantes alienationem non solennem, ex justa tamen causa factam, ei propter hanc causam relinquunt obligationem aliquam saltem inefficacem, ob quam accipiens in conscientia non teneatur rem restituere, donec legitimâ authoritate revocetur.

Opinor, posteriorem hanc sententiam practicè probabilem, priorem verò tutiorem, & in theoria probabiliorem propter *Extravag. ambitiosæ h. t. inter Commun.* ubi non tantum alienans res Ecclesiasticas sine solennitate, sed etiam alienatas recipiens excommunicationem incurrit: quod fieri non posset, si accipiens in conscientia non peccaret.

31 Denique præter nullitatem actûs malè alienantes, & accipientes diversis pœnis compescuntur. In *c. nulli 5. in fin. h. t.* malè alienantes res Ecclesiarum officii sui amissione plecti, & ad illati damni resarcitionem compelli jubentur. Imò Episcopi, qui absque necessitate, *c. si quis. 8. causâ 10. q. 2.* Abbates & Clerici, qui absque licentia Episcopali res Ecclesiasticas distrahebant, deponebantur: *c. Abbatibus 41. causâ 12. q. 2.* qui verò res ita distractas & acceptas non restituebant, ipso facto erant excommunicati. *c. Apostolicos. 13. §. quisquis. causâ 12. q. 2.* Hodie, ubi *d. Extravag. ambitiosæ h. t. inter comm.* recepta est I. tam alienans, quàm res malè alienatas recipiens excommunicatur. II. Episcopo, & Abbati bona suarum Ecclesiarum contra illius tenorem alienanti, ingressus Ecclesiæ interdicitur, & si sub hoc interdicto sex mensibus manserit, à regimine, & administratione eò ipsò suspensus est. III. inferiores Prælati, Commendatarii, & Ecclesiarum Rectores, aliique administratores ultra excommunicationem dignitatibus, officiis & beneficiis quorum bona alienant, privantur, ita ut illa absque ullâ declaratione vacare censeantur. Insuper si rem Ecclesiæ accipiens fuerit in mala fide, & sciverit, rem esse Ecclesiæ, non tantùm eam restituere tenetur, sed & pretium, quod pro illa solvit, amittit, idque Ecclesiæ applicatur. *l. 14. §. 1. C. de SS. Eccles.* canonizatâ in *c. nulli 5. h. t.* Sin autem fuerit in bona fide, & ignoraverit rem esse Ecclesiæ, tunc pretium pro ea expositum ab Ecclesia quidem potest repetere, sed in tantum solummodò, in quantum probaverit, eam factam esse locupletiorem: versionem namque in utilitatem Ecclesiæ probare incumbit ei, qui cum Ecclesia contraxit. Burrat. *dec. 418. n. 2.* Duran. *dec. 256. n. 5.* Pro reliquo ipsum Authorem, id est, venditorem, si privata & propria bona habeat, convenire debebit. arg. *l. 33. C. de R. V.* Rota *in Firmana bonorum. 16. Jan. 1585. coram Litta. & in Placentina evictionis 8. Maij. 1589. coram Eod.*

TITULUS XIV.
De Precariis.

TItulum generalem de alienatione excipiunt speciales de actibus, quibus vel *usus*, vel *custodia*, vel *dominium*, vel aliud *jus in re* transfertur. *Usus* transfertur *in Precariis Precario, & Commodato.*

PARS I.
De Precariis.

SUMMARIA.

n2. Precariarum etymologia. 3. Definitio. 4. Origo. 5. Quinam concedere, & quinam accipere possint precarias? 6. Precaria nonnisi in rebus soli constituuntur. 7. Quæ causa? 8. Quæ solemnitas necessaria sit ad constituendas precarias? 9. Quatenus opus quinquenali renovatione? 10. An gratis concedenda? 11. Quis finis precariæ? 12. Quæ obligatio concedentis? 13. 14. Quæ accipientis? 15. Qualis sit actio inde orta?

§. I.

1 *Etymologia* precariarum ducitur *à precibus*, vel potiùs à charta Ecclesiæ porrecta, quæ *precaria vel precatoria* dicebatur, & rerum Ecclesiasticarum precarias impetrantis postulationem continebat. Gonzalez. in *cap.* 1. *n.* 5. *h. t.*

§. II.

2 Quod *synonymiam* attinet, *Precaria* in numero plurali, & *Precaria* in numero singulari promiscuè sumuntur, teste P. Engel *h. t. n.* 3. Quamvis nonnulli in eo discriminent, quòd *precaria* detur remunerationis causâ ad tempus vitæ, nec renovationem desideret: *precaria* verò transeant ad hæredes, quinto quoque anno renovandæ, juxta vulgares versiculos.

Ria, Ria, Rium tria sunt, quorum est caput unum:
Ria sunt solita per singula lustra renasci.
Ria fit ad mortem, nec citra vult revocari.
Rium finitur, quando Author vult revocare.

Nonnunquam *Precaria* etiam *Præstaria* nuncupantur, scilicet ratione Episcopi, vel Abbatis præstantis. Gonzal. *l. cit. n.* 4.

§. III.

3 *Definiuntur* Precariæ, quòd sint contractus nominatus, quo alicui fundus, vel aliares frugifera Ecclesiæ in perpetuum, vel ad dies vitæ, vel aliud longum tempus conceditur, concessione de quinquennio in quinquennium renovandâ. Dessel. *h. t. theor.* 1.

§. IV.

4 *Causa efficiens* precariarum est vel remota vel proxima.

Remota est Jus Canonicum; hoc enim jure precarias inventas, & de cætero Jure Civili penitus incognitas esse, nec ullam de his mentionem fieri, tradit Panormit. & communiter DD. in *c.* 1. *h. t.* Apparet tamen precariarum vestigium in *l. jubemus.* 14. §. 5. *C. de SS. Eccles. & Novell.* 7. *in proœm. & cap.* 4. *Novell.* 120. *c.* 2.

Proxima sunt personæ, quæ titulo precariarum res Ecclesiæ concedunt, & quæ accipiunt.

Concedere possunt Rectores Ecclesiarum, puta Episcopi, Abbates, & similes per *c. sæpe.* 72. *causâ* 12. *q.* 2. *c. Clerici.* 11. *c. si Episcopus.* 12. *causâ* 16. *q.* 3. At nemo, ut concedat, cogi debet, & si Prælato non videatur expedire, potest liberè donationem sub conditione precariæ factam repudiare: quia precaria est contractus, qui nonnisi liberâ conventione utriusque partis perficitur juxta *c.* 3. & 4. *causâ* 10. *q.* 2. *Accipere* possunt non solùm Clerici, aut Monachi, sed etiam Laici, tam privati, quàm Reges, & Principes per *d. c. si Episcopus.* 12. *causâ* 16. *q.* 3. ibi: *Clericis, aut Monachis, vel quibuslibet*: & *d. c. sæpe.* 72. *causâ* 12. *q.* 2. ubi etsi in littera vulgata *Clericorum* tantùm fiat mentio, in emendatione tamen Gregoriana subduntur illa verba: *vel aliarum quarumlibet personarum.*

§. V.

§. V.

1 *Materiam*, seu *objectum* Precariarum constituunt possessiones, seu res soli, ac immobiles. *c.* 2. 3. *si Oeconomus & c. precaria* 4. *causâ* 10. *q.* 2. *c. possessiones* 61. *causâ* 16. *q.* 1. Pirrhing. *h. t. n.* 10. Et quidem olim res hujusmodi, si eas is ipse, qui precarias rogaverat, Ecclesiæ donavit, ad dies vitæ; sin autem Ecclesia aliunde comparavit, ad quinquennium, vel aliud certum tempus per precariam concedebantur. Gibalin. *lib.* 4. *de Usuris. c.* 2. *art.* 6. Gonzalez *in c.* 1. *h. t. n.* 9. *in fin.* Verùm hodie hoc rerum discrimen haud observatur, nec precariis alius terminus præscriptus est, quàm qui inter dantem, & accipientem convenit.

§. VI.

1 *Forma* Precariarum conspicitur in requisitis, quæ tria.

1 I. Requiritur justa causa; qualis est remuneratio donationis Ecclesiæ factæ, vel faciendæ; ita enim si Ecclesiæ agri tui proprietatem reservato usufructu offeras, agri duo, vel unus duplo major, aut melior; si verò agrum tuum Ecclesiæ pleno jure dones, agri tres, vel unus triplo major, ac melior in precariam tibi dari possunt. *d. c. precaria.* 4. *in pr. causâ* 10. *q.* 2. Similiter precarias obtinere poteris utut de facto nihil Ecclesiæ donaveris, modò promittas, quòd post certum tempus, vel saltem post mortem aliquid de rebus tuis Ecclesiæ largiri velis. Gloss. & text. in *c. hujusmodi causa* 10. *q.* 2. P. Engel *h. t. n.* 3. Ubi tamen bene advertit, neque legum, neque DD. authoritate evinci, quòd sit de substantia precariarum, ut præcisè remunerationis gratiâ fiant.

1 II. Requiritur solennitas illa, quæ in rerum immobilium Ecclesiæ alienatione desideratur, id est, authoritas Superioris, & consensus Capituli, sive Conventûs juxta *Extravag. ambitiosæ de Reb. Eccles. non alien. inter commun.* siquidem contractus precariarum quædam alienatio est, per quam etsi in accipientem non transeat dominium, ac proprietas rei concessæ, transit tamen usus, ac jus eâ utendi fruendi quandoque ad longum aliquod tempus, interdum ad dies vitæ, nonnunquam etiam in perpetuum. Ita Wagnereck in *c.* 1. *h. t.* P. Engel *n.* 4. Sylvester *in V. precaria n.* 7. Dissentiunt Bartol. in *l. codicillis. §. institute, n.* 4. *ff. de Legat.* 2. & Bero in *c. nulli n.* 32. *de Reb. Eccles. non alien.* quos refert & sequitur Barbos. in *Collect. DD. ad c.* 2. *n.* 4. *h. t.*

III. Requiritur, ut concessio precariarum 9
de quinquennio in quinquennium renovetur. *c. precariæ.* 5. *causâ* 10. *q.* 2. *c.* 1. *h. t.* ne temporis tractu ejus memoria obsolescat, & precariam accipiens, vel ejus hæres rem Ecclesiasticam tanquam propriam possideat. *c. longinquitate.* 64. *c. sæpe* 72. *causâ* 12. *q.* 2. Atque hæc innovatio quinquennalis est de natura hujus contractûs, & ideo eidem conditio innovandi inesse censetur, quanquam non exprimatur, sed res Ecclesiastica simpliciter sub nomine, & titulo precariæ concedatur. Zoësius *h. t. n.* 2. Nec quempiam turbet textus in *d. c.* 1. *h. t.* cujus verba: *Precariæ de quinquennio in quinquennium secundùm auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur;* quippe sensus horum verborum non est iste, quòd hâc renovatione opus non sit, nisi ubi peculiaris consuetudo sic obtinet, sed potiùs ille, quòd universalis totius mundi, & à SS. Canonibus approbata consuetudo sit, secundùm quam precariæ singulis lustris renovari debeant, ut bene interpretatur Hostiensis contra Panorm. in *cit. c.* 1. *n.* 2. Illud communiter conclusum est, quòd ad hujusmodi renovationē, cùm non sit nova concessio, solius Prælati auctoritas sufficiat, nec Capituli consensus sit necessarius arg. *c.* 2. *de Feud.* Imola, Laym, & cum his P. Pirrhing. *h. t. n.* 14. *in fin.*

IV. Nonnulli ex nominis etymo ad pre- 10
carias requirunt, ut gratis, vel ad nudas

preces accipientis concedantur, & eam ob causam putant in *c. sæpe 72. causâ 12. q. 2.* statui, ut accipiens precarias scripto profiteatur, se ad preces accepisse. Jason in *auth. ingressi. n. 42. C. de SS. Eccles.* Sed verius crediderim, in precariis etiam annuam pensionem constitui posse, ut puta, si quis molendinum, vel horreum super fundum Ecclesiæ ædificet, & in recompensationem Ecclesiæ annuatim aliquot scaphas tritici solvere promittat; quo casu, si in perpetuum contrahatur precaria, vix differt ab emphyteusi, nisi in eo, quòd singulis quinquenniis renovatio peti debeat. Panormit. in *c. 1. h. t. n. 3.* P. Engel *n. 3.* Pirrhing. *n. 13.*

§. VII.

11 *Finis*, ob quem precariæ inventæ, ac usu receptæ sunt, fuit, vel ut res Ecclesiæ rapacitate Laicorum occupatæ ad Ecclesiam redirent. Gibalin. *lib. 4. de Usur. c. 2. art. 2.* vel ne illi, qui omnia sua bona Ecclesiæ contulerunt, postea egestate laborarent. Petr. Gregor. *lib. 23. Syntagmat. c. 2. n. 5.*

§. VIII.

12 *Effectus* precariarum duplex est: alius proximus, alius remotus. *Proximus* est obligatio tum concedentis, tum accipientis precarias.

Concedens obligatur ad præstandum, ac relinquendum liberum rerum precariarum usum, donec constitutum tempus concessionis elapsum sit. *c. fin. in fin. h. t.* Nisi precariæ irrationabiliter, & in detrimentum Ecclesiæ factæ sint: etenim tunc tam ab ipso concedente, quàm à Successore ejus vel per viam nullitatis, si debito solennitates adhibitæ non sint; vel saltem per viam restitutionis in integrum, illico revocari possunt, & debent, neque pœna pro firmando tali contractu adjecta tenet, utpote accessoria contractûs. *c. 2. & ibi* Gloss. *h. t.* P. Engel *n. 3.* Pirhing. *n. 12.*

13 *Accipiens obligatur* I. ad res precarias labore suo studiosè excolendas. *d. c. sæpe 72. causâ 12. q. 2.* II. ad renovationem concessionis de quinquennio in quinquennium petendam. *c. precaria 5. causâ 10. q. 2. c. 1. h. t.* III. ad res precarias cum suis incrementis finito tempore restituendas. Marculfus *lib. 2. formul. c. 5. n. 4.* Gonzal. in *c. 1. h. t. n. 9.*

Sed quid juris, si accipiens precarias quin-14 quennalem renovationem petere omittat?

Gloss. in *c. 1. V. quinquennium h. t.* autumat, contractum precarium elapso quinquennio, omissâque renovatione tacitè renovari, si modò Ecclesia accipientem patiatur in possessione permanere, quemadmodum precarium, & locatio tempore transacto ipso jure tacitè renovatur, si Dominus non revocaverit. *l. in rebus 4. §. fin. cum l. seq. ff. de Precario. l. item quæritur 13. §. fin. cum l. seq. ff. Locati.*

Verùm hæc Glossæ sententia communem fert repulsam, & concors DD. traditio est, quòd accipiens, renovatione intra quinquennium non petitâ, post quinquennium jus precariæ amittat, ferè sicut Vasallus feudum amittit, si à novo Domino intra tempus legitimum investituram non petierit, quandoquidem hæc renovatio ad instar investituræ ad recognoscendum dominium Ecclesiæ, & conservandam memoriam concessionis jure introducta est. Panormit. *in c. 1. h. t. n. 5.* Gonzalez *ibid. n. 10.* P. Engel *n. 6.*

Exemplum à precario & locatione deductum nihil admodum concludit: nam cùm negotia hæc diversa sint à precaria, ab illis ad istam non rectè fit illatio. arg. *l. Papinianus. 20. ff. de Minorib.* maximè, quia ubi ad actum ultra patientiam aliquid exigitur, uti in precaria renovatio quinquennalis, non sufficit sola patientia, eáque nihil operatur. Barb. in *Collect. ad c. 1. n. 6. h. t.* P. Pirrhing. *n. 14.*

Effectus remotus precariarum est actio, quâ[illegible] concedens, aut accipiens precarias agit ad con-

consequentium id, quod ex natura hujus contractûs debetur. Qualis autem sit hæc actio, de jure & foro canonico parùm interest: quia hoc jure (quod etiam praxis sequitur) non est opus actionum nomina specificare, sed satis est, modò materia actionis, sive ipsum jus petendi clarè exprimatur. *c. 6. & ibi* Panormit. *de Judiciis.* And. Gail. *lib. 1. obser. 61.* Poterit tamen, si lubet, nuncupari *actio precariarum* instar aliarum actionum ex contractu, quæ regulariter assumunt nomen sui contractûs, ut *actio commodati, locati, empti, &c.* P. Engel *h. t. n. 7.*

Pars II.
De Precario.

SUMMARIA.

N. 17. Precarium quid nominis? 18. Quid rei? 19. An sit verus contractus? 20. Quotuplex? 21. Cujus juris? 22. Quinam concedere, quinam accipere possint? 23. Constituitur in re qualibet. 24. usque 27. Assignantur requisita Precarii. 28. Ejus finis. 29. Concedenti precarium competit jus revocandi. 30. & interdictum de precario. 31. Accipienti potestas utendi. 32. & possessio naturalis. 33. cum obligatione tamen restituendi.

§. I.

16 PRecarium, de quo in *c. 3. h. t.* agitur, dicitur, quòd ad preces alterius res utenda concedatur. *l. 1. pr. l. 2. §. 3. ff. h. t.* sive preces ab ipso accipiente, sive ab alio ejus nomine factæ sint. *l. 4. §. 2. l. 6. §. 1. ff. Eod.*

§. II.

17 Sumitur dupliciter: I. pro ipsa re precariò data. *l. 1. ff. h. t.* ibi: *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tam diu, quàm diu is, qui concessit, patiatur.* II. pro actu quo res precariò datur, in qua acceptione.

§. III.

18 *Definitur* precarium, quòd sit actus liberalitatis, quo precibus petenti res gratis utenda conceditur, nullo utendi vel fine, vel modo præscripto. Generis loco stat *actus liberalitatis.* Ubi

19 Solvenda *quæstio*: an precarium sit verus, & propriè dictus contractus?

Affirmativæ patrocinantur Treutl. *vol. 1. disp. 24. th. 5. lit. C.* Donell. *lib. 14. Comment. c. 34.* & alii I. quia in *l. contractus 23. ff. de R. J.* precarium annumeratur contractibus, qui dolum malum duntaxat recipiunt. II. quia ex precario datur actio præscriptis verbis, quæ propria est contractuum innominatorum. *l. 2. §. 2. in fin. l. 19. §. fin. ff. h. t.* III. quia precarium incidit in contractum innommimatum *do, ut facias;* videlicet do tibi rem, ut cùm mihi libuerit, eandem restituas.

Ego cum Gonzal. in *c. 3. h. t. n. 3.* in partem Negantium divertam propter disertum textum in *l. interdictum 14. ff. h. t.* ubi dicitur, precarii nomine nullam civilem actionem dari, quia magis ad donationes, & beneficii causam, quàm ad negotii contracti conditionem spectat. Deinde quia natura contractuum non patitur, ut negotium pendeat ex libera alterius voluntate, sicut accidit in precario. *l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. Commodati* junctâ *l. 2. §. 2. ff. h. t.*

Nec rationes oppositæ tantæ sunt, ut discessionem imperare possint. Nam in *l. 23. ff. de R. J.* precarium inter contractus refertur ob analogiam, quam habet cum commodato, & ex certo respectu, quòd nimirum in precario similiter, ac in veris contractibus quæstio de dolo, ac culpa locum habere queat. In *d. l. 2. §. 2. & l. 19. §. fin. ff. h. t.* actio præscriptis verbis in precario non venit ex negotio gesto, sed ex bona fide, seu bono & æquo constitutionibûs prodita est: plerumque enim id accidit, ait Pomponius in *l. 13. in fin. ff. Commodati, ut extra id, quod ageretur, tacita obligatio nascatur.* Et sanè inlquum

fòret, nullam civilem actionem dari ei, qui rem suam roganti precariò concesserat. Id, quod additur, precarium incidere in contractum innominatum: *do, ut facias*; nihil evincit, cùm nec precariò concedere sit *dare*, nec restituere sit *facere*: siquidem *dare* significat dominium transferre, & *facere* est, quid in vicem compensationis pro eo, quod datum est, perficere. *l.* 7. §. 2. *& ibi* Interpp. *ff. de Pactis.*

Cæteræ particulæ indicant differentias, quæ occurrunt inter precarium, & precariam, commodatum, donationem, ac alios contractus.

§. IV.

20 *Dividitur* precarium in simplex, & non simplex. Simplex vocatur, quo Precariario usus tantùm conceditur. *l.* 10. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poss. l.* 6. §. 2. *ff. h. t.* Non simplex, quo præter usum etiam possessio ex speciali conventione transfertur. *l.* 2. §. 2. *l.* 4. §. 1. *l.* 6. §. 3. *l.* 9. *l.* 12. *pr. l.* 15. §. 4. *l.* 16. *l.* 17. *ff. h. t. l.* 22. §. 1. *ff. de Noxal. act.*

§. V.

21 *Causa efficiens* precarii alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Gentium: nam hoc genus liberalitatis ex jure Gentium descendere, testis est Ulpianus in *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.*

22 *Proxima* sunt, qui precarium constituunt, concedens, & accipiens. *Concedere* precarium potest omnis, qui potest usum rei alteri communicare per *l.* 1. *ff. h. t.* & non tantùm dominus, sed & possessor rei, aut qui jus pignoris in re habet *l.* 6. §. *fin. l.* 7. *l.* 11. *ff. Eod.* item fructuarius §. 1. *in fin. Inst. de Usu & habit.* Non infans, & furiosus: quoniam voluntate destituuntur. *l.* 6. *pr. ff. h. t. Accipere* precarium potest omnis, qui potest acquirere, etiam pupillus, licèt sine tutoris auctoritate precariò rogaverit. *l. fin.* §. 1. *ff. Eod.* Neque, ut impetres, opus est, ut concedens expressis verbis precibus annuat, sed sufficit, si simpliciter rogatum usum rei permittat, nullâ precarii factâ mentione: etenim *habere precariò videtur, qui possessionem vel corporis, vel juris adeptus est ex hac solummodò causa, quòd preces adhibuit, & impetravit, ut sibi possidere, aut uti liceat. l.* 2. §. 3. *ff. h. t.*

§. VI.

Materia seu *objectum* precarii est *res quæ-* 23 libet, tam incorporalis, quàm corporalis: *l.* 2. §. 2. *l.* 3. *l.* 15. §. 2. *ff. h. t.* tam mobilis, quàm immobilis. *l. in rebus* 4. *ff. l.* 2. *C. Eod.* Sic si aliquis alterum jure sibi competente, puta, jure venandi, uti permittat, vel de novo jus in re sua ad nutum revocabile constituat, puta ut per fundum suum alteri ire, aut agere liceat, precarium erit. *d. l.* 2. §. 3. *& l. seq. ff. h. t.* Idem est, si concedas alicui, ut in domo tua commorari, aut equo tuo uti possit. *d. l. in rebus pr.* Excipitur res propria, in qua precarium non consistit. *d. l. in rebus.* §. 3. intellige, quantùm ad proprietatem: quantùm ad usum enim possessionis seu detentionis subsistere potest; ut si rem meam pignori tibi dedi, & precariò rogavi. *l. certè* 6. §. *fin. l. si debitor.* 11. *ff. Eod.*

§. VII.

Forma precarii stat in eo, ut in rogantem 24 rei precariæ usus absque modi, & temporis determinatione gratis transferatur, & pro arbitrio concedentis revocari possit. *c.* 3. *h. t. l.* 1. *l.* 2. §. 2. *l.* 15. *ff. Eod.* Itaque.

I. Requiritur, ne merces interveniat, quia 25 precarium est gratuitum. *d. l.* 1. §. 1. *l.* 2. §. 3. *l.* 8. §. 3. *ff. h. t.* & quandam donationis speciem, scilicet donationem usûs continet. Gloss. in *d. l.* 1. *V. quod genus liberalitatis.* Differt tamen à donatione, quòd donans per donationem traditione consummatam rei dominium transferat, ac deponat animum rem recipiendi; at verò, qui precariò concedit, dominium rei non transfert, sed solùm

ipsum usum, retento animo rem, quando libuerit, recipiendi. *d. l.* 1. §. 2. *& ibi* Eckolt. §. 1.

26 II. Requiritur, ut res concedatur ad usum indeterminatum ratione modi, finis, & temporis; quô precarium à precaria, & commodato discrepat, in quibus usus cum certo tempore, modo, & fine præscribitur. Quare si à me librum petis ad describendum, cùm hìc certus sit usus, & tempus, quo commodè describi possit, tacitè appositum arg. *l.* 73. *&* *l.* 137. §. 2. *ff. de V. O.* commodatum, non precarium erit. P. Pirrhing. *h. t. n.* 6. Addo adhuc alias differentias inter hæc negotia: precarium est actus liberalitatis, precaria & commodatum sunt veri contractus: in precario interdum transfertur rei naturalis possessio, in precaria, & commodato nunquam: In precario præstatur solùm dolus, & lata culpa, in precaria autem culpa levis, & in commodato etiam levissima: Precarium pro arbitrio concedentis revocari potest, non precaria, aut commodatum: Qui precariò ad tempus rogavit, etiam tempore finito ex tacita domini voluntate precariò utitur, secùs in precaria, & commodato, ubi tempore elapso res precaria, aut commodata restituenda est: Ex precario nascitur interdictum de precario, ex precaria actio precariarum, & ex commodato actio commodati? Præterea in precarium & commodatum veniunt res mobiles, & immobiles, in precariam tantùm immobilis, seu res soli: In precario & commodato nulla necessaria est renovatio, precariæ singulis lustris renovandæ sunt. Confer Gonzalez in *c.* 1. *sub n.* 4 *h. t.* Cujacium 23. *observat.* 21. Donell. *lib.* 14. *cap.* 34. *lit. A.* Widman *de Contractibus tit.* 3. *n.* 3 *&* 4.

27 III. Requiritur, ut precariam concessionem quolibet tempore, pro arbitrio, & beneplacito concedentis revocare liceat. *c.* 3. *h. t. l.* 1. *l.* 2. §. 2. *l.* 15. *ff. Eod.* Unde apponi solet clausula, widerrüfflich/ auf Widerruffen/ idque majoris cautelæ ergo: nam etiamsi non esset apposita, pro expressa haberetur, cùm sit de natura precarii. *d. l.* 2. §. 2. ibi: *naturâ æquum est &c.* Tabor. in *Barb. locuplet. V. Clausula VI.* Adhæc, quamvis precarium ad tempus rogari & concedi possit *l.* 4. §. *fin. l.* 5. *l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* pactum tamen, quo convenitur, ne res precariò concessa ante certum tempus revocetur, revocationem pro libitu etiam intra illud tempus faciendam nequaquam impediret, sed tanquam repugnans substantiæ actûs haberetur pro non adjecto. *l. cùm precarium.* 12. *ff. h. t.* Zoës. *ibidem n.* 3. Glos. *in c.* 3. *V. precarium.* & Panorm. *n.* 10. *& seqq. Eod.* Quòd verò moribus tale pactum sustineatur, contendunt Brunnemann *ad d. l.* 12. & Samuel Strickius *de Cautel. Contract. sect.* 2. *c.* 3. §. 5.

§. VIII.

28 *Finis* precarii est, ut communicato rerum usu communibus vitæ necessitatibus in hac civili societate subveniatur.

§. IX.

29 *Effectus* precari alius est ex parte concedentis, alius ex parte accipientis.

Effectus ex parte *concedentis* est vel proximus, vel remotus. *Proximus* consistit in jure revocandi rem precariò datam, quandocunque concedenti, vel ejus successori libuerit. *c.* 3. *h. t. l.* 1. *pr. l.* 2. §. 2. *ff. Eod.* Quod tamen in sano sensu, & cum aliquo temperamento temporis intelligendum est per *l. quod dicimus* 105. *ff. de Solut.* ne frustranea, ac nugatoria sit concessio, & quod beneficii ac liberalitatis nomen præsefert, ad injuriam potiùs, nocumentúmque accipientis detorqueatur contra regulam, quâ *adjuvari nos, non decipi beneficio oportet. l.* 17. §. 3. *in fin. ff. Commodati.* Panorm. *in d. c.* 3. *n.* 13. Covar. *Var. resol. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 6 Menoch. *de A. J. Q. lib.* 2. *c.* 23. *in fin.* atq; hinc concedenti, si precariũ subitò & absq; omni rationabili causa superveniente repetat, exceptio doli

doli objici potest, quòd vel voluerit illudere vel nocere. Molina *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 298. *n.* 2. cum aliis *ibid.* citatis, qui tamen plurimùm arbitrio Judicis reliquunt.

30 *Remotus est interdictum de precario*, quô Prætor jubet, ut rem, quam quis ab alio precariô habet, salvam & integram eum omni causa reposcenti restituat, aut damnum dolo, vel latâ culpâ datum resarciat. *l.* 2. *pr. l.* 4. *§.* 2. *l.* 8. §. 3. *cum seqq. ff. h. t.* cùm enim jure Civili, quia precarium speciem potiùs beneficii, quàm conventionis, seu contractûs refert, nulla prodita fuisset actio, *l.* 14. *ff. Eod.* Prætor æquitate motus remedium hoc restitutorium tribuit illi, qui precariò concessit, licèt non sit dominus, & hujus hæredi, ac successori quoque particulari. *d. l.* 8. *pr.* §. 1. *& 2.* Imò non solùm hoc interdicto uti possumus, sed etiam *præscriptis verbis actione*, non quidem *ordinaria*, quæ ex contractu innominato descendit, sed *extraordinariâ* seu *irregulari*, quæ ex bona fide oritur. *d. l.* 2. §. 2. *l.* 19. §. *fin. ff. Eod.* Ampliùs: si concedens ab accipiente precarium solenniter stipulatus sit, ut redderet, quando repeteret, habet actionem ex stipulatu, cessante precariô interdicto, tanquam remedio extraordinario. *l. & habet.* 15. §. 3. *& ibi* Glos. *V. non competit. ff. h. t.* Zoës. *ibid. n.* 6.

31 *Effectus* precarii ex parte *accipientis* est vel lucrativus, vel onerosus. *Lucrativi* duo sunt: *Primus* est potestas utendi re precariò concessa *l.* 1. *pr. ff. h. t.* etiam ultra tempus præfixum, si revocata non fuerit. *l.* 4. §. *fin. ff. eod.* Exspirat tamen hæc potestas I. per revocationem illius, qui concessit: *est enim natura æquum* (infit Ulpianus *in l.* 2. *§.* 2. *ff. h. t.*) *tam diu te liberalitate meâ uti, quam diu ego velim.* II. Per mortem ejus, cui concessa est, cùm precarium sit species beneficii personalis, & intuitu certæ solummodò personæ datum. *cap.* 3. *h. t. l.* 12. §. 1. *& ibi* Gothofr. *ff. Eod.* Non item per mortem concedentis, siquidem hæres, si non revocet, censetur continuare precarium ab Antecessore concessum. *d. c.* 3. *& l.* 8. § 2. *ff. Eod.* Nisi defunctus precarium concesserit sub expressis clausulis: *usque ad meum beneplacitum: quàm diu voluero. l.* 4. *ff. Locati.* Gonzalez *in d. c.* 3. *n.* 9. *h. t.* quia ultra mortem voluntas durare non videtur. *l.* 1. *C. de SS. Ecclesiis.*

Alter effectus lucrativus est possessio naturalis, quæ si nominatim precariò comprehensa fuit, in accipientem transit, possessione civili penes concedentem remanente. *l. & habet.* 15. §. 4. *ff. h. t.* Atque hoc casu accipienti datur *interdictum uti possidetis*, eóque adversus quoscunque turbantes præter eum, quem rogavit, uti potest: *l. qui precariò* 17. *ff. Eod.* & si concedens rem suam propriâ auctoritate invadat, incidit in vitium violentiæ, & dejectus contra eum quoque habet *interdictum unde vi*, ut quilibet justus, sive injustus possessor. *l.* 1. §. 9. *&* 30. *l.* 12. *ff. de Vi & vi arm.* Gonzalez *in c.* 3. *h. t. n.* 6. Porro si accipiens solùm rogaverit, ut sibi in possessione esse liceat, aut precarium simpliciter constitutum sit, nec naturalis possessio transfertur, sed remanet penes concedentem, qui rem possidet suo animo, & alterius corpore, ut commodans per commodatarium. *l.* 2. §. 3. *l.* 6. *§.* 2. *l.* 21. *ff. b. t.* Gonzal. *ubi supra n.* 4. 32

Effectus onerosus est obligatio restituendi rem precariam ad lubitum concedentis, ita ut ante intentatum interdictum de precario in restitutionem veniant dolus, & culpa lata duntaxat, post editum verò interdictum, hoc est, post litem contestatam, etiam culpa levis cum omni causa, seu interesse actoris, ne precariò accipiens suâ morâ obesse possit concedenti. *l. quæsitum.* 8. *§.* 3. 4. *&* 6. *ff. h. t.* Zoës. *ibid. n.* 4. Jo. Copen. *in Usu pract. Instit. lib.* 2. *observ.* 11. *n.* 7. *in fin.* Neque obstat, quòd aliàs in contractu, qui primariò cedit in commo- 33

commodum solius accipientis, accipiens quoque de culpa levissima teneatur. *l. 5. §. 2. ff. Commodati.* quia precarium non est contractus propriè dictus, & cùm ex sola voluntate concedentis dependeat, ac omni momento revocari possit, Jura accipientem ad ordinariam, & exactam custodiam adstringere noluerunt, utpote satis gravatum per restitutionem ad alterius arbitrium faciendam. Deinde sibi imputet concedens, quòd homini negligenti rem precariò concesserit, vel, cùm posset, citiùs non revocaverit. P. Pirrhing. *h. t. n.* 4. Widman *de Contract. tit. 3. num.* 4.

TITULUS XV.

De Commodato.

SUMMARIA.

1. 2. Commodatum quid nominis? 3. Quid rei? 4. Quæ origo? 5. Quinam commodare? 6. Quinam commodatum accipere possint? 7. 8. 9. Quæ res possint commodari? 10. usque 15. Quomodo commodatum differat ab aliis contractibus? 15. Quis sit finis commodati? 16. 17. 18. Quæ sit obligatio commodantis? 19. usque 25. Quæ commodatarii? 25. Quæ actio ex commodato competat?

§. I.

1 *Commodati* vocabulum origine latinum est, & derivatur à verbo *commodare*, quod germanicè leyhen significat. Lauterbach *ad ff. h. t. num.* 1. Quanquam verbum leyhen latiùs pateat, & etiam *precarium*, *mutuum*, *locationem*, & subinde *oppignorationem*, imò *emptionem*, & *venditionem* designet. Wehner *in Pract. observ. sub V.* leyhen.

§. II.

2 *Accipitur* commodatum I. pro re commodata; unde dicitur, commodatum accipere, reddere, restituere. *l. 3. §. 3. l. 5. pr. & §. 13. ff. l. fin. C. h. t.* II. Et hic accipitur pro contractu §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. obl.*

§. III.

3 *Definitur* commodatum, quòd sit contractus realis, bonæ fidei, quo res ad certum usum gratis conceditur, eâ lege, ut finito illo usu res eadem in specie restituatur. Glossa *in c. nn. h. t. V. Commodatum.*

§. IV.

4 *Causa efficiens* commodati est vel remota, vel proxima.

Remota est jus gentium, è quo omnes pene contractus orti sunt, paucis exceptis, quos Jus Civile introduxit. *§. 2. Inst. de J. N. G. & C. l. 5. ff. de J. & J.*

5 *Proxima* est commodans, & commodatarius. *Commodare* possunt omnes, & soli, qui contrahere. Quare commodare nequeunt, impubes sine tutoris auctoritate per *l. 1. §. impuberes 2. ff. h. t.* Religiosus sine consensu sui Superioris, in cujus voluntatem suam transtulit voluntatem per *c. Religiosus de Testam. in 6. c. non dicatis causâ 12. q. 1.* item nec uxor res viri sui, nisi ex præsumpta ejusdem licentia. Quòdsi commodaverit inscio & invito Marito, & res per illam commodata perierit, tenetur eam compensare in dote. *l. si constante 24. §. si uxor. 6. ff. Soluto matrim.* & Maritus ipse potest immediatè eandem rem, si non perierit, revocare, licèt tempus, ad quod per uxorem commodata est, necdum elapsum sit. Menoch. *de Arbitr. judic. lib. 2 c. 15.* 6 Commodatum *accipere* possunt omnes illi, qui ex contractu possunt saltem naturaliter obligari per *l. 2. & 3. ff. h. t.* Azor. *Inst. moral. p. 3. lib. 7. c. 3. in fin.* Quapropter quamvis pupilli commodare nequeant, possunt tamen commodatum accipere: ex quo Minores, & pupilli sine authoritate Tutorum, aut Consensu Curatorum, contrahere possunt in iis, quæ cedunt in propriam eorundem utilitatem. *prin. Instit. de Auctorit. Tutorum.*

§. V.

7 *Materia, seu objectum* commodati sunt res tam mobiles, quàm immobiles, *l.* 1. §. 11. *ff. inter commodatum ff. h. t.* & non solùm corporeæ, sed etiam incorporeæ, cujusmodi sunt jura, servitutes, pensiones, & redditus annui. *§.* 1. *Inst. de Usu & habit. d. l.* 1. §. 1. *in fin. & ibi* Bartol. *ff. h. t.* Gloss. *in c. un. Eod.* item res profanæ, & sacræ, dummodò res sacræ non commodentur ad usus profanos. Azor. *Instit. moral. p.* 3. *lib.* 7. *c.* 4. *q.* 3.

8 *Dubitatur* I. An res quoque fungibiles, & quæ per ipsum usum consumuntur, veluti pecunia, vinum, frumentum &c. commodari valeant? *Affirmo*, posse commodari *ad pompam, & ostentationem* zum Gepränge; ut si quis commodatò accipiat pecuniam, non ut consumat, sed ut aliis dives appareat: vel *dicis gratiâ*, hoc est in speciem, ut dici saltem queat, rem ita gestam esse, ut si creditor debitorem liberare volens, commodaret illi pecuniam, ad hoc, ut sic eadem solvatur. *l.* 3. §. *fin. & ll. seqq. ff. h. t. & ibi* Frantzk. *n.* 15. Schneidew. *ad §.* 3. *Inst. Quib. mod. re contr. oblig.* Bronchorst.. *ad l.* 16. *ff. de R. J. Nego*, quòd verè commodari possint: quia illæ tantùm res verè commodari possunt, quæ post usum salvæ manent, ita ut in eadem specie, seu in individuo, eben dieselbe / reddi queant; *d.* §. 2. *Inst. Quib. mod. re contr. obl.* quales non sunt res fungibiles, cùm earum usus in abusu, atque consumptione consistat. *d. l.* 3. §. *fin.* Cöppen *lib.* 2. *observ.* 9. *num.* 4.

9 *Dubitatur* II. Num & res alienæ validè in commodati contractum veniant? Quod affirmandum propter *l.* 15. *&* 16. *ff. h. t.* ubi furibus, prædonibus, aliisve iniquis rei alienæ possessoribus actio commodati tribuitur, ad hunc scilicet effectum, ut eâ commodatarius compellatur ad rem commodatam, licèt aliena sit, restituendam: hæc siquidem bona fides est, ut rem commissam recipiat is, qui dedit: & si res deposita, quamvis malè quæsita, si dominus ad repetendam eam non concurrat, furi atque prædoni restitui debet, nulla ratio est, cur in contractu commodati, qui similiter bonæ fidei est, diversum obtineat, *l. bona fides.* 31. §. 1. *ff. Depositi.* Brunnemann. *ad l.* 15. *ff. h. t.* Faber *in rationabili ad l.* 16. *ff. eod.* Bachov. *ad Treutler. vol.* 1. *disp.* 24. *th.* 1. *lit. C.* Neque obstat, quòd commodatum species quædam beneficii esse dicatur, *l.* 17. §. 3. *ff. h. t.* ex alieno verò si quis aliquid largiatur, furtum committat, *l* 54. §. 1. *ff. de furtis.* & ex improbitate sua nemo sibi actionem furti acquirat, *l.* 12. §. 1. *ff. Eod.* atque adeò concludendum esse videatur, furem, aut prædonem multò minùs commodati actionem, quæ bonæ fidei est, occasione suæ malitiæ acquirere, rei alienæ usum aliis iterum concedendo; quoniam fur, aut prædo, si causam actionis commodati proximam, & immediatam respicias, ex contractu bonâ fide inito, nequaquam verò ex improbitate sua actionem consequitur, hoc est, non ideo rem ad usum alicui concessam sibi restitui desiderat, quòd eandem rapuerit, sed ideo, quòd commodaverit, & usus elapso fortè præfinito tempore extinctus sit.

§. VI.

Forma commodati consistit in traditione rei ad usum gratuitum, ac certum, & sub lege eam reddendi in eadem specie facta. Ut itaque commodatum videatur contractum.

Requiritur I. Ut res tradatur: siquidem commodatum est è censu contractuum realium, qui sine interventu rei non perficiuntur: & ideo si tantùm convenit de libro, aliáve re ad usum concedenda, non commodatum, sed vel stipulatio, vel nudum pactum initum intelligitur.

II. Requiritur, ut res detur usûs gratiâ: per hæc enim commodatum differt à depositio, & pignore, in quibus res non datur ad usum.

Dein-

Deinde à mutuo, in quo non solùm usus, sed & dominium rei mutuatæ in accipientem transfertur, & ob id res mutuata quolibet casu fortuito accipienti perit. §. *item is. & ibi* Interpp. *Inst. Quib. mod. re contr. oblig.*

12 III. Requiritur, ut usus, ad quem res commodatur, sit gratuitus: nam si certa merces initiò constituatur pro usu rei, non est commodatum, in quo culpa levissima, sed locatio, in qua solùm lata, & levis culpa præstanda est. *d. §. item is. 2. in fin.* Sin usus rei conceditur pro ea mercede, quæ postea constituetur, vel pro tali re, quæ non potest habere rationem mercedis, est contractus innominatus, in quo pœnitere licet. *§. 1. & 2. Inst. de Locat. & Conduct. l. 5. §. 12. ff. h. t.* In dubio, ubi de substantialibus unius, vel alterius contractûs non liquet, sed præcisè dicitur, daß er dem andern sein Pferd gelyhen (quod utrumque contractum vel commodatum, vel locationem designare potest) potiùs præsumitur pro locatione, quàm pro commodato, præsertim in hominibus plebeis, qui rarò aliquid gratis, aut ex mera benevolentia præstant, ubi lucellum habere possunt: & hinc est, quod dicitur, donationem nunquam præsumi, quoties alia conjectura capi potest, ex quo nemo præsumitur jactare suum. *l. cùm de indebito 25. ff. de Probat.* Caspar. Schmid *ad Jus Bavar. tom. 2. tit. 17. art. 2. n. 3.* Planè honorarium, quod non tanquam merces in compensationem usûs, sed tantùm in grati animi declarationem datur, aut promittitur, non mutat naturam commodati, sicut nec alterius cujuslibet contractûs gratuiti, arg. *l. 2. §. 24. ff. de Vi bonor. raptor. l. 6. pr. ff. Mandati.* Lauterb. *ad ff. h. t. num. 12.*

13 IV. Requiritur, ut ille usus sit certus, ac determinatus, tempore vel expressè, vel tacitè à commodante designato: *l. 5. §. 8. l. 17. §. 3. ff. h. t.* Quare si simpliciter usum rei meæ alteri concessero, non commodatum, sed precarium erit, quod quidem gratis quoque datur, sed non ad certum usum, cùm naturâ suâ pro lubitu concedentis sit revocabile per *l. 1. l. 2. §. 2. l. 12. ff. de Precar.* junctâ *d. l. 17. §. 3. ff. h. t.* Confer, quæ diximus *tit. præced. num. 26.*

14 V. Ut res tradatur sub lege, eam finito usu restituendi in specie juridica, hoc est, in eodem individuo logico: etenim si conveniretur de alia re reddenda, non esset contractus commodati, sed vel mutui, vel permutationis, vel alius contractûs innominatus. DD. in §. *item is. 3. Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* Rursus, si commodans rem æstimatò det commodatario, & hic rem æstimatò suscipiat, commodatum non erit, eò quòd æstimatione res quasi vendatur. *l. plerumque 10. §. 5. in fin. ff. de Jure dot.* Putem tamen, in dubio æstimationem plùs non operari, quàm ut certum sit, quid suo tempore reddendum, si res ipsa culpâ accipientis perierit, aut notabiliter deteriorata sit. Zoël. *ad ff. h. t. num. 10.* Molin. *de J. & J. disp. 29. num. 10.*

§. VII.

15 *Finis* commodati est commodum, & utilitas Commodatarii; qua de causa nonnullis *commodatum* quasi *commodo datum* dicitur.

§. VIII.

16 *Effectus* commodati est vel proximus, vel remotus. *Proximus* est obligatio tum Commodantis, tum Commodatarii.

Commodans obligatur I. ad rem intempestivè, id est, ante tempus, vel usum finitum non revocandam: cùm non decipi nos beneficiò oporteat, sed juvari. *c. un. h. t. l. 17. §. 3. ff. Eod.* II. Ad reparanda damna illata dolò, aut culpâ latâ, ut si sciens rem fortè vitiosam commodavit. *l. 18. §. 3. l. pen. ff. h. t.* junctâ *l. 8. §. eum, qui ff. de Precar. & l.*

magna 226. *ff. de V. S.* III. Ad refundendas expensas in rem commodatam à Commodatario factas; intellige, si extraordinariæ sint, & graves: nam ordinarias, quæ ad cujusque rei naturam requiruntur, & sine quibus rei usus haberi non potest, ad Commodatarium pertinent, nec à Commodante repeti possent. *d. l.* 18. §. 2. *ff. h. t.*

17 Non levis DD. *pugna* est: an liceat commodanti, si fortè post contractum commodatum emergeret casus improvisus, inducturus illum in grave discrimen, nisi commodatum revocet, rem commodatam ante expletum tempus revocare ad subveniendum propriæ indigentiæ?

Commodatum in ea etiam hypothesi revocari posse, cum pluribus negat Navar. in *Man. c.* 17. *n.* 282. motus *primò* vulgaribus juris regulis: *quod semel placuit, amplius displicere non potest. c.* 21. *de R. J. in* 6. *& mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. c.* 33. *Eod. Secundò* quia in contractibus nominatis, iis completis, non datur amplius locus pœnitentiæ, ut in terminis de commodato habetur in *d. l.* 17. §. 3. *ff. h. t. Tertiò* quia donatio, & res donata emergente casu improviso revocari non potest; ergo nec commodatum, ac res commodata, cùm commodatum sit donatio usûs, & quædam species beneficii juxta *cit. l.* 17. §. 3.

Affirmant econtra Less. *lib.* 2. *de J. & J. c.* 27. *n.* 18. Layman in *Theol. mor. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 3. & novissimè Caspar. Schmid *ad Jus Bavar. tit.* 17. *art.* 1. *n.* 7. ideo: quia commodans saltem implicitè commodâsse præsumitur ad illud tempus, illúmque usum sub ea conditione, nisi sibi superveniat ex inopinato casu vel major, vel saltem æqualis necessitas: utut enim per gratuitum hunc contractum Amici sui commodum ad tempus promovere intenderit, non tamen verisimile est, quòd illud facere voluerit cum detrimento suo insperato, cùm quilibet sibi ipsi sit proximus, & ordinata charitas à se ipsa initium sumat. Alii id probant argumento ducto à Locatore: Locator, inquiunt, potest ob supervenientem improvisam necessitatem revocare locationem, & rem locatam ante finitum locationis tempus. *l. idem* 3. *C. de Locato & conduct.* ergo etiam, & multò magis Commodator commodatum, & rem commodatam, ex quo locatio est contractus onerosus, commodatum autem gratuitus, qui faciliùs, quàm onerosus revocari potest. Verùm probatio hæc nihil admodum concludit, quandoquidem facultas revocandi locationem non competit ex natura contractûs, sed ex speciali privilegio legis, quod est strictæ interpretationis, cùm tendat in præjudicium tertii, nempe Commodatarii, qui ante expletum tempus privatur usu rei commodatæ. Ergo non debet ab uno contractu extendi ad alterum.

Ego posteriori opinioni, quippe æquitati naturali maximè consentaneæ, adhæreo, nec ab ea oppositis rationibus dimoveor. Nam quod allegatas Juris regulas attinet; nego, quòd superveniente necessitate commodanti displiceat, quod semel placuit, aut quòd consilium mutet in alterius detrimentum: quoniam semper præsumitur, eum beneficium præstitisse sub tacita conditione, nisi major, vel æqualis necessitas supervenerit. *Alteræ* pene eandem responsionem meretur. Ad *tertiam* disparitas est, quòd per donationem in Donatarium transeat dominium, in commodatarium solus usus; *l.* 8. *ff. h. t.* faciliùs autem revocatur usus, quàm dominium.

Huc subjungi potest & illa *quæstio*: utrùm 18
Comodans rem commodatam revocare possit, si tempus, quod usui expressè, vel tacitè præfinitum, elapsum sit, Commodarius verò re commodatâ intra illud citra suam culpam uti non potuerit?

Rationem dubitandi movet Panormit. in

6. *num.*

cum. n. 7. h. t. quia ex textu habetur, quòd casus fortuitus non noceat Commodatario, & Dominus rei commodatæ deberet esse contentus, si eam omninò non reciperet; ergo multò magis contentus esse debet, si seriùs, quàm conventum est, citra culpam tamen Commodatarii, rem suam recipiat.

Verumtamen contraria sententia Bartoli in *l. in commodato. 17. §. sicut 3. ff. h. t.* communiter recepta est: eò quòd concessa ad tempus tempore elapso extinguantur: & quod permissum est ad terminum determinatum, postea censeatur negatum. Mozz. *rubr. quomodo toll. commod. n. 6.* Caspar Schmid *ad Jus Bavar. tom. 2. tit. 17. art. 1. n. 8.* Deinde quia Commodatarius non habet jus utendi re commodatâ, nisi ad modum, & normam præscriptam à Commodante, cui sicuti liberum est commodare, vel non commodare quoad substantiam, ita etiam liberum est, commodare quoad modum, ita ut commodatum non subsistat, nisi quoad modum præscriptum: *l. 17. §. 3. ff. h. t.* Ad hæc impedimentum Commodatarii non prorogat consensum Commodantis ad certum tempus restrictum, nec potest eum ad aliud obligare, ac ad illud, ad quod sponte per consensum se obligavit. Accedit, quòd Commodans certet de damno vitando, Commodatarius autem de lucro captando; explorati autem juris est, prioris conditionem semper meliorem esse. arg. *l. verum 11. §. item quæritur 6. ff. de Minorib.*

Unde facilè solvitur ratio dubitandi: etenim verum est, quòd si res casu fortuito pereat, Commodans interitum rei ferre debeat, ex quo res quælibet perit suo Domino; at ratione moræ, & temporis, ne Commodans re suâ longo tempore præter intentionem carere debeat, & quia certat de damno vitando, econtra Commodatarius de lucro captando, huic potiùs, quàm illi casus imputari, & nocere debet. Quò facit textus in *l. ex conducto. 15. §. item 6. ff. Locati.*

Commodatarii obligatio itidem multiplex 19
est. I. Tenetur re uti ad illum usum, ad quem à Commodante concessa est. Sin ad alium usum convertat, veluti si equum commodatum ad equitandum applicet ad vehendum, furtum committit, non quidem rei commodatæ, sed usûs ejus. *l. 5. §. 8. ff. h. t. §. furtum autem. 6. Inst. de Oblig. qua ex delict.* Cessabit tamen furtum usûs, si Commodatarius ex probabili quadam causa permotus putet, se voluntate Domini re aliter, vel diutiùs uti posse: ex quo furtum sine affectu furandi, atque volente Domino haud admittitur. *d. l. 5. §. 8. ff. h. t. l. 76. ff. de Furt.* Men. *de Arbitr. jud. lib. 2. cas. 298.*

II. Commodatarius rem sibi commoda- 20
tam non modò eadem diligentia, quâ res proprias, sed etiam majori custodire, & conservare debet. *§. item is. 2. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. l. sicut certo. 5. §. 4. ff. h. t.* Ubi

Quæres I. Ad qualem culpam teneatur Commodatarius, si res commodata interiit, aut deteriorata est? R. Referre, utrùm res gratiâ Commodantis, gratiâ Commodatarii, vel gratiâ utriusque commodata sit? *Primo* casu, ubi res est commodata *Commodantis causâ* v. g. si sponsæ, vel uxori tuæ, quò cultior ad te deduceretur, ornamenta, vel famulo tuo ut honestiùs te comitetur, vestes, vel Jurisperito causæ tuæ patrocinium suscipienti, vel responsum concipienti libros commodâsti, Commodatarius nonnisi de dolo, & quæ in obligationibus ex contractu dolo æquiparatur, de lata culpa tenetur. *l. 5. §. 10. l. 10. §. 1. l. 12. pr. ff. h. t. l. 1. §. 5. de O. & A.* Ratio consistit in æquitate, cui ex parte commodantis adversatur, majorem velle exigere diligentiam ab eo, qui gratis officium suum impertitur, ex parte verò Commodatarii, nolle præstare cul-

culpam latam, quæ tamen citra præsumptionem doli non admittitur. *l. 29 pr. ff. Mandati.* Molin. *tr. de J. & J. disp.* 295. *n.* 1. Idem dicendum, si Commodans ultrò, & non rogatus commodatò se offerat per *l.* 5. *§.* 10. *ff. h. t.* Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib.* 9. *tit.* 2. *n.* 5. *& 7. Secundo* casu, si res *Commodatarii causâ*, ut plerumque solet, commodata sit, iste non solùm obligabitur ex lata, & levi, sed etiam leviſſimâ culpâ *c. un. h. t. l.* 2. *§.* 2. *l.* 18. *pr. ff. h. t. l.* 1. *§.* 4. *ff. de O. & A.* Ratio est: quia æquitati naturali repugnat, ut damnum quodcunque inferatur Comodanti, qui gratuitum Commodatario exhibet officium. Neque obstat *§. item is. Instit. quib. mod. re contr. oblig.* qui in Commodatario solummodo requirit *exactam diligentiam*, cujus omissio culpa levis est, non leviſſima: siquidem ibi positivus ponitur pro superlativo, quod in jure frequens, ceu patet ex *l.* 21. *C. Mandati. l.* 5. *§.* 5. *ff. h. t. l.* 15. *§.* 16. *ff. Famil. ercisc.* Casu *tertio*, quando res *communi*, seu *utriusque gratiâ* commodata est, v. g. si quis alicui communem amicum ad cœnam invitanti argentea vasa, vel si mercator socio in communio negotio occupato equum commodaverit, Commodatarius culpam duntaxat latam, & levem, non etiam leviſſimam præstabit. *l.* 18. *pr. ℣. at si utriusque. ff. h. t.* Ratio iterum in æquitate consistit: cùm enim quod gratiâ utriusque datur, minus beneficium sit eo, quod datur gratiâ solius Commodantis, ad minorem illo, quàm isto casu diligentiam obligatur, consequenter non ad exactiſſimam, cujus solius omissio culpam leviſſimam constituit. Gomez 2. *Var. resol.* 7. *n.* 3. Mantic. *d. lib.* 9. *tit.* 2. *n.* 4. Confer. etiam, quæ *supra de Pact. n.* 56 *& seqq.* tradidimus.

21 *Quæres* II. Utrùm Commodatarius de casu quoque fortuito, ut si res incendio, naufragio, vel hostium incursu pereat, teneatur? Et quoniam casus fortuitus in nullo contractu præstatur. *l.* 23. *ff. de R. J. & l.* 6. *C. de Pignorat. act.* & quotiescunque res aliena perit apud alterum casu fortuito, toties perit suo Domino. *d. l.* 23. *ff. de R. J. & l.* 9. *C. de Pignor. act.* ideo nec Commodatarius regulariter de hoc casu tenetur. *c. un. h. t. l.* 5. *§.* 4. *ff. Eod.* Regulariter inquam: admittit enim hæc regula suas exceptiones, quarum *prima* est, si culpa Commodatarii, quæ scilicet aliàs præstanda erat, casum præcessit. *d. c. un. l.* 1. *C. Eod.* ut si in incendio, vel ruina, cùm posset res commodatas salvas facere, suas prætulit, aut si equum ad domesticos usus concessum ad bellum duxit. *d. l.* 5. *§.* 4 *&* 7. *ff. h. t.* Caspar Schmid *ad Jus Bav. tom* 2. *tit.* 17. *art.* 1. *n.* 11. *& seqq. Secunda*, si Commodatarius casus fortuitos, & periculum eventûs pacto in se suscepit, *l.* 5. *§.* 13. *ff. h. t.* quippe *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* juxta *c.* 85. *de R. J. in* 6. *d. l.* 23. *ff. Eod.* Et quidem Commodatarius, qui casum fortuitum in se recepit, etiam de insolito tenetur: propriè namque casûs nomen meretur, qui est insolitus. *l.* 78. *§. ult. ff. de Contrah. emp. l.* 15. *§.* 1. *ff. Locati.* Fachin. 1. *controv.* 86. Bachov. *ad Treut. l. vol.* 1. *disp.* 29. *th.* 6. *lit. H.* Deinde generale pactum de casibus fortuitis recipiendis sufficit, nec speciali opus est. *l.* 7. *§.* 17. *ff. de Pact. l.* 39. *ff. Mandati l.* 5. *C. de Pignorat. act.* Sichard. in *l.* 1. *n.* 8. *C. h. t.* Præstat tamen insolitorum casuum expresè facere mentionem, ne postea disputandi ansa remaneat, an ad hos teneatur Commodatarius, ut monet Samuel Stryck. *de Cautel. contract. sect.* 2. *c.* 2. *§.* 9. *Tertia* exceptio est, si Commodatarius fuit in mora, & post expletum usum rem Domino non restituit. *c. un. h. t. l. quod te.* 5. *ff. de Reb. cred. l.* 23. *ff. de V. O. l.* 8. *§.* 6. *ff. de Precario.* quia *mora sua cuilibet est nociva*, nec alteri nocere debet. *c.* 25. *de R. J. in* 6. Quod procedit, etsi quis rationabiliter præsumat, Dominum non fore invitum, si res com-

commodata (idem est de re locata) ultra conventionem retineatur, quandoquidem ista præsumptio excusat quidem à furto usûs, non tamen facit, quò minùs debitor non sit in mora, adeóque teneatur de casu fortuito. *d.l quod ſ. & ibi* Interpp. Limitatur autem, si res eo casu fortuito æquè peritura fuisset apud Commodantem: etenim tunc Comodatarius, quia rei interitus, vel damnum illatum moræ etiam culpabili nequit imputari, probabiliùs ad præstandum illum casum non obligatur. arg. *l. fin. §. 1. ff. ad legem Rhod.* Covar. *reg. peccatum p. 2. §. 6. n. 1.* Sylvester *V. mora. q. 1.* Dissentit Gloss. *in c. un. h. t.* arg. *l. cùm res. §. ult. ff. de Legat. 1.* Addunt aliqui *quartam* exceptionem, si ab initio fuit facta æstimatio rei commodatæ eâ lege, ut in omnem eventum aut res præstetur, aut æstimatio. *l. 5. §. & si forte. 3. ff. h. t.* quâ conventione cessante sola æstimatio non videtur aliud operatura, nisi quòd certum sit, quantùm restitui debeat, re culpâ Commodatarii deperditâ, vel deterioratâ: neque enim casus fortuitus illi imponendus est, nisi pateat, quòd eum in se suscipere voluerit. Zoës. *ad ff h. t. n. 16.* Schambogen *ad Inst. §. item is.*

22 III. Commodatarius obligatur finito usu rem restituere cum omni causa, & in eodem statu, quo commodata est, nullo modo deterioratam: quia aliàs reddi non videtur, & interesse præstandum est. *l. 3. §. 1. l. 5. §. 9. l. 18. §. 1. ff. h. t.* Sed hoc ita, quando deterioratio culpâ Commodatarii contigit: nam si res commodata deterior facta sit sine ejus culpa, ex vitio intrinseco, vel usu, in quem concessa est; ut si vestis commodata atteratur, aut equus in longum iter concessus in ipso itinere destruatur, Commodantis damnum est, si aliter conventum non fuerit. *l. 10. l. fin. ff. Eod.* Cæterùm commodatum adeò celerem, & expeditam habet restitutionem, ut neque prætextu debiti recusari possit. *l. fin. C. h. t.* ibi: *prætextu debiti restitutio commodati non improbabiliter recusatur.* Nisi Commodatarius in ipsa re comodata impensas & sumptus quosdam fecisset: siquidem tunc rem commodatam jure pignoris retineri posse usque ad refusionem, dubitare non sinunt textus in *l. 15. in fin. & l. 59. ff. de Furtis.* Harprecht. *ad ſ. item is. n. 51. Inst. quib. mod. re contr. oblig.* Molina *de J. & J. tr. 2. disp. 297. n. 9. & seq.*

Multùm *digladiantur* Interpp. an in com- 23
modato locum quoque habeat compensatio?

Affirmant Gloss. *in c. nn. h. t.* Panormit. *in c. bona fides de Deposito.* Hunnius *Var. resol. tr. 3. p. 3. q. 3.* & alii politissimi Jurisperiti apud Harpp. *cit. n. 51.* arg. *§. in bona fide. 30.* ibi: *exceptâ solâ depositi actione. Inst. de Actionib. & l. fin. §. 1.* ibi: *excepta actione depositi. C. de Compensat.* Ecce! his legibus ex ordine contractuum solùm depositum excipitur, & donatur privilegiô incompensabilitatis: ergo reliqui contractus manent sub regula juris communis, quæ est, quod inde debita cæteris paribùs sint compensabilia: exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis, adeó que etiam commodatum manet sub communi illa regula juris communis, cùm nuspiam legatur exceptum; imò reducitur potiùs ad dispositionem juris communis *in l. 18. §. 4. ff. h. t.* ubi disertè habetur: *quod contrario judicio consequi quisque potest, id etiam recto judicio, quo cum eo agitur, potest salvum habere jure pensationis.* id est, compensationis.

Negant Molina *de J. & J. disp. 297. n. 10.* citans Gloss. *in l. ult. C. de Compensat.* Haunold. *tr. 10. c. 7. controvers. 6.* & Harpp. *l. cit.* cum pluribus relatis: *primò* propter recitatum paulò ante text. *in l. ult. C. h. t.* quem malè emendat Cujacius, dum loco *commodati* subsituit vocem *commendati*, *seu depositi*: Præterquam enim quod pro sua emendatione nullum exemplar adducere possit, vulgarem lectionem suadet, quòd

quòd Impp. hanc legem sub *tit. Commodati.* locaverint. *Secundò* quia compensatio solùm procedit in rebus fungibilibus ejusdem generis, qualitatis, & bonitatis, ut si pecunia compensetur cum pecunia, oleum cum oleo, vinum vetus cum vetere, Austriacum cum Austriaco: non econtra, si pecunia compensetur cum vino, vinum cum oleo, vinum vetus cum novo, album cum rubro, dulce cum acido, Austriacum cum Tyrolensi, minùs si compensetur pecunia, aut frumentum cum equo, equus cum bove, Bucephalus cum Pegaso, ut notat ipsemet Panorm. in *d. c. bona fides. n.* 12. *de Deposito.* Commodatum autem propriè in rebus fungibilibus consistere non potest, sed in speciebus, seu corporibus, finito usu, in eadem specie reddendis. *Tertiò* quia eadem ratio negandi compensationem militat in commodato, quæ in deposito, imò major: nam in deposito principalis ratio est perfidia, ne prætextu compensationis Dominus rebus depositis defraudetur à Depositario, cujus fidei commissæ sunt, sed etiam res commodatæ fidei Commodatarii commissæ sunt, eo ipso, quòd eædem in specie restitui debeant, quin ultra hoc Commodatarius propter concessum rei usum recipit beneficium, Depositarius verò nullum: ergo major in illo, quàm in hoc arguetur perfidia utendo compensatione.

Hæc sententia, etsi aliis quoque plerisque recepta sit, non tamen videtur simpliciter admittenda; Ecquid enim causæ fuerit, cur compensationi locus non sit, si res commodata in specie restituenda periit, adeóque ejus æstimatio in pecunia restituenda est, aut si quidem existit, sed deteriorata, & ideo Commodans præter rem etiam damnum deteriorationis sibi resarciri petat? etenim cùm in ejusmodi casu non veniat restituenda res commodata, sed ejus locò pecunia debeatur, termini habiles occurrunt, quibus hujus debiti pecuniarii cum debito pecuniario ex alio contractu compensatio statuatur, ut optimè advertunt Zoës. *ad ff. h. t. n.* 22. & Clariss. D.D. Woller in insigni *tr. de Compens. c.* 3. *n.* 76. *& seqq.*

Quâ limitatione positâ non potest multùm negotii esse cum illis legum, & rationum subsidiis, quibus affirmativa innititur. Quod enim dicitur, exceptionem §. *in bonæ fidei Inst. de Action. & l. fin. C. de Compens.* in deposito factam firmare regulam in contrarium quoad alios contractus: id solùm concludit, quando non adest textus, qui etiam in non exceptis disponat, qualis est in *l. fin. C. h. t.* qui in commodato compensationem haud obscurè excludit. Deinde alia ratio fuit excipiendi depositum, & ibi negandi compensationem, ex quo res quoque fungibiles, quæ regulariter compensationem admittunt, deponi, non item commodari possunt. Ad *l.* 18. §. 4. *ff. h. t.* si termino *pensationis* insistatur, & inde *compensatio* erui velit, responderi potest, eam procedere, quando Commodatarius ad æstimationem rei deperditæ, vel deterioratæ convenitur, adeóque quantitas pro interitu, vel deterioratione solvenda est. Georg. Widman. *tr. de Contract. tit.* 3. *n.* 33.

Effectus remotus Commodati est actio commodati directa, & contraria. *Directa* datur Commodanti, ejúsque hæredi contra Commodatarium, & ejus hæredes, vel ad restituendam rem commodatam, usu finito, in specie salvam, & integram, & cum omni causa, vel si perdita, aut deteriorata sit, ad præstandam æstimationem, vel interesse. *l.* 3. §. 1. *l.* §. 9. *l.* 13. §. 1. *l.* 17. §. 3. *ff. h. t.* *Contraria* competit Comodatario, & ejus hæredibus ad reparandum damnum ob intempestivam rei commodatæ revocationem aut ex dolo, vel culpa lata Commodatantis datum, sicut & ad refundendas impensas debitas. *c. un. h. t. l. in rebus.* 18. §. *possunt. ff. Eod.*

Ti-

TITULUS XVI.

De Depositō.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Depositi etymologia. 4. Definitio. 5. usque 9. Divisio. 9. Origo. 10. Quinam possint deponere, & depositum suscipere? 11. Quæres deponi? 12. An etiam immobiles? 13. Quid juris circa accessoria deposita? 14. Quid circa res inclusas cistæ depositæ. 15. 16. 17. Quæ sint requisita Depositi? 18. Quis finis? 19. Quæ obligatio deponentis. 20. usque 26 Depositarii? 26. Quæ inde actio competat?

EXpedivimus actus, ac contractus, quibus rei *usus* transfertur. *Custodiam* transfert *depositum.*

§. I.

1 *Depositum à ponendo* dictum est, præpositione *de* augente *positionem:* ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet. *l. 1. pr. ff. h. t.*

§. II.

2 *Synonimum* depositi est *commendatum:* siquidem Juris Interpretes verbum *commendare* frequenter pro *deponere* usurpant, eò quòd res deposita quasi alterius custodiæ commendetur. *l. 24. l. 26. ff. l. 6. l. 9. C. h. t. l. 186. ff. de V. S.*

§. III.

3 *Acceptio* depositi bifaria in jure reperitur. I. Sumitur pro ipsa re deposita. *l. 1. pr. ff. h. t.* ubi dicitur: *depositum est, quod custodiendum alicui datum est.* II. Et magis propriè accipitur pro ipso contractu, seu conventione, quâ mediante res alterius custodiæ committitur per *l. jurisgenitum. 7. ff. de Pactis.* In qua acceptione.

§. IV.

4 *Definitur* depositum, quòd sit contractus realis, bonæ fidei, quo res alteri gratis custodienda, & ad libitum deponentis in eadem specie reddenda traditur.

§. V.

Dividitur in depositum in specie, & sequestrum. 5 *Depositum in specie est*, cùm res non litigiosa ab uno saltem custodienda traditur, arg. *l. 6. & 17. ff. h. t. l. 110. ff. de V. S. Sequestrum est*, cùm res litigiosa à litigantibus apud tertium deponitur, eâ lege, ut is pendente lite rem custodiat, & eâ finitâ victori restituat. *d. l. 17. ff. h. t. & l. 110. ff. de V. S.* Sed de hoc egimus in *Lib. II. tit. 17.*

Depositum in specie *subdividitur* I. in vo- 6 luntarium, & necessarium. *Voluntarium* illud est, quod nullo imminente periculo, sed ex mera fiducia & voluntate contrahitur. *l. 1. §. 1. ff. h. t. Necessarium* verò (alii *miserabile* vocant) dicitur, ad quod cogit instans quædam necessitas, ac morale periculum, rem perdendi, nisi deponatur, quò pertinet depositum *incendii, ruinæ, tumultûs, vel naufragii* causâ factum. *d. l. 1. §. 1. 2. & 3.* Est autem speciale in hoc depositō, quòd illud dolosè negans, aut restituere recusans, si postmodum in judicio convictus fuerit, in pœnam inficiationis non tantùm rem depositam, sed insuper pretium illius rei, sicque duplum restituere teneatur, ex quo perfidiæ crimen propter necessitatem crescit. *d. l. 1. §. 1. & 4. ff. h. t.*

Subdividitur II. In depositum regulare, & 7 irregulare. *Regulare* est, quod nullum alium contractum admixtum habet; ut si simpliciter species aliqua, vel etiam pecunia obsignata, aut cista clausa sit deposita; *l. 1. §. 41. l. si sæculum 29. ff. h. t.* sicut & si talia deposita fuerint monumentorum corpora, in quæ ob antiquitatem, bonitatem, & memoriam cadit affectio. Brunnem. *ad l. 3. C. Eod. Irregulare* vocatur, quod de alio quoque contractu, puta de mutuo, aliquo modo participat, & sic notissimos depositi terminos excedit; ut si deponatur res fungibilis cum expressa licentia usûs, vel si deponatur pecunia neque clausa, neque obsignata, sed numerata, eò ipsò enim

Depositario tacitè facultas eâ utendi permissa videtur. *l.* 24. §. *fin. l.* 25. §. 1. *l.* 26. *& 29. ff. h. t. l.* 31. *ff. Locati.* In quo hoc notabile occurrit, quòd in mutuum non transeat, consequenter nec periculum ad Depositarium pertineat, donec pecuniam locô moverit, eáque uti cœperit. *l.* 9. §. *fin. l.* 10. *ff. de Reb. credit.* Schambogen *ad Inst.* § *praterea.* 3. *quib. mod. re contrah. oblig.*

8 Nonnulli etiam depositum *dividunt* in depositum juris, & depositum facti. *Depositum Juris* appellant illud, quo juxta *l.* 19. *C. de Usur.* res debita Creditori justè oblata, & ab ipso injustè recusata, apud Magistratum, vel Ecclesiam ad sistendum cursum usuarum, & inducendum liberationis effectum deponitur; quo subsecuto debitor non solùm periculo liberatur, sed etiam jus pignorum tollitur, & rei depositæ interitus ad Creditorem spectat. *Depositum facti*, seu conventionale nuncupant, quod inter privatos fieri consuevit, & Depositarium ad factum, seu custodiam obligat. Quia autem Depositum juris non fit custodiæ causâ, sed liberationis gratiâ, propriè depositum non est, neque hujus loci.

§. VI.

9 *Causa efficiens* depositi duplex est: *remota, & proxima.*

Remota est jus Gentium, ita attestante ipso Justiniano Imperatore in §. 2. *in fin. Inst. de Jure nat. Gent. & Civ.* ubi inter contractus Juris Gentium etiam depositum recensetur.

10 *Proxima* sunt deponens, & Depositarius. Deponere autem, & depositum suscipere possunt. qui contrahere, & contrahendo obligari. In specie depositum suscipere possunt etiam fœminæ. *l.* 26. *ff. h. t.* Etiam pupillus sine tutoris authoritate; si tamen res periit absque suo dolo, non ampliùs obligatur, quàm inde locupletior factus est. *l.* 1. §. *an in pupillum* 15. *ff. Eod.* Etiam Clericus & Religiosus tam privatus, quàm Prælatus, ita tamen ut si res apud eos deposita eorundem culpâ, aut dolo perierit, vel absumpta fuerit, Ecclesia, vel Monasterium inde non teneatur, nisi quatenùs in ejus utilitatem aliquid versum probetur. *c.* 1. *h. t. c. penult. de Fidejussorib.* Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 12. quia depositum aliique similes contractus non pariunt obligationem, nisi inter ipsos contrahentes. *l.* 32. *ff. de Reb. cred. l.* 3. *C. Ne uxor pro marito.* & delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *c.* 76. *de R. J. in* 6. Secùs est, si ipsamet Ecclesia depositum recepit, videlicet Prælatus cum Conventûs, seu Capituli consensu: quippe tunc obligatur ex dolo, & lata culpa, sicut alii Depositarii, ut notat Layman. *de Contract. c.* 25. *n.* 6. Insuper hic nota ex Marchant. *Tribunal. p.* 2. *tr.* 8. *tit.* 5. *sect.* 5. *dub.* 1. *res.* 1. errare Sæculares, qui tempore belli sua in Monasteria, velut in asylum, inferentes putant, se illa dare in depositum, & custodiam Monasterii, vel Conventûs, cùm tamen revera non sint deposita, nisi Conventus explicitâ fide datâ in custodiam susceperit; quòd certè nec faciendum, nec consulendum est, ex quo ob hujusmodi deposita plura Monasteria expilata sunt: quæ aliàs immunitate suâ gavisa fuissent.

§. VII.

Materiam, seu Objectum depositi constituunt res omnes, quæ custodiam recipiunt. Nec refert propriæ deponentis sint, an alienæ? quoniam & fur, vel prædo, si rem furtivam, raptámve deposuerit, actionem depositi habet, eique res restituenda venit. *l.* 1. *§.* 39. *l.* 31. *§.* 1. *ff. h. t.* modò non apud rei dominum deposuerit, quippe qui rem suam deponi apud se patitur, vel utendam rogat, nec depositi, nec commodati actione tenetur sicuti qui rem suam conducit, aut precario rogat, nec precario tenetur, nec ex locato. Textus in *l.* 15. *ff. Eod.*

Utiliot

12 Utilior, ac subtilior *controversia* est: an res non solùm mobiles, ac se moventes, sed etiam immobiles depositi materia esse possint?

Negativam Gloss. in *c. 2. h. t.* Hostiens. in *Summ. ejusd. tit. n. 3.* Sylvester in *Summ. V. depositum. n. 3.* Struv. *S. J. C. ex. 21. th. 35.* Wissenb. *ad ff. vol. 1. disp. 31. th. 11.* tribus rationibus commendant. *Prima* est: quia quæ non possunt poni, nec possunt deponi. arg. *l. 1. pr. ff. h. t.* at res immobiles minùs accuratè dicuntur poni posse: siquidem *ponere* in nativo suo significatu naturalem rei mobilis in loco aliquo positionem significat. *Secunda*: quia jura depositum in rebus immobilibus non agnoscunt, cùm in toto jure nullum rei immobilis depositæ exemplum reperiatur, nec ulla ejus fit mentio, passim verò rerum mobilium depositarum. *Tertia*: quia cura rei immobilis, si gratis committatur, & suscipiatur, abit in speciem mandati. *l. 5. §. 4. ff. de Præscriptis verb.*

Verùm affirmativa uti verior, ita ut ei fidem faciamus, optimo jure meretur: etenim deponere in sensu juridico nil aliud est, quàm rem alterius custodiæ commendare. *l. 186. ff. de V. S.* posse autem res immobiles ita commendari, perspicuè colligitur ex *l. 11. ff. de Peric. & commod. rei vend. & l. 3. §. fin. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* non quidem ad eum finem, ne à Prædonibus, & furibus auferantur, cùm auferri non possint. §. 2. *Inst. de Usucap.* sed ne corrumpantur, aut minuantur, puta ne januæ, fenestræ, seræ ædium surripiantur, aut effringantur: vel ne in prædiis rusticis plantæ evellantur, arbores frugiferæ excidantur, frumentum defalcetur. Accedit, quòd res immobiles sequestrari possint. *c. 2. de Dolo, & contum. l. 21. § ult. ff. de Appellat.* sequestrum verò sit species depositi. Ita Lauterbach. *ad ff. h. t. n. 10.* & Harprecht *ad §. 3. Inst. Quib. mod. re contra. oblig.* cum pluribus citatis.

Néque oppositæ rationes ejus ponderis sunt, ut quem in assensum movere possint, nam quod *primam* attinet, præterquàm quòd ab etymologia nominis non desumatur firmum argumentum, quando de re ipsa constat arg. *l. 238. §. 2. ff. de V. S.* insuper satis comprobatum est, res quóque immobiles in sensu juris propriè poni, hoc est, ad custodiam tradi posse. Ad *secundam* respondetur, sufficere, quòd *§. 3. Inst. Quib. mod. re contr. oblig.* aliique textus loquantur indefinitè de rebus: néque exempla, quibus leges utuntur, esse mensuram legum, quasi ultra se non extendant, cùm desumantur tantùm ex iis, quæ regulariter contingunt. Unde sicut si nullum exemplum extaret depositi rei se moventis, malè quis inferret, ergo res se movens non est materia apta depositi, ita etiam hìc. *Tertia* ratio nimis bona est, probat enim, quòd & cura, seu custodia rei immobilis sequestratæ abeat in speciem mandati. Imo nulla ratio est, cur magis cura rei immobilis debeat incidere in mandatum, quàm cura rei mobilis. Néque obstat *l. 5. §. 4. ff. de Præscript. verb.* quandoquidem in ea non agitur de nuda custodia rei immobilis, quam respicit depositum; sed præter custodiam ibi aliud quid principaliter commissum fuit, circa rem immobilem, quô respectu, licèt lex custodiæ accesserit, non tamen depositum, sed mandatum censetur esse contractum, eò quòd in contractibus distinguendis initium, & finis principalis spectetur *l. 8. pr. ff. Mandati l. 12. ff. ad SCtum. Maced.*

Porrò utilitas hujus quæstionis in eo consistit, ut constet, ad quam culpam obstrictus sit ille, qui curam rei immobilis in se suscepit; si enim mandatum est, ad levissimam; sin depositum, ad latam culpam tenebitur. Stryck *de Caute. contract. sect. 2. c. 3. §. 6.*

Illud etiam *quæritur*: num ea, quæ acce- 13
dunt rebus depositis, propria sint materia illius depositi?

Ita putat Gloss. in *l. si ut certo loco. 5. §. si me. 13 ff. Commodati.* per illum textum, in quo cavetur, accessoria rei commodatæ pro commodatis haberi, etsi simul non fuerint expressa, usque adeo, ut Commodatarius etiam in iis, quæ sequuntur rem commodatam, diligentiam, ac custodiam præstare debeat.

Contraria tamen opinio communis est, & sine dubio tenenda propter luculentum textum in *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* qui ita habet: *quæ depositis rebus accedunt, non sunt deposita. Ut puta, si homo vestitus deponatur: vestis enim non est deposita; nec si equus cum capistro: nam solus equus depositus est.* Ex quo consectarium est, quòd Depositarius solùm teneatur habere custodiam hominis depositi, non vestis; equi, non capistri; quamvis in ipsa rèstitutione, & depositi actione illorum quoque ratio habeatur, *d. l.* 1. *§.* 24. & si Depositarius circa illa dolum admiserit, eo nomine rectè conveniatur arg. *l.* 5. §. 9. *ff. Commodati.* Lauterb. *ad ff. h. t. n.* 12.

Néque adverto, quomodo hæc ipsa opinio ex *l. si ut certo.* 5. §. 13. *ff. Commod.* labefactari possit: quia procedit in terminis diversis commodati, in quo dispar omnino est ratio à depósito: commodatum namque ex genere suo tendit præcisè ad commodum Commodatarii, & illud quóque, quod accedit, simul cum re commodata utile est Commodatario, adeóque meritò ut commodatum habetur. Econtra depositum est in commodum deponentis, & potius in onus Depositarii. Azor. *Institut. Moral. p. 3. lib. 7. c. 8. in pr.*

14 Planè depositâ cistâ, arcâ, vel valisiâ obsignatâ, ac clausâ res quóque in iis inclusæ depositæ censentur, licèt Depositario non fuerint demonstratæ. *l.* 1. §. 41. *ff. h. t.* Mantic. *de Tacit. & ambig. convent. l.* 10. *tit.* 5. *n.* 3. De rebus tamen inclusis, & non ostensis non tenetur regulariter respondere Depositarius, si cistam, arcam, aut valisiam clausam & obsignatam restituat, sicut accipit, ita ut nec signa mutata sint, nec quid aliud in contrarium appareat. Mev. *p. 9. dec.* 54. *n.* 8. *& dec.* 55. *per tot.* Stryck. *de Cautel. contract. sect.* 2. *c.* 3. §. 7. Quodsi verò cista, vel valisia relerata deprehendatur, dolo Depositarii relerata, vel non rectè custodita præsumitur, & Deponens ad juratam rerum inde amissarum probationem admittitur per *l.* 1. §. 40. *ff. h. t. & l.* 9. *C. Unde vi.* nisi sigillum fuisset valde fragile, quod facile absque facto hominis frangi potuisset, Depositarius verò cœteroquin sit homo bonæ famæ, & integræ fidei. Mascard. *de Probat. vol.* 1. *concl.* 508. Schneidew. *ad Inst. de Oblig. quæ ex quasi delict. nasc.* Joann Sichard. *ad Rubr. n.* 7. *C. h. t.*

§. VIII.

Forma depositi consistit in traditione, quâ res gratis custodienda committitur, & suscipitur. Tria itaque requiruntur, ut contractus hic censeatur initus.

I. Ut de facto res sit tradita: quia depositum est contractus realis, qui ad sui perfectionem præter consensum rei traditionem desiderat: & nuda de custodienda re conventio pactum potiùs de deponendo, quàm verum depositum est *§. præterea* 3. *Inst. Quib. mod. re contr. oblig. l.* 1. §. 5. *ff. de O. & A.* Intelligitur autem res etiam tunc cum mutuo contrahentium consensu tradita, quando quis rem aliquo sciente, & patiente in ædes ejus intulit, additâ declaratione, se rem ipsius custodiæ committere arg. *l.* 9. §. 3. *ff. de Jure dot* ibi: *quid enim interest, inferantur, an ei tradantur.* Molin. *de J. & J. disp.* 522. *n.* 1. Imò Nautæ, Caupones, & Stabularii, eò ipsò, quòd res aliqua illis scientibus in navem, cauponam, & stabulum inferatur, de custodia hujus rei tenentur, esto inferentes non addant se rem custodiæ committere. *l.* 1. *in fin. & l. seq. ff. Nautæ, caupon. stabul.*

II. Re-

16 II. Requiritur, ut res deposita gratis, & non pro mercede custodienda recipiatur: nam si pro rei custodia ex pacto accipiatur pecunia, locatio est; si res alia, contractus innominatus. *l. 1. §. si quis servum 9. ff. h. t.* & per consequens omnia depositi privilegia cessant: cùm deficiente substantiâ contractûs, ejus quóque privilegia deficere, necessum sit. arg. *l. in summa 2. § item 5. ff. de Aqua pluv. arcend. l. generaliter 24. §. si quis 9. ff. de Fideicommiss. libert.* Interim Depositō non refragatur honorarium, ut quod venit ex benevolentia, & non immutat naturam contractuum gratuitorum. *l. 1. §. 24. ff. de Vi bonor. rapt. l. 6. ff. Mandati.* Monet tamen Stryck. *de Cautel. contract. sect. 2. c. 3. num. 8.* ut Deponens, si molestiam Depositarii ob susceptam custodiam compensare velit, aut Depositarius gratis custodiam præstare nolit, protestetur, se hoc non mercedis, sed honorarii nomine promittere, vel expresso pacto caveat, salva ubique debere esse privilegia depositi.

17 III. Requiritur, ut res custodiæ causâ committatur, & recipiatur: néque enim per depositum proprie dictum transfertur usus, dominium, vel possessio, sed nuda detentio, & custodia rei. *l. 17. §. 1. ff. h. t.* Ex quo sequitur, non licere Depositario uti re depositâ, & si utatur, furtum usûs committere. §. 6. *Inst. de Oblig. quæ ex del. l. 29 ff. l. 3. C. h. t.* nisi rationabiliter crederet, Deponentem non fore invitum: quippe tunc excusatur *l. 76. ff. de Furtis.* vel nisi Dominus expressè, vel saltem tacitè usum rei concedat, ut contingit in depositō irregulari, quo de *supra n. 7.*

§. IX.

18 *Finis* depositi est sola rei custodia, dominio, & possessione ejus manente penes Deponentem. *l. 1. princ. ff. h. t.*

§. X.

19 *Effectus* depositi est vel proximus, vel remotus. *Proximus* est obligatio Deponentis & Depositarii.

Deponens obligatur ad servandum indemnem Depositarium, quod fit I. reparando damnum, dolo, vel quâvis Deponentis culpâ datum. *l. si servus 61. §. 5. ff. de Furt.* junctâ *l. 5. §. 2. ff. Commodati.* II. Refundendo impensas in rem depositam factas. *l. si in Asia. 12. pr. l. actione 23. ff. h. t.*

Depositarii non una obligatio est: I. Rem 20
depositam, in custodiam semel receptam, Deponenti pro libitu restituere nequit, sed tam diu retinere tenetur, quousque durat causa, v. g. absentia, aut lis mota, propter quam deposita est. arg. *l. 5. C. de O. & A.* Si tamen justō diutius maneat, vel aliquod impedimentum supervenerit, propter quod custodiam non valeat continuare, Judicem adire potest, ut hujus authoritate ab hoc onere liberetur. Cothmann. *consil. 62. n. fin.* Stryck. *de Cautel. contract. sect. 2. c. 3. n. 12.*

II. Depositarius obligatur, ut custodiat, ac 21
servet rem depositam eâ fide, curâ, & diligentiâ, quâ solet res proprias custodire, ac servare: nec etiam salvâ fide minorem rei depositæ, quàm suis rebus diligentiam præstabit. *c. bona fides 2. h. t. l. quod Nerva 32. ff. Eod.* Quoniam verò contractus depositi solius Deponentis gratiâ initur, ideo naturâ suâ, si res deposita perierit, aut deteriorata sit, ad dolum saltem, & latam culpam præstandam Depositarium obstringit. §. 3. *Inst. Quib. mod. re contr. oblig. l. 1. §. 10. & fin. l. 32. ff. l. 1. C. h. t. l. 5. §. 2. ff. Commodati.*

Reperies tamen casus; in quibus Depositarius etiam ad culpam levem, & levissimam, imò subinde ad casum fortuitum obligatur. Ad *culpam levem* quidem, si mercedem pro rei custodia accepit: *d. c. bona fides. 2. h. t. l. 1. §. 8. & 9. ff. Eod.* quia ita depositum utriusque utilitatem respicit, & transit in negotium locationis, in quo venit culpa levis.

Panormit. in *d. c. bona fides n.* 3. Si de custodia exacta, & sic de levi culpa præstanda convenit. *d. l.* 1. §. 6. *ff. h. t.* quia contractus ex conventione legem accipiunt *c.* 85. *de R. J. in* 6. Si ipse se obtulit deposito. *d. c. bona fides* 2. ubi *deposito se offerens*, & *aliquid pro custodia recipiens* æquiparantur: *d. l.* 1. §. *sæpe evenit.* 35. *ff. h. t.* ubi Julianus scribit, offerentem se deposito *non solùm dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstare, non tamen casus fortuitos.* Ad diligentiam exactissimam, ac proinde ex *levissima culpa* de perditis rebus depositis obligantur nautæ, caupones, & stabularii, quorum officium annexam habet custodiam. *l.* 1. 2. & 3. *ff. Naut. caup.* Layman. in *Theol. mor. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 25. *sub n.* 1. Quod ita constitutum, ut horum hominum fraudibus & viatorum securitati consuleretur. Liberantur tamen à custodia Caupones, si, quos hospitiô exceperunt, assignatô cubiculô cum clavibus, ut rerum suarum custodiam ipsi haberent, prænonuerunt, & isti consenserunt. Haunold. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 825. Latè Cæsar. de Panimoll. *dec.* 94. *adnot.* 1. *n.* 11. Ad *casum fortuitum* præstandum adstringitur Depositarius, si ad eum expressâ pactione se obligavit. *c. bona fides* 2. *h. t. l.* 1. §. *sæpe evenit.* 35. *ff. Eod. l. si ut certo* 5. §. *nunc videndum. ff. Commodati.* pactis enim & conventionibus contrahentes, sicut ad majorem, vel minorem culpam, quàm aliàs contractûs natura exigat, ita etiam ad casum fortuitum se obligare possunt per *c.* 85. *de R. J. in* 6. & *l.* 23. *ff. Eod.* Vel si casum mora culpabilis, aut dolus sive verus, sive ex lata culpa præsumptus præcessit. *d. c. bona fides.* cum qui causam damni dedit, damnum dedisse videatur. Quamobrem *si rem depositam vendidisti, eámque postea redemisti in causam depositi, etiamsi sine dolo malo postea perierit, teneri te depositi: quia semel dolo fecisti cùm venderes*, respondit Ulpianus in sæpe *cit. l.* 1. §. *si rem depositam. ff. h. t.*

Utrùm Depositarius in periculo incendii, naufragii, aut hostilis incursionis res depositas præ suis servare teneatur, si utrasque non possit? est, quod *dubites*: nam ex una parte S. Pontifex in *c. bona fides* 2. *h. t.* generaliter asserit: *bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti.* Cui succinit Celsus in *l. quod Nerva* 32. *ff. Eod.* Ex altera verò haud culpabile videtur, nec contra bonam fidem, si quis prius de rebus propriis, quàm alienis sollicitus sit, ex quo regula charitatis proximi est, dilectionem incipere à se ipso. *c. si non licet* 9. *causâ* 23. *q.* 5.

Rem distinctione expediri posse video: vel enim res Depositarii sunt pretiosiores, aut æquè pretiosæ, ac depositæ; & tunc Depositarius proprias depositis præferre potest, absque eô quòd culpam in depositô præstandam committat: siquidem verisimile non est, quòd ad rerum depositarum custodiam cum damno ac periculo proprio se obligare voluerit: & ipsa naturalis ratio dictitat, cæteris paribus suis potiùs, quàm alienis invigilandum esse præsertim si ex his nullum comodum, sed solùm onus sentitur; vel res depositæ notabiliter sunt pretiosiores rebus Depositarii, & tunc Depositarius illas relictis propriis salvare tenetur, & si neglectis depositis suas etiam vilissimas conservârit, id dolo fecisse præsumitur juxta *cit. c. bona fides.* Néque obstat ratio; quam urget Panormit. *ibid. n.* 2. quòd nemo teneatur perdere res proprias etiam leves propter res alienas conservandas, sicut nemo tenetur incurrere peccatum veniale ad evitandum mortale in proximo; tum quia est maxima disparitas, & in terminis implicat, quem teneri ad peccatum utcunque leve, vel veniale; tum quia in effectu Depositarius & rem propriam & alienam saltem ex parte conservat, si re suâ neglectâ rem depositam pretiosiorem ex incendio eripit, cùm Deponens refundere debeat, quidquid occasione rei suæ conservan-

fundæ expensum, aut neglectum est. P. Engel. *h. t. n.* 9. Georg. Widmann *de Contract. tit.* 4 *num.* 64. Molin. *de J. & J. tract.* 2. *disp.* 296. *num.* 2.

24 III. Depositarius rem depositam ad nutum Deponentis absque omni mora, & exceptione reddere tenetur, *c. bona fides* 2. *h. t.* *l.* 1. §. 22. *ff. Eod.* etiam eo casu, quo depositum ad certum tempus factum est, & expresse conventum, ut Depositarius primùm post mortem v. g. Deponentis hæredi rem depositam restituere debeat. *d. l.* 1. §. 45. *& seqq.* eò quòd Depositum ex natura sua sit ad nutum revocabile, & tempus illud eo fine adjectum fuerit, ne possit Depositarius ante illud elapsum rem depositam Deponenti reddere, non verò, ne Deponens pro arbitrio revocare queat. Jure tamen denegatur restitutio I. si res est propria ipsius Depositarii, *l. qui rem* 15. *ff. h. t.* aut si Dominus cum deponente concurrat, & rem suam vindicet: quia Domini potior, & justior causa est. *l. bona fides.* 31. §. 1. *ff. Eod.* III. Si deponens fortè in ejusmodi conditionem inciderit, ut ei reddere vel non liceat, vel non expediat; ut si ebrius aut furiosus gladium depositum in suum, vel aliorum damnum repetat. *c. ne quis* 14. *causâ* 22. *q.* 2. III. Si bona Deponentis ob delictum publicata, ac confiscata fuerint: quia tunc deposita ad fiscum sunt deferenda. *d. l. bona fides.* 31. *in pr. ff. h. t.*

25 IV. Depositarius tenetur rem in specie, sive eandem numero cum omni causa salvam & integram restituere, adeò ut locus non sit compensationi, vel ullæ deductioni pro alio debito, quantumvis liquido, & licèt ex utráque parte aliquid fuerit depositum. *c. bona fides* 2. *h. t. l. si quis.* 11. *C. Eod. l. fin.* §. 1. *in fin. C. de compens.* ne contractus, qui ex bona fide oritur, penitùs ad perfidiam retrahatur, sive ad hanc occasio fiat, quod alicujus fidei specialiter est commendatum. Interim quòd Depositarius propter impensas necessarias in rem depositam factas, hoc est, eas, quæ nisi factæ essent, res aut omninò periisset, aut deterior reddita esset, rem depositam retinere possit, donec istas restituerit deponens, colligitur ex *l.* 18. §. 4. *ff. Commodati.* & docent Sichard. *ad d. l.* 11. *n.* 6. *C. h. t.* Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 26. *th.* 5. *lit. B.* Mantic. *de Tacit. & ambig. convent. lib.* 10. *tit.* 10. *num.* 24. Georg. Widmann *de Contract. tit.* 4. *n.* 43.

Effectus remotus depositi est actio depositi 26 directa, & contraria. *Directa* est, quâ Deponens agit adversùs Depositarium, vel ejus hæredem, ad restituendam rem depositam in specie, nisi aliter fuerit conventum. *l.* 24. *ff. h. t.* vel ejus æstimationem, aut pretium deteriorationis, si forsan dolò, aut culpâ latâ Depositarii res interiit, aut deteriorata est. *l.* 1. §. 16. *l.* 22. *l.* 23. *& passim. ff. h. t.* In qua actione illud singulare est, quòd ex ea condemnatus ob perfidiam fiat infamis. §. 2. *Inst. de Pœn. tem. litig. l.* 10. *C. h. t. Contraria* est, quâ Depositarius adversus Deponentem, vel ejus hæredem agit, ut damnum, quod occasione depositi passus est, resarciat, & quidquid in re deposita tuenda, vel asservanda bona fide impendit, refundat. *l.* 5. *ff. Eod.* Hæc actio damnatum non infamat, quandoquidem in ea non agitur de fide rupta, sed tantùm de calculo, & indemnitate ejus, qui depositum suscepit. *l.* 6. §. *fin. ff. de his. qui not. infam.*

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

SUMMARIA.

1. 2. Emptio & Venditio quid uterque? 3. Quid rei? 4. Quæ origo? 5. usque 9. Quinam emere vendere prohibeantur? 9. Quibus casibus quis emere

Vendere cogatur? 10. usque 15. Quale debeat esse pretium? 15. usque 23. Quæ res emi vendi possint? 23. usque 27. Qualis consensus ad constituendam emptionem venditionem requiratur? 27. usque 32. Quibus modis, & pactis contrahatur emptio venditio? 32. Quis sit finis emptionis venditionis? 33. usque 36. Quæ sit obligatio emptoris? 36. usque 40. Quæ venditoris? 40. Quæ his competat actio? 41. & seqq. Quibus modis emptio venditio rescindatur?

INter actus ac contractus, quibus dominium directum, aut utile transfertur eminet *emptio venditio.*

§. I.

1 *Emptio* dicta est, quasi *è meo tuum facio*: is enim, qui emit, id agit, ut pretium, quod dat, accipientis, & mercem, quam accipit, suam faciat, *Venditio* verò à *vendo* appellatur quasi *venum* do, eò quòd res traditione veniat ad emptorem: hinc *venum ire*, & contractiùs *venire*. Ungepaur *h. t. n.* 2.

§. II.

2 *Accipitur* vel generaliter, vel specialiter. In generali significatione emptio venditio quamcunque acquisitionem, aut alienationem rerum earum, quæ in commercio sunt, comprehendit. *l.* 8. *§.* 6. *ff. Quib. mod. pign. solv. l* 29. *§.* 1. *prope fin. ff. de Statu lib.* Specialiter autem, & propriè sumitur pro certa contractûs specie, neque emptionis venditionis vocabulo reliqui contractus, & alienationes veniunt, nisi mens loquentis sive hominis, sive legis, militante eâdem ratione, aliud suadeat. Mantic. *de Tacit. & ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 5.

§. III.

3 *Definitur* emptio venditio, quòd sit contractus bonæ fidei consensualis de re pro certo pretio alteri tradenda. *pr. Inst. h. t.*

§. IV.

4 *Causa efficiens* emptionis venditionis alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Gentium. *§.* 2. *in fin. Inst. de J. N. G. & C. l.* 5. *ff. de J. & J. l.* 1. *§. fin. ff. de Contrah. empt.* origo namque emendi, ac vendendi à permutatione cœpit contractu antiquissimo *d. l.* 1. *pr.* atque ipsâ ratione naturali dictante inventa, ac ferè ab omnibus Gentibus recepta, approbatáque est, quod sufficit ad hoc, ut aliquid dicatur Juris Gentium. Clariss. D.D. Woller *in Quæst. select. universi juris. q.* 11. *n.* 10.

Proxima sunt Emptor, & venditor. Possunt autem emere vendere, qui contrahere, & contrahendo obligari: Sunt tamen ex his aliqui, qui speciali jure prohibentur; ut 5

I. Clerici, quibus etsi emere necessaria ad suum, suorùmque usum, & vendere superflua liceat, lucri tamen gratiâ, ne à Divinis avocentur officiis, negotiari vetantur. *c.* 9. *&* 10. *dist.* 88. *c.* 1. 3. 4. 8. *&* 8. *causâ* 14 *q* 4. *cap. penult. & ult. de Vit. & honest. Cleric.* statutâ in refractarios pœnâ excommunicationis, *c.* 6. *ne Clerici vel Monach.* & suspensionis, ac depositionis. *c.* 2. *dist.* 88. *c. penult. dist.* 91. *c.* 4 *causâ* 4. *q.* 4. Quas pœnas remotâ appellatione innovavit Trident. *sess.* 22. *de Reform. c.* 1.

II. Rectores, Præsides, & Gubernatores 6 Provinciarum, quibus interdictum est, res mobiles alias comparare, quàm quæ ad victum, vel amictum pertinent *l.* 6. *§.* 3. *in fin. ff. de Offic. Proconsul.* immobiles verò omnes, præterquam prædia, quæ aliquando paterna fuerunt. *l.* 62. *pr. ff. de Contrah. empt.* Ratio est, quòd præsumatur, contractus per concussionem potiùs extorqueri officii respectu, quàm liberè iniri. Sed hanc prohibitionem jam dudum contrarius usus obliteravit, ut testatur Joseph Gletle in nostra Universitate Jur. Publ. & Cod. Professor famigeratissimus *ad Inst. h. t. n.* 4.

III. Administratores alienarum rerum, 7 qui rem Domini, cujus negotia gerunt, nec per se, nec per aliam personam emere queunt, & si

& si de facto emant, non tantùm rem amittunt, sed insuper quadrupli solutione puniuntur. *l.* 46. *ff. de Contrah. empt.* Quò pertinent Tutores, inter quos & Pupillos regulariter non subsistit venditio, nisi palam, & bonâ fide facta sit, atque Contutoribûs, si qui sunt, vel Propinquis, aut Judice consciis, authoritatemque accommodantibûs: ne scilicet emptionis venditionis prætextu eos, quorum res administrant, fraudulenter lædant *l.* 34. §. *fin. ff. l. cùm ipse* 5. *C. Eod. l.* 5. § 2. *& seqq. ff. de Authorit. tutor.* Alex. in *l. frater à fratr. n.* 51. *ff. de Condict. indeb.* Wesenbeck *p.* 5. *consil.* 47. *n.* 54. *& seq.* ubi & illam emptionem malâ fide, & latenter factam judicat, in qua justum pretium non est constitutum.

I IV. Illustres, natalibúsque nobiliores, quos à mercatura arcet *l.* 3. *C. de Commerc. & Mercat. l.* 6. *C. de Dignit. l.* 12. *in fin. C. de Cohortalib. Princip.* ne illorum potentia, & ope difficile reddant tenuioribus, & plebeis emendi, vendendique commercium, non sine ingenti urbium pernicie, & damno. Quæ legis ratio, & quod consequens est, dispositio non cessat, quando Nobilis mercimonia instituit per Institores arg. *c.* 72. *de R. J. in* 6. *l.* 5. §. 3. *ff. de Administr. tutor. l.* 2. §. 1. *ff. de Administr. rer. ad civit. pertin.* Menoch. *de Arbit. Judic. lib.* 2. *casu.* 459. Klock. *de Contrib. c.* 13. *n.* 263. Verùm hac in re plurimùm tribuendum Regionum statutis, nec non inveteratæ consuetudini: ita enim apud Venetos, Lucenses, Genuenses, Florentinos, Hollandos receptum est, ut Nobilissimi ex ipsis amplissimæ Mercaturæ operam navent. Tiraquell. *de Nobilit. c.* 33. *n.* 21. Econtra in Germania iis solummodo Nobilibus, qui exteris Provinciis circa Rhenum, Danubium, ac Alpes contermini, mercaturæ studium decorum reputatur, apud Reliquos nobilitatem contaminat, ita ut huic se addicenti ad Torneamenta quoque aditus denegetur per *Constitutionem Henrici I. in Legibus Hastiludior. apud Goldast. tom.* 1. *constit. Imper. p.* 221.

Cæterùm nemo invitus emere, vel res 9
suas distrahere compellitur. *l. invitum* 11. *C. de Contrah empt. l. nec emere* 16. *C. de Jure deliber.* nisi justa necessitas, aut utilitas publica postulet. Ita l. Dominus servum asperiùs habitum bonis conditionibus vendere cogitur. §. 2. *Inst. de his, qui sunt sui, vel alieni juris.* Quod alii extendunt ad Dominos jurisdictionales, qui supra modum in subditos sæviunt, atque insolitas operas, & angarias ab iis extorquent. Gail. *lib.* 1. *observ.* 13. *n.* 5. *& observ.* 17. *per tot.* Mynsing *cent.* 5. *observ.* 8. II. Ob communem necessitatem, famem, annonæque caritatem, qui frumentum ad lucrum faciendum coacervârunt, justâ pretiô, à Domino territoriali, vel ejus Officialibus statutô, vendere coguntur, cœterique prohibentur, ne plus emant, quàm sibi, suisque sit necessarium. arg. *l.* 1. §. *cura carnis ff. de Offic. Prafecti Urbis. l.* 1. *C. Ut nemini liceat in empt. specier. se excus.* Panormit. in *cap.* 1. *n.* 6. *h. t.* Menoch. *consil.* 237. Quod ad Clericos quoque porrigitur, ita tamen ut cogendi sint à suo, non à sæculari Judice, ut qui nullam in Clericos potestatem habet. Jacob Pignatel. *tom.* 1. *consult.* 476. & apud eum S. Congregatio immunitatis in *una Brundusina* 7. *April* 1641. III. à Supremo Principe compelli quis potest ad vendendum justô pretiô fundum, vel domum suam pro Ecclesia ædificanda, Monasterio, vel hospitali, aut palatio Principis construendo, vel ampliando, aut via publica necessaria ad aliquem locum paranda. *arg. l.* 4. §. 1. *ff. Quemadmod. servit. amitt. l.* 12. *ff. de Relig. & sumptib. fun.* Magnif. DD. Weigler *de Obligat. ex consens. th.* 1. *lit. C.* Gomez. 2. *var. c.* 2. qui cum aliis tradit, quòd si quis in loco sibi, & alteri cuipiam communi Ecclesiam, vel Monasterium

ædificare velit, ejus socius à Magistratu cogi possit ad suam partem justô pretiô vendendam, argumentô ductô à libertate, ob cujus favorem Dominus servum communem pro parte manumissum acceptô pro sua parte pretiô manumittere debet. §. *fin. Inst. de Donat.* l. 1, *C. de Comm. serv. manumitt.* IV. propter jus Stapulæ, Stapel, sive Staffel, Gerechtigkeit/ advenientes Mercatores merces exoticas exonerare, & vendere, aut venales ad certum tempus exponere coguntur, antequam aliò divehant; cujusmodi stapulæ sunt Coloniæ Agrippinæ, Bremæ, Hamburgi, Lypsiæ, Ratisbonæ, Passavii, aliisve Urbibus, quas Rhenus, Danubius, Albis, Mosella, & Visurgis præterlabitur, de quibus speciatim vide Lymn. *Jur. publ. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 9. *n.* 132. Lehmann *Chron. Spirens. lib.* 4. *c.* 22.

§. V.

10 *Materia*, seu objectum emptionis venditionis ex parte Emptoris est pretium, der Kauff-Schilling/ ex parte Venditoris merx, die Wahr/ *l.* 2. §. 1. *l.* 8. *ff. de Contrah. empt.*

Pretii nomen in jure analogum est: sumitur enim pro remuneratione. *l.* 2. §. *& generaliter* 24. *ff. de Vi bonor. rapt.* & pro mercede locationis. *l.* 15. §. 4. *l.* 28. §. 2 *ff. Locati.* Propriè verò pro eo, quod in emptione ex parte Emptoris, pro re, quæ venit, promittitur. §. 2. *Inst. h. t.* In dubio ergo, cùm analogum stet pro significatu potiori, Dd. in *l.* 1. *ff. Si ager vecti.* ubicúnque fit mentio pretii, emptionis contractum potiùs, quàm alium præsumunt. *l. fin. C. de Prad. Decur. & ibi* Gloss. Hoc autem pretium quatuor qualitates habeat, oportet.

11 *Prima* est, ut sit verum, non simulatum, ac vicis gratiâ constitutum. Undè si quis donationis causâ pretium ponat, non exacturus illud, venditio non est; quanquam si minoris vendat donationis causâ, venditio valeat, *l.* 36. 38. *& 55. ff. de Contrah. empt.* Ita tamen, ut si res pretiosa, & magni valoris uno nummo, & pretio prorsus inæquali venderetur, nulla sit emptio, nulla venditio, quemadmodum nulla est locatio conductio pro uno nummo facta per expressum textum in *l.* 46. *ff. Locati.* propterea: quia venditio, quæ uno nummo fit, venditio imaginaria est, quæ pro non facta habetur. *d. l.* 55. *ff. de Contrah. empt. l.* 16. *ff. de R. J.* Clariss. DD. Woller, *in Quæst. select. Univers. jur. q.* 11. *n.* 54.

12 *Secunda* est, ut pretium consistat in pecunia numerata, id est, in nummis ad numerum solvendis. §. 2. *Inst. h. t. l.* 1. §. 1 *ff. de Contrah. empt.* Quare emptio venditio non intelligitur, si pecunia adpendatur, & contractus ad marchas, aut uncias auri, vel argenti celebratur; ut si dicerem: *vendo tibi domum meam viginti libris auri* Georg. Widmann *de Contract. tit.* 13. *n.* 4. Joan. Fab. & Arietin. *ad d.* §. 2. *Inst. h. t.* Minùs, si conventum, ut locò pecuniæ res alia detur, vel factum aliquod præstetur, etiam si emptionis, ac venditionis vocabulo contrahentes usi sint. *l.* 6. §. 1. *ff. de Act. empt. l.* 6. *ff. de Præscript. verb.* Contractum tamen emptionis nihil immutat, si ex postfacto alia res in solutum detur, modò ab initio de pecunia conventum sit. *l. pretii causa.* 9. *C. de Rescind. vend.* quia in distinctione contractuum initium, non exitum spectamus. *l.* 1. §. 13. *ff. Depositi.*

In *disquisitionem* venit: qualis sit contractus, si ab una parte res, & pecunia simul detur? & non incongruè responderi potest, ante omnia mentem contrahentium inspiciendam esse, utrùm permutationem, vel emptionem venditionem celebrare voluerint: si illud, permutatio est. & pecunia habetur instar additamenti, als eine Zugab/ licèt rem excedat: Si hoc, emptio, & venditio est. & res pro additamento habetur. arg. *l.* 6. §. 1. *ff. de Act. empt.* Quòd si simus in dubio, & de mente con-

contrahentium non conſtet, videndum, an res, vel pecunia prævaleat. Si res prævalet pecuniæ ſimul datæ, erit permutatio; ſi pecunia, emptio venditio. arg. *l. quæritur. ff. de Statuhom. l. quicquid. §. fin. ff. de Acquir. rer. dom. l. 6. C. de Pact. inter emptor. & vendit.* Denique ſi res, & pecunia ejusdem ſint valoris, nec partes definiverint, qualem contractum celebrare voluerint, & vocibus ambiguis uſæ ſint, tunc denominationem faciendam eſſe à digniori, vult Bartol. in *l. 1. C. de Rer. permutat.* adeoque permutationem cenſendam, quæ dignior, quia antiquior, arg *l. 1. ff. de Æſtimat.* Alii, tali caſu emptionem venditionem præſumunt, utpote contractum frequentiorem arg. *l. 34. ff. de R. J.* Nonnulli tale negotium partim emptionis, partim permutationis titulô dijudicant: in quorum ſententiam inclinat Clariſſ. DD. Woller *diſq. 11. n. 57.*

13 *Tertia*, quæ in pretio requiritur, qualitas eſt, ut ſit certum: quia incertum pretium perinde eſt, ac nullum §. 1. *Inſt. h. t.* Hinc non poteſt ſubſiſtere emptio ita contracta, ut empta ſit res juſto pretio, ſiquidem in eo nulla eſt certitudo. *l. fin. C. h. t.* Gomez. *lib. 2. reſol. 2. n. 9.* niſi Magiſtratus jam determinaverit juſtum illius rei pretium. Vulden. *ad C. de Contrab. empt. n. 4.* Eſt autem pretium certum *vel ſimpliciter*, & *per ſe*, quando ipſæ partes illud taxant, ut ſi dicam: *vendo tibi equum meum. 100. Imperialibus*: vel *per relationem ad aliud*: cùm nihil interſit, res verbô deſignetur, an verò ſufficienter demonſtretur. *l. certum 6. ff. de Reb. cred.* Et hæc relatio vel fit *ad præteritum*, vel *ad præſens*, vel *ad futurum*. *Ad præteritum*: ut ſi dicam: *quanti tu emiſti, tantùm dabo. l. 7. §. 1. l. 37. ff. de Contrab. empt. Ad præſens*: ut ſi dicam: *quantùm pretii in arca habeo; d. l. 7. §. 1.* etenim licet his caſibus pretium vel utrique, vel alteri contrahentium incertum, & incognitum ſit, eſt tamen ex ſe certum id, quod pro re datum eſt, vel quod habet in arca, & hoc ſatis eſt arg. §. 8. *Inſt. de Verb. oblig.* non obſtante *l. 34. §. 4. l. 51. ff. de Legat. 1.* quia voces uſurpantur juxta materiam ſubjectam, & ſic pecunia ita demonſtrata, *quam in arca habet*, quandoque corpus, quandóque quantitatem deſignat. Clariſſ. DD. Weigler *de Obligat. ex conſenſu. th. 2. q. 4.* Denique *ad futurum*; ut ſi dicam: *quo pretio illo die in foro vendetur*: vel quando pretium confertur in arbitrium tertii, ac nominati, ut ſi dicam: *pro tanto pretio, quanti Titius æſtimaverit*; quo caſu emptio venditio intelligitur ſub conditione contracta. Unde ſi ille, qui nominatus eſt, non definiat pretium, vel quia non vult, vel quia non poteſt, emptio corruit; ſin definiat, omnino ſtandum eſt ejus arbitrio; *d. §. 1. Inſt. h. t. l. fin. C. de Contrab. empt.* ita tamen ut, ſi iniquum arbitratus ſit, recurſus ad Judicem detur, & reductio fiat ad arbitrium boni viri. *l. 30. ff. de Oper. libert. l. 76. in fin. l. 78. & ſeqq. ff. Pro ſocio.* Planè ſi pretii determinatio alterius contrahentium voluntati relinquatur: ut ſi venditor dicat: *quanti velis, quantum æquum putaveris, quanti æſtimaveris, habebis emptum*: nihil actum intelligitur, nec erit emptio venditio. *l. quod ſæpe. 35. §. 1. ff. l. in vendentis. 13. C. de Contrab. empt.* eò quòd nulla ſit obligatio, quæ à voluntate obligandi dependet. *l. 108. §. 1. ff. de V. O. l. 24. ff. Locati.* Georg. Widman *de Contract. tit. 9. n. 6.*

Quarta qualitas pretii, quæ ad juſtitiam 14
emptionis venditionis pertinet, eſt, ut pretium ſit juſtum, id eſt, rei venditæ æquivalens. Eſt autem pretium juſtum duplicis generis, ſcilicet *legale, & naturale, ſeu vulgare. Legale* eſt, quando lege, vel decreto Principis, aut Reipublicæ taxatum eſt. Et hoc conſiſtit in indiviſibili, & citra injuſtitiam augeri, aut minui

nequit. Auguſt. Barb. *ad l. 2. C. de Reſcind. vend. n.* 105. Maſcard. *de Prob. vol.* 1. *concl.* 443. *num.* 10. ac omnes tam Clericos, quàm Laicos, ſubditos, & forenſes ad ejus obſervantiam obligat. Mart. Bonacin. *de Contract. lib. diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 10. *&* 11. Nec mercator illud augere poteſt, licèt extraordinarias expenſas, & labores fecerit. Idem Bonac. *d. p.* 4. *n.* 29. qui tamen ultra legem taxativam amplius quid exigi poſſe cum Reginaldo, Sabonio, Medina, & Leſſio concedit. *cit. loc. n.* 8. *&* 12. ſi valor rei notabiliter variatus fuerit, & auctus, aut in bonitate ejus ſingularis reperiatur exceſſus. *Naturale* eſt, quod communi hominum æſtimatione, ac judicio ſtatutum eſt. Et hoc recipit latitudinem, inſtra quam ſolent tria pretia aſſignari: *infimum*, ſive *pium*, *medium*, ſeu *moderatum*, & *ſummum*, ſeu *rigoroſum*; germanicè der geringe/ mittlere/ und höchſte Anſchlag. Quanta autem inter hæc tria genera diſtantia ſit, non poteſt certâ regula comprehendi. Quamdiu tamen non tranſiliuntur fines ſummi, & infimi pretii, emptio venditio juſta eſt; ſi ſecùs, committitur injuſtitia obligans in conſcientia vel ad reſtituendum exceſſum, quando ultra ſummum exactum eſt: vel ad ſupplendum defectum, quando infra infimum datum eſt. Clariſſ. P. Paulus Mezger in *Theol Schol. tr.* 13. *diſp.* 43. *a.* 1. *n.* 3. *&* 4. Sotus *de J. & J. lib.* 6. *q.* 2. *art.* 3. Cæſar de Panimoll. *dec.* 50. *n.* 4. Neque refragatur *l. in cauſa.* 16. §. 4. *ff. de Minorib.* ubi *Pomponius ait, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire*; hoc namque intelligendum eſt de circumventione intra latitudinem pretii vulgaris. Covar. *lib.* 3. *var. reſolut. c.* 3. *n.* 2. Porro pretium juſtum præſumitur, & qui ſe in æſtimatione rerum deceptum dicit, injuſtitiam pretii probare debet. *l. circumſcripta.* 5. *C. Solut. matrim.* Natta *vol.* 4. *conſil.* 650. *n.* 8. Roland. à Valle *conſil.* 92. *n.* 17. *vol.* 2. Maſcard. *de Prov. vol.* 3. *concl.* 1253.

Per *mercem* intelliguntur res vendibiles, circa quas traditur regula generalis in *l. 8 in emptione.* 34. §. 1. *ff. de Contrah. empt. Omnium rerum, quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditio rectè fit. Quæ vero natura, vel Gentium jus, vel mores Civitatis commerciò exuerunt, earum nulla venditio eſt.*

Nec refert I. res præſentes ſint, an futuræ: 15 nam etiam futuræ, puta fructus naſcituri, & fœtus pecorum vendi poſſunt. *l.* 8. *pr. ff. de Contrah. empt.* Sed harum rerum venditio ſemper hanc tacitam conditionem conjunctam habet, ſi fructus naſcantur; & ſi nihil naſcatur, emptio nullla eſt, atque ob conditionis defectum pretium repetitur, & ſi venditor egerit, ne quid naſceretur, ex empto tenebitur ad intereſſe. *d. l.* 8 *pr. & ibi* Struv. *exerc.* 23. *th.* 27. Ab hac verò emptione venditione rei futuræ penitus diverſa eſt emptio ſpei, quando quis illud emit, quod non naturali ordine, ſed per accidens percipitur, & fortunæ quis exponit, quò pertinet jactus retis, captus avium, vel miſſilium, *d. l.* 8. §. 1. *ff. de Contrah. empt. l. ſi jactum.* 12. *de ff. de Actionib. empt.* Quæ venditio pura eſt, & licèt captum duplò excedat pretium, nihilominus debetur. *d. l.* 12. modò non aliæ res extractæ fuerint: hæ enim non ſunt Emptoris, niſi ſimpliciter jactus retis, non ſaltem piſcium captura vendita fuerit. Zoëſ. *ad ff. de Contrah. empt. n.* 26. Franzk. *ibid. n.* 22. ac contra, tametſi nihil captum fuerit, ſolvendum tamen integrum pretium: quia hic ſpes, vel alea locò rei vendita eſt. *d. l.* 8. §. 1. *ff. de Contrah. empt.* Molin. *de J. & J. tr.* 2. *diſp.* 340. *n.* 14. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. l.* 4. *tit.* 18. Quod & in conſcientiæ foro juſtũ eſſe docet Fagundez *de J. & J. lib.* 5. *c.* 24. *n.* 7. Stryck, *de Cautel. contract. ſect* 2. *c.* 8 §. 9.

Nec

16 Nec refert II. sive res corporales sint, sive incorporales, aut nomina, & actiones, quæ etiam invitis, & ignorantibûs Debitoribûs vendi possunt. *l.* 3. *C. de Hared. & act. vend.* modò fiat ante litis contestationem: arg. *t. t. C. de Litigios.* & non fiat in potentiorem: *l.* 2. *C. ne liceat potentiorib.* & jus sit certum, ac liquidum. *l. per diversas.* 22. (quæ *Anastasina* dici solet) *cum* 2. *seqq. C. Mandati.* Quodsi defacto aliquis debitum litigiosum emerit, & postmodum in judicio causam obtinuerit, non poterit plus à Debitore petere, quàm pretium pro tali debito expositum juxta *cit. l. per diversas.* 22. quod ordinariè longè minùs, quàm debitum, utpote adhuc valdè dubium.

17 Frequens in foro *quæstio* est: utrum debita liquida, seu chirographa minori pretiô, quàm in se contineant, v g. debitum mille Imperialium, pro mille, aut octingentis florenis emere liceat?

Ita passim fieri solet, nec injustè, si emptor nominis æquè ac venditor propter absentiam, potentiam, aut paupertatem debitoris difficultatem in acquirenda solutione debiti habiturus sit: quippe hæc difficultas exactionis juxta communem omnium hominum æstimationem pretium rei notabiliter minuit. Idem dicendum, si expensæ, lucrum cessans, vel damnum emergens concurrant, veluti si emptor aliàs suam pecuniam aliter applicatet, cum probabili spe majoris lucri, & tantùm in favorem venditoris ejusmodi debitum emat. Ita communis Dd. quam sequitur Molina *tr.* 2. *de J. & J. disp.* 361. Imò idem dixerim, si Emptor nominis seu actionis solutionem ob specialem suam industriam, aut favorem Principis, vel statûs sui facilè consequi possit, Venditor autem vix, ac non nisi post longum fortè tempus, nec sine magnis impensis consecuturus sit, ne quidem cum patrocinio Emptoris, ut sæpè contingit in debitis Provincialibus, vulgò Landschafft-Schulden/ quia Prudentum arbitrio debitum, quod aliquo modo est difficilis consecutionis, tanti non valet, quanti in se ipso est per *l. minus.* 204. *ff. de R. I.* licet aliàs de jure, qui actionem ad rem habet, rem ipsam habere videatur juxta *l. is, qui.* 15. *ff. Eod.* neque ex eo, quòd à parte emptoris nulla sit difficultas, cessat ratio detrahendi pretium: id enim ad bonam ejus fortunam pertinet, & propterea ejusmodi nominis pretium non crescit, ut quod non pendet â commodo unius, vel paucorum, sed à publica æstimatione. Sanè si quis studiosè, se ad debita minoris emenda soleat applicare, & præsertim si ipsemet causa sit difficilis exactionis, & solutionis, aut cùm Creditoribus integrum debitum facilè posset procurare, impediat, quò minùs consequi possint, ut ita divendere cogantur, talem ab illicito quæstu, palliataque usura haud excusarem, cùm in effectu mutuet summam minorem, ut pro ea recipiat majorem. Confer Molin. *de J. & J. d. disp.* 361. Less. *eod. tr. lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 9. & Clariss. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tr.* 18. *disp.* 43. *art.* 3. §. 1. *per tot.*

Neque refert III. res propriæ sint, an alie-18
næ: etenim res alienas contractu vero, valido, ac utrinque obligatorio vendi posse, textus dissertus est in *l.* 28. *ff. de Contrah. empt.* & ratio evincit: quia qui vendit, non habet necesse, ut rem emptoris faciat, sed ut ipsi habere liceat. *l.* 25. §. *fin. ff. Eod. l.* 30. §. 1. *ff. de Actionib. empt.* Quid juris sit, si res speciali vitio furti, vel rapinæ affectæ fuerint? Paulus JCtus in *l. si in emptione.* 34. §. 3. *ff. de Contrah. empt.* ita respondit: *si & Emptor & Venditor scit, furtivum esse, quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur. Si emptor solus scit, non obligabitur Venditor, nec tamen ex vendito quidquam consequitur, nisi ultrò, quod convenerit, præstet. Quodsi venditor scit, Emptor igno-*

ignoravit: utrinq; obligatio contrahitur. Illud addo, quod emens rem furtivam, cùm primùm sciverit ejus dominum, teneatur ex obligatione rei acceptæ eam non recepto pretio restituere, quanquam in nundinis, & mercatibus publicis emit, ita enim aiunt Impp. Severus & Antonius in *l. 2. C. de Furtis. ineivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non priùs reddatis, quàm pretium fuerit solutum à Dominis.* nimirum res aliena pro Domino interpellat. Hostiens. in *Summ. de Pœnit. & remiss. §. quod de furibus.* Menoch. 3. *præsumpt.* 29. *n.* 31. Farinac *q.* 177. *de furtis. p.* 3. *num.* 31. Quod Dd. communiter ita limitant, ut is, qui bonâ fide rem furtivam emit, possit re cognitâ rem in eum statum, in quo fuerat, ante contractum, reducere, atque ita rem furi, à quo emerat, restituere, ut ab eodem pretium recuperet, cum admonitione tamen, ut eam Domino, cui sustulit, restituat. Sylvester *V. restitutio.* 3. *q.* 7. Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 3. *n.* 14. Ampliùs: si quis exiguo pretio rem majoris valoris à fure redimit animô, ut eam domino redderet, ad restitutionem, rei furtivæ non aliter tenetur, quàm si pretium ei refundatur, quasi utiliter negotium Domini gestum sit. arg. *l.* 11. *C. de Negotiis gest.* Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 29. *n.* 17.

19 Reperias tamen res plures, quæ emptionem venditionem effugiunt; quales sunt I. res, quæ neque in natura sunt, neque sperantur, ut hippocentaurus. §. 1. *Inst. de Inutil. stipul. l.* 35. *ff. de V. O.* II. res, quæ fuerunt, sed non ampliùs sunt, ut servus mortuus, domus combusta. *l.* 57. *ff. de Contrah. empt.* III. liber homo. *l.* 6. *l.* 34. §. 2. *ff. Eod.* nisi major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus sit. §. 4. *Inst. de Jure person* IV. res sacræ, sanctæ, religiosæ, & publicæ. *l.* 6. *l.* 22. *l.* 51. *l.* 72. *§.* 1. *ff. de Contrah. empt.* eò quòd res hujusmodi non recipiant æstimationem, nec admittant usucapionem. *l.* 9. *C. de Usucap.* si tamen Venditor sciat rem talem esse, obligatur Emptori ignoranti ad interesse. *l.* 4. *l.* 45. *l.* 70. *ff. de Contrah. empt.* V. Res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosæ, quæ sine causâ, & solennitate canonica vendi prohibentur *c.* 5. *& passim de Reb. Eccles. non alien. l.* 14. *& auth. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccles.* VI. res minorum, furiosorum, & prodigorum, quæ non aliter rectè venduntur, quàm servatis certis modis à lege præscriptis. *t. t. C. de Præd. minor. &* ibi Dd. VII. hæreditas nondum delata, sed quæ exspectatur ab homine adhuc vivente, *l.* 1. *ff. de Hæredit. vel act. vend. l. qui superstitis* 94. *ff. de Acquir. hæred.* hæreditas, inquam, nondum delata: delata enim, ein angefallene Erbschafft haud dubiè vendibilis est. *t. t. ff. de Hæred. vel act. vend.* VIII. res propriæ emptoris: siquidem nemo absolutè rem suam rectè emit. *l.* 16. *ff. de Contrah. empt. l.* 4. *C. Eod.* cùm quod meum est, ampliùs meum fieri nequeat. *§. sic itaque* 14. *Inst. de Action.* temere tamen quis potest rem suam sub conditione, & in tempus, quo desinet esse sua. *l.* 61. *ff. de Contrah. empt.* IX. res litigiosæ. *t. t. ff. de Reb. litig. l.* 13. *ff. Famil. herciscund.* nisi alienatio esset necessaria. *l. fin. C. de Litigios.* Res dotales: *t. t. C. de Fundo dotali.* res feudales, & emphyteuticæ. 1. *Feud.* 5. §. 1. 2. *Feud.* 52. *c. un. l. fin. C. de Jure emphyteut.* item res restitutioni obnoxiæ. *l. fin.* §. 2. *&* 3. *C. Communia de legat.* nisi certis casibus. *auth. res quas C. Eod. Eod.* X. venena mala. *l.* 35. §. 2. *ff. de Contrah. empt.* Constitutio. Caroli V. *art.* 37. §. *ult.* annona militaris, & quodcunque genus armorum in ordine ad Turcas, & Saracenos. *t. t. C. Quæres vanire non poss. l.* 1. *&* 2. *C. Quæres exportari non debent.*

Controvertitur I. an officia publica vendere liceat?

Videtur negare Azor *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 2. 11. *c.* 6. ubi ait, vendentes peccare. Gloss. in

sit. sicut causâ 1. q. 6. Cajetan. in *Summ. V. Officiorum venditio.* Moventur *primò* prohibitione juris civilis in *l. 1. ff. Ad Leg. Jul. de ambitu. l. nemo. 6. C. de Assess. l. 14. C. de Re milit. Novel. 8.* & Constitutione Pii V. editâ 1571. cujus meminit Navar. in *Man. c. 25. n. 7. Secundò* quia quæ sunt publici muneris, ut sunt officia publica juxta *l. 1. §. hujus studii ff. de J. & J.* non sunt pretiô æstimabilia. *Tertiò* ratione detrimenti Reip. imminentis, tum quia, qui emunt officia, administrationem officii, ac justitiam vendere solent: tum quia sæpè non dignioribus, sæpissimè neque dignis, sed indignis officia publica venundatione paterent, ut qui, quod non habent ex meritis, pecuniâ oblatâ sibi acquirerent.

Navar. *consil. 2. h. t. num. 7.* Sotus *de J. & J. lib. 3. q. 6. a. 4.* Clariss. DD. Woller in *Quæst. select. universi juris. q. 11. n. 49.* sustinent, officia sæcularia authoritate Reip. aut supremi Principis vendi posse, non quidem, quatenus sunt obligationes ad certas functiones, quæ propriè officium nuncupantur: cùm nemo mihi obligationem, ad quam obstrictus sum, vendere possit; neque quatenus habent justum stipendium, seu jus ad stipendium: cùm hoc sit debitum ex justitia illud onus accipienti; sed quatenus dicunt quandam eminentiam, & habent occasionem lucrandi, aut excessum stipendii supra debitum involvunt: eatenus enim sunt pretiô æstimabilia, & res humanæ sæculares. Id quod usus comprobat: nam Romæ Officium Vice-Cancellariatûs pro 8000. Scutatis, Thesaurarii pro 7000. Præsidis Cameræ pro 40000. vendi, tradit Ernest. Gokelius *c. 5. de Regibus Europ.* Sed sit fides penes Authorem. Exploratum est, in Regno Galliæ, & Hispaniæ tales venditiones esse frequentissimas.

Non opinor ab hac opinione discedendum esse: etenim quod attinet leges Civiles, iis inferiores quidem, sed non supremi Principes obligantur, ut qui legibus subditi non sunt *l. princeps ff. de Legib.* Constitutio autem Pii V. recepta non est, ut monet ipse Azor. *d. p. 2. lib. 8. c. 7.* imò non obligaret etiam, nisi in terris Ecclesiæ temporali dominio subjectis. *Alterum* argumentum duntaxat probat, officia sæcularia non esse venalia, quatenus sunt obligationes ad certas functiones, vel habent justum stipendium, non verò quatenus sunt honorifica, & utilia. Neque, quod *tertiò* dicebatur, damna, quæ ex venditione officiorum Reip. timentur, hanc venditionem illicitam reddunt, sed solùm evincunt, quòd non expediat, ut tradunt communiter Dd. Imò si officium indigno, aut inepto vendatur, venditio erit rescindenda, & damna secuta restituenda ab Emptore, vel à Principe locò ipsius. Vide Clariss. DD. Braun. in *Disp. de Magistratu. c. 7. §. 5. per tot.*

Planè officia Ecclesiastica, puta officium 21
Visitatoris, seu Vicarii Generalis Episcopi, nullatenus vendi possunt, eorumque venditio in simoniam incidit. Sotus *de J. & J. l. 3. q. 6. art. 4.* idque meritò extenditur ad officia jurisdictionis ecclesiasticæ, nempe Notariorum & similium, cùm proximè accedant ad spiritualia, juxta Trident. *sess. 24. c. 14. & Sess. 25. c. 1. de Reformat.*

Controvertitur II. utrum, & cum quibus conditionibus census annui, jährliche Zinß/ Renten/ und Gülden/ sive perpetui, sive temporales sine labe usuraria emi possint? Pro cujus *controversiæ* resolutione.

Præmitto I. censum dupliciter sumi: nempe pro contractu censuali, qui nil aliud est, quàm emptio juris percipiendi annuos reditus certæ pensionis, datâ in pretium certâ pecuniæ quantitate; ut si quis *mille florenis* emat annuos redditus *quinquaquinta florenorum.* Qui redditus vulgò *interesse* dicuntur, estque communis taxatio pretii pro *quinque* annuis *centum* dari, ex consuetudine Germaniæ

rec-

recepta, & Constitutione Caroli V. in Comitiis Augustæ Anno 1548. facta confirmata. Deinde pro ipso jure percipiendi redditus, quod ex dicto contractu resultat.

Præmitto II. censum alium esse realem, alium personalem. *Realis* est, qui constituitur super certis rebus immobilibus, puta super domo, prœdio, aut ærariis Provinciæ, Cameræ Principis &c. arg. *tit.* 1. *Feud.* 2. *in fin. Personalis* est, qui fundatur super industria personæ sinè certo respectu ad bona, quamvis forte propter securitatem hypotheca vel generalis omnium bonorum, vel specialis certæ rei sit adjecta. Layman in *Theol. mor. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 2.

Præmitto III. censum tam realem, quàm personalem esse vel *temporalem*; quò pertinet census vitalitius, qui constitutus est ad vitam ejus, qui jus percipiendi censum habet, & quo è vivis decedente statim extinguitur sine ulla obligatione restituendi sortem, vel capitale: vel *perpetuum*, eumque porro vel *irredimibilem*, qui revocari non possit; vel *redimibilem*, & vel ex parte solius venditoris, vel ex parte utriusque, scilicet tam Emptoris quàm Venditoris, qui vocatur *utrinque redimibilis*. His præmissis distinctè respondeo. &

Dico I. Jure naturæ ad censum qualemcunquè emendum conditiones requisitæ sunt: I. ut adsit intentio emendi, & vendendi, ne sub prætextu censûs ineatur mutuum usurarium, quandoquidem contractuum vis, & obligatio dependet à contrahentium voluntate. II. ut interveniat justum pretium, hoc est, aut legibus, aut consuetudine approbatum, vel Prudentûm arbitrio perspectis rerum, locorum, ac temporum circumstantiis taxatum. Quemadmodum autem non requiritur, ut pretium agri æquivaleat omnibus ex eo futuris proventibus, si simul cumularentur, ita non exigitur, ut pretium censûs propriè adæquet pensiones persolvendas: non enim emuntur futuræ pensiones sed jus illas deinceps exigendi. Est tamen in æstimatione censuum habenda ratio pactorum appositorum, & leviorum aut graviorum onerum, quæ Emptori, sive venditori imponuntur. III. ut si persona, super cujus industria fundatur census, lucrari ampliùs nil possit, vel si res censita pereat, ac sterilis evadat sine Venditoris culpa sive in totum, sive pro parte, Emptor tanquam Dominus juris percipiendi annuam pensionem damnum ferat, & obligatio censûs vel in totum, vel pro rata parte cessat; nisi fortè adjectum fuerit pactum *assecurationis*, quo constituitur, ut Venditor censûs teneatur ad pensionem, etiamsi industria personæ, & facultas lucrandi deficiat, aut res censui subjecta casu pereat.

Dico II. Jure communi, & juxta constitutiones Pontificias, ut census legitimè emator, & contractus censualis à mutuo usurario purificetur, octo conditiones requiruntur. *Prima* est, ut census imponatur rebus certis immobilibus, & fructiferis, puta agro, vineæ, vel domui: *Secunda*, ut talia bona, & non persona maneat obligata solutioni censûs: *Tertia*, ut pretium sit justum, ac redditui proportionatum: *Quarta*, ut huiusmodi pretium integrum solvatur tempore contractûs: *Quinta*, ut Venditori semper liceat censum quò ad totum, aut membratim, & quò ad partem redimere: *Sexta*, ut nihilominus non maneat obligatus ad redimendum: *Septima*, ut census non excedat valorem fructuum fundi, super quo constituitur: *Octava*, ut rebûs super quibus census fundatur, peremptis illicò pereat census, & cesset redditus: *ex reg.* 1. *& 2. h. t. inter Comm.* Quas omnes conditiones approbavit Pius V. in Motu proprio: *cùm omnes Apostolica servitutis*, & quibusdam adauxit, quarum, aut etiam unius earum defectu contractum censualem vult haberi pro usurario. Singulariter verò notanda est

ille

illa conditio, quòd census non debeat constitui generaliter super omnibus bonis, juribus, & emolumentis, sed super certa re immobili: item quòd non nisi ex parte Venditoris debeat esse redimibilis; quod ipsum constitutum est ab Imp. Carolo V. *ubi supra.* Maximiliano I. ac Rudolpho II. teste Canisio *de Usur. c.* 11. *n.* 8. & habetur expresse in Ordinatione Polit. publicata Francofurti Annô 1577. *c.* 17. *de Usurar. Contractib.* §. wiewol.

Dico III. de consuetudine non tantùm census realis super omnibus bonis sed etiam personalis, & utrinque redimibilis probabiliter ab injustitia, & usuraria pravitate excusari potest. Ita Covar. *var. resol. lib.* 3. *c.* 7. Canis. *d. c.* 11. *n.* 2. Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 10. Laym. in *Theol. moral. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *num.* 5. Clariss. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tr.* 13. *disp.* 43. *art.* 2. *num.* 8. & ipsa Praxis piorum Virorum, quos omnes peccati, & usuræ arguere, pænè temerarium foret: ex quo talis census, utut de jure positivo non admittatur, quia tamen rationi, & juri naturali non adversatur, saltem de consuetudine generali defendi potest. Et verò si potest dari census realis super certis rebus, cur non etiam super omnibus bonis? Si super rei immobilis redditibus, seu fructibus fundari potest, cur non etiam super industriâ personæ, cui hujus industriæ lucrum utique vendere licet? Si in omni alia emptione validè licitéque apponi potest pactum redimibilitatis, seu retrovenditionis, cur non etiam in emptione censûs, in qua concurrunt omnia substantialia, nempe consensus, merx & pretium? Ad hæc licèt Emptor censûs, si capitale repetit, instar mutuantis simul habeat totam sortem, & lucrum supra sortem, quod videtur usurarium, attamen si periculum sit Emptoris, sicuti est secluso pactô assecurationis, ut nimirum re pereunte, vel cessante omni lucro ex industria personæ, cesset obligatio censûs, & reddendi capitale, facilè apparet differentia inter censum, & mutuum, cùm in mutuo totum periculum sit mutuatarii, non Creditoris. Imò

Dico IV. abstrahendo à prædictis constitutionibus tum Pontificiis, tum Imperatoriis, & insistendo consuetudini, census tam personalis, quàm realis etiam cum pactô assecurationis, id est, salvo semper capitali contrahi potest, modò periculum, quod Venditor censûs in se suscipit, per augmentum pretii compensetur, propterea: quia in aliis contractibus, ut in commodato, aut depositô periculum ex speciali pacto contra naturam contractûs ad alterum pertinere potest. *c. un. de Commod. l.* 1. §. 6. *ff. Depositi.* & nulla ratio occurrit, ob quam in emptione censûs diversum obtineat. Neque juvat; si dicas: census super bonis in communi, & præsertim redimibiles cum pactô assecurationis à Pio V. in Constitutione *supra cit.* declarati sunt usurarii. Ergo nec per consuetudinem redduntur liciti, cùm usura sit contra jus naturale, cui consuetudo derogare non potest. Quoniam declaratio illa non est absoluta, quasi S. Pontifex judicaverit, omnes illos census, qui carent conditionibus ibi expressis, esse jure naturali usurarios, sed tantùm est præsumptiva, quatenus ad cavenda usuræ pericula, & ob præsumptionem quæstûs statuit Pontifex, tales contractus jure positivo pro usurariis in foro externo haberi; quô positô talis declaratio, vel definitio, cùm sit tantùm juris positivi, consuetudine abrogari potest, & potuit. P. Engl *de Usur. n.* 22. & 23. Laymann *cit. c.* 18. *n.* 10. & 11.

§. VI.

Forma emptionis venditionis est vel intrin- 22
seca, vel extrinseca.

Intrinseca consistit in consensu mutuo super merce cum pretio commutanda: ut primum enim de pretio, & merce conventum est,

est. statim perficitur emptio venditio, ita ut mox reciprocam obligationem producat, quanquam pretium non sit numeratum, neque res actualiter tradita. *pr. Inst. h. t.* Quare minùs rectè aliqui ad substantiam hujus contractûs tria in recto requirunt, scilicet *consensum, mercem,* & *pretium:* ex quo in solo consensu de pretio, & merce consistit, horúmque actualis traditio tantùm executionem contractûs respicit, non verò substantiam.

Debet autem ille contrahentium consensus l. esse liber: nam invitus ut ullum contractum celebrare, ita nec emere, vel vendere quisquam cogendus est. *l.* 11. *C. de Contrah. empt.* & si ex metu injusto emptio, ac venditio facta fuerit, actione quod metus causâ rescinditur. *l.* 1. *C. de Rescind. vend.*

23 II. Consensum illum oportet esse verum, non erroneum: quia si error circa corpus, sexum, ac qualitatem substantialem rei emptæ interveniat, excludit consensum. *l. si per errorem ff. de jurisdict.* Hinc si vendas Stichum, ego verò putem, me emere Pamphilum: si vendas puellam, quam existimo puerum: si vendas æs, vel acetum, quod credo aurum, vel vinum, emptio est invalida. *l.* 9. *l.* 11. *ff. de Contrab. empt. l. si sterilis* §. *quamvis. ff. de Action. empt.* Secùs est, si materia non est omninò diversa, sed non tam bona, vel etiam si ex diversis materiis corpus est conflatum, ut si res ænea aliquid de auro admixtum habet: quippe tunc error non operatur nullitatem. *l.* 10. *l.* 11. *l.* 14. *ff. de Contrab. empt. & ibi* Zoës. *n.* 6. Venditor tamen decepto Emptori tenebitur in id, quod ejus interest. *l.* 62. *ff. Eod.*

24 III. Requiritur, ut consensus sit purus. Quapropter non est perfecta venditio, consequenter nec periculum rei in Emptorem, transfert, si res sit sub conditione vendita, antequam conditio existat. *l.* 7. *ff. de Contrab. empt.* aut si ad numerum, pondus, vel mensuram facta sit venditio, & res nondum fuit numerata, ponderata, aut admensa. *l.* 35. §. 5. *ff. Eod.* quippe sub eâ conditione vendita censetur.

IV. Consensus in negotium præsens, non si in futurum conceptus sit, necessum est: aliàs námque res in nudi pacti terminis subsisteret, néque jure civili ullius effectûs erit, cùm aliud sit vendere, aliud promittere de vendendo. Propterea non censeo emptionem contractam esse hisce verbis: *vendam tibi domum meam mille,* si alter dicat: *emam.* cùm sit de futuro consensus, qui hunc contractum non constituit, nisi fortè etiam traditio accedat. And. Fachin. *lib.* 2. *controv. c.* 5. Georg. Everhard. *vol.* 2. *consil.* 5. *n.* 13.

Forma extrinseca, seu modus contrahendi, is emptionem & venditionem in eo est, quòd contrahi possit.

I. In scriptis vel sinè scriptis. Si in scriptis fiat emptio venditio, tunc demum pro perfecta habetur, & pœnitentiam excludit, si in scripturam redacta, ac scriptura sive publica sive privata omnibus partibus absolura fuerit. *pr. Inst. h. t. l. ult. C. Eod. l. contractus.* 17. *C. de Fide instrum.* Intelligitur autem in scriptis contrahi, si partes expresè ab initio egerint, ut non valeat contractus, nisi scriptura omnibus numeris absoluta accesserit: vel si ambæ partes, vel altera earum dixerit, se velle contrahere in scriptis: Sichard. *ad l.* 17. *n.* 3. *C. de fide instrum.* vel etiam si paulò ante contractum, aut in actu ipso contrahendi partes petierint, ut calamus afferretur, aut ut accerseretur Notarius instrumenti conficiendi gratiâ: quam sententiam rebus judicatis confirmatam esse, asseverat Frid. Andler *ad Inst. h. t. n.* 6. Quòdsi simpliciter facta fuerit rei venditio, & de pretio partes convenerint, ac posteà dicant, in crastinum velle facere instrumentum venditionis, contractus non tam in scriptis initus, quàm scriptus censetur, neque ante scripturam pœnitentiæ locus est

est, cùm contractus jam sit perfectus; siquidem scriptura hic non tanquam essentiale consideratur, sed potiùs probationis causâ adjecta est; quod in dubio regulariter factum præsumitur per *l. 4. ff. de Fide instrum. l. 30. ff. de Reb. auth. jud. possid.* Dd. communiter in *d. l. 17. C. de Fide instrum.*

II. Emptio venditio contrahi potest vel purè, vel sub conditione: illa statim perfecta est, hæc non priùs, quàm conditio impleta fuerit. *pr. & §. 3. Inst. h. t.* Solent autem variæ conditiones, ac pacta adjici; ex quibus frequentissima *addictio in diem, Lex commissoria, & pactum de retrovendendo.*

Addictio in diem est pactum in continenti adjectum, quo id agitur inter Emptorem & Venditorem, ut liceat Venditori rem venditam addicere, seu vendere ei, qui intra certum tempus meliorem conditionem obtulerit. *l. 1. ff. de in diem addict.* Et hoc pactum fit aut *purè*, seu *sub conditione resolutiva*, ubi hoc agitur, ut emptio statim perfecta sit, eâ tamen lege, ut allatâ meliori conditione ab ea recedatur, & res empta inempta sit. v. g. hoc modo: *hic fundus tibi mille emptus esto, nisi quis intra annum meliorem conditionem attulerit, quo facto fundus inemptus esto*; aut *conditionatè*, seu *sub conditione suspensiva*, quando hoc agitur, ut emptio tunc demùm perficiatur, si intra certum tempus non offeratur conditio melior. v. g. hoc modo: *si nemo intra annum meliorem conditionem obtulerit, fundus Cornelianus centum aureis tibi emptus esto.* Casu *priore* res statim habetur pro empta, & periculum protinùs est emptoris. *l. 2. pr. ff. de in diem addict.* isque fructus acquirit, & rem usucapere incipit. *d. l. 2. §. 1. l. 4. §. 4. l. 6. ff. Eod.* Quodsi tamen conditio existat, hoc est, si conditio melior offeratur, emptio venditio solvitur, ita ac si nunquam fuisset facta. *d. l. 2. pr. l. 9. l. 17. ff. Eod.* adeóque Venditor à priore Emptore rem cum omnibus omnino fructibus repetere potest. *d. l. 4. §. 4. l. 6. l. 16. ff. Eod.* Casu *posteriore* pendente conditione periculum est Venditoris. *d. l. 2.* nec Emptor fructus suos facit. *d. l. 4 pr.* sed receptô pretiô existente conditione, eos cum re restituere tenetur; conditione autem deficiente retrò censetur purè facta, ita ut emptor ex tempore contractûs dominium, & omnia commoda acquisivisse intelligatur. Molin. *tr. 2. de J. & J. disp. 379. in fin.* Bonacin. *de Contract. disp. 3. q. 2. punct. 7. n. 12.*

Lex commissoria est pactum in continenti 28
adjectum, quô agitur inter Emptorem, & Venditorem, ut si Emptor pretium intra certum diem non solvat, res sit inempta, & arbitrio Venditoris commissa. *l. 1. l. 2. l. 4. pr. l. 5. l. 6. §. 1. ff. de Lege commiss.* Et hoc pactum emptionem venditionem non conditionalem, sed puram reddit: ex quo conditio non emptioni, sed ejusdem resolutioni est addita. *d. l. 1. l. 2. §. 3. ff. Pro empto.* consequenter pendente hâc conditione resolutoriâ rei venditæ dominium, fructus, & periculum sunt Emptoris. *l. 1. l. 2. l. 4. pr. & §. 1. ff. de Lege commiss. l. 3. C. de Pact. inter empt.* Conditione existente, & si Emptor legi huic non pareat, ipso jure resolvitur emptio venditio, & Emptor non solùm rem cum suis accessionibus, quæ ei adhærent, v. g. per alluvionem, *l. 6. §. 1. ff. de Lege commiss.* sed etiam quoscunque fructus interim perceptos restituere tenetur. *l. 5. ff. Eod.* atque ob fidem fractam insuper amittit, quod arrhæ, vel alio nomine datum est. *d. l. 6. pr.*

Pactum de retrovendendo est pactum in 29
continenti adjectum, quô id agitur inter Emptorem, & Venditorem, ut liceat Venditori, vel ejus hæredi rem venditam, pretio oblato vel intra certum tempus, v. g. intra decennium, vel quocunque tempore redimere, *c. 5. h. t. l. 2. C. de Pact. inter empt. & vend.*

vernaculâ dicitur ein Widerkauff. Et hoc pactum sive ad certum, sive ad incertum tempus conceptum sit, sine usuraria, aut alia iniquitate emptioni venditioni adjici, communis traditio est, nisi concurrant conjecturæ, ex quibus contractus usurarius, & illicitus præsumitur, veluti si concurrant pactum de retrovendendo, modicitas pretii, & quod Emptor solitus sit fœnerari; quæ tres conjecturæ à S. Pontifice perpenduntur in *d. c. 5. h. t.* Covar. *Var. resol. lib. 3. c. 3. n. 8.* Tiraquel. *de Retr. convent. in præfat. n. 5.* Effectus ejus est, quòd Emptor ejusque hæres post oblatum pretium à Venditore per actionem ex vendito cogi possit ad rem retrovendendam. *d. l. 2. C. de Pact. inter Empt. & Vendit.* fructus tamen ex fundo cum pacto retrovenditionis empto perceptos ita suos faciat, ut Venditori eosdem restituere minimè teneatur: cùm medio tempore sit dominus rei, suæque rei fructus lucretur. *l. 49. §. 1. ff. de Rei vindic. d. l. 2.* quæ tantùm loquitur de rei restitutione, à qua distant fructus. Quod verum est ante oblationem pretii à Venditore factam, secùs post, per text. in *l. 2. & l. 6. C. Eod.* Fructus pendentes tempore prioris contractûs, si veniat idem pretium, quod datum, reddendum, videntur unà cum re restituendi, aut saltem eorum pretium: quia fuerunt pars fundi, cum quo venditi. *l. Julianus 13. §. si fructibus. ff. de Act. empt. d. l. 2.* quæ vult oblatô pretiô, quidquid ab Emptore, perceptum est, Venditori retrahenti restitui, ita ut hoc solùm Emptori relinquatur, ut impensas in fundum colendum eô animô factas consequatur non solùm exceptione doli, sed etiam actione ex empto: quandoquidem fructus intelliguntur deductis expensis. *l. 7. ff. Soluto matr.* Zoës. *ad ff. tr. de Retract. convent. n. 37.* cum citatis. Dissentit. Covar. *l. 1. Var. resol. c. 15.* cum aliis existimans, fructus pendentes pro rata temporis inter Emptorem, & Venditorem esse dividendos.

III. Contrahitur emptio venditio sæpe sine arrha, nonnunquam interveniente arrhâ ad majorem probationem. Ubi probè inquirendum: an arrha adjecta sit emptioni contrahendæ, vel contractæ? Si contrahendæ, est in arbitrio partium vel perficere contractum, & sic arrham recipere, aut in partem pretii computare: vel pœnitere seu à contrahendo abstinere, quo casu, si resilit, qui arrham dedit, perdit eam, & lucratur, qui accepit; si resilit, qui accepit, tenetur duplum restituere. *pr. Inst. h. t. l. contractus. 17. C. de Fide instr.* Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 2. cas. 187.* Fachin. *l. 2. controv. c. 97.* Præter arrharum amissionem autem ad interesse non tenebitur recedens, eò quòd contrahens, dum arrham dedit, eam non tantùm in argumentum emptionis contrahendæ, verùm etiam locò interesse, si scilicet pœnitentiâ ducatur, dedisse, & Venditor hoc fine acceptâsse præsumitur per *d. l. contractus. 17.* quæ de sola arrharum amissione disponit, nullâ factâ mentione de interesse. Salicetus in *d. l. contractus. §. illud.* Fachin. *lib. 2. controv. 28.* Si arrha adjecta sit emptioni jam contractæ, probabilius est, non licere ab ea recedere invito altero, etsi recedens velit vel arrham perdere, vel duplum restituere arg. *l. 35. pr. ff. de Contrah. empt. l. 5. C. de O. & A. l. 3. & 6. C. de Rescind. vend.* & ratio est: quia emptione sinè arrhis celebratâ, ab ea sinè communi consensu recedi non potest. *d. l. 5. C. de O. & A.* ergo multò minùs, ubi arrhæ intervenerunt, ut quæ confirmandæ, non infirmandæ obligationis causâ accesserunt, eóque tendunt, ut per eas contrahens fortiùs obligetur ad implendum contractum. *d. l. 35. pr. ff. de Contrah. empt.* Et sanè perabsurdum foret, id, quod ad majorem contractûs confirmationem additur, ad ejus infirmationem inflecti arg. *l. 19. pr. ff. de Legat. 1. l. 19. ff. de Instr. vel instr. legat.* Dissentit Sichard. *ad cit. l. contractus §. illud.*

per

per illum textum. Ast hic de contractu nondum perfecto intelligendus est, ut insinuant verba: *super facienda emptione.*

§. VII.

31 *Finis* emptionis venditionis est, ut necessariæ res inter homines faciliùs commutentur, & perpetuâ pecuniæ æstimatione difficultatibus permutationum subveniatur. *l. 1. pr. ff. de Contrah. empt.*

§. VIII.

32 *Effectus* emptionis venditionis alius est proximus, alius remotus. *Proximus* est mutua, seu reciproca obligatio Emptoris, & Venditoris.

Emptor obligatur I. ad solvendum pretium, & quidem hoc effectu, ut nummos faciat Venditoris. *l. 11. §. 2. l. 13. §. 10. ff. de Action. empti.* Quamobrem si Emptor solvat nummos alienos, non liberatur, sed salva manet Venditori actio contra Emptorem, ut vel alios solvat, vel si soluti jam sint consumpti, ut se indemnem servet. *l. 7. C. Eod.*

33 II. Obligatur præstare usuras post traditionis diem, & moram: æquissimum enim est, cùm Emptor, & pretio fruatur, eum usuras pretii Venditori solvere. *d. l. 13. §. 20. ff. l. 5. l. 13. C. de Action. empt.* An verò Emptor ante rei traditionem ad usuras pretii non soluti teneatur? meritò *dubitatur:* eò quòd *citatæ Leges* solùm loquantur de mora *post diem traditionis*, & ratione perceptorum fructuum per Emptorem ex possessione rei, quam nactus fuerat. Unde complures eum Baldo *ad l. 1. C. de Bon. mater.* in negativam declinant. Sed rationi juris magis affirmativam convenire autumo: ex quo usurarum præstatio non tam in mora Emptoris post traditionem consistat, quàm in æquitate illa, ne Emptor pretium retineat, & unâ lucretur fructus ex re vendita perceptos, qui etiam ante traditionem ejus sunt. Id quod innuere videtur Ulpianus in *d. l. 13 §. 21. ff. de Act. empt.* dum ait: *possessionem autem traditam accipere debemus, etsi precaria sit possessio: hoc enim solum spectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi.* Covar. *Var. resol. lib. 3. cap. 11.* Zoës. *ad ff. de Act. empt. n. 24.* Clariss. DD. Weigler *de Oblig. ex Consens. q. 25.* Illud communiter concluſum est: quòd, si Emptor fructus ex re vendita, utpote sterili, nullos perceperit, nec usuras debeat per *d. l. 5. C. de Action. empt. l. 16. in fin. ff. de usur.* Fachin. *l. 2. c. 31.*

III. Emptor obligatur ad refundendas im- 34
pensas necessarias, & utiles, quas verisimile est, etiam Venditorem fecisse, si ipse rem habuisset. *d. l. 13. §. 22. ff. de Act. empt. l. penult. C. Eod.* sicut & ad resarciendum damnum, quod Venditor ex re vendita propter moram Emptoris accepit *l. 1. §. 3. ff. de Peric. & com. rei vend.* Zoës. *ubi supra n. 26.*

Opportunè hîc *quæritur*: an & quando 35
periculum rei venditæ ad Emptorem spectet? In qua *quæstione* emptionem venditionem perfectam secerno ab imperfecta, &

Respondeo I. Emptione *perfectâ* statim transit periculum ad Emptorem, etsi nec traditio mercis, nec solutio pretii facta sit, adeò ut si domus empta in cineres abeat, equus Venditori auferatur, vel fundus terræ motu absorptus sit, Emptor nil petere, aut accipere possit, & nihilominus totum pretiũ Venditori solvere teneatur, non secùs, atque si rem accepisset. §. 3. *Inst. h. t. l. 7. 8. & 11. ff. l. 1. 4. & fin. C. de Peric. & comm. rei vend.* tum quia licèt dominium rei venditæ ante traditionem non transeat ad Emptorem, naturali tamen æquitati consentaneum est, ut Emptor volens habere compendia, & fructus rei venditæ, utut nondum traditæ, etiam sentiat incommodum, & periculum, ita ut sicut vult rem sibi, quasi esset dominus, fructificare, ita etiam ferat quasi esset dominus, sibi perire; tum quia Venditor solùm tenetur actione

personali, & viceversâ Emptor, si pretium nondum solvit; ergo si Venditori redditur impossibilis traditio rei, extinguitur obligatio tradendi; econtra verò quia manet emptori possibilis solutio pretii, hæc non extinguitur. Néque obstat regula definiens, *rem perire suo Domino;* ut quæ exceptionem patitur, quando Dominus rei idem est & debitor ejusdem, prout est Venditor in re vendita ante traditionem. Et hæc, quæ dicta, vera sunt, si certa species, seu individuum venditum sit; secùs, si genus, arg. *l.* 8. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* vel res aliqua indeterminata. *l.* 34. §. 6. *ff. de Contrah. empt.* Harp. Schneid. Hoppius, & alii Interpp. *ad §.* 3. *Inst. h. t.*

Respondeo II. Emptione Venditione *nondum perfecta* res regulariter perit damno Venditoris, tametsi pretium pro ea re solutum jam fuerit, quod in tali casu Emptori restituere tenetur Venditor. Censetur autem quoad materiam periculi emptio venditio imperfecta, si celebrata sit in scriptis, & instrumentum necdum sit absolutum: *pr. & §.* 3. *Inst. h. t. l.* 4. *C. de Peric. & comm. rei vendit.* Si adjecta sit conditio, eáque pendente res vendita perierit. *l.* 8. *ff. l.* 5. *C. Eod.* Sed hoc, si tota res perierit: nam particulare damnum, & deterioratio rei nihilominùs ad Emptorem pertinet: *d. l.* 8. Harpp. *ad §.* 3. *Inst. h. t. n.* 9. Si res ad explorationem, v. g. vinum ad gustum, equus ad probationem vendatur, antequam gustatio, vel probatio fiat: *l.* 1. & 4. *§.* 1. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* Si res empta sit ad pondus, numerum, vel mensuram, priusquam admensio, ponderatio, vel numeratio facta fuerit. *l.* 35. §. 5. 6. & 7. *ff. de Contrah. empt. l.* 2. *C. de Peric. & comm. rei vend.* Aliud est, si res per aversionem, vulgò Uberhaupts/ v. g. integrum vini dolium, grex ovium, aut acervus tritici ematur: tunc enim periculum statim Emptoris est, quod Venditor in eum tali casu avertere dicitur. *d. l.* 35. *§.* 5.

Venditor obligatur I. ad rem venditam præcisè tradendam, nec præstando interesse liberatur, si rei tradendæ facultatem habeat. *§.* 2. *Inst. de Donat. l.* 2. *l.* 3. *l.* 11. §. 2. *l.* 30. *l.* 46. *l.* 50. *ff. de Act. empt. l.* 10. *C. Eod. l.* 6. *C. de Resciud. vendit.* Pro qua sententia ipla æquitas militat, quæ non patitur, ut Emptor periculum rei sustineat, & rem consequi non possit, imò ob perfidiam Venditoris adstringatur ad difficillimam probationem ejus, quod interest. Frideric. Andler *ad Institut. h. t. num.* 5. Panormit. *ad c. cum Joannes. num.* 16. *de Fide instr.* Zoës. *ad ff. de Act. empt.* Néque contrariantur *l.* 1. *l.* 11. §. 9. *l.* 12. *ff. l.* 4. *l.* 10. *&* 12. *C. de Action. empt. l.* 17. *C. de Fide instrum.* aliique textus, qui statuunt, Venditorem præstando interesse liberari: illi siquidem, dum ad interesse obligant, non propterea liberant à traditione, sed loquuntur de casu, quo Venditor tradendi facultatem ampliùs non habet, ut si res morâ, aut culpâ ipsius interierit, vel si Emptor ampliùs traditionem rei urgere nolit, sed præstatione interesse contentus esse præoptet, ut insinuat *cit. l.* 10. *&* 12. *C. de Action. empt.* Dissentiunt Fachin. *l.* 2. *Controv. c.* 30. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 53. Covar. *Var. resol. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 1. Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 28. *l.* 2. *Lit. C.*

II. Venditor Emptori rei venditæ vacuam possessionem unà cum fructibus tam pendentibus, quàm post perfectum jure contractum perceptis, & reliquis commodis tradere tenetur, nisi de fructibus aliter expressè conventum fuerit. §. 3. *J. h. t. l.* 13. §. 10. & 18. *l.* 17. §. 2. *ff. l.* 2. *l.* 13. *&* 16. *C. de Action. empt.* Unde si vinea empta sit pendentibus adhuc uvis, traditio autem primùm facta post fructus collectos, eósque Emptor consecutus non fuerit, tantùm de pretio detrahere poterit, quanti fructus pendentes æstimabantur, per *jura citata.* Sumptus tamen

men, si quos Venditor bonâ fide fecerit, ei restitui debent. *d. l.* 13. *§.* 22. *ff. & l.* 16. *C. de Act. empt.*

37 III. Venditor obligatur etiam tradere omnia rei appertinentia, quæ quasi partem rei constituunt, ac propter rem habentur. *l.* 13. *§. fin. l.* 14. *l.* 15. *l.* 16. *ff. de Act. empt. l.* 71. *& 76. ff. de Contrab. empt.* uti sunt territorium, & jurisdictio Castro vendito annexa: Mantic. *de Tacit. & ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 14. *à n.* 5. pali vineæ lupuli: *l.* 17. *§. fin. ff. de Act. empt.* regulæ ædificii *l.* 10. *§.* 2. *ff. Eod.* taberna, conclave, stabulum, aut hortus ædibus venditis contiguus, præsertim si diu ad eas pertinuerit, aut illarum causa comparatus sit. *l.* 91. *§.* 5. *ff. de Legat.* 3. Berlich. *p.* 2. *dec.* 191. *n.* 44. *& seqq.* sicut & alia annexa domui, secundùm usum vendentis. *l.* 40. *§. fin. ff. de Contrab. empt.* item servitutes itineris, viæ, aliæve fundo vendito debitæ, quæ, ne per ignorantiam non utendo amittantur, Emptori indicari debent. *l.* 66. *§.* 1. *ff. Eod.* Zæpoll. in *tr. de Servit. urb. prad. c.* 38. *n.* 3. Boër. *dec.* 322. *n.* 6.

38 IV. Venditor rem tradere debet cum effectu, saltem ut Emptori rem habere liceat. *l.* 11. *§.* 8. *l.* 30. *§.* 1. *ff. de Act. empt.* Dominium in Emptorem transferre haud tenetur, *l.* 25. *§.* 1. *ff. de Contrab. empt.* nisi Dominus sit: tunc námque, quia dominium vendidit, illud tradat, oportet, neque alia potest in hoc contractu esse intentio contrahentium, quàm de dominio transferendo. *l.* 80. *§. fin. ff. Eod.* Quamvis verò Venditor dominium habeat, atque ex hac causa rem tradat, dominium tamen Emptori non aliter acquiritur, quàm si Venditori pretium solverit, quandoquidem Venditor sub spe præsentis numerationis, & sic quasi sub conditione hac rem tradidisse censetur, consequenter si pretium solutum non fuerit, res maneat in dominio Venditoris. *§. venditæ.* 41. *Inst. de rer. divis. l.* 19. *l.* 53. *ff. de contrah. empt.* & Venditor in concursu Creditorum præferendus est, atque rem venditam vindicare potest. *l.* 4. *ff. de Pignorat. act.* Nisi forsan fidem de pretio habuerit, sive expresse, ut si ita convenerit; sive tacitè, ut puta si fidejussorem, vel pignora acceperit, aut terminum ad solvendum assignaverit per *jura allegata.* Aliàs, quia fidem habere facti est, ex solo facto traditionis fidem habuisse non præsumitur, arg. *l.* 12. *§.* 2. *ff. de Captiv. & postlim. reversi.* Hoppius & alii *ad d. §. venditæ.* 41. *Inst. de Rer. divis.*

V. Si res aliena vendita, eáque vel tota, vel 39
pro parte evicta fuerit, Venditor tenetur de evictione, etsi nihil de ea inter partes actum, vel cogitatum sit. *l.* 11. *§.* 2. *ff. de Action. empt. l.* 60. *ff. l.* 6. *l.* 25. *C. de evict.* ita nimirum, ut Emptorem post litem motam in foro rei conventi quoad rem venditam defendere, liti assistere, & probationes afferre cogatur, *l. venditor. ff. de Judic. l.* 1. *C. Ubi in rem actio.* & si res evicta fuerit, ipsi pretium rei, quo fuit empta, restituere, *l.* 13. *ff. de Eviction.* nec non interesse particulare, quanti scilicet interest, rem non esse evictam, solvere debeat, *d. l.* 11. *§. fin. l.* 43. *in fin. ff. de Act. empt. l.* 60. *l.* 70. *l.* 74. *ff. de Evict.* Hinc evictionis præstatio Germanis dicitur da Gewehr/ vel Wehrschafft/ item Schadloßhaltung.

Sunt autem casus aliqui, in quibus Venditor Emptori non præstat evictionem. *Primus* est, si Venditor bonâ fide existimavit, rem esse suam, & ne de evictione teneretur, cum Emptore convenit. Molin. de *J. & J. disp.* 380. *n.* 20. *Secundus*, si Emptor rem alienam, aut alteri obligatam scienter emit: sibi enim imputet damnum, quod per evictionem patitur. *l. si fundum.* 27. *C. de Evict. l.* 7. *C. Commun. utriúsque judicii. Tertius*, si Emptor Venditorem non laudavit, hoc est, ei litem motam super re emptâ non statim, aut

aut saltem post litis contestationem ante publicationem testium, vel conclusionem in causa denuntiavit, ut ad causam defendendam veniret. *c. 7. & ult. h. t. l. 53. §. fin. l. 74. §. mota. ff. l. 20. l. 11. l. 23. C. de Eviction.* Quæ denuntiatio probabiliùs necessaria est, licèt Venditor litem Emptori motam aliundè sciat. Panorm. in *c. ult. h. t.* Covar. *var. resol. lib. 3. c. 17. n. 3.* Fachin. *lib. 2. c. 35.* eò quòd in mora non nisi interpellatus constituatur. *l. 32. ff. de Usur. l. 23. l. 84. ff. de V. O.* *Quartus*, si facto Emptoris evictio imputari potest; veluti si in arbitrium compromisit, aut in Judicem extraneum consensit, & hi contra eum pronuntiârunt: *l. 56. §. 1. ff. de Evict.* vel si ob ejus contumaciam sententia condemnatoria lata fuit. *l. 51. ff. & l. 8. C. Eod.* vel si cùm potuisset rem usucapere non cœpit, aut præscriptionem, quam potuisset interrumpere, non interrupit. *d. l. 56. §. 3.* *Quintus*, si res evicta, & adjudicata sit actori per errorem, imperitiam, sordes, aut aliam injuriam Judicis: quoniam ejusmodi evictio imputatur casui fortuito, quô illatum damnum non ad venditorem, sed emptorem pertinet. *l. 51. ff. de Eviction.* Molin. *cit. disp. 380. n. 20.*

VI. denique Venditor Emptori tenetur resarcire damnum dolô, culpâ latâ, vel levi datum. *l. 35. §. 4. l. 98. pr. ff. de Contrah. empt. l. 36. ff. eo. Act empt.* Quin etiam ad instrumenta authentica ad rem venditam pertinentia tradenda. *l. 48. l. 52. ff. Eod.*

40 *Effectus remotus* emptionis venditionis est actio empti, & venditi. *Actio empti* datur Emptori, & ejus hæredibus adversus Venditorem, & ejus hæredes ad consequendum id, quod ex obligatione Venditoris debetur *l. 11. ff. de Action. empt.* *Actio venditi* competit Venditori, & ejus hæredibus contra Emptorem, & ejus hæredes ad consequendum, quod Emptor debet. *l. 13. §. 19. & seqq. ff. Eod.* Ubi illud monendum, ut si quis has actiones cum effectu movere velit, à sua parte contractum completum habeat; alioquin inutiliter aget. Itáque si Emptor actionem empti intendit, necessum est, pretium Venditori solutum esse: si enim hoc factum non fuerit, semper exceptione pretii non soluti repellitur. Pari ratione Venditor, antequam rem tradidit, inutiliter agit actione venditi: nam & ei obstabit exceptio rei non traditæ, *d. l. 13. §. 8. & l. 25. ff. Eod.*

§. IX.

Contraria Emptionis-Venditionis sunt 41 modi, quibus ea rescinditur. Rescinditur autem.

I. existentiâ conditionis, quæ resolutioni contractûs est apposita, per ea quæ *supra n. 27. & seqq.* diximus.

II. mutuo dissensu contrahentium re integrâ. *§. fin. Inst. Quib. mod. toll. oblig. l. 2. 3. & 5. ff. de Rescind. vend.* idque ob rationem *l. 35. ff. de R. I.* ubi nihil tam naturale esse traditur, quam unumquodque eo genere, & modo dissolvi, quo colligatum est. Addidi: *re integrâ*: enim verò si res non amplius esset integrâ, sed traditio rei, vel solutio pretii jam tum subsecuta, præter dissensum opus foret retrotraditione. *l. 58. ff. de Pactis. l. 1. C. Quando liz. ab empt. reced.* 42

III. ob latens, & internum cujusvis rei 43 venditæ vitium adminiculante Ædilitio edicto, è quo duæ actiones promanârunt: una, quæ *redhibitoria* dicitur: altera, quæ *æstimatoria*, seu *quanti minoris*. Illa venditionem in totum rescindit redditâ re morbosâ, & vitiosâ, refusóque pretiô, & cæteris omnibus in priorem statum restitutis: Hæc venditionem tantùm pro parte solvit, & eò tendit, ut Venditor restituat excessum pretii, seu quanti minoris res ob vitium, cùm væniret, fuit *l. 16. ff. de Ædil. edict.* Illa tunc locum habet, quando vitium est ejusmodi, ut si ab Emptore

fuisset

fuisset cognitum, res non fuisset empta, ne quidem pro minore pretio, quia forte nihil ad finem Emptoris conducebat: Hæc tunc quando cognito vitio res nihilominus fuisset empta, sed pro minore pretio. *l.* 11. §. 3. *l.* 13. *pr. ff. de Act. empt.* Illa per sex menses utiles à die contractûs vel promissionis: Ista per annum utilem à die scientiæ datur. *l.* 19. *§. ult. l.* 38. *ff. de Ædil. edict. l.* 2. *C. Eod.* Confer Clariss. D.D. Woller *in Quæst. select. univers. jur. q.* 15. *per tot.*

44 IV. Rescinditur emptio venditio ob læsionem ultra dimidium circa dolum factam, quam *immodicam*, *enormem*, *aut enormissimam* DD. vocitant. *l.* 2. *C. de Rescind. vend. t.* 3. *& 6. h. t.* quippe Venditor, si pecunia, quam accepit, non est tanti, quanti est rei suæ, quam alteri dedit, dimidium; ut si pro re sive mobili, sive immobili valente *centum*, minùs, quam *quinquaginta* accepit, actione ex vendito agere potest contra Emptorem, ut vel rescisso contractu rem emptam restituat, aut quod justo pretio deest, suppleat, quanquam defectus ille contigisset in unico nummo. Bald. *ad. l.* 2. *n.* 16. Georg. Wildmann *tr. de Contract. tit.* 11. *n.* 18. Similiter Emptor, si res, quam accepit, non est tanti, quanti est pecuniæ suæ, quam alteri dedit, dimidium, ut si pro re sive mobili, sive immobili valente *centum* solvit ultra *ducentos*, rectè actione ex empto aget, aut ad corrigendam inæqualitatem, aut ad rescindendam venditionem: esenim licèt in *citatis juribus* solùm Venditoris læsi, & rerum immobilium fiat mentio, æquitas tamen, & qualitas inter contrahentes, ceu correlativa, servanda exigit, ut sicut Venditori, ita etiam Emptori ultra dimidium læso succurratur, neque tam conditio rei, quàm læsio, & gravitas damni attendatur. Covar. 2. *Var. resol. c.* 3. *n.* 8. Fachin. *lib.* 2 *contr. c.* 16. Clariss. DD. Gletle *p.* 3. *quæst. select. q.* 24. *à n.* 6. quidquid contradicat Cujà. *obs.* 16. *n.* 18

Verùm hoc beneficium, ac restitutio cessat, si Venditor pretii defectum, aut Emptor excessum donavit arg. *l.* 21. *C. Mand. l.* 38. *ff. de Contrah. empt.* Id quod colligitur, si clausula adda ur donationis ejus, quod res pluris valet. Bald. *in d. l.* 2. *n.* 10. Sam. Stryk. de Cautel. *contract. sect.* 2. *c.* 8. *n.* 28. vel si læsus scivit valorem rei arg. *l.* 53. *ff. de R. J. de l.* 38. *&* 57 §. 2. *ff. de Contrah. empt.* Quapropter si instrumento emptionis clausula inserta, quòd Venditor ex certa scientia rem vendiderit, seu ut in vernacula sonant verba: wolbewust/ und wolbedacht/ læsus ultra dimidium contractum rescindi petere non potest, cùm clausula illa Venditorem præsumptione scientiæ gravet. Menoch. *consil.* 1. *n.* 952. *& seqq.* Vel si Contrahentes huic remedio non generaliter tantùm, sed expressè & specialiter renuntiaverint arg. *l.* 14. §. 9. *ff. de Ædilit. edict.* D.D. Gletle *cit. q.* 24. *n.* 27. *&* 28. P. Engel *h. t. n.* 6.

V. Huc refertur *retractus gentilitius*, sive, 45
ut vulgò appellant, *jus protomiseos*, germanicè das Einstand-Recht/ quod nil aliud est, quàm jus prælationis, quô proximo Venditoris consanguineo conceditur facultas remimmobilem extraneo venditam ad se intra certum tempus retrahendi, oblato eo pretio, quod extraneus exposuit.

Hæc definitio uno quasi fasciculo omnia hujus materiæ requisita complectitur, quorum primum est, ut retrahens sit consanguineus, & quidem proximus Venditoris, non primi acquirentis. Gail. 2. *obs.* 19. Mynsing. *cent.* 3. *observ.* 51. *n.* 1. Zoël. *ad ff. de Retract. n.* 48. Clericus sit, an Laicus? non attenditur ex quo Clericus non exit de familia; nisi adjuncta essent talia servitia, quæ præstare non ferret dignitas Clericatûs. Gomez. *ad L. Tauri* 70. *n.* 7. Religiosum, vel locò ejus Monasterium retrahere non posse, eò quòd per talem retractum res non maneta

in familia, consequenter deficiat ratio retractûs, docet Tiraquel. *de Retract. p.* 1. *§.* 1. *gloss.* 8. *n.* 19. & 20. P. Engel *h. t. n.* 24. *Secundum*, ut res venditæ non solùm sint immobiles (quibus connumerantur decimæ, aliáque jura. Tiraquel. *d. §.* 1. *gloss.* 7. *n.* 33. sed & avitæ Stammen-Erbgüter / aut patrimoniales. Cothman *vol.* 1. *consil.* 38. *n.* 4. Quòdsi partim patrimoniales, partim non patrimoniales unâ venditione distrahantur, poterit retrahens res patrimoniales retrahere, omisso retractu rerum non patrimonialium. *c. constitutus.* 8. *de in integ. rest.* Gomez. *ad L. Tauri.* 70. *n.* 15. *Tertium* requisitum est, ut retractio fiat intra annum à die scientiæ, id est, à die, quô venditio retrahenti innotuit. *c.* 8. *de in integ. rest. tit.* 9. *§. fin. Feud.* 2. Gail. 2. *observ.* 19. *n.* 11. Welenbec. *consil.* 15. *n.* 87. Tempore elapso exspirat hoc beneficium. arg. *l. de statu lib. §. Stichum. ff. de Legat.* 2. & non tantùm proximus & Consanguineus, sed nec subsequentes retrahere queunt, siquidem à venditione consummata omnibus tempus currit. arg. *l.* 4. *ff. de Ædil. edict.* Zoës. *loc. cit. n.* 123. dum his æquè, ac illis intra id temporis spatium agendi facultas fuit, Judicémque adire, & petere potuissent, ut proximiori tempus præfigat, intra quod aut ipse agat, aut alios ad agendum admittat. Gomez. *ad L. Tauri.* 70. *n.* 21. *Quartum* est, ut proximus Consanguineus primo Emptori offerat totum pretium cum omnibus sumptibus & expensis, ita ut servetur indemnis per *l.* 27. *ff. de Ædil. edict.* vel si Emptor accipere nolit, apud Magistratum deponat, petita rei restitutione arg. *l.* 39. *ff. l.* 9. *C. de Solut.* Tiraquel. *de Retr. p.* 1. §. 9. *gloss.* 3. Justum autem pretium est, non quod retrahenti videtur, sed quantum extraneus Emptor sine fraudis consilio solvere promisit, etiamsi justum pretium excedat. Bald. in *l.* 2. *in fin. C. de Rescind. vend.* Boër. *dec.* 143. *Quintum*, ut quis in suum, non alterius commodum retrahat: cùm jus hoc personale tantùm ratione sanguinis competat, adeóque nullus extraneus ejus particeps fieri possit. P. Engel. *h. t. sub. n.* 24.

VI. Rescinditur emptio venditio, si Judex ex causa metûs, doli, ætatis, vel alia restitutionem in integrum indulgeat. *l.* 5. §. 15. & 18. *C. de Rescind. vend.* Sed de his alibi.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

EMptioni-venditioni sicut simillima, ita tractationis ordine proxima est *Locatio Conductio*, & quæ hujus species est, *Emphyteusis.*

Pars I.

De Locatione, & Conductione.

SUMMARIA.

1. Locationis definitio nominalis. 2. Definitio realis. 3. 4. 5. Divisio. 6. Origo. 7. Qui possint, & qui non possint inire hunc contractum? §. usque 13. Quæ res? 14. Quæ operæ locari queant, quæ non? 15. 18. Qualis debeat esse merx? 17. Assignantur requisita locationis conductionis. 18. Finis. 19. 20. Quæ sit obligatio locatoris? 21. usque 23. Quæ conductoris? 24. Quæ inde competat actio? 25. Quibus modis rescindatur hic contractus?

§. I.

LOcatio-Conductio unus quidem contractus est, distincta tamen pacta: nam ex parte *Locatoris* appellatur *Locatio*, Verleyhung / Vermithung / Verpachtung / Verdingung / ex parte *Conductoris* verò *Conductio*, Bestand / Miethung / Zahlung / Heurung / Dingung. Sæpissimè tamen alterutrô vocabulô totus significatur contractus. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 20. *ff. de Action. empt.* 1

§. II.

§. II.

2 *Definitur* locatio conductio, quòd sit contractus bonæ fidei consensualis de rei usu, vel operis personæ pro certa mercede concedendis. Clariss. D.D. Gletle *ad Inst. h. t. n.* 1.

§. III.

3 *Dividitur* Locatio conductio I. in regularem, & irregularem. Illa est, quando species, hæc, quando res fungibilis locatur. Dicitur autem irregularis, quia mutuum sibi admixtum habet, & contra naturam locationis non tantùm usum, sed etiam dominium in Conductorem transfert, de qua vide *l.* 31. *ff. h. t.*

4 II. Dividitur in locationem *rerum*, seu *fruendi*, & in locationem *operarum*, seu *faciendi*.

Locatio *rerum*, seu *fruendi* est, quâ usus rerum, v. g. *ædium*, *fundi*, *libri*, *&c.* conceditur. *l.* 9. *pr. ff. h. t.* Quò refertur I. *admodiatio*, quâ redditus alicujus Provinciæ æstimantur, & Conductori percipiendi concedantur, certò pretiò, seu mercede constitutâ: Wann ein Herr einem Ambt-Mann das Einkommen eines Districts, oder Amts um eine gewisse Summa Gelds admodirt/ verpachtet/ oder verarrestirt. Besold. *Thesaur. pract. V. admodiatio.* II. *Contractus affictus* quò prædium rusticum non pro pecunia, sed pro parte fructuum, videlicet umb die Helffte/ umbs Drittel/ impensis, & periculo conducentis locatur; qui propterea *colonus partiarius*, aut *dimidiarius*, Halbbaur/ nuncupatur, *l.* 35. *in fin. ff. l.* 21. *C. h. t.* Panormit. in *c.* 3. *n.* 14. *h. t.* III. Conventio, quâ oves, & vaccæ certò pretiò æstimatæ solent eâ lege locari, ut Conductor quot annis de singulis certam quantitatem lanæ, butyri, vel casei solvat; quæ conventio *socida* ab Italia vocitatur, & germanicè das Vieh bestellen/ austhun/ in Pacht thun/ verleyhen. Jo. Ot. Tabor, qui peculiarem tractatum *de jure socida* scripsit.

Locatio *operarum*, seu *faciendi* est, cùm quis operas suas alteri pro certa mercede promittit. Quam duplicem communiter faciunt Interpp. aliam *operarum in specie* sic dictam, cùm quis operas suas locat ad certum aliquod opus faciendum v. g. ad pingendam tabulam aut ædes exstruendas. *l.* 22. §. 2. *ff. h. t.* hoc discrimine, quòd in locatione *operarum*, sicut in locatione *rerum*, is *locator* salutetur, qui mercedem accipit, qui verò dat, *Conductor*. *l.* 21. *C. Eod.* in locatione autem *operis* uterque & locator, & conductor sub diverso respectu, operarum, nimirum, & operis, appellari consueverit. *l.* 2. *ff. ad Leg. Rhod. de jact. d. l.* 22. §. 2. *ff. h. t.* Hoppius *ad pr. Inst. Eod.* ubi advertit in ordine ad actionem *locati* aut *Conducti* eum locatorem dici, qui incho at contractum, séque priùs alteri obtulit; conductorem verò eum, qui placitum offerentis suscepit.

III. Locatio conductio alia est, quæ fit ad 5
tempus modicum, puta ad triennium, quinquennium. Alvar. Valasc. *de Jure emphyt. q.* 29. *n.* 1. Et hæc ad modicum tempus locatio nullum dominium, nec possessionem transfert. Idem *q.* 20. *n.* 6. *& d. q.* 29. *num.* 1. Alia, quæ fit ad longum tempus, puta decennium, & plures annos. Et hanc locationem Conductori jus reale, ac dominium utile tribuere, credunt Practici Carpzov. *l.* 5. *Resp.* 17. *num.* 10. Garl. *de Expens. c.* 14. *n.* 1. *& seqq.* Matth. Steph. *de Jurisd. l.* 3. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 12. At in puncto juris per locationem nullum jus reale transire ad Conductorem, perspicuè insinuat *l.* 24. *§. fin. l.* 29. *ff. l.* 10. *C. h. t.*

§. IV.

Causa efficiens Locationis conductionis est 6
vel remota, vel proxima.

Remota est jus Gentium, quod necessitas & usus efflagitavit, & non simplici ratione, sed per discursum tacitâ quasi conventione ab omnibus pene Gentibus receptum, usurpatúmque est. §. 2. *Inst. de J. N. G. & C. l.* 1. *ff. h. t.*

7 *Proxima* sunt contrahentes, Locator, & Conductor; qui si conduxit prædium urbanum, *inquilinus*; *l.* 19. §. 4. & 5. *ff. h. t.* si prædium rusticum, *colonus*; *l.* 35. & 6. *ff. Eod.* si opus, *redemptor*; *l.* 60. §. 3. *ff. Eod.* si vectigalia, *publicanus* indigitatur. Possunt autem contractum locationis, & conductionis inire omnes, qui emendi, vendendique facultatem habent, nisi specialiter prohibeantur. Molina, Filliucius, & alii apud Bonacin. *de Contract. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 1. *n.* 9. Sunt verò in prohibitorum numero I. Clerici, & Monachi, quibus non licet conducere prædia Laicorum. *c.* 1. *causâ* 21. *q.* 3. *c.* 1. *Ne Clerici vel Monach.* intellige, si conductio fieret in ordine ad lucrum, & quæstûs causâ secùs, si ex causa necessitatis domesticæ. *d. c.* 1. *Ne Clerici, vel. Monach.* Cæsar de Panimoll. *dec.* 71. *n.* 26. *& seqq.* II. Milites, & Curiales, qui obstricti, & obligati sunt Curiæ: his enim vetitum est conducere prædia ad colendum. *l.* 30. *l.* 31. *C. h. t.* III. Tutores, & Curatores, qui quàm diu administrant, aut rationes tutelæ, vel curæ non reddiderunt, non admittuntur ad conducenda prædia fiscalia, ne pupillus, vel fiscus damnum sentiat. *l. un. C. Ne tutor. vel curat. vectig conduc. l.* 1. §. 9. *ff. Ad Leg. Cornel. de fals.* Escobar. *de Ratioc. c.* 4. *n.* 26. IV. Fabri, Victores, aliique Artifices, qui artem streperam exercent; quippe hi prohibentur conducere domum vicinam habitationi Magistrorum, aut Professorum, quando alioquin eorum voces confunderentur. arg. *l. un. C. de Stud. liberal. Urb. Romæ.* Quæ tamen prohibitio hodie in usu non est, nisi Magistri reclament, ut notat Bonacin. *d. q.* 7. *punct.* 1. *n.* 2.

§. V.

8 *Materia*, sive *objectum* locationis conductionis ex parte Locatoris est usus rei, vel opera, ex parte conductoris merces.

Res regulariter omnis rectè locatur, & conducitur, sive mobilis sit, sive immobilis: sive corporalis, sive incorporalis. arg. *l.* 34 §. 1. *ff. de Contrah. empt.* Georg. Widmann *de Contract. tit.* 12. *n.* 11. Et non solùm res propria, sed etiam aliena, ex quo per hunc contractum non transfertur in Conductorem jus aliquod reale, sed tantùm personale. *l.* 7. *l.* 8. *l.* 9. §. 6. *ff. h. t.* Sic conductor rem sibi locatam potest locare alteri, si nihil aliud convenit. *d. l.* 7. *ff. & l.* 5. *C. h. t.* & multò magis Vasallus rem feudalem, Emphyteuta rem emphyteuticam, usufructuarius rem usufructuariam per *l arboribus* 12. §. 2. *ff. de Usufr. d. l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* Sed ex sententia Mynsingeri *cent.* 6. *observ.* 30. Herman. Vult. in *tr. de feud. lib.* 1. *c.* 10 *n.* 65. & Georg. Widmann *loc. cit. n.* 19. absque consensu Domini locare possunt ad tempus duntaxat modicum, quod est ad triennium, non ultra; de quo tamen haud immeritò dubitaveris propter dicta *n.* 5. Porro si quis rem planè alienam, in qua nec dominium utile, nec usum, aut usumfructum habet, alteri locet, eatenus valet locatio, ut Conductor ad totum id, quod suâ interest, re conductâ uti, aut frui non posse, Locatorem convenire possit, sive deinde bonâ, sive malâ fide rem talem locaverit per *cit. l.* 7. 8. *& 9. pr. ff. h. t.* quanquam hic à præstatione interesse liberetur, si rem similem æquè commodam præstet, *d. l.* 19. *pr.* vel justam ignorantiam doceat. *l.* 33. *ff. Eod.* Franch. *ibid. n.* 46.

Excipiuntur I. servitutes prædiales, ut sunt 9
iter, actus, via, jus pascendi oves, vel pecora. *l.* 44. *ff. h. t.* ibi: *locare servitutem nemo potest*, propterea: quia locatio fit ad tempus, hæ autem servitutes ad tempus constitui nequeunt *l.* 4. *ff. de Servit.* Godofr. *in not. ad d. l.* 44. *lit. C.* Aliud dicendum de servitutibus personalibus, usufructu scilicet, & habitatione, exceptо usu. §. 1. *& 5. Inst. de Usu. & habit. l.* 8. 11. *& 12.* §. *fin. ff. Eod. l.* 13. §. *usufructua-*

rius.

rius. ff. de Usufruct. l. 6. C. h. t. Quoniam verò usufructus (idem est de habitatione) mortuo usufructuario extinguitur. §. 3. *Inst. de Usufr.* eò ipsò etiam exspirat locatio, adeò ut hæres Locatoris non intersse, sed solam mercedem pro rata temporis remittere teneatur, licèt primo locationis conductionis anno nondum finito decesserit usufructuarius. l. 9. §. 1. ff. h. t.

10 *Excipiuntur* II. res fungibiles, ut sunt vinum, oleum, frumentum; quæ ideò locari nequeunt, quia in locatione *regulari* res conceditur ad usum absque translatione dominii, & eâ lege, ut elapso locationis termino eadem numero res reddatur, quod non potest fieri in locatione rerum fungibilium, ut quatenus usus consistit in abusu. Possunt tamen locari locatione *irregulari* l. 31. ff. h. t. imò etiam ad pompam, vel ostentationem arg. l. 3. §. *fin. ff. Commodati.* & in isto casu licitè Locator à Conductore lucrum aliquod, seu mercedem recipit, cùm usus rei sit à dominio separatus. Bursat. *Consil.* 204. *col. fin.* Clariss. D D. Weigler *de oblig. ex consens. th.* 16. *lit. D.*

11 *Excipiuntur* III. res propriæ Conductoris: harum namque conductio nullius firmitatis est. l. 9. §. *fin. ff. l.* 20. & 23. *C. h. t. l.* 45. *ff. de R. J.* siquidem is, cujus est res propria, rem illam sibi animo, & jure dominii, non jure alicujus obligationis possidet, ac proinde Locatoris, vel alterius nomine in hac ipsa possessione esse nequit: cùm nemo sibi causam possessionis mutare valeat. *d. l.* 23. *C. h. t.* Verum hæc exceptio cessat quando dominus res suas pignoris, aut alio jure in alium translatas ab eo conducit. *l.* 35. §. *fin. l.* 37. *ff. de Pignorat. act. l.* 37. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

12 *Excipiuntur* IV. res immobiles, ac prædia Ecclesiæ: quæ juxta *Clem.* 1. *de Reb. Eccles. non alien.* ad longum tempus, & hodie juxta extravag. *ambitiosa. Eod. inter Comm.* ultra triennium sine canonica solennitate locari non possunt, ita ut nec valeat locatio facta in novem, aut duodecim annos, cum hac adjecta clausula, ut tot sint locationes, quot sunt triennia, id est, tres, aut quatuor, ne alioquin fraus legi fiat. Molina *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 466. *n.* 11. Valquez *de Reddit. c.* 2. §. 2. *num.* 5. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 95 *n.* 17. contra Bald in *l.* 5. *C de Fidei commiss.* Debet tamen hoc triennium accipi formaliter, hoc est, pro utili, ac fructuoso. Unde fundus, qui alternis tantùm annis est fertilis, ad sexennium; & si tertio quoque anno ex eo integri fructus percipiantur, ad novennium sine solennitate locabilis est, ex quo annus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum. Covar. *Var. resol. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 5. Georg. Widmann *de Contract. tit.* 12. *n.* 20. Jacob. Pignatel. *tom.* 4. *consult.* 223. cum Rotæ decisionibus allegatis.

Illud in *ancipitem* erupit *dissensionem*: an locatio conductio prædii Ecclesiastici, quæ ad plures annos facta est, saltem valeat ad triennium?

Affirmant Clarus §. *donatio q.* 17. *n.* 2. Card. Tusch. *Pract. conclus. V. locatio concl.* 406. *n.* 2. Molina *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 467. *n.* 3. & alii per rationem, quòd pensio unius anni possit separari à pensione alterius anni, & tempus permissum dividi à prohibito, in dividuis autem utile per inutile non vitietur. *c.* 37. *de R. J. in* 6. quemadmodum donatio facta absque insinuatione non vitiatur, tametsi excedat quingentos aureos, nisi in excessu. *l. sancimus. l. penult. C. de Donation.*

Negant. Covar. *lib.* 2. *var. resol. c.* 16. *n.* 5. Navar. *de alien. rer. Eccles. n.* 21. Rota *dec.* 709. *n.* 6. *p.* 1. *divers. & dec.* 30. *n.* 3. *p.* 1. *recent.* partim propter textum in *d. Extravag. ambitiosa.* ubi locatio ultra triennium sine

præscripta solennitate facta *nullius omnino roboris & momenti* esse dicitur: partim quia solennitas illa in hujusmodi locatione pro forma requiritur, forma autem, cùm sit individua, evitari non potest dividendo per plura tempora. Rot. *d. dec.* 30. *n.* 3. partim quia intrat vulgare dictum: *quod potui, nolui, & quod volui, non potui.* Merlin. *dec.* 826. *n.* 3. ubi asseverat, Rotam hanc opinionem rejectâ contrariâ constanter tenuisse.

Mihi videtur media via ineunda, ut prior sententia obtineat, si mens contrahentium talis fuit, ut eatenus voluerit valere locationem, quatenus per leges valere potest. Contra, ut posterior procedat, si intentio contrahentium ita fuit alligata ad tempus triennio longius, ut noluerint locationem aliter valere, quàm si ad tantum tempus valere posset, ut si pro toto tempore non nisi unam mercedem constituissent. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 95 *n.* 11. Donat. *tom.* 1. *Prax. Regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 24. *n.* 2. P. Engel *supra de Reb. Eccles. non alien. n.* 12.

13 V. *Excipitur* jus cudendæ monetæ, quod, qui habent, alteri vendere, locare, vel cedere prohibentur, & qui contra fecerunt, gratiâ Cæsareâ, & jure monetæ excidunt, atque Conductores quoque decem auri marcis mulctantur. *Recess. Imper. de Anno* 1551. §. so haben wir uns auch. 46. *de Anno* 1559. §. ferner als sich auch. 175. & *de Anno* 1570. §. alsdann. 132. Sed utinam hi Recessus non negligerentur!

14 In *operis*, ut locari possint, duo requiruntur; *Primum* est, ut sint *honestæ*: generaliter enim facti turpis nullus est contractus, nulla obligatio. §. 7. *Inst. Mandati. l.* 26. *ff. de V. O. l.* 5. *C. de Legib. Alterum*, ut sint *æstimabiles*, seu *mercenariæ*; quales sunt fossam fodere, tabulam pingere, domum ædificare, & reliquæ operæ rusticæ, ac mechanicæ. *l.* 5. §. 2. *ff. de Præscript. verb.* Operæ *non mercenariæ*, seu *liberales*; quales sunt, quæ viribus potiùs ingenii, seu animi, quàm labore corporis expediuntur, veluti docere, causas orare, mederi &c. locari non solent, & quod pro his solvitur, non solvitur ut merces, sed ut honorarium, vel salarium, *l.* 1. §. 5. *ff. de Extraord. cognit.* nec petitur actione conducti, sed vel condictione certi, si certum quid promissum sit, vel ex stipulatu, si in facto consistat, quod est promissum, vel condictione ex moribus, si nudò pactò tantùm promissum sit, vel officiò Judicis. Azor. in *Summa C. h. t.* Carisi. D.D. Weigler *disp. de Oblig. ex consens. th.* 16. *lit. G.*

Merces, cujus synonyma sunt *pensio*, *locagium*, ac *pretium*, nil aliud est, quàm æstimatio usûs rei, vel operarum. Et hæc I. debet esse vera, non simulata, atque ideo locatio unò nummò facta est nulla, si tamen seriò quid voluerint agere contrahentes, donationis vim obtinet. *l.* 20. §. 1. *l.* 46. *ff. h. t.* II. debet esse certa certitudine vel absolutâ, qualis est, cùm contrahentes ipsi mercedem designant; vel relativâ, quando eò referunt, unde certificari potest. §. 1. *Inst. h. t. l.* 25. *pr. ff. Eod.* Unde si quis alteri equum, fundum, vel ædes suas non expressâ certâ mercede locaverit, aut adjectum sit, se rem Conductori locare pro mercede justa, vel pro ea, de qua postea inter contrahentes conveniet, non locatio & conductio, sed contractus innominatus censeri debet: *a.* §. 1. *Inst. h. t.* neque actio bonæ fidei, sed præscriptis verbis competit. *l. si tibi* 22. *ff. de Præscript. verb.* nisi lege, vel moribus certa merces jam sit determinata. arg. *l.* 37. *ff. de Contrah. empt.* Gomez. *tom.* 2. *var. resol. c.* 3. *num.* 4. Ill. merces debet esse justa, hoc est, æquivalens usui rei, vel operæ hominis; si injusta sit, etiam locatio injusta est; sed non irrita, irritabilis tamen, si vel dolus alterutrius intervenerit. *t. t. ff. de Dolo malo*, vel alteruter ultra dimidium læsus

latus fuerit: nam beneficium *l. 2. C. de Rescind. vend.* in hoc quoque contractu locum habet ob paritatem rationis, & arg. *pr. Inst. h. t. & l. 2. ff. Eod.* Molin. *de J. & J. disp.* 249.

16 Gravi apparatu in utramque partem *disputatur*: utrùm sicut pretium in emptione, ita merces, seu pensio tantùm in pecunia numerata, an etiam in aliis rebus fungibilibus consistat?

Gomez. 2. *Var. c.* 3. *n.* 3. Fachin. 1. *controv. c.* 83. & alii pro mercede requirunt pecuniam numeratam; quibus suffragantur, inprimis *l.* 1. §. *si quis.* 9. *ff. Depositi.* ubi dicitur, si pro servo custodiendo pecunia detur, vel accipiatur, locationem esse; secus, si operæ servi cum custodia compensentur. Deinde *l.* 5. §. *ut cùm do. ff. de Præscript. verb.* ubi inter locationem, & contractum innominatum *do, ut facias*, hæc constituitur differentia, ut si pecunia intervenerit, sit locatio, si vero res detur, contractus *do, ut facias.* Item *l.* 25. §. 6. *ff. h. t.* ubi si Colonus partiarius non pro pecunia, sed pro parte fructuum usum frundi obtinet, contractus speciem societatis induisse refertur.

Vultejus *ad pr. Instit. h. t. n.* 14. Zoës. *ad ff. Eod. n.* 5. & cum his Georg. Widman. *de Contract. tit.* 12. *n.* 3. volunt, mercedem constitui posse non solùm in pecunia numerata, sed etiam in quavis alia re fungibili, puta vino, oleo, frumento &c. Quibus patrocinatur *l. si olei* 21. *C. h. t.* in qua fructus annuos sub *olei certa ponderatione* locari, rescripserunt Impp. Diocletianus, & Maximianus. Nec juvat, si dicas, hanc legem de contractu innominato accipiendam, & verbum *locare* ibi idem significare, ac usui concedere: siquidem cum Rubrica inscripta sit *de locato & conducto* facit, ut constitutiones omnes insertæ de eodem contractu accipiantur. Præterea non agi illic de contractu innominato, inde patet, quòd in *l. si olei.* Impp. constituant, in ea specie contractûs non posse partes pœnitere, quod est contra naturam contractuum innominatorum, in quibus permittitur alteri contrahentium à contractu per pœnitentiam recedere. *l.* 5. *ff. de Condict. causâ datâ, causâ non sec.* Rursus in *d. l. si olei.* dicitur esse contractus bonæ fidei, ergo locatio: contractus enim innominatus *do, ut des:* est contractus stricti juris. Pro hac sententia quoque expendi possunt textus in *l.* 35. *in fin. ff. h. t.* in qua Africanus JCtus respondit, tunc etiam conductionem esse, quando *fructus mercedis nomine* pensantur, & in *l.* 8. *C. Eod.* ubi proponitur fundus *certis annis quantitatibus* locatus conductus.

Ego in hac jurium, & opinionum discrepantia existimo, distinguendum esse inter locationem operæ & rei; & quoad hanc inter locationem rei frugiferæ & non frugiferæ. In locatione operæ & rei non frugiferæ merces precisè debet esse pecuniaria per *l.* 1. §. 9. *ff. Depositi & l.* 5. §. 2. *ff. de Præscript. Verb.* suprà pro prima sententia citatas. Econtra in locatione rei frugiferæ v. g. vineæ, agri, oliveti &c. merces etiam in certa parte fructuum consistere potest per *jura* pro secunda sententia allegata. Ita fermè Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 29. *th.* 3. *lit. G.*

§. VI.

Forma locationis conductionis stat in con- 17
sensu mutuo de rei usu concedendo, vel operâ personæ præstandâ, operéve faciendo, pro certa mercede, *pr. Inst. h. t. l.* 1. *ff. Eod.* & ita duo requiruntur ad hunc contractum.

Primum est consensus mutuus. Sufficit autem ad locationem veterem renovandam consensus etiam tacitus: & ideò si Conductor finito conductionis tempore sciente, & patiente Locatore in re conducta permaneat censebitur tacito consensu renovata locatio usq; ad annum, si prædium conductum rusticũ sit;

sit; si verò urbanum fuerit, usque ad tempus, pro quo, & ad quod prima locatio facta est. *l.* 13. §. *fin. l.* 14. *ff. h. t. l.* 15. *C. Eod.* Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 85. *n.* 1. *& seqq.* & quidem cum iisdem qualitatibus, pignoribus hypothecis, cautionibus, aliisque necessariis, quæ erant appositæ primo contractui per *juracit.* Gomez. *var. resol. tom.* 2. *c.* 3. *n.* 17. Mascard. *de Prob. concl.* 93. *n.* 3. Paris. *vol.* 1. *consil* 23. *n.* 24. *& consil.* 43. Excepto fidejussore, qui absque novo suo facto non obligatur ultra tempus expressum. Menoch. *lib.* 4 *præsumpt.* 85. Carpzov. *p.* 2. *const.* 37. *def.* 1.

Alterum requisitum est, ut merces detur pro usu rei, vel opera hominis: alioquin locatio in alium contractum degenerabit. Ita enim si artifex v g Aurifaber ex suo proprio auro mihi pro certa pecunia conficiat annulum, vel poculum; Sutor mihi ex proprio corio consuat calceos, non locatio, sed venditio est, §. 4. *Inst. h. t. l.* 2. *ff. Eod. l.* 20. *&* 65. *ff de Contrah. empt.* Aliud dicendum, si convenias cum ædili, ut ex suis materialibus Tibi in fundo tuo pro centum aureis ædificet domum: vel cum fabro, ut ad tuam januam pro Imperiali novam aliquam applicet clausuram: quippe talis conventio, cùm per eam in te rei duntaxat accessoriæ, non principalis, fundi scilicet, aut januæ dominium transeat, locationi adscribitur per *d. l.* 20. *ff. de Contrah. empt. l.* 22 §. 2. *ff. h. t.* Georg. Widmann *de Contract. tit.* 12. *n.* 7. *&* 8.

§. VII.

18 *Finis* Locationis conductionis est commoditas mercedis Locatori: & commoditas rei vel operarum Conductori acquirenda.

§. VIII.

19 *Effectus* Locationis conductionis alius est proximus, alius remotus. *Proximus* est mutua ac utrinque principalis locatoris, & conductoris obligatio; & quidem.

Locator obligatur I. ad præstandum liberum rei locatæ usum, vel ad exhibendas operas juxta modum, & ad tempus conventum. §. 3. *Inst. h. t. l.* 15. *l.* 24. §. 4. *ff. l.* 22. *Cod. Eod.* ideóque etiam ad amotionem impedimentorum per *l.* 25. §. 1. *ff. h. t.* Ubi

Quares I. quid juris, si Conductor impediatur, quò minùs liberè re conductâ uti possit? R. plures casus esse distinguendos: nam I. si Conductor impeditur impedimento veniente à sua persona; veluti si propter morbum equo conducto uti nequit, tenetur nihilominùs ad solvendum totam pensionem. Pantschm. *p.* 1. *q.* 13. *n.* 12. *& seqq.* II. Si impeditur impedimento veniente à Locatore, refert, num illud impedimentum sit justum, an injustum? si justum sit, tenetur Conductori tantùm ad mercedis remissionem, vel, mercede jam receptâ, ad restitutionem faciendam pro rata temporis, aut saltem ad præstandam rem æquè commodam ad usum intentum. *l.* 30. *pr. l.* 35. *pr. ff. h. t.* si injustum hoc est, dolosum, vel culposum sit, Conductor statim agere potest, ut liberetur à pensione totius temporis. & etiam ad interesse lucri, quod percepisset, si non fuisset impeditus: nec audietur Locator ab impedimento cessare volens, si res non est ampliùs integra, puta si Conductor alium fundum, vel domum jam conduxit. *l.* 15. §. 8. *l.* 24. §. 4. *& ibi* Brunneman. *n.* 8. *l.* 33 *in fin. ff. h. t.* III. Si Conductor à libero rei usu impediatur impedimento veniente à tertio, interest, an locator illum tertium potuerit prohibere, ne impediret, an non? Si potuit, & non fecit, æquè tenetur ad interesse, hoc est, lucrum cessans, & damnum emergens, ac si ipse impediviset. *l.* 9. §. 1. *l.* 25. §. 1. *ff. h. t.* Si non potuit, in tantum excusatur, ut nonnisi ad remissionem mercedis pro rata teneatur. *l.* 33. *in fin. ff. Eod.* Quod quoque procedit, si res locata evicta fuerit sine culpa locantis. *d. l.* 9. *ff. h. t.*

IV. si

IV. si impeditur impedimento veniente à casu fortuito, puta ab incendio, aut occupatione hostili, Locator ad nihil, nisi ad remissionem mercedis pro rata obligatur. *l. 9. §. 1. l. 15. §. 2. l. 24. §. penult. in fin. l. 33. 33. & 34. ff. Eod.*

Quæres II. quid statuendum, si quis operas, ad quas se per contractum locationis adstrinxit, non exhibeat? Et iterum distinguo: enimverò I. si Operarius conductus ideo non exhibeat operas, quia per Conductorem stat quò minùs eas exhibere possit, tenetur Conductor ad integram mercedem, modò interim Operarius ille alteri operas suas non locaverit, nec ab alio mercedem receperit. *l. 19. §. 9. l. 38. ff. h. t.* Quare communis DD. sententia est, quòd famulus, si Dominus limites permissæ correctionis excedat, ante finitum locationis tempus impunè auffugere, & nihilominus mercedem integram exigere possit. Bald. *in l. 11. C. h. t.* DD. *in l. penult. ff. Solut. matr.* Bonacoss. *tr. de Serv. & fam. q. 79. n. 5.* Putarem tamen, priùs Judicem adeundum, & ad eum querelas deferendas esse arg. *l. 1. C. in quib. caus. colon. censit. dom. accus. poss. & l. 2. ff. de his, qui sui, vel alien. jur.* II. si per locatorem operarum stet, ita ut is culpâ suâ operas non præstet, tenetur Conductori, quantum interest, operas non esse præstitas, vel opus non esse factum arg. *d. l. 15. §. 6. & l. 33. ff. h. t. l. fin. C. de Condict. ob caus.* Hinc si famulus servitio ante tempus elapsum invito Domino exeat, damnum exfuga datum resarcire tenetur. per *l. 1. C. de Serv. fugit.* ac insuper totum salarium perdit etiam pro præterito tempore, quô servivit, & solutum repeti potest per *cit. l. 15. §. 6. & l. 55. §. 2. ff. h. t.* Sichard. *ad l. 14. C. Eod.* Bonacoss. *tr. de Serv. & fam. q. 213. & 241.* III. si operarius vel famulus ad notabile tempus justa de causa impeditus locatas operas exhibere non potuerit, ad mercedis remissionem pro rata temporis, quo operari non potuit, tenetur arg. *l. 15. §. 6. ff. h. t.* An verò famulo infirmo merces debeatur pro tempore ægritudinis, in quo servire non potest? *incertum* est. Negant Panorm. in *c. cùm pro causa n. 4. de Procurat.* Navar. *in Man. c. 17. n. 107.* Ancharan. *in c. propter sterilitatem. h. t.* arg. *d. l. 15. §. 6.* Affirmant Hostiens. *in Summ. h. t. §. tam diu.* Joan. Andr. *in d. c. propter sterilitatem.* Bald. *in l. fin. C. de Condit. infert.* eò quòd servire nobis intelligantur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes servire, propter adversam valetudinem impediuntur. Text. *in l. 4. §. 5. ff. de Statu lib.* Certè æquitatis, & commiserationis ratio efflagitat, ne ad breve tempus decumbenti merces imminuatur.

II. Locator obligatur ad resarciendum damnum Conductori illatum vel vitio rei locatæ, si Locator vitium rei scire potuit, aut res tanquam ab Artifice locata est. *l. 19. §. 1. ff. l. 20. C. h. t.* vel dolo, latâ, aut levi culpâ Locatoris. *d. l. 19. §. 1.*

III. Tenetur Locator ad restituendas impensas Conductori, modò sint necessariæ ad conservationem rei locatæ, vel utiles ad melioriationem factæ. *l. 55. §. 1. & l. 61. ff. h. t.* Inde Conductor equi expensas pro soleis ferreis, vel in ejus curationem factas repetere potest, easque vel de mercede nondum soluta deducit: *d. l. 61. pr.* vel rem locatam tam diu retinere, donec eas recipiat. arg. *l. 14. ff. de Dol. mal. except. l. 5. pr. ff. de Impens. in rem dot. fact.* Planè impensas factas in ordine ad colligendos fructus, puta in arationem in stercorationem, sationem, messem &c. ad Conductorem pertinere, communiter placuit, cùm ipse Conductor eam ob causam uberiores fructus percipiat. Paulus Castr. *lib 2. consil. 270.*

IV. Locator pati cogitur, ut liceat Conductori tollere, & auferre ea, quæ rei conductæ à

Conductore utiliter inædificata, vel adjecta sunt, ita tamen ut Conductor damni infecti caveat, ne, dum aufert, in aliquo deteriorem causam ædium faciat, sed ut pristinam faciem ædibus reddat. sæpe *d. l.* 19. §. 4. *ff. h. t.*

21 *Conductor* obligatur I. ad solvendam Locatori integram mercedem. *l.* 25. *l.* 28. *l.* 58. *ff. h. t.* & quidem post moram cum usuris. *l.* 32. §. 2. *ff. de Usur. l.* 17. *C. h. t.* etiamsi intra locationis tempus rem locatam dereliquerit sine justa causa. *l.* 27. §. 1. *l.* 55. *ff. Eod.* Est autem merces illo tempore solvenda, de quo inter partes conventum est. *l.* 34. *ff. de R. J.* vel quo consuevit eo in loco solvi. *d. l.* 34. *l.* 8. *C. h. t.* Quodsi nulla sit, vel varia consuetudo, solutio fieri debet vel in fine anni vel temporis ipsi locationi præfixi: quamvis enim statim nata sit obligatio, & actio ad integram pensionem, agens tamen ante finem conductionis exceptione repellitur, siquidem priùs pro sua parte non dicitur adimpleviſſe contractum. Bald. *in l. divortio. in pr. ff. Soluto matrim.* & alii complures.

Controvertitur I. an, & quando Conductori à Locatore conventa pensio, seu merces ob sterilitatem remitti, aut diminui debeat?

Pro ratione dubitandi inprimis allegari potest *l.* 13. §. 5. *ff. h. t.* in qua diserte statuitur, exiguitatis fructuum quò ad remissionem mercedis rationem habendam non esse. Deinde, quòd sicut in Emptorem, simul atque venditio perfecta est, transit omne rei venditæ commodum, & incommodum. *l.* 1. & 8. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* sic quoque in locatione conductione, damnum è sterilitate veniens ad Conductorem spectare debeat, neque ea propter remitti merces semel promissa cùm locatio conductio similis sit emptioni venditioni, iisdémque juris regulis consistat. *pr. &* §. 1. *Inst. h. t. l.* 2. *ff. Eod.*

Verùm explorati juris est mercedem propter sterilitatem remittendam esse, vel ex toto, si Conductor nullos omnino fructus percipiat, vel pro parte, seu rata, si paucos & exiguos. *c.* 3. *h. t. l.* 15. §. 2. *l.* 25. §. 6. *ff. l.* 8. *C. Eod.* Ratio punctualis est: quia pensio, seu merces locationis constituitur in compensationem fructuum ex re conducta percipiendorum. Ergo naturali rationi quàm maximè convenit, ut si nulli, vel pauci fructus percipiantur, nil etiam, vel parùm mercedis præstetur ne periculum damni penes solum Conductorem maneat, Locator verò semper securus sit.

Aſt sunt nonnulli casus, in quibus remissio mercedis locum non habet. *Primus est*, si ob præcedentium, vel subsequentium annorum, sive mediatam, sive immediatam fertilitatem præsentis anni damnum Conductori illatum compensetur. *d. c.* 3. *h. t. l.* 8. *C. Eod.* Imò si ob præsentis anni sterilitatem Locator precibus Conductoris commotus pensionem eidem remiserit, potest nihilominùs elapso illo pensionem remissam repetere, si annis sequentibus magna ubertas eveniat, *d. l.* 15. §. 4. *ff. l.* 18. *C. h. t.* Lest. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 24. *dub.* 3. *n.* 19. Interim Conductor si convenerit cum Locatore de pensione in singulos annos remittenda, prospicere sibi potest speciali pacto, ut si sterilitas contingat, non compensetur fertilitate aliorum annorum. Stryk. *de cautel contr. sect.* 2. *c.* 9. §. 15.

Secundus casus est, si damnum ex sterilitate proveniens sit modicum: etenim cùm hoc facilè compensari possit commodo aliàs percepto, haud opus est remissione mercedis. Quodnam autem damnum modicum, aut immodicum dicatur: non convenit inter DD. Aliqui volunt immodicum esse damnum, si pars tertia fructuum deperdita, quod tantùm attendendum putat Ruin *l.* 1. *consil.* 81. *n.* 3. vel cùm semen jactum non recipitur, vel etiam quando Colono detracto semine, & deductis impensis tot fructus non supersunt, ut dimidiam partem solvendæ pensionis adæquent.

Henric.

Hentic. Caniſ. *ad c. 3. h. t.* Brunn. *ad l. 25. ff. Eod.* Verior ſententia eſt, quòd circa æſtimationem ſterilitatis communis, & circumcolentium opinio conſideranda ſit. arg. *l. 1. ff. de Jure delib.* Gail. 2. *obſerv. 23. num. 1.* Menoch. *de Arbitr. Judic. lib. 1. caſu 66.*

Tertius eſt, ſi Conductor ſpeciali pacto periculum ſterilitatis in ſe ſuſcepit: hoc quippe pacto fruſtra contra pactum remiſſionem deſiderat. *l. 9. §. 3. ff. h. t.* quia pacta dant legem contractui. *l. 23. ff. de R. J.* & ſi per ſe iniqua non ſint, ad amuſſim ſunt ſervanda. Gail. 2. *obſerv. 23. n. 17.*

Quartus, ſi non certa, & determinata penſio, ſed quota fructuum, puta quarta, tertia, aut dimidia pars pendenda eſt: tunc námque Colonus partiarius quaſi jure ſocietatis & damnum & lucrum ſine ſua culpa contingens cum Locatore, ſeu domino fundi partitur. *l. 25. §. 6. ff. h. t. l. 52. §. 3. & 4. ff. Pro ſocio.* Menoch. *conſil. 669. n. 12. & ſeqq.* Mantic. *de Tac. & ambig. convent. l. 5. tit. 2. num. 29. & ſeqq.*

Quintus caſus exceptus eſt, ſi ſterilitas culpâ Conductoris contingat. *d. l. 15. §. 2. ibi: cui reſiſti non poteſt, & l. 25. §. 3. ff. h. t.* Molin. *de J. & J. tr. 2. diſp. 495. n. 13.* Hinc ille, qui vites non debitô modô, aut tempore intorto ſtramine veſtivit, remiſſionem petere non poteſt, licèt illo anno ſterilitas. vel ſimilis calamitas ſecuta ſit. per *d. l. 15. §. 3.* Porrò culpæ Conductoris & illud annumeratur, ſi propter inimicitas ejus vicinus arbores exciderit. *d. l. 25. §. 4.* Gail. 2. *obſ. 23. n. 21.*

Sextus caſus eſt, ſi ſterilitas ſit conſueta, vel oriatur ex vitio ipſius rei, ejúsque intrinſeca qualitate. ſæpe *d. l. 15. §. 2. ff. h. t.* nam ſibi imputet Conductor, qui futuram ſterilitatem ſcit, vel ſcire debet, neque tamen de illa ſibi proſpicit. arg. *l. 9. §. 1. ibi: quia hoc evenire poſſe. ff. Eod.* Franck. *ibid. n. 101.*

Allatæ rationes dubitandi ejus momenti non ſunt, ut quem in aſſenſum movere poſſint. Ad *l. 15. §. 5. ff. h. t.* reſpondet Caniſ. *ad h. t. n. 5.* eam de modica exiguitate, non verò de læſione immodica accipiendam eſſe. Quod attinet comparationem locationis cum emptione, ea non eſt univerſalis per tradita DD. *ad pr. Inſt. h. t.* Et verò cùm in Venditione hoc inter partes agatur, ut Venditor rem Emptori ita tradat, ut eam habere liceat non ſolùm quò ad uſum ejus, ſed etiam quò ad ipſam rem, id eſt, poſſeſſionem, & dominium, omne quoque commodum, & incommodum ad ipſum pertinere debet. §. 3. *J. de Empt. & vend.* non etiam ad Conductorem, ſiquidem ad hunc ex natura locationis ſolùm uſus transfertur, non dominium, aliúdve jus in re. *l. 39. ff. h. t. l. 32. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.*

Controvertitur II. an è contrario ob fertilitatem ſolitô majorem, & notabile lucri incrementum penſio, ſeu merces conventa augeri poſſit? 22

Affirmativa quidem æquitatis ſpeciem habere videtur ideo: quia ob ſterilitatem, & notabile decrementum fructuum penſio eſt imminuenda. Ergo etiam ob inſperatum fructuum incrementum eſt augenda: cùm contrariorum eadem ſit ratio. arg. *l. 1. ff. de his, qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Everhard. *in loco à contrariis. n* 40. & natura dictet, commoda cujúsque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. *l. ſecundùm naturam. 10. ff. de R. J.* Accedit textus in *l. 2. C. de Alluv. & paludib.* ubi penſio præſtari jubetur pro modo agri, eóque nomine reſolvitur, ſi beneficio alluvionis incrementum fundo acceſſerit, quòd plus penſionis à poſſeſſore ſit præſtandum. Hinc Bartol. in *l. ſi merces 25. §. vis major. ff. h. t.* ſcribit, ob ampliorem redditum mercedem majorem exigi poſſe ſi molendinum quis conduxerit, & impetu aquarum vicina alia ſint deſtructa. Cui conſentiunt

sentiunt Gomez. 2. *var. resol. c.* 3. *n.* 18. Sichard. in *l.* 8. *C. h.t.* Bonacin. *tr. de Contract. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 3. *n.* 11.

Negativam propugnat Canis. *h. t. num.* 9. Zoës. *ad ff. Eod. num.* 22. Bachov. ad Treutl. *vol.* 1. *disp.* 29. *th.* 7. *lit. E.* Molin. *de J. & J. disp.* 495. *n. ult.* & alii, quibus subscribo fretus *l.* 25. §. 6. *ff. h.t.* ubi JCtus ait, quòd modicum damnum æquo animo ferre debeat Colonus, cui immodicum lucrum non auferatur. Deinde quia de uno saltem casu in jure legitur, quòd augmenti sit habenda ratio nempe si propter calamitatem annorum præcedentium remissa fuerit pensio. *l.* 15. § 4. *ff. l.* 8. *C h.t.* ergo extra hunc casum augmenti nulla planè habenda est ratio, quandoquidem inclusio unius est exclusio alterius arg. *l.* 12. *pr. ff. de Judic.* Surd. *dec.* 133. *num.* 11. Et hanc sententiam verissimam censeo, si augmentum lucri, ac fructuum provenerit, non à natura, nempe à benignitate temporis, vel benevolo cœlorum influxu, aut fortunæ clementia, sed ab industria Conductoris, fortè quia majore diligentia rem conductam coluit, aut melioramentis insignibus eam instruxit: ex quo illud incrementum fructuum est fructus propriæ industriæ, adeóque ad eum pertinet, qui industriam adhibuit. Molin. *de J. & J. disp.* 719. *num.* 4. Less. *eod. tr. lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 2. *n.* 8. & plures alii.

Nec inflector argumentis contrariis: etenim primum nihil concludit, quia diversa est causa ubertatis & sterilitatis, nec eadem in Conductore quæ in Locatore favoris & æquitatis ratio: nam Conductor ob magnam sterilitatem ingens damnum subit, fertilitas verò & lucrum notabile nemini præjudicat, cùm Locator pensionem sibi debitam non amittat; inde æquitas suasit, ut Conductori de damno certanti subveniretur, non verò Locatori solùm lucrum captanti juxta *l.* 33. *ff. de R. J.* ubi dicitur: in eo, quòd vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri facturus est, durior causa est, petitoris. Ad *l.* 2. *C. de Alluv. & palud.* respondetur, eam non de pensione locationis, sed de tributis loqui, à quibus ad pensionem ex locatione debitam non ducitur idoneum argumentum: quoniam tributum est onus agri: merces verò onus personæ; tributa penduntur à Possessoribus pro modo agri, adeoq; si hic augmentum recipiat, ipsa quoque augentur: merces verò præstatur à Conductore juxta modum, seu formam, & legem in contractu dictam, quæ non mutatur, licet bonitas rei conductæ incrementum sumpserit.

II. Conductor re uti tenetur, ut bonum pater-familias decet. §. 5. *Inst. l.* 25. §. 3. *ff. l.* 3. *C. h. t.* & inde si culpâ Conductoris seræ, fenestræ, fornaces, & similia fracta sint, vel domus culpâ illius combusta, aut res conducta deterior facta fuerit, damnum resarcire debet. *l.* 43. *ff. h. t. l.* 2. *ff. In quib. caus. pign. vel hypotheca. contrah.* Nec refert, sive damnum illud ex culpa propria Conductoris, sive ex culpa suorum famulorum, vel domesticorum acciderit. *l.* 11. § *fin. l.* 30. §. *fin. ff. h. t. l.* 27. §. 9. *ff. Ad leg. Aquil.* Tenetur autem Conductor non nisi de culpa lata. & levi. *l.* 9. §. 3. *l.* 13. §. 1. *ff. h. t. l.* 28. *C. Eod. l.* 23. *ff. de R. J.* non obstante §. 5. *Inst. h. t.* qui diligentiam talem, qualem *diligentissimus pater-familias* suis rebus adhibet, in Conductore desiderat: nam ibi superlativus *diligentissimus* positus est pro positivo, vel textus loquitur de tali Conductore, qui se obligavit ad custodiam rei exactissimam. Clariss. DD. Weigler in *disp. de Oblig. ex consensu, q.* 37.

III. Conductor intra tempus conductionis non potest à contractu recedere, & si recedat, tenetur nihilominùs ad totius temporis pensionem: nisi fortè domum conductam habitare non possit, quia aut ruinam minatur, aut à spectris infestatur. *l.* 18. *C. h.t.* vel aliam justam, & probabilem causam habuerit, defe-

rendi

endi rem conductam, ut est metus belli, contagionis &c. quibus casibus tantùm obligatur ad pensionem pro rata. *l.* 27. §. 1. *l.* 55. §. 2. *ff. Eod.* Gail. 2. *observ.* 23. *n.* 7.

IV. Tenetur Conductor finitâ locatione rem conductam restituere, nec quæstionem dominii refricare valet, ut ad literam disponit text. in *l. si quis.* 25. *C. h. t.* ibi: *si quis conductionis tempore agrum, vel aliam quamcúnque rem accepit, possessionem prius restituere debet, & tum de proprietate litigare.* Celsus *dec.* 358. *n.* 2. Quodsi Conductor nolit rem restituere, cùm tamen possit, juratur contra eum in litem, & tanti condemnatur, quanti Actor in litem juraverit. *l.* 48. §. 1. *ff. l.* 34. *C. h. t.* Sin verò non possit rem restituere, interest, an dolo desierit posse? & idem dicendum est; an culpâ? & tunc saltem tenetur, quanti interest. *l.* 2. §. 1. *ff. de in litem jurando.* aut denique casu; & ad nihil obligatur.

24 *Effectus remotus* locationis conductionis est actio locati, & conducti. *Actio locati* datur Locatori, & ejus hæredibus contra Conductorem, & ejus hæredes ad mercedem solvendam, & præstandum omne id, quod præstari æquum est. *Actio Conducti* datur Conductori, & ejus hæredibus contra Locatorem, & ejus hæredes ad concedendum liberum usum rei, & præstandum omne id, quod æquum est.

§. IX.

25 *Contraria* Locationis conductionis sunt causæ, ac modi, quibus finitur, aut dissolvitur quod fit I. mutuo consensu. §. *fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.* non morte unius contrahentis, cùm locatio ad hæredes transeat. *l.* 10. 29. & 34. *C. h. t.* II. Lapsu temporis præfiniti: quia ad tempus concessa post hoc elapsum censentur negata. *l.* 13. §. *fin. ff. h. t.* III. ex *l* 2. *C. de Rescind. vend.* cujus beneficium ob læsionem ultra dimidium in hoc contractu obtinere. *supra n.* 15. insinuavimus IV. si res locata ante finitam locationem vendatur juxta tritum illud: **Kauf gehet vor Miethe**; Emptor enim, aut quivis alius successor singularis præcisè locationi ab alio factæ stare non tenetur. nisi eo pacto rem acquisierit. *l.* 9 *C. h. t. l.* 32. *ff. Eod.* Covar. 2. *Var. resol. c.* 15. *n.* 1. licèt Venditor Conductori ad interesse maneat obstrictus. *l.* 25. §. 1. *ff. h. t. l.* 9. *C. Eod.* Berlich. *p.* 2. *concl.* 45. *n.* 10. V. si Locator, vel hæres ejus probaverit, rem locatam propter supervenientem, & ante non prævisam causam propriis usibus esse necessariam; ut si domus, in qua habitabat, incendio perierit, vel si uxorem duxerit, & familiam habere incipiat: quippe tunc Conductorem remissâ pro rata temporis pensione expellere licet, nisi Locator juri expellendi expressè renuntiaverit. *c.* 3. *in fin. h. t. l. ade* 3. *C. Eod. & ibi* Interpp. VI. Idem juris est, si domus locata indigeat reparatione necessariâ, nec illa fieri queat, nisi inquilino expulso, ac emigrante. *d. c.* 3. *h. t. l.* 35. *ff. & d. l.* 3. *C. Eod.* Finitâ tamen refectione domus Conductori ad finiendum locationis contractum restituenda est. Joan. Frid. Rhetius *ad Inst. differt.* 21. *tit.* 25. *posit.* 25. VII. si Conductor re locatâ malè utatur, vel eam culpabiliter, & notabiliter deteriorando, vel inducendo in domum conductam lenones, scorta aut fures. *d. c.* 3. *h. t. & l. ade.* 3. *C. Eod.* Sichard. *ibid. n.* 10. Menoch. *de Arb. Jud. casu* 78. *per tot.* Quo casu nihilominùs integram mercedem solvere tenetur per *auth. qui rem ejusmodi C. de SS. Eccles.* Bocer. *class.* 2. *D.* 4. *th.* 35. VIII. si Conductor Locatori mercedem conventam constituto tempore, vel si certum solutionis tempus non fuit adjectum, intra biennium non solverit: tunc námque Locator pœnitere, & Conductor expelli potest. *d. c.* 3. *in fin. h. t. l. ade* 3. *C. Eod.* & hoc, tametsi pactum de non expellendo interpositum fuerit *l.* 54. §. 1. *l.* 56. *ff. h. t.*

PARS II.
De Emphyteusi.

SUMMARIA.

26. Emphyteusis etymologia. 27. Homonomya. 28. Definitio. 29. 30. 31. Divisio. 32. Origo. 33. 34 35. Quinam concedere, qui accipere possunt emphyteusim? 36. 37. In quibus rebus constitui debeat? 38. An scriptura sit de substantia emphyteusis? 39. Quis sit ejus finis? 40. usque 47. Quinam effectus? 47. & seqq. Quibus modis finiatur?

§. I.

26 EMphyteusis Græcis idem est, quod *insertio*, aut *implantatio*, notatione à causa finali desumpta, eóque synecdochica est, scilicet à præcipua agriculturæ parte. Vult. *ad §. adeò 3. Inst. h. t. n. 2.* Dissentiunt Accurs. & Schneidew. *ibid.* qui emphyteusim interpretantur *melioration*em.

§. II.

27 *Acceptionem* emphyteusis quoque variam incurrit. Aliquando sumitur pro ipsa re emphyteutica: Sæpius pro jure in re emphyteutica constituto, quod vocatur jus meliorationum, vel eponematum. *l. 2. C. de Jure emphyt.* jus perpetuarium *l. 1. C de Offici. Comit. sacri palat.* jus vectigalis, aut jus agrorum vectigalium. *t. t. ff. Si ager vectigal. l. 15. §. 1. ff. qui satisd. cog.* vernaculâ ein Erb-Lehen / Erb-Bestand / Erb-Recht / Erb-Zinß Gut / Baur-Lehen / Hof-Gut. Nobis potissimùm denotat contractum, den Erb-Zinß Contract. in quo sensu.

§. III.

28 *Definitur* emphyteusis, quòd sit contractus consensualis, bonæ fidei, quo prædium alteri utendum fruendum conceditur pro certo canone in recognitionem directi dominii annuatim solvendo. P. Engel *h. t. n. 11.*

§. IV.

29 *Dividitur* emphyteusis I. in Ecclesiasticam, & civilem, seu sæcularem. *Ecclesiastica* dicitur, cùm bona Ecclesiæ; *secularis*, cùm res profanæ seu publicæ, seu privatæ in emphyteusim conceduntur. *l. 14. & auth. perpetua. C. de SS. Eccles. l. 1. C. de Jure emphyt.* Et hæc divisio ex rerum, non personarum qualitate desumpta est, neque enim omnis, quam Ecclesia concedit, emphyteusis Ecclesiastica dici potest, sed necessum est, ut de rebus ad Ecclesiam pertinentibus constituatur.

30 II. *Dividitur* emphyteusis in perpetuam & temporalem: enimverò quamvis emphyteusis ex sua naturâ exigat perpetuitatem, ità ut quàm diu pensio solvitur, nec ab Emphyteuta, nec ab hæredibus auferri possit, §. 3. *Inst. h. t.* proinde in dubio, ubi simpliciter emphyteusis conceditur, neque pactis specialibus naturam ejus alteratam esse constat, omnino perpetua, & ad quoscunque hæredes transitoria judicari debeat juxta Harp. *ad d. §. 3. Inst. h. t. n. 94.* id tamen de essentia non est, sed ex conventione contrahentium fieri potest, ut emphyteusis ad certas duntaxat generationes, & pro solis descendentibus ex primo Acquirente, exclusis hæredibus extraneis, vel etiam ad dies vitæ, aut ad certos annos duret, ac constituatur. *Novel. 120. c. 5. & 6.* Imò emphyteusis Ecclesiastica, nisi expressè de hæredibus mentio fiat, præsumitur tantùm ad vitam constituentis; vel certè non nisi usque ad tertiam generationem data juxta *Novel. 7. c. 3.* quam quoad hoc per *Novel. 120. c. 6.* correctam non esse, solidè demonstrat. P. Engel. *h. t. n. 14.*

31 III. *Dividitur* emphyteusis in hæreditariam, & non hæreditariam, seu familiarem, quam Itali appellant *ex pacto*, vel *providentia*. *Hereditaria* est, in qua solùm possunt succedere hæredes, sive ii filii sint, sive extranei. *Non hæreditaria*, seu *familiaris* nuncupatur, in qua succedunt solummodo filii, seu liberi, etsi ii hæredes non sint, sed patris hæreditatem repudiaverint. Bartol. in *l. ut*

Juris-

jurisjurandi §. *si liberi n.* 4. *ff. de Oper. libert.* Jason. *in l.* 2. *C. de Jure emphyt. num.* 210. Covar. 2. *Var. resol. c.* 11. *n.* 2. Censetur autem Emphyteusis *hæreditaria*, si Emphyteutæ concedatur *pro se, & hæredibus*; ex quo hæredum nomen generale est, & extraneos quoque hæredes continet. *pr. &* § 1. *Inst. de Hæred. qualit. & differ. Familiaris* verò, seu *de providentia*, quando conceditur *pro se & filiis, & descendentibus*, non facta mentione hæredum. Julius Clar. §. *emphyteusis. q.* 16. Covar. *cit. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 4.

§. V.

32 *Causa efficiens* emphyteusis est duplex: remota, & proxima.

Remota est jus: sed quale, an jus Gentium, vel Civile.

Plerique contractum emphyteuseos ad jus Civile referunt: partim quia naturam suam à Jure Civili habet. §. 3. *Inst. h. t.* ibi: *lex Zenoniana lata est, qua emphyteuseos contractus propriam statuit naturam*: partim quia per legem Zenonis Emphyteusi nova forma est superaddita. *l.* 3. §. 1. *C. de Jure Emphyt.* ibi: *sed hoc jus tertium constituimus.* Georg. Widmann *de contract. tit.* 13. *n.* 3.

Alii econtra Emphyteusin atribuunt juri Gentium, eò quòd non solùm apud Romanos, verùm alias quoque Gentes ante constitutionem Zenonis emphyteusis usus receptus fuerit. Sic Aristot. *lib.* 2. *œconom.* scribit, Bizantios, cùm exhausto ærario pecuniis indigerent, fundos publicos certâ mercede locâsse, fertiles ad tempus, steriles in perpetuum. Quin id ipsum satis ostendit emphyteusis affinitas cum contractu emptionis & locationis tanta, ut alterius species videretur, cùm alias, si Emphyteusis fuisset Juris Civilis, discrepantia facile patuisset. Clariss. DD. Weigler *in Disp. de Oblig. ex consens. th.* 22. *lit. C.* cum Harp. *ad d.* §. 3. *n.* 17. *Inst. h. t.* Mihi sub distinctione utraque opinio placet: *Prima*, si naturam contractûs emphyteutici consideres: *Altera*, si hujus contractûs substantiam contempleris: quandoquidem in juridica acceptione se inter discrepant, *natura, & substantia: Natura* enim mutari potest re integrâ manente. *l.* 23. *ff. de R. J. Substantia* verò, quia ponit rem in quidditate. *l.* 72. *pr. ff. de contrah. empt.* non recipit mutationem absque rei interitu, *l.* 27. *ff. de R. J.* Zeno itaque emphyteusim solummodò distinxit, & separavit ab aliis contractibus, eique nomen appellativum tribuit, ac accuratiùs, quàm ante factum, illius naturam explicatam dedit. *d. l.* 1. *C. de Jure emphyt.* substantiam tamen & formam longè ante Zenonis tempora habuit.

33 *Causa efficiens proxima* emphyteuseos ea est is, qui eam concedit, & qui eam accipit. *Concedens* salutatur *Dominus emphyteuseos, vel Dominus directus*, Grund-Herr/ vel Zinß-Erb-Herr. *Accipiens* indigitatur *Emphyteuta, aut Emphyteuticarius* germanicè Zinß-Mann/ Erb-Rechter/ Erb-Bestander/ Hübner. *l.* 1. & 3. *C. de Jure emphyt.*

34 Porrò *concedere* emphyteusim in genere possunt omnes, quibus præter dominium competit libera rerum suarum administratio, & alienandi facultas: in specie id possunt Civitates. *l.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. si ager vectig.* item Collegia Ecclesiastica, & Ecclesiarum Prælati, sed cum Canonum solennitatibus. *c.* 5. *de Reb. Eccles. non alien. Novel.* 7. *c.* 3. & privatus quilibet. *l.* 1. 2. & 3. *C. de Jure emphyt.* Econtra Pupilli, & minores, quia liberâ alienandi facultate non pollent, non adhibitâ Tutoris, vel Curatoris authoritate, & decreto Magistratûs non interveniente, prædia sua in emphyteusim alicui dare prohibentur. *l.* 3. §. 5. *ff. de Reb. eor. qui sub tutel. l.* 4. *l.* 13. & *t. t. C. de Præd. min. sine decr. non alien.*

35 *Accipere* emphyteusin possunt omnes, quibus non est interdictum commercium sive

sive sint mares, sive fœminæ, cùm ea, quæ emphyteusis requirit, & fœminæ præstare possunt. Zoës. *ad ff. h. t. n.* 59. Georg. Widman. *de Contract. tit.* 13. *n.* 17. Pupilli tamen & Minores, Tutorum, ac Curatorum suorum authoritatem, & consensum adhibeant, oportet, ne pactis, & conditionibus addi solitis fortè nimiùm obstringantur. arg. *l.* 18. § 2. *C. de Jure delib. l.* 32. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

§. VI.

36 *Materia, seu Objectum* emphyteusis est ex una parte res, quæ in emphyteusim conceditur; ex altera pensio, quæ frequentiùs *canon*, vulgò ein Stifft/ oder Grund-Dienst/ ein jährliche Gülde/ vocitatur.

37 *Res*, in qua constituitur emphyteusis, debet esse immobilis, puta ager, sive fundus, primitus quidem tantùm incultus, sive sterilis, & desertus: siquidem hoc fine initio contrahebatur, ut res steriles & incultæ culturâ, & satione fructuosæ, aut meliores redderentur. *l.* 2. & 3. *C. de Jure emphyt. & ibi* DD. postea verò etiam cultus, & fertilis, ut probat textus in §. 3. *Inst. h. t.* in illis verbis: *de prædiis, qua perpetuò quibusdam fruenda dantur*: & declarat optima legum interpres consuetudo. Præterea non tantùm prædia rustica, ut olim, sed & urbana in hunc contractum veniunt, utpote quibus finis emphyteuseos, qui melioratio est, competere potest. *l. si finita* 15. §. 26. & 27. *ff. de Dam infect. auth. si quas ruinas. C. de SS. Eccles. Novel.* 120. *c.* 1. *§.* 3. Nec refert, si prædia ejusmodi sæcularia sint, sive Ecclesiastica, ita tamen, ut Ecclesiastica de novo non aliter, quàm concurrente cum justa causa canonicâ solennitate, in emphyteusim dari queant, cùm emphyteusis sit quædam species alienationis. *c. hoc jus.* §. *perpetua causâ* 10. *q.* 2. *cap.* 13. *causâ* 12. *q.* 2. *c. nulli.* 5. *de Reb. Eccles. alien. Extravag. ambitiosa Eod. inter comm.* Sanè in rebus mobilibus vix est, ut emphyteusis constitui possit: ex quo usu non meliorantur, sed aut pereunt utendo, aut fiunt deteriores. Zoël. *ad ff. h. t. n.* 60. Perez. *ad C. de Jure emphyt. n.* 3. nisi fortè sint res solo emphyteutico cohærentes, ut sunt fructus pendentes, servi glebæ adscripti, &c. Harp. *ad d.* §. 3. *Inst. h. t. n.* 143. *& seq.*

Canon, seu annua pensio I. debet esse vera, II. certa, & III. debet solvi in recognitionem dominii directi; in quo ultimo differt emphyteusis à locatione conductione, in qua merces non ita solvitur, sed in compensationem usûs rei, vel operæ hominis. IV. aliqui requirunt, ut pensio ista consistat in pecunia arg. *l.* 1. §. 9. *ff. Depositi. l.* 25. §. 6. *l.* 46. *l.* 51. & 58. *ff. h. t.* Sed malè; quamvis enim emptio & venditio sine pretio & pecunia valere nequeat, ut dictum, idémque de locatione & conductione, quippe quæ iisdem juris regulis innititur, haud improbabiliter non pauci sustineant, nihilominùs de Emphyteusi id nullibi constitutum reperitur, sed contrarium potiùs ex *cit.* §. 3. *Inst. h. t.* & *ex l.* 2. *C. de Jure emphyt.* colligitur, ubi mentio fit pensionis, seu redditus, quod vocabulum generale est, omne, quidquid ex re venit, complectens. Canon itaque etiam in vino, tritico, ovis, gallinis, aliisque rebus rectè constituitur, néque opus est, ut fructibus rei proportionetur, videmus enim interdum valde exiguum, v. g. pro integro fundo duntaxat aliquot ova, vel gallinas dari. Imò pro uno nummo emphyteusin concedi posse, docet Jason in *l.* 1. *n.* 3. *C. de Jure emphyt.*

§. VII.

38 *Forma* Emphyteusis stat in consensu mutuo super prædio concedendo ad utendum fruendum, & canone eo nomine in recognitionem dominii directi solvendo.

Hic multorum ingeniis agitata se offert *quæstio*: an instrumentum, seu literæ emphyteuseos

reuseos, Erb-Zinß-Brief/ sint de substantia hujus contractûs.

Affirmativam communiter teneri, & in judicando tenendam esse, asserit Jul. Clar. §. *emphyteusis. q.* 4. *&* 15. *ob l.* 1. *C. de Jure emphyteut.* in qua Zeno imperator rescripsit, quòd *cuncta, qua inter utrasque contrahentium partes super omnibus, vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scripturâ interveniente habitis placuerint, firma, illibatáque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri.* Ecce! Imperator vult contractum valere *scriptura interveniente.* Ergo nisi scriptura intervenerit, contractus non valet: etenim duo illi ablativi absolutè positi important conditionem: *si scriptura intervenerit. l. à testatore* 109. *ff. de Condit. & demonstr.* & DD. *in* §. *fin. Inst. de Nupt.* conditio autem implenda est in forma specifica. *l.* 44. *&* 55. *ff. de Condit. & demonst.* & nihil ponit in esse, sed contractum suspendit, donec existat. *l.* 169. §. 1. *ff. de R. J.*

Negativam tuentur Panorm. *in c. potuit.* 4. *h. t.* Zoës. *ad ff. Eod. n.* 55. Perez. *ad C. n.* 2. Clariss. D.D. Weigler *disp. de Oblig. ex consensu. q.* 43. & plures alii, eò quòd Emphyteusis sit ex ordine contractuum consensualium. §. 3. *inst. h. t.* quorum nullus per se loquendo ad sui valorem exigit scripturam. *l.* 4. *ff. de Fide instrum.* Neque Zeno Imp. *in cit. l.* 1. *C. de Jure emphyt.* definivit, scripturam necessariò intervenire debere tanquam formam essentialem, sed respexit ad id, quod frequentiùs contingit. Illa autem regula *de duobus ablativis absolutè positis* non est lex, sed procardicon DD. nec universaliter obtinet, sed tunc solùm, si id patiatur subjecta materia, id quod arguitur ex recitato textu *d. l.* 1. *nam pactionibus habitis* etiam sunt duo ablativi absoluti: quis verò dixit, vel dicet, eos hic importare conditionem, & facere, ut pactiones requirantur ad substantiam emphyteuseos. Accedit, quòd emphyteusis 30. vel 40. annorum præscriptione acquiri possit arg. *l.* 3. 4. *&* 6. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* ad præscriptionem autem scripturâ opus non esse, notius est, quàm ut dici debeat.

Alii distinguunt inter Emphyteusin Ecclesiasticam, & sæcularem, & quò ad hanc inter emphyteusim privatorum, & Civitatum. In emphyteusi sæculari privatorum nullam requirunt scripturam; secùs in emphyteusi Civitatum. Mevius *p.* 3. *dec.* 289. Struv. *exerc.* 11. *tit.* 66. sicut & in emphyteusi Ecclesiastica, cùm omnes alienationes Ecclesiasticæ in scriptis fieri debeant. *c. ea enim.* 2. §. *hoc jus. causâ* 10. *q.* 2. *c. sine exceptione.* 52. *causâ* 12. *q.* 2. *Novel.* 7. *in fin. præfat. Nov.* 120. *c.* 5.

Ego cumprimis attendendum statuo ad locorum consuetudines, & statuta, utpote quæ juri communi derogant; prout in statutis Bavaricis *tit.* 21. *a.* 3. expresè provisum & constitutum est, emphyteusim non aliter, nisi documentis literariis probari posse, teste Georg. Widman. *tract. de Contract. tit.* 13. *n.* 20.

§. VIII.

Finis præcipuus emphyteuseos est, ut agri 39
inculti, & steriles per culturam meliorentur. vel jam aliquo modo exculti conserventur. Wesenbec. *in Parat. ff. Si ager vectig.*

§. IX.

Effectus emphyteusis est vel proximus, vel 40
remotus. *Proximus* est obligatio tum concedentis, tum suscipientis emphyteusin.

Concedens, seu Dominus directus obligatur I. ad præstandam Emphyteutæ rei emphyteuticæ possessionem, & dominium utile retentô dominô directô. §. 3. *Inst. h. t. l.* 2. *C. de Jure emphyt.* II. ad resarcienda damna quæ ex vitio rei, quod ipse scivit, & reticuit, passus est Emphyteuta. Ludwel. *ad Inst. disp.* 13. *th.* 8. *lit. D.*

41 *Accipiens, seu Emphyteuta* obligatur I. ad meliorandam rem, ac fundum in emphyteusim concessum, ita ut finitâ emphyteusi nec impensas meliorandi causâ factas repetere possit, hòc ipsò quòd ex natura contractûs eas facere debuerit. *l. 2. C. de Jure emphyt. Novell. 7. c. 3. §. scire autem* junctâ *l. 55. §. fin. ff. h. t. & ibi* Zoës. *n.* 114. In quo differt Emphyteuta à Conductore, qui repetit, si quid in rei melioratione, non fructuum duntaxat gratiâ, impendit. *l. 15. §. ult. l. fin. ff. Eod.*

42 II. Obligatur Emphyteuta ad annuum canonem, si hunc anticipatò tribus, aut quatuor annis offerat, Dominus directus non cogitur talem solutionem recipere, sed potest præcisè inhærere contractui, & in fine cujusque anni pensionem exigere. Speculator *tit. de Emphyteusi n.* 44.

43 *Scrupulô* non caret: utrùm ob sterilitatem, aut alium casum fortuitum Emphyteutæ exemplo Conductoris remittenda sit pensio? Negat Jason. *in l. 1. n.* 18. *C. de Jure emphyt.* per illum textum, & communiter DD. eò quòd regulariter in emphyteusi canon solvatur in recognitionem dominii, quod manet; in locatione verò pensio præstetur ob utilitatem rei, & ratione fructuum. Ego referre existimem, an canon impositus sit exiguus, an magnus, & fructibus correspondens? Priori casu non remittitur; secus casu posteriori, siquidem tunc emphyteusis proximè accedit ad locationem conductionem. Struv. *Syntagm. jur. Civil. exere.* 24. *th.* 34. Gail. 2. *obs.* 23. Carpz. *p. 2. c.* 38. *defin.* 19.

44 III. Emphyteuta, si emphyteusim alienet, Domino directo pro susceptione novi Emphyteutæ laudemium, den An- oder Zufall/ vel, ut alibi vocatur, das Pfund-Geld solvere tenetur, veluti in compensationem ejus damni quod dominus ex immutatione personæ sentire posset. Carpzov. *p. 2. c.* 39 *def.* 11. cujus quantias *in l. 3. C. de Jure emphyt.* est quinquagesima pars pretii, quò æstimatur emphyteusis, ut scilicet de singulis quinquaginta florenis unus, & de singulis centenis duo pendantur; secundùm consuetudinem autem variat, & alibi vigesima, alibi decima pars solvenda est, in dubio tamen recurrendum est ad jus commune. Vid. P. Engel. *h. t. n.* 12.

IV. Emphyteuta finitâ emphyteusi *obliga-*45 tur ad restituendam rem emphyteuticam, & ad resarcienda damna dolò, aut culpâ ejus latâ, aut levi in emphyteusi data per *l. 7. §. 2. ff. Commod. & l. 23. ff. de R. J.*

Effectus remotus emphyteuseos ex parte46 utriusque est *actio emphyteuticaria*, quâ uterque contrahentium agit ad consequendum id, quod ex pacto, vel natura hujus contractûs debetur.

§. X.

Contraria emphyteuseos sunt modi, qui-47 bus finitur. Finitur autem

I. Lapsu temporis, ad quod concessa est: quia ad tempus concessa, eò lapsò censetur denegata. *l. 1. in fin. l. fin. ff. Si ager vectig.* Zoës. *ad ff. h. t. n.* 73. At transacto tempore an emphyteusis ad instar conductionis ex taciturnitate utriusque partis renovata videri debeat; *ambigitur*; probabilior tamen est negativa, quòd hic majus versetur præjudicium, quàm in locatione: & in juris illius, seu utilis dominii continuationem Dominum consentire, non facilè præsumendum sit. Fachin. 1. *Controvers.* 84.

II. Extinctâ generatione, ad quam emphy-48 teusis data est. Quo casu emphyteusis ad Dominum directum pleno jure, & ita revertitur, ut de ea liberam facultatem disponendi habeat, eámque vel pro se retinere, vel cuicunque pro arbitrio concedere valeat: neque enim tenetur proximo prioris Emphyteutæ cognato potiùs, quàm extraneo eam deferre, seu, ut loquuntur refirmare: utpote cùm hoc fine

sine terminus adjectus sit, ut res ad Dominum revertatur, qui jure suo liberè uti potest arg. *l. 11. C. h. t. l. in re mandata* 21. *C. Mandati. Novel. 7. c. 3.* Clarisl. D. D. Weigler *Disp. de Oblig. ex consens. q. 46.*

49 III. Totali ipsius rei emphyteuticæ interitu, ut si ager casmate, vel diluvio pereat *l. 1. in fin. C. de Jure emphyt.* ideo: quia res, quæ non est, non potest habere accidentia. Partis interitus nocet Emphyteutæ, qui nihilominùs canonem conventum integrum præstare cogitur. *§. adeo 3. J. h. t. d. l. 1. in fin.* Ex quibus apertè colligitur, infortunia, quæ rei accidunt, nec omnino eam destruunt, ad Emphyteutam spectare, atque adeò propter illa non eximi à solvenda pensione. Quod ipsum innuunt vulgares illi rithmi:

Si perit res tota, non dolet Emphyteuta
Sed si pro parte, nullâ se liberat arte.

50 IV. Dilatâ solutione canonis, seu pensionis annuæ: etenim si Emphyteuta in emphyteusi Ecclesiastica per biennium, in sæculari per triennium continuum in solutione canonis cessaverit, à toto jure, quod in re emphyteutica obtinet, cadit. *c. fin. h. t. l. 2. C. de Jure emphyt.* licèt nunquam fuerit interpellatus per *jus citat.* & tantùm unus nummus solvendus fuisset: quandoquidem solutio non in quantitate pensionis, sed in recognitione dominii sita est, in qua cessatio longior posset inducere oblivionem emphyteuseos. Clarus §. *Emphyteusis. q. 8. n. 3. in fin.* In emphyteusi tamen Ecclesiastica moram celeri satisfactione purgare permissum est. *d. c. fin. h. t.* ex eo, quòd jus in ea ob brevitatem temporis durius agat. Fachin. 1. *controv. c. 98.* Covar. 1. *Var. resol. c. 14. num. 14.* P. Engel *h. t. num. 18.* Cæterùm caveat Dominus, si ad caducitatem agere velit, ne canonem *futuri temporis* postea oblatum recipiat; si enim receperit, caducitati renuntiâsse censetur. *l. penult. ff. de Lege Commiss.* etiamsi protestatus fuerit, se canonem salvô jure suô recipere. Besold. *p. 2. consil. 45. n. 33.* Surdus *consil. 86. n. 14.* Rosenthal. *de Feud. c. 6. conci. 62. lit. H.* Aliud dicendum, si receperit, vel exegerit canonem temporis præteriti. Brunneman. *ad d. l. 2. C. de Jure emphyt.* Zoës. *ad ff. h. t. n. 82.*

V. Finitur emphyteusis, si Emphyteuta 51
eandem Domino irrequisito contra prohibitionem *c. fin. h. t. & l. fin. C. de Jure emphyt.* vendiderit, subsecutâ tamen traditione, quâ intermissâ res non dicitur alienata. *l. alienatum 67. ff. de V. S.* Necquicquam autem juvat emphyteutam, si factâ venditione, rem statim redimat. arg *l. 10. & 21. ff. de Fideic. libert. 2. Feud. 44. c. un.* Satis namque est, jus Domino semel apertum esse, nec emphyteuta, accedente pœnitentiâ, nocens esse desinit. *l. 16. ff. de Furtis.* Harpr. *ad Inst. h. t. n. 450.* Dissentiunt valde probabiliter alii per *c. fin. h. t. & c. 6. de Reb Eccles. non alien.* Pro parte alienatâ emphyteusi, quoad illam saltem Emphyteutam privatione puniri posse arbitror per text. 2. *Feud. 38 cap. 1.* quia pœna commensuranda est delicto. *l. sancimus. C. de Pœn* Zoës. *ad ff. h. t. num. 98.* Planè si Emphyteuta Domino venditionem denuntiaverit, & ille emere recusaverit, vel post denuntiationem per bimestre tacuerit, citra metum commissionis emphyteusin vendi posse, textus est in *l. fin. C. de Jure emph.*

VI. Culposâ, & insigni rei deterioratione, 52
utpote ob quam Emphyteuta omni suo jure cadit; *Novel. 120. c. 8. & auth. qui rem. C. de SS. Eccles.* ut si arbores fructiferas etiam, quas ipse posuit, incideret, aut sylvas extirparet, & in locum earum vineas supplantaret, vel agros substitueret. Gail. 2. *obs. 67. n. 7. & 11.* Clariss. D. D. Weigler *disp. de Oblig. ex consens. q. 54.* Et quamvis *cit. Novel. & auth.* de sola emphyteusi Ecclesiastica loquatur, à DD. tamen obrationis paritatem ad sæculare quoque extenditur, cùm in utraque res

utenda, non abutenda, melioranda, non deterioranda detur. Zoës. *ad ff. h. t. n.* 110. Sed hoc ita, si deterioratio facta sit latâ, aut levi culpâ, non leviſſima, arg. *l.* 5. *§.* 2. *ff. Commod.* & ut tota emphyteuſis non amittatur, ſi pars tantùm deterioretur. Mynſing. *centur.* 6. *obſerv.* 86.

VII. Finitur emphyteuſis per conſolidationem dominii utilis cum directo per §. *finitur. Inſt. de Uſufr.* In domino autem, an in Emphyteuta, vel etiam tertia perſona dicta conſolidatio contingat, parùm refert.

TITULUS XIX.

De rerum permutatione.

SUMMARIA.

1. Permutationis diverſa acceptio. 2. Definitio. 3. origo. 4. quinam permutare poſſint? 5. uſque 10. Quæ res permutari poſſint, quæ non? 10. 11. Adducuntur requiſita permutationis. 11. Quis ſit permutationis finis? 13. 14. Quinam effectus?

ETiam per *permutationem* dominium transfertur, eáque proximè accedit emptioni-venditioni, imò ejusdem ſpecies eſſe dicitur in *l.* 2. *ff. l.* 2. *C. h. t.*

§. I.

1 *Permutatio* accipitur vel generaliter, vel ſpecialiter. Generaliter accepta plerosque contractus involvit, & reducitur ad contractum innominatum *do, ut des*, Gloſſ. & Sichard. *ad Rubr. C. h. t. n.* 3. Specialiter verò ſumpta denotat peculiarem contractum innominatum, vulgò ein Tauſch. In qua acceptione.

§. II.

2 *Definitur* permutatio, quòd ſit contractus innominatus, bonæ fidei, per quem una certa ſpecies pro altera vicariâ præſtatione commutatur. *l.* 1. *pr. & §.* 2. *ff. l.* 5. *C. h. t.*

Dicitur, quòd ſit *contractus innominatus*: eſſe *contractum*, probat §. 2. *Inſt. de Empt. & vend.* & *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* Ettæ igitur Ant. Faber *lib.* 6. *conject. c.* 9. qui negat, permutationem eſſe contractum, & dicit, tantùm eſſe cauſam contractûs, ac rerum permutatione contractum fieri. Eſſe autem contractum *innominatum*, apertè colligitur ex *cit. l.* 1. §. 2. & docent Surdus *conſil.* 433. *n.* 30. Weſenbec. in *Parat. ad ff. h. t. num.* 10. Vult. *lib.* 3. *juriſpr. c.* 41. quidquid contradicat Corraſius 1. *Miſcellan.* 23. *n.* 4. Quamvis enim permutatio non ſolùm generaliſſimum nomen *do, ut des*, ſed etiam proprium nomen habere videatur, hoc ipſum tamen nomen *permutationis* nimis generale eſt, & plerisque contractibus accommodari poteſt non minùs, quàm nomen reliquorum contractuum innominatorum.

§. III.

Cauſa efficiens permutationis alia eſt remota, alia proxima.

Remota eſt Jus Gentium: cùm ſit contractus antiquiſſimus, ita ut origo emendi, vendendíque ab illo cæperit: unusquisque enim ſecundùm neceſſitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabat, quoniam evenit, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. *l.* 1. *ff. de Contrah. empt.*

Proxima ſunt permutantes. Poſſunt autem 4 permutare, qui alienare: aut qui vel ſunt veri & liberi Domini rerum permutandarum, vel diſpoſitione juris locò Domini habentur. Ratio hujus regulæ eſt: quia permutatio eſt ſpecies alienationis. arg. *c. nulli de Reb. Eccleſ. alien.* Tiber. Decian. *vol.* 3. *conſil.* 55. *n.* 53. cùm ſper illam transferatur dominium. *l.* 4. *C. h. t.* ſi id penes permutantes fuit. *l.* 1. §. 3. *ff. Eod. c.* 6. §. *ad hoc de Except.*

§. IV.

Materia, ſeu *objectum* permutationis ſunt 5 res permutandæ. Poſſunt autem permutari ſpecies, ſeu res certæ, uſu non conſumptibiles,

bles, temporales, propriæ, non alienæ. Pro pleniori intellectu.

Dico I. permutari posse species, seu res certas usu non consumptibiles: nam si species detur pro pecunia, erit *venditio l. 1. ff. h. t.* Si detur quantitas, id est, res fungibilis pro alia quantitate, v. g. frumentum pro frumento, oleum pro oleo, vinum pro vino, erit *mutuum. princ. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* Si genus commutetur cum genere, & quantitas cum quantitate diversi generis, aut species seu res certa usu non consumptibilis cum genere, vel re incerta, aut fungibili; puta si detur frumentum pro vino, Bucephalus pro aliquo equo, vel bove in genere, aut pro certa mensura vini, vel frumenti, non erit *permutatio*, sed contractus innominatus, *do, ut des*: utut enim hoc non adeò clarè in jure expressum sit quòd solummodo inter duas species permutatio esse possit, id tamen receptior DD. sententia sustinet, indéque constat, quòd in *l. 5. C. h. t.* & passim alibi duarum specierum mentio fiat, ut observat Hostiens. in *Summa. h. t. n. 2.* Neque autumes, in re unum, & idem esse, sive contractus *do, ut des*: sive *permutatio* celebretur, nam licèt uterque sit contractus innominatus, tamen *permutatio* est contractus bonæ fidei, non item contractus, *do, ut des* per text. in §. 28. *Inst. de Act.*

6 *Dico* II. permutari non posse res spirituales pro re temporali, puta jurisdictionem spiritualem pro summa pecuniæ, Ecclesiam pro castro, vel prædio, jus patronatûs, eligendi, aut decimandi pro re alia pretio æstimabili: siquidem generaliter permutatio de spiritualibus ad temporalia tanquam simoniaca reprobata est in *c. fin. h. t.* & in *c. fin. de Pactis.* Addidi: *pro re temporali*: quoniam duo Monasteria, quæ habent Ecclesias sibi incorporatas, possunt easdem permutare. *c. ad quæstionem 6. h. t.* Similiter si una Ecclesia habeat jus decimandi in agro alterius Ecclesiæ, aut vicino, & hæc vicissim, possunt invicem propter majorem commoditatem hæc sua jura commutare, servatis tamen solennitatibus ad alienationem rerum immobilium requisitis per *c. nulli. 5. de Reb. Eccles. non alien.* Et generaliter res spirituales pro aliis etiam spiritualibus, vel his annexis permutare licere sine labe simoniæ, tradidimus *ad tit. de Simonia. sub. n. 16.* Verùm hìc

Dubitatur I. An, & quæ beneficia commutari valeant? Sanè ne Clerici privata authoritate beneficia sua permutent, sub pœna privationis ipsô factô incurrendæ (nisi permutantis simplicitati veniam tribui æquitas suadeat. *c. 8. h. t.*) prohibetur *c. 5. & 7. Eod.* attamen cum consensu & authoritate Superioris ea non modò inter se conformia, sed etiam difformia, v. g. beneficium simplex cum curato, dignitatem cum personatu, commendam ad vitam cum titulari, aut etiam unum cum pluribus & validè & licitè commutant. *c. un. h. t. in 6.* Panormit. in *c. cùm olim 7. Eod.* Rebuff. in *Prax. p. 3. tit. de Permutatione. n. 51.* Federic. in *tr. de permut. benefic. q. 6. & seqq.* dummodo beneficia sint permutantium, & permutantes in illis jus in re adepti sint: nam exspectantiam, mandatum, vel nominationem ad beneficium cum præsenti beneficio mutare non licet per *c. fin. h. t. & ibi* Imol. Petr. de Perus. & Florian. in *c. quæsitum 5. Eod.* Matthæus de Afflictis *decis. Nepol. q. 17.* Ampliùs: aliquando Episcopus rectè cogit ad permutanda beneficia, ut si fortè Clericus pro uno beneficio minùs sit idoneus, vel aliàs necessitas, aut utilitas Ecclesiæ id exigat. Panormit. in *d. c. quæsitum. 5. h. t.* Non tamen potest Episcopus beneficia ex causa permutationis resignata alteri, quàm ipsis permutare volentibus conferre, etiamsi adsint Exspectantes, quibus vi gratiæ Papalis beneficium primò vacans conferri deberet, vel etiamsi in mense Papali dicta resig- 7

tio in manus Episcopi fieret, eò quòd ejusmodi beneficia non simpliciter vacent, aut resignentur, sed sub conditione tantùm, si reciprocè unius compermutantis beneficium alteri conferatur. *c. un. h. t. in 6. Clem. un. Eod.* Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 14. *n.* 32.

8 *Dubitatur* II. an in permutatione beneficii pinguis cum tenui excessus proventuum pecuniâ, vel aliâ re temporali pretio æstimabili compensari possit? Videtur, beneficia incorporata secernenda esse à non incorporatis sive ab iis, quæ in titulum concessa sunt. In beneficiis incorporatis id licet. Ut ecce! si duo Monasteria volunt inter se permutare Parochias, quarum una ampliores possessiones, & majores redditus temporales habet, licitum est alteri hunc excessum pecuniâ compensare, & Ecclesiam pauperiorem unâ cum mille aureis pro altera ditiore dare. Optimâ ratione: quia fundi, & possessiones beneficiorum sunt in dominio Monasteriorum, & aliquid separabile à jure spirituali, ideóque pro illis, tanquam rebus merè temporalibus, pecunia absque simonia accipi potest. *c. ad quæstiones 6. & ibi* DD. *h. t.* Econtra in beneficiis non incorporatis, ut si duo Parochi ita velint inter se Parochias suas permutare, minimè licebit redditus inæquales pecuniâ, vel aliâ quavis re temporali compensare, quidquid contradicant Panormit. Cajetan. & nonnulli alii citati à Barb. in *Collect. DD. ad d. c. 6. n.* 1. qui generaliter ex eo textu concludunt, quoties beneficia commutanda quoad redditus inæqualia sunt, posse excessum pecuniâ compleri. Sed malè: cùm enim tales Beneficiati, seu Parochi non habeant dominium possessionum, & fundorum ad Ecclesiam pertinentium, sed titulum duntaxat, seu jus percipiendi exinde fructus, non possunt dare & accipere pecuniam pro fundis, seu possessionibus Ecclesiarum, sed tantùm pro titulo, seu jure exigendi ampliores redditus, quod jus spirituale est, vel saltem spirituali principaliter annexum, & consequenter non potest sine vitio simoniæ pretio æstimari, vel pro re aliqua temporali commutari. arg. *c. si quis objecerit causâ 1. q. 3.* Barb. *loc. cit.* Covar. 1. *Var. resol. c. 5. n.* 8. An illi, qui beneficium pingius pro tenui, maximè ex causa utilitatis Ecclesiæ, dimittit, annua pensio ab Episcopo assignari possit? diximus *supra ad tit. ut Eccles. benefic. sine dimin. n.* 43.

Dico III. non posse permutari res alienas, 9
sed proprias. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* ubi Paulus JCtus scribit: *Pedius ait, alienam rem dantem nullam contrahere permutationem.* Ratio est: quia permutatio præsefert proprietatis, ac dominii translationem; quod autem alterius est, ei ignoranti, & invito auferri, & in alium transferri non potest: ideóque si res aliena data sit, permutatio revera non contrahitur, nec *actio præscriptis verbis*, sed *actio* duntaxat *in factum* inde enascitur, & si res ante completam usucapionem evincatur, aut si ante evictionem is, qui accepit, alienam esse nescierit, quasi permutatio nulla intervenerit, quod à se est datum, ac si nihil sibi traditum fuisset, *conditione causâ datâ, causâ non secutâ*, repetere: *l.* 1. §. 3. junctô §. 4. *ff. h. t. l. ult. ff. de Condict. causâ datâ, causâ non secutâ.* aut verò, si mavult, ad contractûs implectionem, hoc est, rei propriæ traditionem, agere poterit. *l.* 1. *& ibi* Sichard. *n.* 5. *l.* 4. *l.* 5. *l. fin. C. h. t.* Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 30. *th.* 10. *in fin.*

Cæterùm cum debitis solennitatibus permutari possunt etiam res Ecclesiarum: *c. 1. h. t. & ibi* Barb. *c. nulli* 5. *& ibi* Gloss *de Reb. Eccles. non alien.* res Minorum: *l.* 4. *& t. t. C. de Prad. Minor.* res Civitatum & Universitatum. *l. fin. C. de Vend. reb. civil.* Surdus *consil.* 28. *num* 82. item res feudales 2. *Feud.* 55. *cap. Imperialem.* Latè Mantic. *de Tacit. & ambig. convent. lib.* 25. *à.* 3.

§. V.

§. V.

10 *Forma* permutationis est vel generalis, vel specialis.

Generalis consistit in eo, ut conventione factâ de commutanda specie cum specie, id est, re individua cum alia, res ipsa tradatur. *l.* 4. *l.* 5. *C. h. t.* etenim permutatio, sicut omnes alii contractus innominati, non solo *consensu*, sed *re*, id est, *actuali traditione* perficitur: hinc quantumvis duo de rebus suis mutuò commutandis tractent, & conveniant, nondum erit contractus permutationis, sed nudum pactum, ex quo non datur actio saltem de jure civili, ac proinde, si alteruter resilire velit, per nullam actionem ad præstandum interesse compelli potest, juxta textum expressum in *l. explacito.* 3. *C. h. t.* Mantic. *cit. lib.* 25. *tit.* 1. *n.* 1. *&* 2. verùm tunc primùm commutationis contractus esse incipit, si unus saltem rem suam alteri tradat sub spe aliam recipiendi *l* 7. *ff. de Præscript. verb. d. l.* 4. 5. 6. *& fin. C. h. t.* & quamvis permutatio magnam cum emptione & venditione similitudinem habere videatur, in hoc tamen summopere discrepat, quia, ut loquitur JCtus *in l.* 1. *§.* 2. *ff. Eod. emptio, ac venditio nudâ consentientium voluntate contrahitur, permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet;* ex ratione dicta, quòd sit contractus innominatus: nam nudo consensu obligationem constitui, in his duntaxat receptum est, qui nomen suum habent, ut *ibid.* dicitur, & expendit Bartol. in *d. l.* 3. *C. h. t.*

11 *Forma specialis*, seu propria permutationis beneficiorum insuper exigit I. ut Clerici ea resignent in manus Superioris exprimentes, quòd id causâ permutationis faciant. *c. un. h. t. in* 6. Priùs tamen de permutatione facienda inter se tractare, & convenire poterunt, non quidem ut talis permutatio statim pro rata, & firma habeatur, sed dirigendo se in consensum Superioris, in cujus deinde manibus hac de causa beneficia resignare velint. Gloss. *in Clem. un. V. volentibus h. t.* Panorm. *in c. quæsitum. num.* 10. *Eod* II. Ut requirant consensum illorum, qui jus conferendi, eligendi, aut præsentandi habent in talibus beneficiis: aliàs hi de contemptu agere & permutationem annullare poterunt. Imò si hujusmodi permutatio fiat Patronis, vel Collatoribus contradicentibus & invitis, nisi in maximam Ecclesiæ utilitatem vergat, ipso jure nulla erit. Garc. *de Benefic p.* 11. *c.* 3. *n.* 19. *&* 21. Barb. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 69. *num.* 16. Henric. Canil. *in Summ. lib.* 3. *tit.* 8. *§.* 2. III. Ut justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, aut saltem ipsorum permutantium interveniat; ut si Parochus propter infirmitatem, Parochianorum aversionem, vel imperitiam linguæ in loco beneficii utiliter commorari nequeat. Garc. *cit. p.* 11. *c.* 3. *n.* 47. An autem causa justa, vel injusta sit? Superior arbitrabitur. P. Engel *h. t. n.* 5. IV. Ut accedat authoritas Superioris. *c.* 5. 7. *&* 8 *h. t.* scilicet Papæ, aut Episcopi, in cujus Diœcesi beneficia sita sunt *d. c.* 5. Inferior hâc prærogativâ nullatenus utitur, nisi eam præscriptione adeptus fuerit, aut jurisdictionem quasi Episcopalem obtineat. *c. Abbates. in fin. de Privil. in* 6. Gloss. *in Clem. un. h. t.* Rebuff. *in Prax. p.* 3. *tit. de permutatione n.* 20. Quòdsi beneficia compermutanda in diversis Diœcesibus sita sint, necessum erit intervenire utriusque Episcopi authoritatem. Pirrhing. *h. t. n.* 15. Sed ad majus commodum, ac facilitatem alter eorum poterit vicem suam, & potestatem admittendi, ac conferendi alteri Episcopo committere, ut omnia procedant coram uno, eodémque Collatore. Gloss. *in c. un. de Rer. permut. in* 6. V. requiritur, ut, si fiat permutatio coram S. Pontifice, ut simul cætera compermutantium beneficia exprimantur. Rebuff. *loc. cit. num.* 34. ubi asserit, ita à Rota Romana judi-

judicatum, & à pluribus DD. traditum esse. Quapropter, etsi id neget Federicus *tr. de permut. benefic. q.* 18. tutius erit, aut cuncta exprimere, aut clausulam inserere, ut tacita pro expressis habeantur.

§. VI.

12 *Finis* permutationis est, ut subveniatur humanis necessitatibus, & is, qui animô permutandi rem suam dedit, aliam sibi magis utilem recipiat. *l. 4. in fin. C. h. t.*

§. VII.

13 *Effectus* permutationis est duplex: proximus & remotus.

Proximus est obligatio accipientis: dans enim ex sua parte jam sustulit omnem obligationem, habétque jus, antequam pars altera impleat, ut possit liberè pœnitere, rémque datam repetere *conditione causâ datâ, causâ non secutâ*, esto, qui accepit, neque in mora sit, neque in culpa; imò licèt paratus sit ex sua quoque parte implere contractum. *l. 1. 4. & 7. C h. t.* Ubi obiter adverto, hoc jus pœnitendi ei tantùm competere, qui dedit, non etiam hæredi ejus: quia hoc jus, cùm pœnitentia sit voluntatis, personæ defuncti cohæret, nec ad hæredem ejus transit. arg. *l. 8. §. 3. ff. de Libert. legat.*

14 *Remotus est actio præscriptis verbis*: quæ est personalis, bonæ fidei, & ei competens, qui rem suam animo permutanti alteri dedit, ut ipse aliam rem in specie ab eo ex permutatione recipiat. *l. 6. C. h. t.* & si fides contractûs non servetur, interesse præstetur. *l. 1. C. Eod.*

TITULUS XX.

De Feudis.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Feudi onomatologia. 4. Definitio. 5. Usque 19. Divisio. 19. 20. Origo. 21. Usque. 25. Adduntur personæ, quæ dare. 25. usque 33. Quæ accipere possunt feudum. 33. usque 43. Quibus modis acquiratur feudum? 43. Assignantur res, quæ in feudum dari possunt. 44. Forma feudi fiat in petitione investituræ. 45. In ejus solennitate. 46. & juramento fidelitatis. 47. Quis sit finis feudi? 48. usque 51. quinam effectus. 51. & seqq. Quibusmodis feudum amittatur?

CUm per contractum feudalem utile dominium transferatur, sicque res quodammodo alienetur præcedentibus titulus *de Feudis* subjicitur.

§. I.

De etymo feudorum tanta inter DD. est va- 1
rietas, ut ferè dicere queas, tot hìc esse sententias, quot capita; probabilior tamen est, feudum ab Italorum vocabulo *fede*, quod Latinis *fides, seu fidelitas*, est, denominari, atque id ipsum titulus Vasallorum, quô insigniuntur, liebe / getreue / probat. Rosenthal *c. 1. de Feud. concl. 7. l. 1.*

§. II.

Synonymicè feudum sæpiùs *beneficium* nun- 2
cupatur. 1. *Feud. 1. §. 2. & 4. 1. Feud. 14. in pr.* unde & Vasallus *beneficiarius, beneficiatus, aut inbeneficiatus* salutatur. Interdum feudum appellatur etiam *gratia*. Stryk *in Exam. jur. feud. c. 2. q.* 10. Germanicè dicitur ein Lehen à verbo leyhen / quod significat aliquid utendum fruendum concedere, ut ut alii aliunde derivent. Ludwel, *Synops. feud. c. 2.*

§. III.

Quoad *homonymiam* vox feudi aliquando 3
sumitur pro ipso negotio, seu actu, quô jus feudi contractu feudali interveniente inter dominum & Vasallum constituitur, Lehens Contract, Lehens-Geding. 2. *Feud. 3. §. 1. 2. Feud. 23.* Nonnunquam pro ipsa re, quæ in feudum datur, Lehen-Gut. 1. *Feud. 4.* juncto 2. *Feud. 8. princ.* Hinc passim legimus, feudum mutari, alienari, oppignorari. Nec iste modus loquendi insolitus est: nam servi-

servitutes, census, & jura prædiorum prædia indigitat Celsus in *l. quid aliud* 86. *ff. de V. S.* Sæpissimè pro jure feudali, quod Vasallo à Domino in suis rebus conceditur, cum obligatione fidei, & obsequii ein Lehens-Gerechtigkeit. Vult. *de Feud. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 9. Ita in præsenti accipitur, &

§. IV.

4 *Definitur* feudum, quòd sit jus in re aliena immobili, vel æquipollenti perpetuò eâ utendi fruendi, sub conditione fidei, & obsequii benevolè concessum. Colligitur ex §. *ult.* 2. *Feud.* 23. junctô §. 1. *Inst. de Usufr.* Stryck. *in Exam. jur. feud. c.* 2. *q.* 11.

§. V.

5 Summa feudi *divisio* est in feudum *proprium*, seu *rectum*, & in *improprium*, seu *non rectum*, vel *obliquum*.

Proprium est, quod nulla in parte à communi, ac consueta feudi ratione recedit, sed naturalia sua ubique salva, nec ullâ pactione restricta retinet. 1. *Feud.* 7. & 2. *Feud.* 2. videlicet, quod constituitur in re immobili, vel æquivalente, ita ut dominium utile in accipientem transeat, & quidem in perpetuum, ut in hæredes (non tamen fœminas, legitimos tantùm, vel naturales tantùm, aut ascendentes) transmittatur: ut fidelitas jurata, servitiáque præstentur personalia, investitura post mortem Domini renovetur: alienatio nonnisi Domino consentiente fiat. Quæ, & nonnulla alia feudi naturalia exponit Wurmser *de Feud. impr. class.* 3. *sect.* 1. *num.* 16. Contra Feudum *improprium* dicitur, quod aliqua sui parte à communi feudorum ratione degenerat arg. *c* 1. *tit.* 21. *Feud.* 1. ut si naturæ feudi vel ipsâ Juris feudalis dispositione, vel pacto & conventione, vel etiam statuto, aut locali consuetudine quid detrahatur; quando enim salvis feudi naturalibus aliquid adjicitur, quod regulariter feudo non coharet, id improprium feudum non efficit, Ludwel *Synops. feud. c.* 4. Porro in dubio, an feudum proprium sit, vel improprium? præsumitur proprium. §. *hoc autem.* 1. *Feud.* 1. §. *præterea.* 2. *feud.* 2. in tantum, ut licèt feudum naturam suam propriam in uno, atque altero deposuerit, in cæteris tamen eam retinere dicatur. 2. *Feud.* 48. §. *qualitercunque* Vult. *de Feud. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 94. Zasius *p.* 12. *n.* 19. & alii.

Feudum *proprium* multifariàm *dividitur.* 6
I. Ex persona Domini feudum dantis in *nobile*, & *ignobile*, seu *plebeium.* 2. *Feud.* 10. & 53. *Nobile* ex, quod ex conferentis potestate, & voluntate nobilitat. *Ignobile*, cujus concessio est defectu vel potestatis, vel voluntatis in concedente accipieni non confert nobilitatem. Vult. *de Feud. c.* 8. *n.* 9. & *seqq.* Ut tamen feudum nobile censeatur, interdum voluntas tacita, & præsumpta sufficit, tum nimirum, ubi Princeps aliquem de Ducatu, Marchionatu, Principatu, vel Comitatu investiêrit: eò ipsô enim cum Ducatu Ducem, cum Marchionatu Marchionem, cum Principatu Principem, cum Comitatu Comitem, adeóque Nobiles fecisse præsumitur arg. *tit.* 10. *Feud.* 2. Vult. *d. c.* 8. Obrecht. *de Feud. disp.* 2. *th.* 17. & *seqq.*

Nobile rursus *subdividitur* in *regale*, & *non* 7
regale. arg. *tit.* 14. *pr. Feud.* 1. *Regale* (Germanicis ein Fahnen-Lehen / eò quòd investitura vexillô fieri soleat, dictum) est, quod à S. Principe cum dignitate regali conceditur; cujusmodi feuda sunt *Regnum*, *Electoratus*, *Ducatus*, *Marchionatus*, *Principatus*, *Comitatus*, & hodiernis Germaniæ moribus *Patronatus*, qui Comitatui æquiparatur. Zas. in *Epit. feud. p.* 5. *n.* 29. *Non regale* est, quod dignitatem vel omninò nullam, vel saltem regali inferiorem annexam habet, sive deinde ab Imperatore, sive ab inferioribus Principibus jus nobilitandi habentibus detur. Vultejus *de Feud. d. c.* 8. *n.* 10.

8 II. Ex persona Vasalli acquirentis feudum dipescitur in *novum & vetus*. arg. *tit. 3. feud.* 2. *Novum* est, quod Vasallus possessor ipsemet primùm, & novâ investiturâ, vel præscriptione acquisivit. *Vetus* autem, quod ab alio acquisitum per successionem ad eum pervenit. Et siquidem venerit à Progenitoribus intra quatuor gradus agnationis, scilicet à Patre, Avo, Proavo, vel Abavo, vocatur feudum *paternum* ein Vätterliches Lehen. 1. *Feud.* 8. Si verò à Majoribus ultra quartum gradum v. g. à Tritavo acquisitum sit, propriè *antiquum*, seu *avitum* ein Stammen-Lehen oder alt Vätterliches Lehen / indigitatur. Borcholt. *de Feud. c.* 4. *n.* 2. Sed quoniam feudum *paternum* & *antiquum* promiscuè ponuntur, ut 1. *Feud.* 4. §. 2. & 12. 2 *Feud* 11. §. *his verò*. neque quoad effectus uris differunt, ideò subdivisionem hanc, tanquam inutilem rejicit Vult. *cit. c.* 8. *n.* 12. cum aliis. Illius autem distinctionis inter *novum*, & *vetus*, seu *antiquum* maxima est utilitas, ut enim alias omittam, quas refert Gail. 2. *observ.* 50. in feudo *novo* nulli collaterales, sed soli filii, & nepotes succedunt, in *antiquo* autem etiam fratres, & omnes collaterales respectu ultimi possessoris, dummodo ex primo acquirente descendant, succedere possunt. 1. *Feud.* 1. *c. un.* §. 2. Deinde feudum *novum* à Vasallo renunciatum, vel absque Domini consensu alienatum redit ad Dominum, *antiquum* verò devolvitur ad filios, vel agnatos, qui alias post mortem Vasallo renuntianti, aut alienanti succederent. 2. *Feud.* 26. *c.* 1. Zasius in *Epit. feud. p.* 9. *num.* 29. *in fin.*

9 III. Ratione materiæ, seu objecti feudum *dividitur* in *Ecclesiasticum*, & *saculare*. 2. *Feud.* 35. *c. un. Ecclesiasticum*, germanicè ein Krumbstäbisch / vel Krumbstabs-Lehen / propriè dicitur, quod ab Ecclesiarum Prælatis in bonis ad Ecclesiam spectantibus constituitur, sive deinde accipientes Clerici sint, sive sæculares. Bocer. *tr. de qualit. & differ. feud. c.* 2. Vult. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 19. E contra sæculare est, quod à Principibus, & Dominis sæcularibus, aut etiam Ecclesiasticis, de bonis tamen patrimonialibus, & temporalibus, datur, etiamsi detur Episcopis, vel Monasteriis arg. *c. ex transmissa. de For. compet.* ubi Pontifex *sæculare* feudum appellat illud, quod Clericus à Domino sæculari possidet. Bocer. *d. c.* 2. Interim communiter feuda Ecclesiastica dicuntur, & contra feuda sæcularia distinguntur tam feudum ab Ecclesia *acceptum*, quam ab Ecclesia *datum*, eò quòd utrumque in jure feudali specialiter privilegiatum reperiatur: quandoquidem feudum propriè *Ecclesiasticum*, sive ab Ecclesia *datum* illud peculiare obtinet, quòd coram quibuscunque testibus concedi possit, cùm ex adverso in feudo sæculari investitura nonnisi coram Paribus Curiæ, ist est, coram Vasallis ab eodem Domino feudum habentibus, fieri, nec per alios testes facta probari queat. 1. *Feud.* 26. *pr.* Feudum ab Ecclesia *acceptum*, sive Ecclesiæ datum, licet à Domino sæculari, illud speciale habet, quòd propter delictum, & infidelitatem Episcopi, vel Abbatis amittatur quidem, & ad Dominum redeat, quam diu delinquens in prælatura manet, verùm eò mortuô, aut depositio Successori illius restituendum est: cùm delictum Prælati non debeat nocere Successoribus, vel ipsi Ecclesiæ. 2. *Feud.* 40. & DD. *ibid.*

10 IV. à forma dividitur feudum proprium in *ligium*, & *non ligium*. Cujac. 2. *Feud* 55. Rosenthal *de Feud. c.* 2. *concl.* 4. *n.* 6. *Ligium*, quod *à ligando*, seu *ligâ* dictum, illud est, quô Vasallus Domino fidelitatem præstat contra quemcunque alium, nemine prorsus in toto orbe excepto. 2. *Feud.* 99. *c. un.* Quapropter hujusmodi feudum nonnisi à summis Principibus superiorem non recognoscentibus dari potest, cùm aliàs dantis superior neces-

necessariò excipi deberet. Item nemo potest à duobus Principibus hujusmodi feuda ligia accipere, ut in *eod. c. un.* habetur, & arguitur ex *l.* 5. 6. 15. *ff Commodati.* Ratio est, quia impossibile est, duobus promittere fidelitatem contra omnes alios, sed dum uni promittit, necessariò alterum, cui similiter jam obligatus est, excipere debet. Feudum *non ligium* vocatur, ex quo Vasallus Domino ita fidelitatem debet, ut tamen alteri ex eadem, vel alia causa similem fidelitatem præstare valeat: nam exceptò feudò ligiò non repugnat, aliquem duo, vel plura feuda à diversis Dominis recognoscere, & ita plurium Dominorum Vasallum esse per text. in *cit. c. un.* 2. *Feud.* 99. P. Engel *h. t. n.* 11. ubi notat, feudum non censeri ligium, nisi expresè de hoc conveniatur, etiamsi à Principe datum sit, eò quòd singularis ista obligatio sit præter naturam feudi.

11. V. Ab effectu quidam feudum proprium dividunt in feudum *familiæ*, seu *ex pacto & providentia*, & in feudum *hæreditarium*, seu *patrimoniale*. Feudum *familiæ*, vulgò Stammen-Lehen/ illud dicitur, in quo tantùm Masculi per legitimum matrimonium à primo acquirente descendentes jure agnationis, & sanguinis succedunt; cujusmodi sunt omnia feuda propriè dicta, & esse præsumuntur, ubi de specialibus pactis non constat per *tit.* 2. *in fin. Feud.* 2. Bocer. *de qualit. & different. feud. c.* 5. *n.* 36. Vult. *de Feud. d. c.* 8. *n.* 32. Feudum *hæreditarium*, ein Erb- und Erbschafft-Lehen est, in quo per specialia pacta receditur à providentia, & dispositione juris communis feudalis, nec solùm filii, & agnati à primo Acquirente descendentes, sed etiam quicunque hæredes extranei in testamento instituti succedere possunt; cujusmodi censetur, si in investitura dicatur: *Tibi, & hæredibus quibuscunque feudum concedo.* Fachin. *lib.* 7. *controv. cap.* 6. Sed hoc ad feuda *impropria* spectat, cùm non ex propria feudi natura, sed ex pacto convento ad hæredes extraneos descendat, arg. *tit.* 13. §. *etsi clientulus. Feud.* 1. Porro ex his duobus constitui potest feudum *mixtum*, si v. g. in investitura dicatur: *Tibi, & filiis tuis hæredibus &c.* quo casu non poterit filius repudiatâ hæreditate paternâ petere feudum: ex quo copulativè ad successionem in tali feudo mixto requiritur, aliquem & filium, sive agnatum, & hæredem esse, quod aliàs in feudo familiæ propriè dicto necessarium non est. Vide text. in *tit.* 45. *Feud.* 2. *& ibi* DD. Vult. *c.* 8. *n.* 30. Fachin. *lib.* 7. *Controv. c.* 5.

12. *Improprii* feudi species variæ occurrunt. Potissimæ & præcipuæ sunt sequentes.

Prima est feudum *fœmineum*, ein Weiber- oder Kunckl-Lehen/ quod fœmina primitùs acquisivit, sive cujus primus acquirens fœmina fuit arg. *tit.* 30. & 50. *Feud.* 2. Et hoc opponitur feudo masculino, ein Manns-Lehen/ quod à masculo primùm acquisitum est, seu cujus primus acquirens fuit masculus. Sunt tamen, qui etiam illud feudum *fœmineum* appellent, quod masculo eo pacto collatum est, ut etiam fœminæ succedere possint. Sed displicet hæc opinio: cùm feudum fœmineum in *c. un.* 2. *Feud.* 50. in verbis: *nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum:* expresè illi feudo opponatur, quod ex pacto ad fœminam transit. Vult. *lib.* 1. *de Feud. c.* 8. *n.* 3. Rosenthal in *Synops. feud. cap.* 2. *concl.* 7. Quia verò ad feudi naturalia pertinet, ne fœminæ succedant. 1. *feud.* 8. *in pr.* utrumque tam fœmineum, quàm in quo ex pacto fœmina succedere potest, *improprium* est, & de utroque notabile, quòd, licèt etiam fœminæ capaces sint hujusmodi feudi, semper tamen masculi præferantur, & fœmina nunquam admittatur, nisi masculis omninò deficientibus, per textum expressum in *c. un.* 2. *feud.* 30.

13 *Altera* improprii feudi ſpecies eſt feudum *francum*, iſt eſt, liberum ein Frey-Lehen / in quo Vaſallus nulla ſervitia præſtare tenetur. Vult. *de Feud. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 50. Borcholt. *c.* 4. *n.* 20. *&* 32. Propterea autem hoc feudum *improprium* ſalutatur, quòd naturale feudi ſit, ut illius ratione Domino ſervitia præſtentur. 2. *feud.* 23. Illud verò feudum, quod *certi ſervitii* eſt, id eſt, de quo Vaſallus Seniori certum & determinatum ſervitium præſtare tenetur; veluti ut Domino bellum gerenti duos, trésve equites mittat: ut menſæ Domini inſerviat: ut Dominum vel Dominam comitetur, quamvis feudis impropriis accenſeant Roſenthal. *cit. c.* 2. *concl.* 65. *num.* 3. Zaſ. *p.* 12. *n.* 13. Schard. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 12. & alii; magis tamen eſt, ut feudum *certi ſervitii* feudum proprium ſtatuam: cùm enim *d. t.* 23. *Feud.* 2. feudum proprium definiatur, & tandem hæc ſubjiciatur qualitas, ſive *ſervitium illud nominatim, quale eſſe debeat, expreſſum ſit.* utique apparet, naturam feudi hanc eſſe, ut vel ad certum & determinatum, vel incertum ſervitium conſtituatur. Quod ipſum colligitur ex *tit.* 51. *Feud.* 2.

14 *Tertia* improprii feudi ſpecies ponitur feudum *emptivum* arg. *tit.* 23. *Feud.* 2. ubi feudiſta feudum per beneficium definit; quæ ſanè definitio illi feudo, quod pretiô emitur, non videtur competere. Vult. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 45. Borcholt. *c.* 4. *n.* 26. Nihilominùs exiſtimem cum Sam. Stryck. in *Examin. jur. feud. c.* 4. *q.* 14. feudum emptitium potiùs proprium, quàm improprium eſſe: tum quia non eſt illa vera feudi definitio, ſed qualiscunque deſcriptio: tum quia beneficium etiam emi poſſe, dicitur apertè in *tit.* 20. *feud.* 1. ſicut & beneficium illi rei, quæ pretiô comparata eſt, adhærere dicitur in *l.* 3. *in fin. ff. de Obſequiis parent. & patron. præſt.* tum quia nullo juris feudalis textu hoc requiſitum neceſſariò exigitur, ut feudum gratuitum eſſe debeat, ſed in arbitrium Domini concedentis confertur, quamvis honore, & amore Domini potius, quam ſub prætextu pecuniæ feuda acquirenda eſſe minimè negem. arg. *tit.* 27. *Feud.* 1. tum demum, quia aliàs vix in tota Germania reperietur feudum proprium, cùm omnia ſint emptitia, teſte Bocer. *de Qual. feud. c.* 4. *num.* 62.

Quarta ſpecies feudi improprii eſt *feudum pignoratitium*, ein Pfand- oder wiedrloßlich Lehen / quando Dominus pro credita ſibi ſumma pecuniæ cum reſervata ſibi reluendi facultate aliquem inveſtit. Vult. *de feud. c.* 8. *n.* 46. *& ſeqq.* Scharder. *de feud. p.* 2. *c.* 4. *n.* 57. Ideò autem *improprium* feudum dicitur, quia non conceditur hâc intentione, ut perpetuò apud Vaſallum maneat, ſed donec Dominus pretium reſtituerit: hinc & à quovis hærede, etiam fœmina, tam diu, donec pretium reſtitutum ſit, detineri poteſt. Struv. *de feud. c.* 4. *Aphor.* 14. Klock. *tom.* 3. *conſl.* 150. *n.* 56.

Quinta ſpecies eſt feudum *hæreditarium*, ſi germanicè ein eigenthumlich Lehen-Gut / quod ita datum eſt, ut in eô jure hæreditario, atque ſecundùm diſpoſitionem Juris Civilis, non verò ex providentia Juris feudalis ſuccedatur; quô de paulò ante *n.* 11.

Sexta eſt feudum *de camera*, & *de Cavena*: quorum illud eſt beneficium, quod alicui ex ærario, ſeu fiſco Domini pro ſuſtentatione, quamdiu vivit, aſſignatur, ein Cammer Lehen. *tit.* 1. *feud.* 2. hoc verò, quod Dominus alicui è cella ſua, horreo, vel penuario conſtituit, Kuch- oder Keller-Lehen. Roſenthal. *c.* 2. *concl.* 30. impropria autem dicuntur partim quia ſolùm ad tempus conſtituuntur; cùm tamen feudi natura ſit, ut in re immobili conſtituatur. *tit.* 1. *&* 23. *in fin. Feud.* 2. nec ad tempus, ſed in perpetuum concedatur. *tit.* 1. *Feud.* 1. Zaſius *p.* 12. *n.* 31.

Septi-

Septima est feudum *soldata*, cùm scilicet alicui non ex certa Camera, vel Cavena, sed simpliciter annua pecunia, vinum, aut frumentum sub obligatione fidelitatis, ac servitiorum conceditur: quippe hoc non solùm morte accipientis, sed etiam morte dantis expirat, ac propterea feudum *personalissimum* dicitur; de quo est textus 2. *feud.* 10. Sam. Stryck. in *Exam. jur. Feud. c.* 4. *q.* 61.

18 *Postrema* improprii feudi species sunt feudum *guardiæ*, & *gastaldiæ*: Illud dicitur, quod Dominus alicujus castri, vel territorii pro custodiendo illo castro, vel territorio alicui ad dies vitæ, vel ad certum tempus concedit. 1. *Feud. tit.* 2. Hoc verò, quod procuratori, vel gubernatori domûs, aut aliarum rerum pro gubernatione assignatur. *d. tit.* 2. *Feud.* 1. Borcholt. *de feud. c.* 4. *divis.* 8. Hujus feudi Gastaldiæ species sunt feudum *advocatiæ* Vogtey-Lehen / *Decaniæ* Zehend-Lehen / & cujuscunque officii publici jure feudi collati Hof-Lehen / Struv. in *Exam. jur. feud.* 4. *q.* 30. Schrader. *de feud. p.* 2. *c.* 3. *n.* 24. Recedunt autem à natura feudi in eo, quòd non sint perpetua, nec transmittantur ad hæredes, sed tamdiu durare soleant, quamdiu illorum officia, quorum intuitu constituuntur. Zasius *p.* 12 *c.* 1. ubi bene notat, hac in parte observandam esse loci consuetudinem; nam in Ducatibus, & Principatibus Germaniæ passim officia *Pincernæ*, *Dapiferi*, *Marescholi*, & *Camerarii* cum feudis annexis perpetua esse, & ad hæredes masculos transire, adeóque juri communi in hoc per consuetudines derogatum fuisse, in propatulo est.

§. VI.

19 *Causa efficiens* feudi duplex est: remota, & proxima.

Remota est jus feudale, quod ex consuetudinibus, seu moribus Longobardorum, non ex jure Romano, aut alio antiquiori ab incertis Authoribus conscriptum est. arg. *tit.* 10. *Feud.* 1. *& tit.* 1. *Feud.* 2. Clariss. D.D. Woller in *quæst. select. jur. q.* 4. *per tot.* Unde hodiedum jus consuetudinarium censetur, & Libri feudorum consuetudines feudorum; 2. *feud.* 2. usus feudi: 2. *Feud. tit.* 10. *&* 101. usus regni: 1. *Feud.* 15. 2. *Feud.* 82. usus curiarum: 2. *Feud.* 103. & usus feudorum passim à DD. in allegationibus indigitantur. Excipiuntur quædam constitutiones Lotharii, Conradi II. & III. & Friderici I. Impp. quas Hugolinus JCtus Libris feudorum adjecisse dicitur, quæque ad jus scriptum pertinent.

20 *Interrogari* hîc solet: quam authoritatem Libri feudales in Imperio obtineant?

Ecquidem extra dubitationis aleam est, constitutiones Impp. juris authoritatem habere, cùm quod Principi placuit, legis habeat vigorem. *§.* 6. *Inst. de J. N. G. & C.* Fuerunt tamen olim, qui cæteris consuetudinibus omnem authoritatem denegârunt: tum quòd majori ex parte complectantur decisiones Gerhardi Nigri, & Oberti de Orto, qui Doctores ac Consules Mediolanenses fuerunt, & legis condendæ potestate caruerunt; tum quòd consuetudines illæ sint particulares, Italorum maximè Mediolanensium, adeóque legibus Romanis nihil præjudicare, nec in foro Romano obligare possint. Ita relati apud Fachinæum *lib.* 7. *controv. c.* 2.

Verùm communi Recentiorum calculo Libri feudales authentici reputantur, & in Imperio eâdem in causis feudorum, quâ leges scriptæ in aliis, auctoritate pollent: sine dubio ideo: quia Impp. quorum est leges generales condere, decisiones feudales multis in locis, illic detrahendo, hic addendo, alibi ratificando haud obscurè confirmârunt, ut patet ex *tit.* 13. *Feud.* 1. *tit.* 44. *&* 53. *Feud.* 2. ipsique SS. Pontifices in pluribus Decretalibus comprobârunt, veluti in *c. ceterum de Judiciis.*

ciis c. verùm. c. ex transmissa de Foro compet. præcipuè verò, quia à sæculo decimo quinto consuetudines illæ in Germaniæ foris, & Academiis sine contradictione allegatæ, atque usu Germanis communes factæ sunt; siquidem consuetudo, quæ judiciò populi recepta, & frequenter in eodem controversiarum genere servata est, pro lege custoditur. *l. 32. §. 1. ff. de Legib. l. 1. C. quæ sit longa consuet.* Clariss. D.D. Woller in *Quæst. select. jur. q. 8. n. 10. & seqq.* Struv. in *S. J. F. c. 1. th. 7. n. 4.* Vult. *de Feud. lib. 1. c. 1. n. 6.* P. Engel. *h. t. n. 1.* ubi concludit jus feudale non tantùm sæculares, sed & Clericos, qui feuda possident, ratione illorum bonorum feudalium obligare per *c. 6. & 7. de Foro compet.*

Planè, quòd Libris feudorum plenam authoritatem attribuerimus, id accipiendum est de *capitibus ordinariis*, quæ occurrunt in *Libro I. & II. feudorum* usque ad titulum 58. inclusivè. *Capita* enim *extraordinaria*, quæ operâ Cujacii, & aliorum adjecta sunt, dubiæ sunt authoritatis, cùm non perinde ut priora, usu sint recepta Clariss. DD. Gletle in *Jurispr. fundam. dissert. præamb. §. 3. num. 2.* Hinc quoties cum capitibus ordinariis conveniunt, vel ad ordinariorum explicationem faciunt, vel casum in ordinariis non decisum continent, allegari possunt, non verò, si ordinariis contrarientur. Clariss. D.D. Woller *cit. q. 8. n. 15.* Struv. *cit. th. 7. n. 10.* Samuel Stryck. in *Exam. jur. feud. c. 1. q. 22.*

21 *Causa efficiens* proxima feudi spectatur partim in personis *dantibus* & *accipientibus* feudum: partim in *modis*, quibus acquiritur.

Circa *dantes* regula traditur, quòd omnes feuda dare possint, quibus libera rerum administratio competit. *tit. 3. Feud. 2.* Unde

Inter personas *Ecclesiasticas* feuda dare, & constituere possunt I. S. Pontifex, qui non solùm sua, & Apostolicæ Sedis, sed etiam omnium Ecclesiarum inferiorum bona infeudandi potestatem habet; ex quo penes S. Pontificem rerum, bonorum, & jurium ad quascunque Ecclesias, aut religiosa loca pertinentium suprema, & generalis administratio existit. Bald. *ad tit. 1. Feud. 1. S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1.* Zasius *in Epit. Feud. p. 5. num. 44.* & quidem interveniente justâ causâ sine omni solennitate Felin. *ad c. ad audientiam de Rescript.* quamvis teste Matthæo de Afflict. *ad tit. 1. Feud. 1. n. 19. & 20.* ut in aliis rebus arduis, ita etiam in majoris momenti infeudationibus Cardinalium consilium adhibere soleat.

II. Inferiores Prælati, & Clerici, qui de 22
bonis suis patrimonialibus æquè ac laici aliis quocunque modo feudum conferre possunt, *2. Feud. 35.* de rebus autem Ecclesiæ citra consensum Capituli tum demum, si antiquitus consuetudo fuerit, eas in feudum concedere *1. Feud. 1. in pr.* aut olim infeudati solitæ fuerint. *c. fin. h. t. 2. Feud. 35.* Gail. 2. *observ. 161. n. 3.* & alii laudati à Rosenthal *de Feud. c. 4. concl. 21.* eo saltem casu, quo eædem causæ, propter quas res talis primitus in feudum dari cœperit, adhuc perdurant. Text. & DD. in *cit. c. fin. h. t. Extravag. ambitiosa. de Reb. Eccles. non alien. inter Comm.* & Nos supra *Eod. tit. n. 12.*

Inter personas *sæculares*, eminet *Imperator* 23
Romano Germanicus, qui non solùm de bonis propriis, & patrimonalibus, sed etiam de feudis Imperii vacantibus alios investire potest; ita tamen, ut hodie regalia, & majoris momenti feuda Imperii, so etwas mercklisches eintragen / als Fürstenthümer / Grafschafften / Städe und dergleichen / sine præscitu, & consensu Electorum ohne Vorwissen der Chur-Fürsten / in feudum dare, aut eo nomine *exspectantias*, ut vocant, concedere nequeat, sed illorum redditus ad Imperii usus, si quando vacent, servandi sint.

Ca-

Capitulatio Caroli V. *art.* 24. Ferdinandi II. *art.* 28. Ferdinandi III. *art.* 23. Ferdinandi IV. *art.* 20. Leopoldi. *art.* 30. & Josephi *art.* 29. Certè Ditionum hæreditariarum, der Erb-Länder / feuda majora rectè etiam citra consensum Electorum concedit.

24 Præterea *Principes*, *Marchiones*, *Comites*, & *Barones*, item *Civitates Imperiales*, bona sua in feudum dare posse, expeditum est. 1. *Feud.* 1. *in princ.* Num verò etiam *Plebeii*, & *Rustici* de bonis suis feuda constituere, & vasallos acquirere queant? rationem dubitandi suggerit *tit.* 1. & 7. *Feud.* 1. & *tit.* 10. *Feud.* 2. ubi certæ personæ enumerantur, quibus feuda dare licitum, nec tamen Plebejorum fit mentio. Nihilominùs quòd possint, intrepidè affero: quandoquidem textus præallegati abrogantur *tit.* 3. *Feud.* 2. nec etiam JCtorum propositum fuit, illis in locis personas habiles recensere, sed tantùm ostendere, quis dicatur *Dux*, *Marchio.* ut rubrica, & textus ostendunt. Ad hæc cùm Vasalli minimi (qui plebeii sunt *tit.* 10. §. *cæteri. Feud.* 2.) feudum, quod ab alio tenent, alii rursus in feudum dare possint, ratio nulla apparet, ob quam de bonis propriis feudum dare prohibeantur.

25 Circa personas feuda *accipientes* regula est: omnes feuda accipere posse, quibus non est interdictum rerum commercium, non obstante ullâ sexûs, ætatis, ac conditionis ratione, nisi nominatim reperiantur prohibiti. 2. *Feud.* 3. & 26. Hinc

26 Non refert I. Mas sit, qui accipit feudum, an fœmina: quamvis enim fœmina in feudo succedere nequeat, feudum tamen de novo eidem concedi poterit. 2. *feud.* 30.

27 Non refert II. sive sit majorennis, sive minorennis: quoniam Minorem, & Pupillum, etiam sine Tutore, vel Curatore sibi feudum acquirere, & suam conditionem meliorem reddere posse, textus est in *tit.* 26. *in fin. Feud.* 2. junctо §. 1. *Inst. de Authorit. tut.* Est tamen inter Minorem, & Pupillum hac in parte notabile discrimen: etenim feudum instar aliorum contractuum cum Pupillo initorum claudicat, & Pupillus quidem feudi utilitatem percipit, à servitiis autem, & oneribus sive realibus, sive personalibus eximitur. Aliud est de Minorenni, ut qui sine consensu Curatoris se ad servitia personalia obligare potest, cùm Curator rebus tantùm detur, non personæ, sicut tutor, & ideo in iis, quæ personam concernunt, Minorennis à Curatore non dependet, ut communiter notant DD. in *l. puberes ff. de V. O. & l. obligari. ff. de O. & A.*

28 Nec refert III Superior sit accipiens, an inferior: nam & Superior ab inferiore feudum accipere potest; quoad servitia tamen in hujusmodi feudo, maximè quando Ecclesiastici Prælati ab aliis Nobilibus feudum recipiunt, communiter est receptum, sub-vasallum constituere, qui à Domino investituram recipere, eique pro re data inservire debeat. arg. *l.* 14. *ff. de Jurisdict.* Schrader. *de Feud. p.* 4. *c.* 3. Vult. *eod. tr. c.* 4. *n.* 9. & 10.

29 Grandis semper fuit *altercatio*: utrùm Clerici & Religiosi feuda acquirere, vel in eis succedere valeant?

Negativam colorare videntur speciosi textus in *tit.* 21. *tit.* 26. §. *qui Clericus. tit.* 30. & 36. *in fin. Feud.* 2. in quibus Clerici & Religiosi simpliciter, & absolutè feudorum incapaces pronuntiantur ex ratione, quòd desierint esse milites hujus sæculi, qui facti sunt milites Christi; quæ ratio eò magis in Religiosis obtinet, quò in perfectiori statu sunt constituti.

30 Affirmativam commendant textus in *tit.* 40. §. *fin. Feud.* 2. & etiam *c.* 6. & 7. *de Foro comper.* ex quibus DD. communiùs concludunt, Clericos & Religiosos bona in communi possidentes capaces esse feudorum, in primis si ea

ex

ex primæva institutione Ecclesiasticæ dignitati annexa sint, prout in Germania Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates feuda majora dignitatibus annexa possident. Fachin. *lib.* 7. *controv. c.* 34. *in fin.* Deinde si statuto, vel consuetudine receptum sit, ut Clerici præsertim sæculares, feuda, quæ ante Clericatum obtinuerunt, retineant, aut in iis succedant. Vult. *lib.* 1. *de feud. c.* 9. *n.* 67. Tertiò si feuda sint franca, sive libera ab obsequio personali; vel si servitium sit tale, quod Clericus honestè obire possit; vel si reale duntaxat, v. g. pensio pecuniaria, non verò personale servitium debeatur, vel personale quidem, seu militare, sed quod per substitutum præstari possit. Rosenthal. *de feud. c.* 30. *num.* 20. *&* 23. In hanc sententiam inclinant Herman. Hermes in *Fascic. Jur. publ. c.* 29. *n.* 24. qui docet, S. Ordinis Equites v. g. S. Joannis Hierosolymitani, Rhodienses, Melitenses &c. die Johanniter-Maltheser-Ritter / utut Regulares sint, feudorum nobilium capaces, & tanquam proximos agnatos ad successionem feudi antiqui admittendos esse: & P. Engel *h. t. n.* 24. qui tamen in *fine* subjungit, feudum, in quo Monasterium locò Religiosi succedit, solùm ad vitam ejus penes Monasterium manere, eò verò mortuò ad Agnatos, vel Dominum directum redire.

31 Textus, qui contra hanc opinionem initiò allegati sunt, accipi solent de feudis exigentibus obsequium personale, quod Vasallus præstare per se ipsum debet, & Clericali, ac Religioso statui repugnat. P. Engel *cit. n.* 24.

32 Specialiter feuda accipere prohibentur hæretici, apostatæ, excommunicati, banniti, rei, & filii reorum criminis læsæ Majestatis, alióve publico crimine damnati, & universim, qui honestè in Curia Domini stare non possunt per *tit.* 37. *Feud.* 2. adeóque etiam infames, & nati ex incœstis, aut nefariis nuptiis arg. *l.* 6. *& auth. seq. C. de Incæst. nupt.* Borcholt. *de Feud. c.* 5. *ad fin.* Rosenthal. *c.* 3. *concl.* 23.

Modi, quibus feudum acquiritur, alii sunt *inter vivos*, alii *mortis causa*. Modi acquirendi *inter vivos* sunt *investitura*, & *præscriptio*. *Mortis causa* feudum acquiritur *successione*.

33 *Investitura* vernaculâ die Belehnung / est actus solennis, quò Dominus Vasallo fidelitatem promittenti feudum cedit. Et hæc in tantum est necessaria, ut eâ omissâ, quamvis Dominus rem immobilem in se feudum dare dicat, & alter re ipsâ rem talem Domino jubente occupet, tamen feudum non constituatur, sed res ejusmodi immobilis solùm ad dies vitæ possideri queat, non autem ad hæredes accipientis transeat per textum expressum in *tit.* 25. *pr. Feud.* 1.

34 Est autem investitura alia *propria*, alia *abusiva*. *Propria* dicitur, quando Vasallus actualiter à Domino, vel ab aliquo illius commissario in possessionem civitatis, castri, fundi; vel alterius rei feudalis inducitur. *tit.* 2. *Feud.* 2. *Abusiva*, hodie tamen passim usitata est, quando Vasallo feudum absque corporali possessionis traditione solenniter ceditur, traditò vexillò, gladiò, hastâ, annulò, vel aliò signò locò ipsius rei *tit.* 33. *Feud.* 2. Harum utraque est modus acquirendi feudum arg. *tit.* 25. *Feud.* 1. *tit.* 1. *in fin. tit.* 11. *in pr. & tit.* 33. *in pr. Feud.* 2. licèt ex abusiva investitus possessionem non statim adipiscatur; quâ tamen vacuâ cogitur Dominus illum immittere, nec præstando interesse liberatur. *tit.* 3. §. *fin. tit.* 26. §. *si facta Feud.* 2. Imò Vasallum propriâ authoritate eam vacuam ingredi posse, communis DD. opinio est, arg. *c. ex litteris, de Consuet.* Borcholt. *de Feud. c.* 8. *n.* 11.

35 Planè investitura non tantùm in prima feudi constitutione desideratur, sed repetenda, & renovanda est, quoties vel Dominus, vel Vasallus moritur; aliàs si Vasallus ab hærede Domini

Domini Senioris, vel hæres Vasalli à Domino per se, aut per Procuratorem intra annum non petat investituram, ac de novo fidelitatem polliceatur, feudum amittet. *tit.* 34. 40. & 55. *Feud.* 2.

37 *Præscriptio* est præsumpta quædam investitura, ait enim Feudista : *Si quis per* 30. *annos rem aliquam ut feudum possederit, & Domino servitium exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen* 30. *annorum se tueri potest. tit.* 26. §. *si quis per* 30. *annos. Feud.* 2. Requirit itaque ad hanc præscriptionem feudalem præter continuam possessionem, bonam fidem, & justum titulum, *primò* possessionem 30. annorum. *Secundò* ut res illa tanquam feudum possessa sit. *Tertiò* ut possessor à Domino requisitus feudalia servitia ei præstiterit. Vult. *de Feud. c.* 9. *v.* 4.

Sed num 30. annorum possessio ad præscribendum feudum quoque in rebus Ecclesiasticis sufficiat? in *controversiam* venit. Et licèt textus *dicti tit.* 26. sit generalis, attamen cum Jure utroque Civili, & Canonico actiones Ecclesiis, vel aliis locis venerabilibus competentes præscriptione 40. annorum duntaxat tollantur : *c.* 4. *de Præscript. Novell.* 111. *& novell.* 131. *c.* 6. neque contrarium jure feudali traditum sit, idem tempus in hac specie præscriptionis observandum videtur. arg. *tit.* 1. §. *strenuus. Feud.* 2. Mynsing. *cent.* 4. *observ.* 29. *num.* 3. Bronch. *de feud. c.* 7. *p.* 3. *n.* 8. Rosenthal. *eod. tr. c.* 6. *concl.* 78. *num.* 7. Quibus cum aliis se opponit Vult. *de feud. l.* 1. *c.* 9 *num.* 8.

Utrùm feudum absque Domini consensu alienatum à tertio bonæ fidei emptore tempore saltem immemoriali præscribi possit? vide textus *in tit.* 40. §. *præterea tit.* 55. *v. nos autem Feud.* 2. & doctissimè versat Rmus D. Christoph. Priggl. *in Man. pract. de Appell. in additamento q.* 2. *per tot.*

38 *Successio* jure communi duplex est, *testamentaria* scilicet, quæ ex testamento, & *legitima*, quæ ab intestato defertur. *l.* 1. 2. 3. & 8. *ff. de Petit. hæred.*

Successio testamentaria regulariter in feudo locum non habet, adeo ut teste Feudistâ : *nulla ordinatio defuncti in feudo maneat, aut valeat. tit.* 8. *Feud.* 1. etiamsi à principe ista defuncti ordinatio confirmata sit, arg. *tit.* 7. *princ. & tit.* 13. *Feud.* 1. & Dominus, vel Senior feudi in istam dispositionem consenserit, nisi agnati quoque, de quorum præjudicio agitur, consensum suum Vasallo accomodaverint. Curt. Junior *de Feud. p.* 4. *n.* 127. *& seqq.* quamvis pro anima, & ad causas pias de feudo Vasallus disposuerit, *tit.* 9. §. *donec. Feud.* 2. idque in tantum, ut ne quidem æstimationem feudi relicti hæres legatario præstare teneatur : cùm tali re legata, cujus nullum est commercium (quemadmodum in præsenti feudum, *tit.* 52. *& 55. Feud.* 2.) nec æstimatio ejus debeatur. *l.* 39. *in fin. ff. de Legatis* 1. Excipitur feudum merè hæreditarium, de quo testari posse Vasallum, nemo dubitat, cùm jure purè hæreditario in eo succedatur. Vult. *lib.* 1. *feud. c.* 9. *n.* 74.

Ad successionem ab intestato (quæ potissi 39
mùm in feudis obtinet) *primo loco & ordine* etiam jure feudali vocantur descendentes, seu liberi defuncti vasalli, tam sui, quàm emancipati. *tit.* 1. §. 1. *Feud.* 1. *tit.* 11. *in pr. Feud.* 2. ita ut si plures sint ejusdem gradûs, succedant in *capita*, seu partes æquales, adeò ut nulla parentum inæqualis dispositio subsistat etiamsi Dominus consentiat. *tit.* 8. *feud.* 1. si verò concurrant liberi diversi gradûs, puta filii, & nepotes, hi cum illis *jure repræsentationis* admittantur *in stirpes. d. t.* 11. *feud.* 2.

Adoptivi tamen, *ut & naturalis, licèt po-* 40
stea fiant legitimi ad successionem feudi non admittuntur. §. *adoptivos, & §. naturales* 2. *feud. tit.* 26. nisi per subsequens matrimonium fuerint legitimati. Gail. 2. *obs.* 141. *n.* 2.

Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 52. Penitus autem à successione feudorum removentur filiæ, imò & descendentes ex iis, quamvis sint mares. §. *hoc autem notand.* 1. *Feud.* 1. §. *filia verò* 1. *feud. tit.* 8. *&* 2. *feud. tit.* 36. licèt feudum francum, aut emptitium fuerit. Gail. 2. *observ.* 150. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 73. Fachinæus 7. *controv.* 37. Excipitur feudum fœmineum *tit.* 30. *&* 50. *feud.* 2. & feudum, in quo pacto speciali cautum, ut fœminæ in eo succedant. §. *hoc autem. tit.* 1. *feud.* 1. Sed nec in his fœminæ locus patet, *donec Masculus supersit ex eo, qui primus de hoc feudo fuerat investitus. tit.* 17. §. *non etiam feud.* 2. semel tamen per masculum exclusa, propterea perpetuò pro exclusa habenda non est, non obstante textu *in c.* 1. §. *quin etiam.* 1. *Feud. tit.* 6. *qui dicto textui* 2. *Feud.* 17. concordandus est; prout solidissimè demonstrat Clariss. D. Ernest. Frid. à Someting. Collega meus Collendissimus *in semicent. controv. illustr. decade.* 5. *contr.* 4. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 74. Hart. Pistor. *lib.* 2. *q.* 36. *n.* 5. *& seq.* Dissentit. Casp. Klock *tom.* 2. *consil.* 3. cum innumeris *n.* 37. ciratis.

41 *In secundo* successionis ab intestato *ordine* deficientibus liberis jure communi ascendentes, seu parentes utriusque sexûs vocantur. *Novell.* 118. *c.* 2. at jure feudali horum vix ulla habetur ratio, eò quòd feudum accipiens sibi, suisque liberis, non parentibus prospexisse censeatur. *tit.* 50. *Feud.* 2. Excipiunt tamen Doctores aliquot casus, in quibus liberis defunctis parentes in feudis succedunt, ut *primò* si filius ob parentis benè merita sit investitus. Corvinus *synopsi. jur. feud. lib.* 2. *tit.* 4. *in fin. Secundò*, si Pater favore filii, ut is investiretur, feudo suo renuntiaverit, & filius vivo Patre sine descendentibus moriatur. *tit.* 34. *Feud.* 2. Mynsing. *cent.* 3. *observat.* 93. *Tertiò*, si avus consentiente filio feudum in nepotem transtulerit. Rosenthal. *de feud. c.* 7. *concl.* 14. *n.* 7. *Quartò*, si in nova investitura expressè ita cautum fuerit. *d. tit.* 84. *Feud.* 2. *Quintò*, si consuetudine speciali, aut statuto loci ita receptum sit. *Sextò*, si feudum sit merè hæreditarium. 2. *Feud. tit.* 48. Rosenthal *d. concl.* 14. *n.* 22. *ubi n.* 24. cum Schradero tradit, quòd in casu, quo parens in feudo succedit, cum illo & fratres defuncti admittantur juxta *d. Novell.* 118. *c.* 2. siquidem jure feudali nullibi contrarium constituitur, scriptâ proinde lege utendum per *tit.* 1. *Feud.* 2.

Tertius, imò *secundus ordo* in feudis succe- 42
dentium, liberis deficientibus est Collaterallium; quos inter primô locô succedunt fratres defuncti, sive germani sint, sive consanguinei, non autem uterini: cùm in feudis sola agnatio spectetur. *tit.* 11. *Feud.* 2. Gail. 2. *observ.* 151. cum fratribus porro reliquorum fratrum defunctorum filii concurrunt, succedentes cum patruis suis in stirpes secundùm Jus repræsentationis. *d. t.* 11. *Feud.* 2. Si autem sint soli fratrum liberi, absque concursu patruorum, non in stirpes, sed omnes in capita succedunt: non enim jure repræsentationis veniunt, sed quilibet jure proprio per *d. Novell.* 128. *c.* 3. Deficientibus fratribus, eorúmve liberis successio devolvitur ad cæteros collaterales, qui in feudo paterno in infinitum admittuntur, salvâ tamen gradûs prærogativâ *tit.* 1. §. 4. *in fin. Feud.* 1. *tit.* 11. *&* 50. *Feud.* 2. secùs si feudum sit novum. *tit.* 8. §. 2. *tit.* 14. *&* 20. *Feud.* 1.

§. VII.

Materia, *seu Objectum* feudi sunt res, in 43
quibus constituitur; constitui autem potest in rebus immobilibus, & æquipollentibus, ex quibus perpetuò fructus colligi possunt sine dominii directi consumptione. *tit* 1. *in fin. Feud.* 2. sive propriæ sint, sive alienæ. *tit.* 3. *&* 8. *Feud.* 2. agri itaque, silvæ, castra & quæcunque bona immobilia, item etiam jura

&

& jurisdictiones, quæ immobilibus accensentur; velut jus decimandi, &c. rectè in feudum dantur. Imò & census pensiones, ac redditus annui: qui quoad hoc immobilibus æquivalent.

§. VIII.

44 *Formam* feudi Hattyserus in *Anal. Juris Feud. c.* 9. constituit potissimùm in *petitione investituræ*, in ejus *solennitate*, & *fidelitatis Sacramento.*

Petenda est *investitura* juxta dicta *n.* 36. tam in novo, quàm in antiquo feudo. In novo tempus eam petendi est arbitrarium, adeóque Vasallus expectare debet, donec à Domino ad eam accipiendam vocetur. Wesenbec. *de Feud. c.* 7. *n.* 2. Vult. *c.* 7. *n.* 21. Quòd si Dominus sit in mora vocandi, potest vasallus ultrò se offerre ad juramentum fidelitatis. Vult. *d. l.* Borcholt. *c.* 7. *n.* 29. Si autem vasallus ter citatus, congruô terminô septem, vel decem dierum interpositô, ad curiam Domini non venerit, feudo caret. *tit.* 22. & 24. §. 1. *Feud.* 2. In antiquo autem renovationem investituræ vasallus vel per se, vel per Procuratorem reverenter, ac humiliter petet intra annum, & mensem à die, quo primùm sciverit, talem mutationem incidisse, alioquin feudô cadet. *t.* 24. 40. 52. §. 2. & *t.* 55. *in fin. Feud.* 2. Et hoc tempus Dominus invito vasallo minuere, & coarctare nequit, licèt cum ejus consensu prorogare possit per l. 74. 75. & 186. *ff. de R. J.* Vult. *d. c.* 7. *n.* 63.

45 *Solennitas investituræ* consistit in eo: *primò*, ut investiens in re præsenti constitutus, aut verò extra illam traditô signô quôdam locò rei, ut baculo, annulo, ense, hastâ, chirothecâ, aut libro dicat investiendo: *ego te investio de hoc prædio, ut illud in feudum habeas.* arg. *tit.* 2. *pr. Feud.* 2. In Imperio nostro feuda regalia Ecclesiasticis, qui sunt Principes, per sceptrum; sæcularibus vero per vexillum, & hodie locò vexilli per ensem conceduntur. Unde nata nomina Fahnen- und Scepter-Lehen. Hermes *in Fasc. Jur. publ. c.* 18. *n.* 68. *Deinde* ut adhibeantur idonei testes ad minimum duo, qui liberi sint, & masculi, & quidem Pares curiæ, id est, convasalli. *tit.* 32. *in fin. Feud.* 2. Vult *de Feud. c.* 7. *n.* 27. qui si absint, citandi, ac exspectandi sunt certo tempore per *tit.* 33. *Feud.* 2. si verò non comparuerint, investitura coram extraneis expediri poterit, ac si Dominus nullos Pares curiæ haberet. *tit.* 3. *℣. quod autem Feud.* 2. Quæ ita in feudo novo, & sæculari procedunt: antiqui enim investitura coram extraneis; *dict. tit.* 31. §. *de veteri Feud.* 2. Ecclesiastici tam coram extraneis, quàm Paribus curiæ fieri potest. *tit.* 26. §. *hæc omnia. Feud.* 1.

Per *Sacramentum*, seu *juramentum fidelitatis* vasallus ad tuitionem vitæ Domini, famæ, & bonorum ejus adversus omnes se obliget, oportet. *tit.* 5. 6. & 7. *Feud.* 2. Excepto Imperatore, vel Rege: *d. tit.* 7. Domino antiquiore: *tit.* 28. *in fin. Feud.* 2. item Patre. Zasius *in Epit. Feud. p.* 7. *n.* 20. Et licèt hoc juramentum investituram demum sequatur, *tit.* 4. & 7. *in fin. Feud.* 2. tamen adeò necessarium est, ut, nisi specialiter investito remissum fuerit, investitura illi non intelligatur facta, si fidelitatem vel per se, vel per procuratorem mandatô speciali instructum facere recusét. *tit.* 3. *in fin. Feud.* 2. Nisi vasallus adhuc sit impubes: hic enim neque per se, neque per alium fidelitatem facere cogitur donec major factus fuerit. *tit.* 25. §. *si minori. Feud.* 2. sicut & ad ejus exemplum furiosi, & similes fatui excusantur. Vult. *de feud. c.* 7. *n.* 37. 46

§. IX.

Finis feudi est vel ultimus, vel intermedius. Ille est Reipublicæ commodior defensio, & familiarum, maximè Illustrium, conservatio. Hic est privata utilitas tum Domini, ut s sibi fide devinctum habeat vasallum, in quem beneficium contulit. *tit.* 1. *Feud.* 1. 47

tit. 28. *Feud.* 2. tum vasalli, ut is beneficio cum suis fruatur.

§. X.

48 *Effectus* feudi alii Dominum, alii Vasallum respiciunt, & utrique vel personam, vel rem in feudum datam

Effectus feudi respectu *Domini personæ* est ejusdem obligatio ex constitutione feudi descendens: obligatur autem I. ut vasallum præstitâ fidelitate in vacuam possessionem inducat. 2. *Feud.* 26. II. Ut ob moram, quam in tradendo feudo commisit, vasallo omnem utilitatem præstare debeat. 2. *Feud.* 7. III. ut vasallo præstet evictionem, sive sciens, sive ignorans in re aliena eum investiverit. 2. *Feud.* 8. modò lite pendente à vasallo ad se defendendum citatus fuerit. 2 *Feud.* 25. & vasallus tempore investituræ feudum esse rem alienam nesciverit. *d. tit.* 8. *& tit.* 25. IV. Dominus vasallo sub pœna amittendæ proprietatis reciprocam fidelitatem (non tamen juratam) debet, & proinde neque injuriâ afficere, accusare, aut feudo illum sine causa privare. 2. *Feud.* 6.

Effectus feudi à parte *Domini*, qui *rem in feudum* alteri *datam* contingit, consistit in administratione juris Domino competentis: nam Dominus proprietatem, seu Dominium directum rei feudalis retinet. *tit.* 23. *§. ult. Feud.* 2. ita ut nec pacto effici possit, ut directum feudi dominium in vasallum transeat. *tit.* 8. *§. quamvis & d. tit.* 23. *Feud.* 2. Zasius *in Epit. jur. feud. p.* 2. *n.* 8.

49 *Effectus* feudi à parte *Vasalli*, ejúsque *personam* concernens stat præcipuè in exhibitione reverentiæ, & obsequiorum. *tit.* 6. §. 1. *tit.* 36. §. *quomodo. Feud.* 2. Et verò debita gratitudo exigit, ut Dominum tanquam Benefactorem revereatur, eique obsequatur in eo, quod ratione feudi ab ipso petit, & ipse promisit. Hinc si vasallus violentas manus injiciat, aut gladium stringat, etiam non secuto vulnere: si veneno, aut alio modo Domino insidias struat: si domum, aut Castrum Domini vi ingrediatur: si fœdus & amicitiam cum hostibus Domini ineat: si Domini arcana dolo malo revelet: si Dominum ipsum, aut feudum abneget: si Dominum de crimine capitali accuset, aut famosâ quâdam actione pulset: si cum uxore Domini adulterium committat, aut filiam, neptémve, vel nurum vitiet, vel quamcunque gravem læsionem Domino in honore, aut bonis inferat, sive directè sive per consequentiam, feudum amittit, ideq; ad Dominum revertitur. *tit.* 5. *tit.* 17. *tit.* 21. *Feud.* 1. *tit.* 3. *tit.* 5. *tit.* 6. *tit.* 7. *tit.* 17. *tit.* 24. §. *fin. tit.* 26. *§. si vasallus. Feud.* 2.

Effectus feudi respectu *vasalli* ratione *rei* 50
in feudum datæ est, quòd vasallus consequatur utile rei dominium ipsius rei feudalis. *tit.* 8. §. *rei autem Feud.* 2. Potest itaque rem feudalem liberè administrare, & frui, & omnia ea facere, quæ meliorem, non autem deteriorem reddunt feudi conditionem. *tit.* 8. *§. rei & §. contrario. Feud.* 2. alienare tamen feudum sine consensu Domini, si novum; vel etiam Agnatorum, si paternum sit, neutiquam potest. *tit.* 1. §. *cùm verò tit.* 8. *&* 13. *Feud.* 1. *tit.* 14. 18. 26. §. *Titius. &* 30. *Feud.* 2. Et si defacto alienet, non solùm alienatio invalida est, sed etiam alienans subsecutâ traditione præter pretium quoque feudum perdit, totum, si totum alienavit; partem, si partem. *tit.* 38. 52. *&* 55. *Feud.* 2. Clarus §. *feudum q.* 31. *&* 35. quia vasallus taliter alienans Dominum contemnere videtur. *tit.* 24. *§. fin. Feud.* 2. Et hoc procedit non solùm de venditione, sed quocunque actu, quo Dominium, vel jus reale, sive titulo oneroso, sive gratuito in alterum transfertur. *tit.* 8. *tit.* 9. *tit.* 24. §. *similiter tit.* 40. §. *præterea tit.* 52. *&* 55. *Feud.* 2. Quapropter Vasallus feudum nec oppignorare, nec hypothecare potest. *tit.* 9. 52. *&* 55. *Feud.* 2. nec donare. *d. t.* 9. §. *donare. Feud.* 2.

ne-

neque in dotem dare, nisi ipsa Mulier in dotem concedat, *d. tit. 9. §. donare & tit. 13. Feud. 2.* nec permutare, *d. tit. 55. Feud. 2.* nec in emphyteusim concedere, *d. tit. 9. §. donare, & tit. 55. Feud. 2.* nec in solutum dare, *tit. 52. & 55. Feud. 2.* nec compensare arg. *d. tit. 9. 52. & 55. Feud. 2.* nec testamento relinquere, aut legare, *tit. 8. Feud. 1.* Hæc verò omnia potest cum consensu Domini directi expresso, aut saltem tacito, *tit. 13. §. fin. Feud. 1.* Rosenthal *de Feud. c. 9. concl. 26.*

§. XI.

51 *Contraria* feudi sunt modi, quibus dissolvitur, & semel constitutum amittitur; id quod contingit vel ex *persona Domini*, vel *ex persona Vasalli*, vel *ex re ipsa.*

Ex persona Domini feudum finitur, si ad eum statum perveniat, ut nullo existente propinquo fiscus eidem succedat: quippe hic Vasallus præfertur, consequenter cessat possidere jure feudi, ac imposterum suo jure, tanquam allodium, als ein freyeigenes Gut / possidet. Vult. *de. Feud. c. 11 n 7.* Sine dubio ideo: quia dominium directum non fuit sepatatum & reservatum fisco, sed propinquis tantum, consequenter his deficientibus consolidatur cum dominio utili penes Vasallum existente.

52 *Ex parte Vasalli* finitur I. si moriatur absque hæredibus feudalibus, illis scilicet, qui de jure succedere possunt: tunc enim feudum Domino aperitur, id est, cum dominio directo consolidatur. 1. *Feud.* 18. 2. *Feud.* 15. & 26. II. Si feudum refutet, seu renuntiet. Vasallus namque pro lubito dominium utile Domino etiam invito iterum cedere, & resignare potest. 2. *Feud.* 38 propterea: quia feudum est beneficium præcipuè in favorem Vasalli concessum, cui proinde liberè renuntiandi potestatem tribuit *l. 29. C. de Pact.* Dissentit Panorm. in *c. 1. h. t.* arg. *l. 5. C. de O. & A.* Sanè si extraneo cedatur, consensus Domini interveniat, oportet, cùm talis refutatio sit alienationis species. Struv. *S. J. F. c. 12. aphor. 14. & c. 13. aph. 1. & seq.* III. si Vasallus faciat id, quod de jure non est faciendum, puta, si invito Domino rem alienet, vel si in Dominum delinquat, & *feloniam*, seu ingratitudinem directè, vel indirectè in eundem admittat juxta *jura n. 49. citata.* IV. si omittat, quod est faciendum, ut si Vasallus debita servitia recuset: si Dominum in acie deserat: si gravem jacturam, quæ Domino imminet, sciens non avertat: si intra annum & diem investituram non petat: si per longissimum tempus dominium utile negligat. Struv. *S. J. F. c. 10. aphor. 9. n. 3.*

Ex ipsa re feudum extinguitur, si res feu- 53
dalis incendio, casmate, aut belli calamitate pereat. Ratio ex natura ususfructûs petitur: quia non tantùm merus ususfructus est, sed dominium in feudo, igitur non sicut ususfructus ædium cessat eis exustis. §. 3. *Inst. de Usufr.* sic & jus feudi, sed remanet illud in area jure dominii, ac in ipsa area. Struv. in *Syntag. Jur. feud. c. 15. aph. 4.*

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

DEnique quoddam *jus in re* transfertur per *pignora*, de quibus, ut & *de Cautionibus h. t.* agitur.

Pars I.

De Pignoribns.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Pignus, quid nominis? 4. quid rei? 5. usque 13. quotuplex? 13. Quæ origo? 14. 15. A quibus? 16. usque 22. & in quibus rebus constituatur? 22. Assignatur forma pignoris. 23. Quid

sit pactum legis commissoria, & an sit licitum? 14. Quid antichresis, & quo jure prohibita? 25. Finis pignoris. 26. Quæ ex pignore oriatur obligatio? 27. quæ actio. 28. Quæ remedia petitoria? 29. possessoria ex jure pignoris competant? 30. de jure pignus retinendi. 31. & distrahendi. 32. Quinam potiores pignore? 33. 34. Quibus modis pignus solvatur?

§. I.

1 PIgnus à *pugno* dicitur, quasi res, quæ pignori datur, pugno, sive manu tradatur. Unde etiam videri potest, verum esse, pignus propriè rei mobilis constitui, ut ait Cajus JC. in *l. plebs.* 238. *§. 2. ff. de V. S.*. At hæc vox potiùs allusionem quandam, quàm veram etymologiam continet, siquidem non obstante hâc allusione pignora etiam vocantur, quæ manu non traduntur: & non solùm rei mobilis, sed etiam rei immobilis, veluti fundi, aut ædium pignus contrahi potest. per *l. 8. §. 5. ff. de Transact. l. 2. §. fin. ff. de Relig. & sumpt. fun. l. 39. ff. de Pign. act. l. 1. §. 2. l. 23. ff. h. t. l. 9. C. Eod.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. Quib. mod. re contr. oblig. num.* 41.

§. II.

2 Pro *Synonymis* pignus agnoscit *hypothecam. l. 5. §. 1. ff. h. t. vadium. c. 1. h. t. gageriam: c. 1. de Feud. & ibi* Gonzal. & *c. consultum. 2. Feud. 8. §. ult.* vernaculâ appellatur ein Pfand / quasi behand. Wehner in *observ. pract. V.* Pfand.

§. III.

3 *Pignus* tripliciter sumitur. I. pro ipsa re oppignorata. *tot. tit. ff. & C. de Distrah. pign.* II. pro jure reali, quod creditor in re oppignorata habet. *tot. tit. ff. & C. Qui potiores in pignore.* III. Pro ipsa rei oppignoratione. *l. 1. §. fin. ff. de Pact.* In quo sensu hic potissimùm accipitur, &

§. IV.

4 *Definitur* pignus in genere, quòd sit conventio, quâ res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti.

§. V.

Dividitur pignus I. in pignus in specie, & hypothecam. *Pignus in specie* re perficitur, cùm scilicet res à debitore ipsi creditori pro securitate debiti traditur, & donec ei debitum solvatur, obligatur per *§. fin. & ibi* DD. *Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* Econtra *hypotheca* contrahitur solo consensu: neque enim certa verborum forma, neque scriptura, neque actualis rei traditio etiam ficta requiritur, sed solâ voluntate, & consensu debitoris rem suam obligare volentis constituitur, & *jure Prætorio* jus reale in rebus hypothecatis creditori acquiritur, utut aliàs spectato *jure Civili* pactô & solâ conventione jus tantùm ad rem detur. Videatur text. *l. 4. ff. h. t.* 5

Porro hypotheca & pignus in specie partim conveniunt, partim differunt. Conveniunt 6 *primo*, quòd jus reale acquiratur in utroque. *Secundo*, quoad jus distrahendi. *Tertiò*, quòd pro utroque detur actio hypothecaria, & hoc intellectu Marcellus ait in *l. 5. §. 1. ff. h. t.* pignus & hypothecam tantùm nominis sonô differre. Differunt tum *causâ efficiente*: quia pignus est juris Civilis, hypotheca autem Prætorii; *tum materiâ*: quia illud ferè in mobilibus, hæc in immobilibus constituitur, quod tamen, ut insinuavimus, perpetuum non est: tum *formâ*: quia pignus actuali rei traditione, hypotheca verò non aliter, quàm pactô & nudâ conventione constituitur; tum denique *effectu* quantùm ad actiones; quoniam *pignoratitia* est actio personalis, *hypothecaria* autem realis. Nec tamen hæ actiones differunt quantùm ad formulam hypothecariam, quam Prætor etiam ad pignora extendit.

II. *Dividitur* Pignus in *expressum* & *tacitum.* 7

Expressum est, quod fit expressâ partium conventione de re oppignoranda. Estque aut *generale*, aut *speciale.*

Pi-

Pignus, ac hypotheca generalis est I. quando debitor omnia sua bona simpliciter obligat Creditori; quo pignoris genere veniunt omnia bona tam mobilia, quàm immobilia, tam præsentia, quàm futura: *l. 4. l. fin. C. Quæres pignori obligari.* & etiam jura, actiones, ac nomina, omniáque, quæ in bonis alicujus esse videntur. *l. 49. ff. de V. S.* II. quando debitor nominatim creditori obligat bona sua mobilia, & immobilia: seine Haab und Güter / ligendt / und fahrendt. Et tunc in eo pignore non continentur jura, actiones & nomina debitorum, ut quæ constituunt tertiam speciem bonorum distinctam à mobilibus, & immobilibus. *l. 7. § 4. ff. de Peculio.* Stryk. *de cautel. contract. sect. 2. c. 4. §. 15.* Dissentit Struvius *Exercit. 26. th. 20.* III. Quando debitor obligat bona sua vel mobilia tantùm, vel immobilia tantùm. Et hoc casu à fortiori excluduntur nomina, actiones & jura. Certè quoquo modo generalis sit obligatio bonorum, ea non complectitur, quæ verisimiliter quisquam specialiter obligaturus non fuisset; veluti sunt vestes quotidianæ, libri Studiosorum, Supellex, & alia ad usum quotidianum necessaria. *l 6. §. 2. & seq. ff. h. t.*

§ *Pignus, seu hypotheca specialis* est, quæ in re certa, vel specie constituitur; puta in domo, area, agro, item universitate corporum, ut grege. *l. 13. & 34. ff. h. t.* Quamvis autem hæc specialis oppignoratio ad alia, quàm de quibus conventum est, non extendatur, nihilominùs tamen ea continet, quæ vel accedunt rei oppignoratæ, ut pars fundo per alluvionem: *l. 16. ff. Eod.* ususfructus proprietati per consolidationem: *l. 18. ff. Eod.* domus areæ per inædificationem: *d. l. 16. §. 2.* vel quæ ex re oppignorata nascuntur, ut partus ancillarum, fœtus pecorum &c. *l. 21. §. 1. l. 26. §. fin. ff. Eod.* cùm accessorium sequatur naturam principalis: *c. 42. de Reg. Jur. in 6.* & incrementum rei non sit diversũ ab ipsa re, quam auget *l. 4. ff. de Jur. dot.*

Tacitum pignus est, quod sine expressa hominum conventione inducitur. Estque aut *conventionale, aut legale.* 9

Conventionale dicitur, quod solo tacito consensu partium, ac re ipsa contrahitur; quale constituitur Domino in rebus in prædium urbanum illatis, vel invectis, non solùm pro pensione, sed etiam pro deterioratione ipsius rei locatæ. *l 2. & 4. ff. in quibus caus. pign. tacit. l. fin. C. Eod.* Modò eô animô & mente inductæ fuerint, ut ibidem quasi perpetuò sint *l. 7. §. 1. ff. in quibus causis pign. tac.* Aliud obtinet in rebus in prædium rusticum invectis: ut enim hæ obligatæ sint, non sufficit nudum factum illationis, sed insuper expressa conventio requiritur per *§. 3. Inst. de Interdict. l. 4. & 6. ff. & l. 5. C. in quibus caus. pign. tacit.* tametsi fructus in prædio locato nati ob mercedem Domino fundi tacitè intelligantur pignori esse sine expressa conventione. *d. l. 7. ff. & l. 3. C. Eod.* 10

Pignus legale est, quod citra ullum hominis factum à sola lege immediatè constituitur. Constituitur autem I. fisco in bonis Debitorum, Officialium, & Administratorum suorum ex causa tributorum. *l. 1. C. in quib. caus. pign. tac. l. 46 §. 3. ff. de Jure fisci.* II. Civitati in bonis administratoris. *per l. fin. C. quo quisque ord. conven.* III. Marito in bonis uxoris pro dote danda, & uxori in bonis mariti pro eadem restituenda. *l. un. §. 2. C. de Rei uxoria act. l. 8. C. de Jure dot. Novell. 97. c. 2.* IV. Pupillo & Minori in omnibus bonis Tutorum vel Curatorum suorum, si contingat eos malè administrare tutelam, vel curatelam. *l. pro officio 20. C. de Administrat. tutor.* nec non Ecclesiis, Collegiis, aliisque locis piis, quæ jure minorum gaudent, in bonis Prælatorum, & Administratorum. Gloss. *in c. 5. V. obligata h. t.* V. Liberis 11

prio-

prioris matrimonii in bonis tam Patris, quàm Matris ad secunda vota transeuntis ratione bonorum, quæ ex priori matrimonio ad eos pervenerunt. *l.* 8. *§.* 4. *C. de Secund. nupt.* VI. Legatariis, & Fideicommissariis ratione relicti in rebus à Testatore provenientibus. *§.* 2. *Inst. de Legat. l.* 1. *C. communia de legat.* VII Redemptori in servo, quem ab hostibus redemit. *l.* 20. *§.* 1. *ff. Qui testam. fac. poss. l.* 12. *§.* 12. *l.* 15. *§.* 21. *ff. de captiv. & postlim. reversi.* VIII. Creditori mutuanti quid in refectionem & conservationem ædium. *l.* 1. 5. *&* 6. *ff. In quibus caus. pign. tac.* IX. Pupillo in re empta ex pecunia Pupillari *l.* 7. *ubi* Gloss. *ff. Qui pot. in pig.* X. Venditori in re vendita contra emptorem, usquedum de pretio integrè illis satisfecerit. *l.* 31. *§.* 8. *ff. de Ædil. edict. l.* 13. *§.* 8. *ff. de Act. empt. l.* 22. *ff. de Hæredit. vend.*

12 II. Pignus in latiori sensu acceptum *dividitur* in voluntarium; & necessarium. *Voluntarium est*, quod constituitur per voluntatem debitoris creditori. Et constituitur vel per ultimam voluntatem, si testator rem aliquam pignori, vel hypothecæ creditori esse jubeat. *l.* 26. *ff. de Pignorat. act.* vel per conventionem, seu actum inter vivos, éstque vel pignus in specie, vel hypotheca, ut ex dictis patet. *Necessarium* est, quod auctoritate, seu imperio Magistratûs constituitur, éstque vel *Prætorium, vel judiciale. Prætorium* dicitur, quod per immissionem ex primo decreto in possessionem, vel quasi possessionem rerum debitoris ex causa legatorum, damni infecti, novi operis nuntiationis, & aliâ quavis causâ legitimâ, puta propter absentiam, contumaciam, vel frustrationem adversarii inducitur. *l.* 1. *&* 2. *Cod. de Prætor. pig. l.* 7. *§.* 1. *& seq. ff. Quib. ex caus. in possess. eatur. l.* 3. *§.* 1. *ff. de Reb. eor. qui sub tutel. c. tua fraternitatis. Ut lite non contestata. Judiciale* vocatur, cùm judex in causa judicati definitivam sententiam à se latam executioni mandat, captione & distractione pignorum ex bonis condemnati. *tot. tit. C. Si in causa judic. pig. l.* 10. *ff. Qui pot. in pign.* incipiendo à mobilibus, iisque deficientibus, vel non sufficientibus ad immobilia & nomina procedendo. *l.* 15. *§.* 2. *ff. de Re judic.*

§. VI.

Causa efficiens Pignoris alia est remota, alia 13
proxima.

Remota est jus Gentium *§.* 2. *in fin. Inst. de J. N. G. & C. l.* 5. *ff. de J. & J.* ubi asseritur ex jure Gentium omnes pene contractus prodiisse: & obligationes institutas esse, *exceptis quibusdam, quæ à jure civili introducta sunt;* cui regulæ standum puto, donec de exceptione clarè doceatur.

Proxima est Lex, aut Homo. Lex vel sola 14
introducit pignus in bonis debitoris, vel etiam admixto facto hominis. *Homo* vel *publicus est, vel privatus.* Homo *publicus*, id est, Magistratus constituit pignus vel decretâ missione in possessionem bonorum; vel captis bonis ejus, qui condemnatus est, in ordine ad exequendum judicatum. *Privatus* pignus introducit vel per ultimam voluntatem, vel per actum inter vivos, & hoc modo, vel per contractum pignoratitium, vel per pactum legitimum hypothecæ, ut satis constat ex dictis.

Porro privatus pignus dare potest, qui est 15
Dominus, & habet liberam rerum administrationem. *l.* 2. *&* 6. *C. Si res aliena pignori.* Quò referuntur Emphyteuta: *l.* 31. *ff. h. t.* Superficiarius: *l.* 13. *§.* 3. *ff. Eod.* non Vasallus 2. *Feud.* 52. Socius in re communi. *l. un. C. Si res commun. pign.* sed pro parte sua tantùm. *l.* 7. *C. commun. utr. jud.* Et qui alterius patrimonii administrationem habet, ac Domini locò est. *l.* 11. *§.* 5. *l.* 16. *ff. de Pignorat. act.* Quò spectant Possessor bonæ fidei, cui competit actio Publiciana, *l.* 18. *l.* 21.

§. 1.

§. 1. *ff. h. t.* Tutor & Curator: *l.* 16. *ff. de Pignorat. act.* item Procurator, si vel speciale ad hoc mandatum habet, vel saltem generale cum libera *l.* 11. §. *ult. ff. Eod.* juncta *l.* 58. *ff. de Procurat.*

§. VII.

16 *Materia*, seu *objectum* pignoris sunt res quæ oppignorantur. Possunt autem oppignorari res omnes sive mobiles, sive immobiles. *l.* 1. §. 1. *l.* 16. *l.* 27. *ff. Quæ res pignori*, sive corporales, sive incorporales, ut nomina vulgò Schuld / Forderungen / *l.* 13. §. 2. *ff. h. t. l.* 4. *C. Quæ res pign.* Sunt tamen aliquæ, quæ *simpliciter*; aliæ, quæ *secundùm quid* pignori vel hypothecæ dari prohibentur.

17 *Simpliciter* pignori obligari nequeunt res sacræ, sanctæ, religiosæ. *l.* 2. *C. de Relig. & sumptib. fun. l.* 3. *C. Quæres pign. oblig. l.* 21. *C. de SS. Eccles.* Nam ut earum nullum commercium, & alienatio, sic neque pignus, aut hypotheca. *l.* 1. §. 2. *ff. Quæ res pignori dari.* Nisi in casibus urgentissimæ necessitatis expressis in *d. l.* 21. & *c.* 1. *h. t. c. aurum causâ* 12. *q.* 2. Similiter nec rei publicis usibus expositæ, ut fori, theatri &c. uti emptio & stipulatio, sic oppignoratio utilis est. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t. l.* 2. *ff.* & §. *fin. Inst. de Empt. vend.* §. 2. *Inst. de Inutil. stipul.* Eodem in numero est liber homo, qui pignoris nexum recepit. *c.* 2. *h. t. l.* 6. *C. Quæres pignori.* Imò qui sciens liberum hominem pignori accipit, debitô cadit, incurritque pœnam corporalem, vel relegationem. *auth. imò à debito. C. de O. & A.*

18 *Secundùm quid* pignori dari nequeunt res, quæ aliàs pignoris nexum recipiunt, sed vel propter *interesse alterius*, vel *favorem Domini*, vel *conditionem rei* prohibentur.

Propter *interesse alterius* Vasallus feudum sine permissione Domini, ne quidem quoad partem oppignorare potest. *tit.* 52. *&* 55. *Feud.* 2. quamvis id ipsi olim quoad dimidiam & minimam partem concessum fuerit. 2. *Feud. tit.* 73. Similiter res litigiosas, ut alienare, ita & oppignorare non licet. *l.* 1. §. *fin. ff. Quæ res pignori. l.* 2. *& fin. C. de Litigios.* Jura item, & servitutes urbanorum prædiorum pignori obligari nequeunt. *l.* 11. §. *ult. ff. h. t.* Quod ipsum de servitutibus prædiorum rusticorum statuit Donell. *tr. de Pignorib. c.* 8. Planè ususfructus tam à Domino proprietatis, quàm ab Usufructuario pignori, hypothécæve dari potest. *d. l.* 11. §. 2. *l.* 15. *in pr. ff. h. t. l.* 2. *C. de Usufr.* Usuarius tamen usum, quem in re habet, ut vendere nequit, ita nec obligare. §. 1. *ubi DD. Inst. de Usu, & habit.*

Propter *favorem Domini* inutiliter pignori 19
obligantur res pupillares. *l.* 22. *C. de Administr. tutor.* sicut tamen ob utilitatem ex Magistratûs decreto earum alienatio quandoque permittitur. *l.* 1. *ff. de Reb. eor. qui sub. tut.* sic quoque oppignoratio. *l. si convenerit.* §. *ult. ff. de pignorat. act.* Fundus item dotali, ne consentiente quidem uxore, à marito obligari potest. *l. un.* §. 15. *C. de Rei uxor act.* Quod fallit in bonis dotalibus mobilibus arg. *l.* 3. §. 2. *ff. de Suis, & legit. l. etsi.* 3. *C. de Jure dot.* & immobilibus æstimatò datis, quorum periculum statim in maritum transit: *l. plerumque* 10. *in pr. &* §. 4. *ff. de Jur. dot. l.* 5. *C. Eod.* licèt harum rerum hypotheca solutô Matrimoniô post *l.* 30. *C. Eod.* inutilis sit. Eandem ob causam sine solennitatibus oppignorari nequeunt res Ecclesiæ immobiles aut mobiles pretiosæ. *c. nulli.* 5. *de Reb. Eccles. non alien. Extravag. ambitiosæ. Eod. inter Comm.*

In *controversiam* venit: an tam hypotheca generalis omnium bonorum, quàm specialis certæ rei prohibita sit?

Ita existimant Bonacin. *tr. de alienat. q. un.* 20
p. 2. *num.* 23. & Donatus in *Prax. Regul. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 67. *n.* 1. moti *d. Extravag. ambitiosæ.* in qua sicut *omnium rerum, & bonorum*

norum Ecclesiasticorum alienatio, ita etiam *hypotheca* generaliter prohibetur.

Econtra Panormit. in *d. c. nulli. 5. num. 3.* Joan. Andr. *ibid. n.* 1. & alii per illum textum statuunt, specialem duntaxat hypothecam certæ rei Ecclesiasticæ immobilis, vel mobilis pretiosæ esse prohibitam, non etiam generalem, ut ita quotiescunque Prælatus aliàs suam Ecclesiam obligare potest, toties etiam omnia suæ Ecclesiæ bona in genere hypothecare, & obligare possit sine speciali solennitate, aut licentia superioris. Disparitatis ratio est, quia per hypothecam specialem res Ecclesiæ præsentissimo periculo alienationis exponitur: ex quo hæc pignoris natura est, ut si debitor non sit solvendo, creditori ex pignore satisfiat, vel ipsum pignus in solutum cedat. Econtra hypotheca generalis in effectu nihil novi constituit: nam aliàs, quando Ecclesia obligatur, etiam sine hypothecæ constitutione omnia illius bona obligantur, & si aliunde creditoribus satisfieri nequeat, ad alienationem quidem perveniendum est, sed causâ cognitâ à superiore, & solennitatibus debitis adhibitis; quod idem contingit si generaliter omnia bona sit hypothecata: non enim propter hypothecam generalem creditori pro arbitrio hanc, vel illam rem Ecclesiæ occupare, vel distrahere licebit.

Neque obstat, quod in *Extravag. ambitiosæ, rerum & bonorum Ecclesiasticorum hypotheca* generaliter prohibeatur; quamvis enim omnium rerum, non tamen omnis, id est, tam generalis, quàm specialis prohibetur, sed illa tantùm, quæ in jure alienationi æquiparatur, id est, specialis; maximè quia non est cogitandum, S. Pontificem, qui jura tuetur, unô verbô generali antiqua jura corrigere, ac evertere velle: & aliàs speciei, sive speciali constitutioni non derogatur per generalem, sed vice versâ: atqui de jure antiquo tantùm specialem, non generalem hypothecam prohibitam fuisse, satis constat ex *d. c. nulli. 5. de Reb. Eccles. alien. vel non.*

Propter *rei conditionem* invalida est op- 21
pignoratio rei alienæ. *l. 2. ff. de Pignorat. act. l. 20. C. Eod. l. 1. 2. 6. & 7. C. Si res alien. pign.* siquidem nemo alteri Jus in re constituere potest, in qua ipse nullum jus habet. *l. 54. ff. de R. J.* Refert tamen, an res simpliciter aliena sit, hoc est, in qua oppignorans nullum jus reale habet, an verò secundùm quid tantùm sit aliena, hoc est, in qua oppignorans habet aliquod jus reale? Res simpliciter aliena oppignorari potest sub conditione, si facta fuerit debitoris propria. *l. 16 §. 1. ff. de Pignorat. act.* purè non aliter potest, quam sciente, & consentiente, aut ratihabente Domino. *l. 6. C. Si res aliena pignori.* Res aliena secundùm quid autem validè oppignoratur ab habente jus in re illa: & ita rectè pignori datur res emphyteutica, aut superficiaria. *d. l. 16. §. 2.* & res oppipnorata. *t. t. C. Si pignus pignori datum sit.* Confer. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. num. 47.* Similiter inutiliter oppignorantur bona constitutioni fideicommissoriæ purè, vel conditionatè subjecta. *l. fin. §. 2. C. Communia de legat.* item res ad agriculturam destinata; ut servi, boves & instrumenta aratoria. *l. 7. & 8. Auth. Agricultores. C. Quæ res pign.* Ex hac enim causa tributorum ratio retardaretur. *l. 5. C. Eod.*

§. VIII.

Forma Pignoris est vel *intrinseca*, seu *essen-* 22
tialis, vel *accidentali*, seu *extrinseca.*

Forma essentialis pignoris, ut *contractûs* est, consistit in voluntate debitoris rem suam tradentis in securitatem crediti; ut verò est *pactum*, stat in nudo consensu debitoris obligantis rem suam. Nec Scriptura de Jure communi requiritur. *l. 1. ff. de Pignorat. act.*

Ad formam accidentalem Pignoris refe- 23
renda

renda sunt *Pactum commissorium*, & *antichreticum*.

Pactum commissorium illud est, quô inter debitorem & creditorem convenit, ut debitô intra certum tempus non solutô, res oppignorata pro quantitate debiti creditori committatur, hoc est, ejus fiat. Quia verò huic pacto sæpe inest fraus intolerabilis, maximè, ut sit, pro ære modico, egente debitore pretiosa mobilia oppignorante, & quodvis paciscì paratô, injustum, iniquum, & usurarium est, sive ab initio, sive ex postfacto adjectum fuerit. *c. 7. h. t. l. 3. C. de Pactis pignorum. Reformat. Polit. de Anno 1577. tit. 20. §.* Und dieweil man in Exfahrung kommt / ut proinde ne quidem per appositum juramentum firmari queat, quamvis debitor ipsum juramentum servare debeat. *d. c. 7. h. t.* Neque obstat. *l. 24. ff. de Pignorat. act.* quia hæc non loquitur de pacto commissorio, sed de actuali venditione pignoris ob moram debitoris in solvendo, restitutô, quòd supersit debitori. Confer. Clariss. D. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. Quib. mod. re contr. oblig. sub. n. 51.*

24 *Pactum antichreseos* est conventio, quâ creditori jus re oppignorata utendi fruendi in vicem usurarum æris alieni, donec illud solvatur, à debitore datur. *l. 11. §. 1. ff. h. t.* Et hoc pactum, cùm fructus rei antichreticæ ultra sortem accipiantur, *de Jure Canon.* damnatur tanquam usurarium. *c. 4. & 6. h. t. c. 1. 2. & 8. de Usuris.* ubi fructus ex re oppignorata percepti in sortem debiti principalis imputari jubentur. *Exceptio* habetur in *c. 1. de Feud.* ubi dicitur Dominum lucrari fructus ex re feudi sibi à vasallo oppignorata: & in *c. 16. de Usuris*, ubi deciditur, Maritum, cui pro dote uxoris sibi debita fundus oppignoratur, ob fructus inde perceptos non teneri minorem dotem acceptare. De *Jure Civili* verò, si fructus ita comparati sint, ut nullus eorum certus existat proventus, justum usurarum modum quodammodo excedere valent. *l. 14. l. 17. C. de Usuris.* Si verò hic certus sit, vel incertus quidem, excessus autem nimius, quod supereſt, in sortem computandum erit. *l. 8. ff. In quib. caus. pign. tacit.* P. Engel *de Usur. num. 18.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *l. cit. n. 50.*

§. IX.

Finis Pignoris est securitas *crediti*. *§. fin. Inst. Quib. mod. re contr. oblig.* ibi: *quò magis ei* (creditori) *in tuto sit creditum.* 25

§. X.

Effectus pignoris alius est, si consideretur ut *contractus*; alius, si consideretur ut *jus reale*. 26

Effectus pignoris, ut est *contractus*, est vel proximus, vel remotus.

Proximus est obligatio tum Creditoris, tum Debitoris. *Creditor* obligatur, solutô debitô rem oppignoratam in specie salvam, & integram cum omnibus fructibus, ac commodis restituere, præstitô dolô, latâ, & levi culpâ. §. 4. *Inst. Quib. mod. re contr. l. 14. l. 22. §. ult. ff. l. 1. 2. 3. 5. & 7. C. de Pignorat. act. Debitor* obligatur ad tradendum pignus idoneum locò rei alienæ, vitiosæ, vel jam tum obligatæ: *l. 9. pr. l. 16. §. 1. l. 32. ff. de Pignorat. act.* ad reparandum damnum occasione pignoris dolô, vel culpâ levi illatum: *l. 3. & 31. ff. Eod.* & ad refundendas impensas necessarias in rem oppignoratam factas. *l. 8. ff. l. 7. C. Eod.*

Remotus est actio pignoratitia directa, & contraria. *Directa* est actio personalis, quæ competit Debitori ejúsque hæredibus adversus creditorem, ejúsque hæredes debitô solutô ad rem oppignoratam cum fructibus repetendam. *Contraria* datur Creditori, & ejus hæredibus adversus debitorem, & ejus hæredes ad consequendâ indemnitatem, & ad præstandum illud, quod pignoris nomine abest. 27

Effectus pignoris, ut est *jus in re*, sunt tres. *Primus* est jus persequendi pignus apud 28

quemcunque, sive debitorem, sive tertium existens. Persequitur autem Creditor pignus vel *remediis petitoriis*, vel *possessoriis*.

Remedium petitorium est actio hypothecaria, eáque vel *Serviana*, vel *quasi serviana*, aut *hypothecaria de Prætorio pignore*. *Actio serviana*, sic dicta ab Auctore Servio Prætore, est actio realis, quâ locator prædii rustici res ex presså conventione à Colono sibi obligatas persequitur. *§. 7. Inst. de Act. Quasi serviana*, seu *hypothecaria in specie* est actio realis, quâ Creditores alii res quaslibet oppignoratas persequuntur. *d. §. 7.* Actio denique *hypothecaria de prætorio pignore* est actio realis prætoria, quâ Creditores persequuntur res pignore prætorio affectas, & in illorum fraudem alienatas. *§. 6. Inst. Eod.*

29 *Remedia possessoria* sunt *interdictum Salvianum*, quô locator prædii rustici agit adversùs Colonum, ad hoc, ut res conventione expressa oppignoratas possidere sibi liceat, *§. 3. Inst. de Interdict. & Interdictum, ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*, quod ei competit, qui permissu Judicis in possessionem ivit, nec admissus fuit. *l. 1. pr. & §. 5. ff. Ne vis fiat ei, qui in possessionem &c. & ibi* Interpp.

30 *Alter effectus* est jus retinendi pignus, donec solvatur debitum. Et potest creditor pignus pro uno debito constitutum retinere etiam pro alio, quod sine pignore dedit. *l. un. C. etiam chirographaria pecun.* sicut & pro impensis factis in custodiam, & conservationem pignoris. *l. 8. §. ult. ff. de pignorat. act.* & totum quoque pignus pro parte debiti nondum soluta. *l. 9. §. 3. ff. Eod.* Quin etiam pro usuris, si in sortem, & usuras simul, vel simpliciter obligatum & acceptum sit. *l. 11. §. 3. ff. Eod.*

31 *Tertius effectus* est jus distrahendi pignus, seu rem obligatam, postquam debitor constitutus est in mora solvendi. *l. 7. & 14. C. de Distract. pignor.* sive per interpellationem Creditoris. *l. 10. C. h. t. l. 32. ff. de Usur.* sive per lapsum diei solutionis. *l. 12. C. de Cont. & commit. stipul.* Ipsa autem distractionis facultas ex qualitate pacti de alienando, vel non alienando adjecti æstimatur. Si pactum super distractione, & modo distrahendi, standum est pacto. *l. 4. ff. de Pignorat. act.* si nihil de distrahendo pignore actum est, debitori semel denuntiatio facienda, & post hanc biennium exspectandum est, quô elapsô, si debitor nondum solverit, procedit pignoris venditio. *l. fin. §. 1. C. de Jure dominii impetrando.* Si verò pactum sit de non distrahendo, tunc trinâ denuntiatione per arbitraria intervalla opus est ad distractionem validè & ritè peragendam. *d. l. 4. in fin. ff. de Pignorat. act.* Ratio autem, cur & hoc casu creditori liceat pignus vendere, est, quòd potestas vendendi pignus tacitè insit naturæ pignoris, & quidem separabiliter. DD. *ad ff. & C. de Distract. pignorum.*

Ad *effectus* pignoris quoque pertinet *prælatio Creditorum hypothecariorum*, circa quam hæc regula traditur: *qui prior tempore, potior jure l. 8. 10. 11. ff. h. t. l. 7. 8. C. Qui potiores in pign.* licèt posteriori res priùs sit tradita *l. 12. §. fin. ff. Eod.* & sive hypothecarii sint generis ejusdem, sive diversi. *l. 2. & 3. §. 1. ff. l. 2. l. 6. C. Eod.* & non tantùm in sorte principali, sed etiam in usuris saltem licitis. *l. 18. ff. Eod.* Mynsing. *cent. 1. observ. 59. in pr.*

Fallit autem regula, quando Creditores alii sunt privilegiati, alii non; illi enim his, tempore etiam prioribus præferuntur. *l. 5. l. 6. ff. l. ff. C. Qui potiores in pign.* Ita I. præfertur fiscus quoad tributa collectas, & annonam publicam. *l. 1. & 4. C. In quib. caus. pign. vel hyp. l. 1. & 2. C. Si prop. publ. pens.* II Pupillus, cujus nummis aliqua res comparata est. *l. 7. ff. Qui potiores in pign.* III. Mulier favore dotis, ita quidem, ut hæc potior sit omnibus Mariti Creditoribus, etiam habentibus hypothecam anteriorem expressam propter textum gene-

generalem in *l.* 12. *C. Eod* Fachin *lib.* 3. *controv. c.* 99. Mynsing *Cent.* 4. *observat.* 19. Berlich. *p.* 1. *concl.* 45. *n.* 6. contra Gail. 2. *obser.* 25. *n.* 10. Covar. *Var. resol. cap.* 9. *n.* 1. Jason. Zasium & alios. Imò eâdem prærogativâ ratione dotis gaudent mulieris hæredes descendentes. *d. l.* 12. §. 1. *v. exceptis.* non extranei. *l. un. C. de Privil. dot.* IV. is, qui in refectionem vel conservationem rei oppignoratæ specialiter credidit. *l.* 5. *&* 6. *ff. Qui potior in pign.* V. is, cujus pecunia res empta, & cui insuper expressè obligata est. *l.* 7. *C. Eod.* VI. is, qui hypothecam ex publico instrumento sibi vendicat: quippe hic præfertur agenti ex privato *l.* 11. *C. Qui potior in pign.* nisi hoc à tribus testibus subscriptum sit. Gabriel *de Probat. concl.* 11.

§. XI.

33 *Contraria* pignoris sunt modi, quibus solvitur. Solvitur autem vel ratione *debiti principalis*, vel ratione *sui ipsius*.

Ratione *debiti principalis* pignus solvitur dupliciter I. ipso jure, si debitum extinctum sit, videlicet per solutionem totius debiti. *l.* 11. §. 1. *ff. h. t. l.* 6. *ff. Quib. mod. pign. sol.* aut aliam satisfactionem, puta confusionem. *l.* 7. *l.* 8. *l.* 95. §. 2. *ff. de Solut.* per novationem. *l.* 10. §. 1. *ff. de Pignorat. act. l.* 18. *ff. de Novat.* per compensationem. *l.* 4. *ff. Qui potior. in pign.* per acceptilationem. *t. t. ff & C. de Acceptilat.* II. Ope exceptionis, si debitum remittatur vel expressè, ut si creditor paciscatur cum debitore de non petendo. *l.* 17. §. 2. *ff. de Pact.* vel tacitè, ut si creditor reddat syngraphum debitori suo. *l.* 7. *C. de Remiss. pign.* aut si debitor absolvatur per sententiam Judicis, licèt iniquam *l.* 13. *ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

34 Ratione *sui ipsius* pignus solvitur I. lapsu temporis, ad quod pignus, vel hypotheca contracta est. *l.* 6. *pr. ff. Quib. mod. pign. vel hyposol.* II. voluntate Creditoris pignus remittentis, vel expressâ, ut si paciscatur cum debitore, ne res, quæ hactenus fuit pignori, ampliùs pignoris maneat. *l.* 1. §. 1. *& seq. ff. Eod.* vel tacitâ; ut si rem oppignoratam creditor debitori reddat. *l.* 3. *ff. de Pact.* aut debitore pignus, seu hypothecam alienante ipse consentiat in alienationem. *l.* 7. *l.* 8. §. 1. *ff. Quib. mod. pign. vel hypotheca solv.* III. casu, nimirum, si extinguatur jus, quod debitor in re oppignorata habuit *l.* 31. *ff. h. t.* vel si res ipsa, sed tota pereat. *l.* 8. *ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

PARS II.

De aliis Cautionibus.

Cautionum genera sunt varia: alia enim est, *simplex*, alia *juratoria*, alia *idonea*. Cautio *simplex* est, quando nudâ promissione creditor securus redditur. Et hæc tunc sufficit, quando jus sine addito cautionem exigit per *l.* 3. *C. de verb. & rer. signif.* ubi nomine cautionis nuda promissio dicitur significari. Cautio *juratoria* præstatur, quando creditor mediante juramento præstito à debitore redditur securus. *Idonea* est vel *pignoratitia*, vel *satisdatoria*. *Pignoratitia* est, quâ per pignora; *Satisdatoria*, quâ per fidejussores idoneos creditorem securum reddimus. Unde si jus requirat, cautionem idoneam, dandi sunt fidejussores, vel pignora. *l.* 4. §. 8. *ff. de Fidecommiss. libert.* ubi quæritur, quid sit idoneè cavere? & respondetur: cavere satisdato, vel pignoribus. Quòdsi autem jus *satisdationem* desideret, dandi sunt fidejussores, nec sufficiunt pignora per *l.* 1. *ff. qui satisdare coguntur*; ubi satisfacere dicitur, qui cavet datis fidejussoribus per *l.* 7. *ff. de Stipul. Prætor* ubi de Prætoriis satisdationibus dicitur, quòd fidejussores desiderent, nec pignoribus contentæ sint: & per *l.* 9. §. 3. *ff. de Pignorat. act. &* §. 41. *Inst. de rerum divis.* in quibus locis satisdare, & cavere pignoribus sibi invicem opponuntur. Plura de his Civilistæ, campus amplior est, quàm ut ingrediamur.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

SUMMARIA.

1. Etymologia fidejussionis. 2. Ejus definitio. 3. usque 8. Divisio. 8. Origo. 9. usque 14. Quinam fidejubere prohibeantur. 14. usque 17. Cui obligationi accedere possit fidejussor? 17. Ad Fidejussorem requiritur stipulatio. 18. 19. Convenientia cum debito principali. 20. & ut debitum principale remaneat. 21. Quinam sit finis fidejussionis. 22. & seqq. Quinam effectus?

Pignori affinis est *fidejussio*, & idcircò hoc loco titulus iste subjicitur.

§. I.

1 Vocabulum *fidejussionis* non simplex, sed compositum est derivatum à *fide*, & *jussu*, eò quòd fidejubens, seu fidejussor suâ *fide* alium *jubeat*, rem, vel pecuniam credere per *l.* 60. §. 1. *ff. Mandati.* Germanicè dicitur ein Bürgschafft.

§. II.

2 *Definitur fidejussio*, quòd sit stipulatio, seu conventio, quâ quis pro alieno debito fidem suam interponit, Debitore principali nihilominus manente obligato. *pr. Inst. h. t. l.* 65. *ff. Eod.*

§. III.

3 *Dividitur* fidejussio I. in necessariam & voluntariam. *Necessaria* dicitur, quæ à Lege, vel Magistratur exigitur. Cujus exemplum extat in *l.* 13. *ff. de Usufr.* & usus adhuc hodie obtinet, præsertim si de eo, quod intererit in futurum, cautio interponatur, cùm hoc sit incertum, adeóque de eo per pignora, quorum certa est æstimatio, commodè caveri nequeat *l.* 7. *ff. de Stipul. Prætor.* Mevius *p.* 3. *dec.* 238. *Voluntaria* econtra est, quæ talem exactionem non habet. Gloss. in *l.* 7. §. 1. *ff. Qui satisd. cog.* Treutl. *vol.* 1. *disp.* 5. *th.* 1. *lib. h.*

4 II. *Dividitur* in fidejussionem *judicialem*, quâ in judiciô; & *extrajudicialem*, quâ extra judicium fidejussor constituitur. Illa propriè *satisdatio* appellatur, sive *idonea cautio*: & fidejussor ipse, si caveat de judicio sisti, *vas*, si de judicato solvendo, *præs* nuncupatur. Vinn. *ad pr. Inst. h. t.* Hæc generis nomen retinet, & in contractibus potissimùm adhibetur.

5 III. *Dividitur* fidejussio in principalem, & succedaneam. *Principalis* est, quâ fidejussor se obligat pro Debitore principali *l.* 27. §. 2. & 4. *h. t. Succedanea*, quâ fidejussor pro fidejussore intercedit. *l.* 8. §. *fin. ff. Eod.* Cujusmodi fidejussor *succedaneus*, ein Rück-Bürg salutatur.

6 IV. *Dividitur* in fidejussionem simplicem, & indemnitatis. *Simplex* est; quâ quis pro debito se simpliciter obligat, & promittit solvere Creditori, quod alius ei debet. Fidejussio *indemnitatis* verò, quâ quis in residuum atque in eum demum casum se obligat, si debitum suum integrum Creditor consequi non possit. *l.* 21. *ff. de Solut. l.* 116. *ff. de V. O.* In vernacula *fidejussor indemnitatis* indigitatur ein Schadloß-Bürg.

7 V. *Dividitur* in fidejussionem idoneam, & non idoneam. *Idonea* est, quâ per fidejussorem idoneum satis cautum est Creditori de receptione debiti; id quod æstimatur ex duobus, nempe ex facultatibus fidejussoris, & conveniendi facilitate. *l.* 2. *pr. ff. Qui satisd. cog.* Facultates tantæ sint, oportet, ut inde Creditor probabiliter possit servari indemnis *arg. l.* 4. *ff. Ut in possess. legat. vel fideicomm. & l.* 114. *ff. de V. S.* Facilitas verò conveniendi eò pertinet, ne fidejussor sit fori diversi à foro Creditoris: ne sit rixosus, litigiosus, potentior, ac talis, qui Creditori difficilem reddat persecutionem juris sui: ne denique sit è numero eorum, quibus de jure competit exceptio contra fidejussoriam obligationem, aut læsione probatâ restitutio. *l.* 8. §. 1. *ff. Eod. Gail. 2. observ.* 27. *n.* 25. Ex quibus facilè in-

intelligitur, quæ fidejussio sit *non idonea*, ita ut à Creditore licitè recusari possit, nempe si fidejussor non sit satis locuples pro quantitate rei debitæ, aut saltem difficilis conventu.

§. IV.

9 *Causa efficiens* fidejussionis alia est remota, alia proxima.

Remota est jus, partim civile Romanum, partim consuetudinarium. *Civile Romanum* quidem, quia eò jure ad essentiam fidejussionis requiritur stipulatio, sive verbalis interrogatio, & responsio; puta, ut Creditor fidejussorem interroget: *fide tuâ salvum esse jubes, quod Titius debet?* & fidejussor iisdem verbis repetitis, vel saltem æquivalentibus, se fidejubere respondeat. *l.* 75. §. 6. *ff. de V. O. l.* 16. §. *fin. l.* 42. *& passim. ff. h. t. Consuetudinarium*, quatenùs universalissimâ consuetudine Germaniæ confuta sunt stipulationum, & pactorum jura, neque minùs pacta, quàm stipulationes ligant, ideoque & fidejussio hodie nudo pacto, nullâ interrogatione præcedente, & sine ulla solennitate verborum, imò etiam inter absentes, & per litteras fieri potest. Carpz. *in Jurisp. forens. p.* 2. *const.* 19. *def.* 17. Joh. Fr. Hahet. *ad Inst. dissert.* 20 *posit.* 24. Georg. Widman. *de Contract. tit.* 7. *n.* 11. Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. h. t. n.* 9.

9 *Proxima* est fidejussor, qui ad majorem creditoris securitatem pro debitore principali se ita obstringit, ut obligatio principalis nihilominus duret, & salva permaneat. Possunt autem fidejubere, qui solenni stipulatione, aut (de consuetudine) pacto se obligare possunt, exceptis quibusdam personis, quibus jure specialiter interdicitur fidejussio.

10 I. Enim fidejubere prohibentur Clerici, ne se ipsos forsan ære alieno gravent cum dedecore statûs clericalis, & damno Ecclesiæ. *c.* 1. *h. t.* Id, quod procedit de abusu, & indiscreta, ac nimia frequentia fidejussionis, prout satis liquet ex *d. c.* 1. ubi statuitur, ut Clericus fidejussionibus *inserviens abjiciatur*, hoc est, deponatur: particula enim *inserviens* frequentiam actuum denotat. Pirrhing. *ad h. t. §.* 2. *n.* 16. Igitur Clericus in uno, vel altero casu, præsertim necessitatis, pietatis, vel charitatis v. g. pro Ecclesia, vel alia persona Ecclesiastica, aut etiam pro Laico egeno fidejubere, & sua propria bona (non item Ecclesiæ. *c.* 2. *de Solut.* nisi omnino manifestè cedat in utilitatem Ecclesiæ) obligare poterit. Barb. *ad d. c.* 1. *n.* 2. Imò si necessitas magna & manifesta sit, non tantùm licitè posse, sed etiam teneri Clericum alteri Clerico, vel Ecclesiæ subvenire fidejubendo, rectè docet Glossa in *c. penult. h. t* arg. *c. non satis. dist.* 89.

11 II. Magis adhuc fidejubere prohibentur Religiosi etiam in dignitate constituti. *c.* 4. *h. t. c.* 2. *de Solut.* ita quidem, ut si Religiosus inferior defacto fidejussisset absque Abbatis & majoris Capituli consensu, nec ipse Religiosus, nec Monasterium obligetur. Idem est de Prælato, si debitas solennitates non adhibeat, & debitum, pro quo fidejussit, sit in notabili quantitate. *d. c.* 2. *de Solut.*

12 III. Prohibentur fidejubere Milites, quia forensium negotiorum occupatio eos à militiæ studio avocare non debet, ne dum militandum est, exactionibus divexentur. *l. miles. & ibi* Glossa. *C. Locati.* Utrùm autem hoc idem privilegium competat nostri temporis militibus? rationem dubitandi mutatio militaris disciplinæ suppeditat. Et sanè benignius est, ut eis quoque concedatur ex identitatis ratione, arg. *l.* 32. *ff. Ad legem Aquil.* cum fermè major cura & diligentia ad hodiernum bellandi morem requiratur, majúsque immineat periculum.

13 IV. Senatusconsultô Vellejano ob imbecillitatem voluntatis, & lubricum consilii à fidejussionibus arcentur mulieres. *tot. tit. ff. & C. ad Setum Vellejanum. l.* 3. *l.* 40. *ff. h. t.* ita ut sive defacto expressis fidejubeant verbis, sive

sive etiam re ipsâ pignus pro alio tradant Creditori, sive alio quocunque modo excogitabili pro alio se accessoriè obligent, ne quidem in conscientia teneantur, Senatu totam obligationem improbante, *l.* 16. §. 1. *ff. ad SCtum Velleian.* & si ex tali intercessione aliquid solverint, non tantùm in foro externo, sed etiam interno condicere, seu repetere possint. *l.* 8. §. 3. *& l.* 9. *C. Eod. l.* 40. *ff. de Condict. indeb. Novel.* 134. *c.* 8. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. disp.* 549. *n.* 2. Haunold. *tr.* 9. *c.* 1. *controv.* 7. *n.* 116. nisi super beneficio istius SCti per Notarium, vel Assistentem certioratæ eidem renuntiaverint, ac fidem suam interposuerint, juxta regulam. *l. penult. C. de Pactis & l. fin.* §. 4 *ff. ad SCtum Vellejan.* Fachin. *lib.* 2. *controv. c.* 59. Gail. *lib.* 2. *observ.* 77. *num.* 3. P. Engel *h. t. n.* 8. Imò & in illustribus mulieribus, quæ ipsæ regnis & territoriis præsunt, & majestatem, vel regalia habent, cessare SCtum Vellejanum, adeóque mulieres illustres efficaciter fidejubere, docet Tabor in *not. ad Colleg. Argent. h. t. th.* 5. Alios casus exceptos dabit P. Engel. *cit. n.* 8.

§. V.

14 *Materiam*, seu *objectum* fidejussionis constituit obligatio aliena; circa quam Ulpianus in *l.* 1. *ff. h. t.* hanc regulam tradit: *omni obligationi fidejussor accedere potest.*

Nec refert I. sive obligatio illa sit naturalis, sive civilis tantùm, sive mixta. §. 1. *Inst. l.* 7. *l.* 16. §. 3. *l.* 35. *ff. h. t.* Excipitur obligatio dotis; quatenus pro *dote conservanda*, aut *restituenda* constante matrimonio à marito non tantùm non exigi, sed ne quidem dari, aut ultrò offerri possunt fidejussores *l.* 1. *& 2. C. Ne fidejussores dotium dentur, & ibi* Perez. *n.* 3. Fachin. 8. *controvers.* 76. Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 7. *th.* 4. *tit.* 16. Rationem addit Imperator, ne causa perfidiæ generetur in connubio; quod utique fieret, si uxor plus fidei alienæ, id est, fidejussoris extranei tribueret, quàm ipsius mariti, cui tamen corpus, & vitam credidit. Harprecht *Inst. h. t.* §. 1. *n.* 8. Quod limitatur, si extraneus dotem dederit pro muliere cum obligatione eam sibi reddendi solutô matrimoniô: is enim rectè exiget fidejussionem, ex quo non extat prohibitio, cessatque ratio prohibitionis, cùm diffidentia tali casu non sit penes mulierem, sed penes extraneum. Perez. *loc. cit. n.* 5. Molin. *de J. & J. disp.* 425. *n.* 2. Quin imò ex hac causa rectè fidejussores peti à marito, si is vergat ad inopiam aut periculum sit prodigendæ dotis, putat Gail. 2. *observ.* 84. *n.* 10. Panorm. *c. per vestros. de Donat. inter vir. & uxor.*

Nec refert II. sive obligatio illa sit præsens, 15 sive futura. §. 3. *Inst. l.* 4. *l.* 6. §. 2. *l.* 38. §. 1. *l.* 57. *ff. h. t.* Quærenti autem, quo modo futuræ fidejussor adhiberi possit, cùm fidejussio sit essentialiter accessoria, accessorium autem non præcedat, sed sequatur suum principale? Respondeo, fidejussionem, quando accedit obligationi futuræ, resolvi in conditionalem, seu interim in pendenti esse, donec ponatur obligatio principalis. *l.* 35. *ff. de Judiciis*; hac verò positâ fidejussio evadit absoluta, & sic posterior obligatione principali: eâ non positâ fidejussio evanescit. *l.* 16. § 5. *l.* 57. *ff. h. t.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. h. t. n.* 9.

Nec refert III. sive obligatio illa ex con- 16 tractu, sive ex delicto descendat *l.* 8. *§.* 5. *l.* 56. §. *ult. l.* 70. §. *fin. ff. h. t.* sed ita demum, si ex delicto agatur *civiliter*, aut criminaliter quidem, sed ad mulctam pecuniariam: sine dubio ideò, quia fidejussio his casibus præstat expeditiorem persecutionem pœnæ, quæ utrùm solvatur ab ipso reo, an verò à fidejussore non potest interesse actoris, aut fisci, arg. *l.* 23. *& 53. ff. de Solut.* Schneidew. *ad* §. 1. *Inst. h. t. num.* 8. contra Marant. *in spec. p.* 6. *tit. de interrog. & satisdat. n.* 10. Hypol. de Marsil. *in Pr. crim.* §. *attingam. n.* 3. *& seq.*

Secus

Secus est, si agatur ad pœnam ultimi supplicii, aliamvè corporis afflictivam: nam hic pœnæ suos debent tenere authores per *l.* 6. *§. super his. C. de Appellat.* & nemo potest se obligare ad pœnam corporalem sustinendam pro alio, siquidem nemo membrorum suorum est dominus. *l.* 13. *ff. ad leg. Aquil.* Covar. *l.* 2. *var. resol. c.* 18. *n.* 8. Nec officit *l.* 1. 2. *& 3. ff. de custodia reorum.* quæ innuunt, quasi etiam pro delinquentibus in gravibus criminibus fidejussores interponi valeant: etenim illud saltem est ad evitandam carceris molestiam, ut si non stiterint fidejussores reum, ipsi vel pecunia fidejussionis ergò promissa cadant, vel si elabendi occasionem accusatis suppeditaverint, extra ordinem graviter plectantur per *l.* 4. *C. de custodiareorum.*

§. VI.

17 *Forma* fidejussionis consistit in stipulata promissione ejus, quod alius debet, debitore nihilominus manente obligato. *l.* 65. *ff. l.* 5. *C. h. t.* Tria itaque concurrant, necessum est, ut sua fidejussioni constet indoles.

I. Intervenire debet stipulata promissio: nam, *ut supra n.* 8. insinuavimus, jure Romano fidejussio non aliter valet, quàm contracta per stipulationem per *l.* 12. *C. h. t.* Interveniisse autem præsumitur stipulatio, quando scriptum reperitur, fidejussum esse, eò quòd solennitas extrinseca semper præsumatur. *§. fin. Inst. h. t. l.* 14 *C. de contrah. stipul.* Nec interest quacunque lingua fidejubeatur, modò alter alterum intelligat. *§.* 7. *Inst. h. t.* etiam per Interpretem: arg. *l.* 1. *§.* 6. *ff de V. O.* & inter præsentes fiat. *d. §. fin. Inst. h. t.* Sola tamen commendatio, vel affirmatio, aliquem esse locupletem, & solvendo existere, fidejussionem non inducit, nec obligat commendantem, cùm aliud sit commendare, aliud mandare. *l.* 12. *§.* 12. *ff. Mandati.* Gomez *var. resol. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 5. nisi inidoneum Tutorem tanquam idoneum commendaverit. *l.* 4. *§. ult. ff. de fidejuss.* aut dolo malo alterum solvendo esse affirmaverit per *l.* 7. §. 10. *ff. de Dolo malo. l.* 19. *ff. de Ædil. edict.*

II. Fidejussor in id ipsum obstringi debet, 18
quod Principalis continet obligatio: non in plus *re, tempore, loco, aut causâ. §.* 5. *Inst. h. t. l.* 8. §. 7. *ff. Eod.* Rationem reddit Imperator in *d. §.* 5. quia cùm obligatio fidejussoria sit accessio obligationis principalis, non potest utique plùs in accessione esse, quàm in principali. Potest tamen fidejussor obligari in minus, & causam leviorem per *jura cit.*

Acris, ac vehemens DD. *disputatio* est: an 19
si fidejussor in majorem summam se obligârit, tota fidejussio inutilis sit, vel saltem ad concurrentem summam debiti principalis sustineatur?

Prima sententia est, totam fidejussionem nullam esse. Ita Fachin. *lib.* 8. *controv. c.* 51. cum pluribus ibi citatis, propter textum *in d. l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* ibi: *illud commune est universis, qui pro aliis obliguntur; quòd si fuerint in duriorem causam adhibiti, placuit, eos omninò non obligari.* Si hoc? ergo neque tenentur in summam concurrentem: nam *omninò non* idem est, ac *planè non*, vel *prorsus non*. Accedit, quòd ejusmodi fidejussio æquiparetur cum ea, quâ fidejussor purè promisit, quod principalis debet sub conditione, quæ tota inutilis est.

Altera sententia contendit, valere fidejussionem saltem quoad summam concurrentem, seu eam quantitatem, quæ respondet debito principali. Ita Perez *ad Cod. h. t. n.* 16. Zoës. *ad ff. Eod. n.* 9. Gomez *lib.* 2. *Var. resol. n.* 2. Molin. *de J. & J. disp.* 541. *n.* 3. & alii, quibus accedit Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. h. t. sub n.* 3. propterea: quia *primò*, qui stipulanti *decem* promittit *viginti*, obligatur saltem in *decem*, cùm *decem* insint *viginti*, & summa minor majori. *l.* 1.

§. 4. *ff. de V. O.* Ergo pariter fidejussor promittens majorem summam creditori, quàm ei debeatur, obligabitur saltem quoad summam concurrentem, siquidem fidejussio est species stipulationis. *Secundò:* quia quandocunque plùs promissum est, quàm oportuit, non tota obligatio, sed superfluum infirmatur. *l.* 18. *ff. de V. O. l.* 11. *&* 12. *ff. de Constit. pecun. l.* 3. §. *ult. l.* 4. *l.* 33. *ff. Mandati. l.* 61. *ff. de Jur. dot. l.* 34. *C. de Donat.* ergo idem obtinet in fidejussione: quippe & in hac utile per inutile vitiari non debet per *c.* 37. *de R. J. in* 6. III. Quia alii *intercessores*, veluti *constitutores*, & *mandatores*, pro majori summa, intervenientes obligantur ad summam concurrentem, *d. l.* 11. *ff. de Constit. pecun & l.* 33. *ff. Mandati.* non obstante, quòd *d. l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* loquatur *de universis*, qui pro aliis intercedunt, eósque in duriorem causam obligari posse neget; ergo & fidejussores tenebuntur.

Et ex his patet responsio ad *d. l.* 8. §. 7. præterquam enim, quòd ibi verba: *omninò non obligari*, idem significent, *ac non omninò*, id est, *non in solidum.* arg. *l.* 3. *ff. Qui satisd. cog. l.* 10. *pr. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. & l.* 11. *ff. de Legat.* 1. distinguendum etiam est inter causam, quæ admittit separationem, & quæ non admittit: quotiescunque causa admittit separationem, ut puta, si quantitas debeatur, toties fidejussor in duriorem causam acceptus pro concurrente parte obligatur; quotiescunque verò non admittit separationem, ut puta, si debitore principali sub conditione obligato fidejussor purè promittat, toties fidejussor planè non obligatur. Cur tam variè? quia posteriori casu planè aliam. & diversam subiret obligationem fidejussor, cùm pura obligatio non insit cõditionali, ut obligatio sum̃æ minoris obligationi sum̃æ majoris.

Porrò licèt fidejussor secundùm dicta in duriorem causam non obligetur, quàm ejus principalis, arctiùs tamen obligari eum, nihil implicat, atque hoc præcipuè contingit, cùm fidejussor vel intervenit pro eo, qui tantùm naturaliter tenetur, & contra quem non habet excussus mandati actionem: *l.* 25. *ff. h. t.* vel se obligat sub hypotheca, & pignore ipso principali non obligato, nisi personaliter: Faber *ad* §. *Fidejuss. Inst. h. t.* vel denique obligationi suæ pœnam aliquam adjicit, quam non promisit principalis: Gloss. sing. *in l.* 65. *ff. h. t.* vel per instrumentum guarantigiatum, seu paratæ executionis se obstringit.

III. Fidejussor ita obligari debet, ut prin-20 cipalis debitor nihilominus maneat obligatus, *l.* 4. 5. *&* 23. *C. h. t.* quo fidejussio discernitur ab expromissione, per quam aliena obligatio ita suscipitur, ut debitor prior omninò liberetur, ipse vero expromittens evadat debitor principalis. *l.* 7. §. 8. *ff. de Dol. mal. &* ibi Cujac. *l.* 4. *ff. de condict. causâ dat.*

§. VII.

Finis fidejussionis ex parte creditoris, est 21 securitas crediti, ut diligentiùs creditori cautum sit. *pr. Inst. h. t. l.* 1. §. 8. *ff. de Obligat. & act.* ex parte verò debitoris, ut ei faciliùs credatur.

§. VIII.

Effectus fidejussionis est vel *proximus*, vel 22 *remotus.*

Proximus est obligatio fidejussoris ad solvendum, quod tempore fidejussionis in obligatione principali fuit, sive sors sit, sive usura; & quidem ad id tantùm. *l.* 68. §. 1. *ff. l.* 10. *C. h. t. l.* 8. *C. Quod cum eo, qui in alien. potest. est.* Ad illud, quod primùm post contractam fidejussionem ex mora debitoris, culpavè obligationi principali accessit, fidejussor non obligatur. *l.* 8. *ff. de Eo, quod certo loco. l.* 54. *pr. ff. Locati d. l.* 68. §. 1. *ff. h. t.* nisi universaliter & in omnem causam acceptus sit per *leges citatas:* ferat enim sibi acceptum fidejussor, quòd ab initio hanc legem contractui dixerit. Certè perpecuari, & continuari fide-

fidejussoris obligationem propter debitoris moram, ultro fatearis, oportet, propter *l.* 49. & 88. *ff. de V.O. l.* 58. §. 1. *ff. h.t.* quare si per moram debitoris principalis res debita pereat, tunc sicut ipse debitor principalis non liberatur, sed ad æstimationem tenetur, ita pariter fidejussor, quamvis ipse in mora non fuerit. *d. l.* 80. §. 1. *ff. de Usur.*

23 *Effectus remotus* fidejussionis est actio inde competens: nempe *actio ex stipulatu*, si stipulatione; *condictio* verò, aut *actio ex moribus*, si pactò nudò fidejussum sit. Circa utramque hanc actionem.

24 *Quares* I. Cui detur? R. dari creditori, & ejus hæredibus. Et olim quidem Creditor ante principalem debitorem fidejussorem, ejúsve hæredes convenire poterat. *l.* 2. 3. 5. & 23. *C. h.t.* hodie verò à Justiniano per *Novel.* 4. c. 1. introductum aut renovatum est *beneficiũ excussionis*, seu *ordinis*, quo fidejussor à creditore conventus ipsum ad principalem debitorem remittit, ejúsque bona, sive facultates *excuti*, hoc est, solvendo sint, nec ne? primùm inquiri, indéque credito satisfieri petit, antequam sibi molestia fiat. *d. Novel.* 4. c. 1. Quæ excussio adeò rigorosa censetur, ut usque ad saccum, & peram fieri debeat. Jason in §. *fin. n.* 6. *Inst. de Act.* Hering. *tr. de Fidejussorib. q.* 27. *p.* 1. *n.* 3. & *seqq.* qui plenâ manu de hocce beneficio agit.

25 *Quares* II. Contra quem detur actio ex stipulatu, aut condictio ex moribus? R. dari I. contra fidejussorem: & si plures fidejussores sint, contra singulos in solidum, ita ut liberum sit creditori, à quo velit solidum petere, & eô, quem elegit, non satisfaciente, ad alium reverti possit. §. *si plures* 4. & *ibi* DD. *Inst. h.t. l.* 3. & 23. *C. Eod.* conventus tamen ex illis se tueri potest exceptione *divisionis*, seu *epistolæ D. Hadriani* ad hoc, ut creditor dividat actionem, & à singulis portionem, seu ratam petat. *d.* §. *si plures Inst. l.* 26. *l.* 27. §. *fin. l.* 28. *ff. h.t. l.* 10. §. 1. *C. Eod.* De hoc Beneficio vide Carpzov. *p.* 2. *constit.* 17. *definit.* 9. *n.* 2. & *seq.* II. Datur prædicta utraque actio etiam contra hæredes fidejussoris. §. 2. *Inst. l.* 4. §. 1. *l.* 24. *C. h.t.* Et hoc sive hæredum mentio facta sit, sive non. *l.* 13. *C. de Contrah. & comit. stipul.* & ampliùs: licèt etiam obligatio fidejussoria taxativè concepta fuerit, ut fidejussor *solus* teneatur, vel *tantùm*, vel *duntaxat*. arg. *l.* 8. §. 4. *ff. de Pignorat. act.* Carpzov. *p.* 2. *constit.* 20. *defin.* 1. & 2.

Quares III. Ad quid detur actio ex stipulatu, aut condictio ex moribus? R. dari ad solvendum id, quod ex fidejussione debitum. Succurritur tamen & hoc casu fidejussori *beneficio cedendarum actionum*, quô in solidum conventus, vel condemnatus solvere non cogitur, antequam à creditore actiones, quas ipse tum contra reum principalem, tum contra confidejussores habet ei cessæ fuerint. *l.* 13. *l.* 17. *l.* 36. *l.* 39. *ff. h.t. l.* 11. *C. Eod.* Sine cessione nulla fidejussori solidum solventi competit actio adversus confidejussores. *d. l.* 39 *ff.* & *l.* 11. *C. h.t.* habet tamen contra principalem debitorem actionem mandati, si eo sciente ac mandante fidejusserit. §. 6. *Inst. h.t.* junctâ *l.* 6. §. 2. *ff. Mandati.* vel negotiorum gestorum, si pro ipso absente, vel ignorante fidejusserit, & realiter solverit. *l.* 4. *ff. de Negot. gest.* junctâ *l.* 38. *in fin. ff. Mandati.* quòdsi verò pro præsente, & vetante, caret omni actione. *l.* 41. *ff. Mandat. l. fin. C. de Negot. gest.* 26

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

SUMMARIA.

1. Solutionis homonymia. 2. Definitio. 3. Quo jure facienda? 4. usque 10. Quinam solvere possint, aut tentantur? 10. usque 16. Quibus solvi possit? 16. usque 22. Quid quantumque solvi debeat?

22. usque 28. Quæ sit forma solutionis? 28. & seqq. Quis effectus?

1 COntractus, è quibus obligatio gignitur, excipit *solutio*, per quam obligatio contracta tollitur.

§. I.

Vox *solutionis* modò latiùs, modò strictiùs sumitur. Latiùs accepta significat quamcunque satisfactionem legitimam, & liberationem Debitoris, sive ea per acceptilationem, & ultroneam remissionem Creditoris, sive per delegationem alterius debitoris, sive per quemcunque alium modum fiat. *l. 54. ff. h. t. l. 176. ff. de V. S.* Strictiùs sumpta denotat eam tantùm satisfactionem, quæ contigit per veram debiti præstationem. Quo modo hîc accipitur, &

§. II.

2 *Definitur* solutio, quòd sit rei debitæ debito loco, & tempore Creditori facta redditio. Hostiens. *h. t. n. 1.*

§. III.

3 *Causa efficiens* solutionis alia est *remota*, alia *proxima*.

4 *Remota* est jus tam naturale, quàm positivum: tam Divinum, quàm humanum: etenim *aquissima vox est: redde, quod debes.* Seneca *de Benefic. lib. 3. c. 14.*

Proxima est is, qui solvit. Potest autem solvere.

I. Ipse debitor, habens liberam rerum suarum administrationem: qui hanc non habet, se solo non rectè solvit. *l. 5. & 17. C. h. t.* Ratio est, quia solutio est species alienationis. Unde Pupilli, qui Tutores, & Minores, aut Prodigi, qui Curatores habent, solvere nequeunt, sine horum authoritate, vel consensu. *§. ult. in fin. Inst. Quib. alien. licet, vel non. l. 14. §. ult. l. 46 & 55. ff. h. t.* Quòdsi nihilominus sine hac solennitate solverint, solutum non faciunt accipientis, & ideo nummi vindicari possunt, si adhuc extant; si verò pecunia soluta fortè apud Creditorem pereat, vel cum aliis pecuniis commisceatur, tunc, ne quod in favorem pupillorum & minorennium introductum est, in damnum redundet, reconvalescit solutio, & sequitur plena liberatio. *d. l. 14. §. ult. ff. h. t. l. non omnis 19. §. si pupillus ff. de Reb. cred. l. obligari 9. §. pupillus. ff. de Auctorit. tutor.* Zas. *ad l. 19. §. 1. n. 8. ff. de Reb. cred.*

II. Solvere potest debitoris procurator; & 5
quidem non tantùm ille, cui solutio speciali mandato commissa est, sed etiam procurator universalis, qui instructus est mandato generali cum libera per *l. 58. & 59. ff. de Procurat. l. 9. §. 4. ff. de Acquirend. rer. domin. l. 20. §. 1. ff. de Novat.* Clariss. D.D. Gletle *p. 1. select. quæst. 27. sub n. 3.* adeò ut nec Dominiratihabitio hîc sit necessaria: siquidem qui procuratorem omnium bonorum cum libera constituit, id quoque mandare videtur, ut creditoribus suis solvat, consequenter quodlibet debitum solutum ab illo procuratore, à creditore per debitorem repeti nequit. *l. quodlibet debitum 87. ff. h. t.*

III. Non tantùm ipse debitor, sed quicun- 6
que alius pro ipso etiam ignorante, vel invito solvere potest, atque ita eundem ipso jure à debito liberare. *pr. Inst. Quib. mod. tollitur obligat. l. 23. l. 40. l. 53. ff. h. t. l. 39. ff. de Negot. gest.* ubi ratio additur: quia naturalis simul, & civilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis, & invitinos facere posse; deteriorem non posse. Id tamen observandum est, quòd qui solvit pro debitore sciente, ac volente, actione mandati, arg. *l. 6. §. 2. ff. Mandati.* qui pro ignorante, actione negotiorum gestorum totum ab eo, pro quo solvit, repetere possit. *l. 43. ff. de Negot. gest.* at qui pro debitore invito, vel contradicente solvit, careat omni actione, ex quo donandi animo alium deobligâsse videtur. *l. fin. C. de Negot. gest.* Zoës. *ad ff. h. t. n. 4.*

Cæ-

7 Cæterùm non minùs Clerici, quàm Laici solvere tenentur, quamvis Clerici speciali privilegio muniti sint, nempe ut propter debita incarcerari, vel excommunicari nequeant, sed si defacto non habeant, unde solvant, satis eis, quòd caveant, & promittant de solvendo debito, ubi ad pinguiorem fortunam venerint. *c.* 3. *h. t.* Imò nec omnia bona, quæ defacto habent, Creditoribus cedere tenentur, sed exemplo militum gaudent *beneficio competentiæ*, ut non ultra, quàm facere possunt, deductâ congruâ sustentatione teneantur. Panormit. in *d. c.* 3. *n.* 8. Covaruv. *variar. Resol. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 9. *& c.* 6. *n.* 8. Menoch. *de Arbitrar. Judic. cas.* 183. *n.* 30 P Engel *h. t. n.* 1. ubi subjungit, huic beneficio competentiæ à Clerico renunciari non posse, eò quòd non in ipsius tantùm, sed totius Cleri favorem sit introductum, ne scilicet in opprobrium totius ordinis Clericalis mendicare cogatur.

8 Hoc in loco venit examinanda *quæstio:* an Ecclesia, vel Successor in beneficio, aut Prælatura teneatur solvere debita ab Antecessore contracta? *Affirmo*, si debita fuerint contracta nomine Ecclesiæ, & pro ejus necessitate, vel utilitate. *c.* 1. *h. t.* Rota *decis.* 399. *n.* 1. *&* 2. *coram Merlino*, & post alios Cæsar de Panimol. *decis.* 9. *n.* 27. Quò pertinent debita, quæ antecessor contraxit pro curanda infirmitate, aut pro sua sustentatione, ut notat Panormit. in *cit. c.* 1. *n.* 2. & Flamin Paris. *de Resignat. lib.* 1. *q.* 16. *n.* 15. redundant enim in utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, quæ illum alere tenetur. Quin & impensæ funeris pro Antecessore errogatæ, nisi bona propria habuerit: quippe tunc hæres ejus, qui titulo hæreditario in illis bonis succedit, ad expensas funeris obligaretur. Barb. in *cit. cap.* 1. *n.* 4. Gemin. *consil.* 1. *n.* 5. Sicut etiam stare successor tenetur locationi prædii Ecclesiastici, quam Prædecessor nomine Ecclesiæ fecit. Barb. *loc. cit. n.* 5. *Nego*, si Prædecessor debita nomine suo vel pro propriis, aut alienis, non Ecclesiæ usibus contraxerit: ne alieno facto Successor, vel Ecclesia prægravetur. Vallens. *h. t. n.* 4. Neque obstat, quòd Successor sit sui in prælatura Antecessoris quasi hæres juxta Gloss. in *cit. c.* 1. *V. prædecessoris.* ad hæredem autem defuncti, sicut jura & commoda, ita etiam obligationes & onera transeant per *l.* 26. *ff. de R. J.* quoniam successor antecessoris tantùm impropriè hæres dicitur, quatenus in eadem sede & prælatura succedit; non propriè, cùm jus suum non consequatur à defuncto, sed electione, collatione, aliisve modis beneficium Ecclesiasticum conferentibus: neque una cum antecessore persona censeatur, neque prælaturæ seu beneficii acceptatione ad alia debita solvenda, quàm quæ pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ contracta sunt, sese adstrinxerit. Covaruv. *lib.* 2. *Var. resol. c.* 15. *num.* 16.

Porro si dubium sit, an debita ab Antecessore pro utilitate, aut necessitate Ecclesiæ contracta fuerint? tunc si solennitates alienationis intervenerint & solutio fieri possit per res mobiles non pretiosas, præsumitur ita factum esse, consequenter Ecclesia contrarium, scilicet pecuniam creditam in utilitatem versam non esse, probare tenebitur. Menoch. *de Arbitrar. jud. cas.* 432. *num.* 3. Secus, si solennitates non fuissent adhibitæ aut solutio fieri nequeat sine distractione bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum; tunc enim non tenebitur successor, nisi creditor probet versionem in Ecclesiæ utilitatem. Imola in *d. c.* 1. *h. t.* Butrius in *c. penult. n.* 9. *de Fidejussoribus* cum aliis relatis per Menoch. *cit. cas.* 432. *num.* 18. qui *num.* 24. subdit, hac in re multùm tribuendum esse arbitrio judicis, qui animadvertet, an Prælatus ille consueverit, mutuò sumere pecunias, & expendere pro Ecclesiæ utilitate? utrùm summa sit magna an parva? num concurrat verisimilitudo versio- 9

nis, nec ne? quâ concurrente creditor ad probandam versionem cogi non debet.

§. IV.

10 *Subjectum* solutionis est is, cui solvitur. Rectè autem solvitur.

I. Creditori ipsi, qui rerum suarum administrationem habet; & quidem volenti, & invito; vel certè si creditor solutionem debitô locô, & tempore factam recipere nolit, poterit debitor eas pecunias Magistratui consignare, & ita à debito principali, & ab usuris imposterum liberatus erit. *l.* 9. *C. h. t.*

11 II. Quodsi creditor rerum suarum administrationem non habeat, rectè ipsius Tutori, vel Curatori solvitur. *l.* 14. *ff. h. t.* Rectiùs tamen decretum & Authoritas Judicis adhibetur: tunc enim debitor plenissimam liberationem consequitur, adeò ut nec beneficium restitutionis in integrum locum habeat, utcunque pecunia soluta malè pereat; cùm aliàs pupilli, & Minorennes ex causa etiam contra solutionem sibi cum auctoritate Tutoris, & Curatoris, vel ipsi Tutori, aut Curatori factam restitutionem in integrum petere possint. § *ult. Inst. Quib. alien. licet. vel non l.* 1. *ubi* Gloss. & DD. *C. Si advers. solut.* Nisi cùm restituitur ex SC. Trebelliano hæreditas, solvantur pensiones, aut usuræ non excedentes metas biennales, & summam centum solidorum; nam in his ad consecutionem plenissimæ liberationis sufficit solius Tutoris, aut Curatoris interventus. *l. penult. C. ad SC. Trebel. l. sancimus* 25. *C. de Administrat. Tutor.*

12 III. Rectè solvitur procuratori creditoris; ita tamen ut distinguendum sit inter procuratorem *in rem suam*, & inter procuratorem *in rem alienam*. Illi sine dubio rectè solvitur, cùm in effectu sit Dominus crediti. *l.* 13. §. 1. *ff. de Pact. l.* 25. *in fin. ff. de Procurat.* Si sit Procurator in rem alienam, tunc si est datus ad lites, non rectè ei solvitur. *l.* 13. *pr. ff. de Pact. l.* 86. *ff. h. t.* Si verò datus est ad negotia, non aliter ei solvi potest, quàm si vel habeat speciale mandatum de recipienda solutione, vel ei omnium negotiorum administratio commissa sit. *l.* 12. *pr. ff. h. t.* qui enim aliquem præponit omnibus negotiis suis, intelligitur etiam mandare debitoribus, ut tali procuratori solvant. *l.* 34. §. 3. *ff. Eod.* Planè factâ revocatione mandati, & cognitâ Debitoribus, hi non ampliùs rectè solvunt procuratori revocato. Secus, si ignari revocationis solverint bonâ fide, tunc namque meritò dicendum est, eos solvendo liberari. *d. l.* 12. §. 2. *& l.* 34. §. 3. Zoësius *ad ff. h. t. n.* 9. *&* 11.

IV. Rectè solvitur Creditori Creditoris 13
etiam sine hujus mandato; ita nimirùm, ut si sine jussu ejus debitor solvat Creditoris creditori, libetatio non ipso jure, sed ope duntaxat exceptionis contingat, quatenùs, si forte postea creditor immediatus nihilominùs peteret, quod jam ejus creditori solutum est, eundem debitor exceptione doli repellere posset. *l. si opera* 6. ℣. *idem est. & ibi.* Bartol. *ff. de Doli mali except.*

V. Rectè solvitur servis, & filiisfamilias, 14
si ipsi exigendis pecuniis præpositi sint, aut liberam habeant peculii administrationem. *l.* 18. *l.* 49. *l.* 51. *ff. h. t.*

VI. Rectè solvitur ei, qui solutionis causâ 15
in contractu adjectus est, puta hoc modo: *mihi, aut Titio decem dare promittis?* quamvis enim eo casu tota obligatio mihi quæratur, solvi tamen Titio adjecto etiam me invito rectè potest, & debitor ipso jure liberationem consequitur. §. 4. *Instit. de inutil. stipul. l.* 10. *l.* 12. §. 1. *&* 3. *ff. h. t.* factâ autem solutione adjecto, creditori datur actio mandati contra adjectum, tanquam mandatarium, ad restituendum solutum. *d.* §. 4 *Institut. l.* 131. §. 1. *ff. de V. O. l.* 98. §. 5. *ff. hoc tit.*

§. V.

§. V.

16 *Materia, seu Objectum* solutionis est id, quod solvitur; ex parte ejus.

Requiritur I. Ut solvatur id ipsum, quod debetur: invito enim creditori, inquit *JC.* Paulus *l. 2. §. 1. ff. de Reb. credit.* aliud pro alio solvi non potest; nec pretium quidem speciei promissæ, cùm in specie cedat affectio & aliud sit pretium, aliud res. *l. 1. ff. de Rer. permut. l. 88. ff. de V. S.* nec res alia æquè bona, cùm ea non debeatur, & invito creditori adimi non possit jus quæsitum, quod ipse habet ad rem determinatè debitam.

17 *Dubitatur* I. Utrùm in eadem specie monetæ facienda sit solutio, in qua v. g. mutuum datum est? Id, quod negandum, nisi de eadem specie reddenda expresè conventum sit, aut Creditor ex solutione monetæ in diversa materia, aut forma damnum pateretur per *l. 65. §. 1. ff. de V. O. l. 99. ff. h. t.* pecunia enim in suo genere regulariter mutuam functionem recipit, & in ratione proportionati valoris omnes nummi sunt ejusdem generis, nec in solutione attenditur materia, sed valor, & æstimatio. *l. 1. ff. de Contrah. empt. l. 65. §. 1. ff. de V. O.* Hinc *in l. 1. l. 9. l. 35. ff. de Auro & argento legat.* dicitur legato auro vel ipsum aurum, vel pretium auri præstandum esse: Ut proinde aliud pro alio non solvatur, si moneta argentea pro aurea, vel minuta pro grossa reddatur, dummodo secundùm valorem proportionatum, & in moneta proba; reproba enim pecunia solventem non liberat. *l. eleganter. 24. §. 1. ff. de Pignorat. act.* Planè Jure novissimo si summa solvenda est notabilis quantitatis, Creditor invitus non cogitur recipere solutionem in pecunia minuta ultra 25. florenos. *Recess. Imp. de Anno 1559. §.* die jetztgemeldten.

18 Dixi: *Regulariter pecuniam recipere mutuam functionem*: etenim de illo casu, quo moneta mutatur, & vel nova deterior, aut melior cuditur, vel antiquæ monetæ pretium propter defectum forsan & abundantiam materiæ crescit, aut decrescit, præcipua & in universo jure vix intricatior *difficultas* est, quô modô scilicet, & quantùm in tali casu sit solvendum, vel utrùm attendi debeat valor præsentis temporis, vel illius, quo v. g. mutuata est pecunia? qua de post alios consule P. Engl *ad h. t. n. 13.*

Dubitatur II. An obligatus ad factum præcisè teneatur facere, an verò liberetur locò facti solvendo interesse? 19

Prima & communior sententia est, liberari promissorem, adeóque teneri solùm disjunctivè, vel præstare factum promissum, vel ejus locò solvere interesse. Ita Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 27. th. 1. lit. L.* Eckoldt. *ad ff. de V. O. n 16.* Donellus, Duarenus, Harprecht, Ludwell, & innumeri alii propter textus *in l. 13. §. 1. ff. de Re judicata. l. 72. pr. l. 81. pr. l. 84. l. 112. §. 1. l. 122. §. fin. ff. de V. O.*

Altera & probabilior sententia vult, promissorem facti præcisè obligari ad ponendum factum, si ejus præstationem urgeat creditor. Ita Zoës. *ad ff. de V. O. n. 53.* Corasius *2. Miscell. 3.* Bronchorst. *cent. 4. assert. 41.* Ideo, quia promissor dandi præcisè obligatur dare, nec liberatur offerendo interesse pro re promissa, ne scilicet aliud pro alio invito Creditori obtrudatur. Ergo idem quoque dicendum de Promissore faciendi. Neque juvat, si dicas, quod in promissione dandi sola res promissa in obligatione sit secundùm omnem intentionem promittentis, adeóque sola etiam in solutione esse debeat: econtra in promissione faciendi factum quidem principaliter, & expresè in obligationem veniat, at virtualiter, & ex mente interpretativa promittentis succedat obligatio ad interesse, ita ut si is nolit præstare factum, non possit invitus ad id cogi sed audiendus sit offerēdo interesse; nam contra est, quòd hoc ipsum, an promissio faciendi

ita

ita se habeat? crinomenon sit, & manifesta petitio principii. Facit insuper pro hac sententia textus in §. 1. *Inst. de Actionib.* ubi dicitur: quòd actione in personam quis intendat, adversarium ei *dare*, *aut facere oportere*. Ecce hic ly *oportere* cadit super utrumque terminum, super *dare*, & super *facere* æqualiter. Ergo facit idem utrinque jus obtinere, ergo si obligatus dare præcisè tenetur ad dandum, etiam obligatus facere præcisè tenebitur ad faciendum, nec audietur offerendo interesse pro facto promisso.

Ad jura in speciem contraria potest responderi, ea vel loqui de casu, quo factum promissum ampliùs præstari nequit; vel hoc solùm velle, quòd creditor post commissam moram non teneatur ulteriùs recipere præstationem facti, sed possit determinatè ad interesse agere.

20 II. *Requiritur*, ut solvatur res propria debitoris, si ejus obligatio ad dandum tendat: solvendo enim alienam hoc casu debito non liberatur. *l.* 17. *l.* 78. *l.* 94. *ff. h. t.* nisi ea res vel usucapta fuerit à Creditore. *l.* 60. *ff. Eod.* vel bona fide ab eodem consumpta *d. l.* 17. *& l.* 94 *pr. & §. seqq. ff. h. t.* Aliud est, si obligatio tendat ad tradendum, ut in venditione; ubi sufficit præstare emptori, rem habere licere. *l. ex empto.* 11. §. 2. *ff. de Action. empt.*

21 III. *Requiritur*, ut solvatur totum illud, quod debetur, nec enim regulariter permittitur, ut Debitor invito Creditori particulatim solvat. *l.* 41. §. 1. *ff. de Usur. l.* 9. *C. h. t.* quia quòd simul acceptum est, simul reddi debet: & una obligatio una solutione tollenda est, cùm plerumque solutio, & exactio partium non minima habeat incommoda, teste ipso JC. in *l.* 3. *ff. Famil. ercisc.* Gomez. *Var. resol. lib.* 2. *c.* 10. Gail. 2. *observ.* 10. *n.* 7.

22 *Exceptio* est I. Si Creditor ultrò admittat particularem solutionem; quò refertur, quod dicitur in *fine* §. 1. *Instit. Quib. mod. tollitur obligat.* ibi: *quod debetur, pro parte rectè solvitur;* intellige, Creditori volenti, non etiam invito. II. Si aliter inter debitorem, & creditorem conventum fuerit. *l.* 41. §. 1. *ff. de Usur.* Hoc autem conventum esse præsumitur, si solutio promissa sit in duobus locis copulativè v. g. Ephesi, & Capuæ. *l.* 1. §. 4. *ff. de eo quod certo loco.* III. Si favor libertatis hoc suadeat. arg. *l.* 4. §. 6. *ff. de Statu liber.* IV. Si tantùm per partes creditum sit: tunc enim etiam per partes rectè solvitur, quia obligatio eo modo distrahi potest, quo contracta est. *l.* 35. *ff. de R. J. c.* 1. *X. Eod.* Gibal. *de Usur. l.* 1. *c.* 3. *art.* 4. *n.* 2. V. Si quis ex diversis causis eidem Creditori aliquid debeat; puta decem ex locatione, & centum ex mutuo: hoc siquidem casu eo ipso, quòd sint diversa debita, etsi eodem forte die contracta unum sine altero, etiam priore, solvere licet. *l.* 10. *C. h. t.* VI. Si debitum ex una parte sit liquidum, vel confessatum, non ex alia: quippe tunc Creditor cogitur accipere partem liquidam, aut confessatam debiti, donec de altera parte constet, utrùm verè debita sit, nec ne, de quo casu loquitur *l. quidam.* 21. *ff. de reb. credit. & l.* 8. *ff. Si pars hæredit. petatur.* Plures alias exceptiones affert Harprecht *ad pr. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. n.* 47. *& seqq.*

§. VI.

Forma solutionis stat in legitima redditione ejus, quod debetur. Ut autem talis sit, facienda est secundùm legem conventionis debitô locô, & justô tempore. Unde 23

Quæres I. Quô modô solutio fieri debeat ratione loci?

R. I. Si certus locus solutioni adjectus est, solvi debet in loco convento. *l. is, qui* 9. *ff. de Eo, quod certo loco.* nec alibi à Debitore peti potest, & si alibi Creditor peteret, locô plùs petiisse diceretur. *l.* 2. §. *si quis Ephesi ff. Eod.* Verùm quia contingere posset, ut nunquam à

De-

Debitore petere liceret, si nunquam ad locum destinatum veniret, ideo Prætor concessit, ut Debitor etiam extra illum locum utiliter conveniri possit, dummodo loci, ubi solutio facienda esset, mentio fiat. *l. 1. ff. Eod.* Mynsing. *ad §. si quis agens. ℣. plùs autem. n. 10. Inst. de Actionib.*

24 R. II. Si locus, ubi solvi debeat, non est expressus, tunc si debitum jvenit ex contractu merè gratuito, qualis est, ubi aliquid accipitur, sed nihil redditur, solutio debet fieri in loco, ubi res erat tempore donationis, aut promissionis factæ: neque erit expensis Donatoris transferenda ad Donatarium, aut Promissarium absentem, nisi aliud actum fuerit. Lessius *de J. & J. lib. 2. dub. 8. n. 59.* Si verò debitum venit ex ejusmodi contractu, unde idem, quod acceptum est, reddi debet, redditio debet fieri in loco rei acceptæ: Depositarius ergo reddet depositum in loco, ubi custodiendum accepit: Commodatar us rem commodatam, ubi ei commodata fuit. Gibal. *de Usur. lib. 1. c. 3. a 4. n. 7.* Si debitum venit ex tali contractu, ubi aliud accipitur, aliud præstatur, ille locus intelligitur solutioni destinatus, in quo res, pro qua solvendum, tradita est, sive ibi contractum fuerit, sive non: & ideo in emptione venditione pretium debet solvi in loco mercis traditæ: in locatione conductione merces, seu pensio in loco rei ad usum concessæ, vel operæ præstitæ. Gibal. *cit. loc. n. 8.* Si denique debitum ex delicto enatum sit, solutio ibi facienda est, ubi Creditor moratur: Debitor siquidem ex injusta læsione tenetur perfectè indemnem servare læsum. Clariss. D. D. Gletle *ad Inst. h. t. n. 5.*

25 *Quæres* II. Quô modô solutio fieri debeat ratione temporis?

R. I. Si certus terminus solutioni præfixus est, solvi debet in termino convent.: quia juxta *l. §. ff. h. t. solidum non solvitur non minùs quantitate, quàm die.* Et hoc etto non urgeatur Debitor, cùm dies ipse interpellet pro Creditore *c. fin. de Locat. & conduct. l. 12. C. de Contrah. & commit. stipul.* Quòd si talis dies adjectus sit, qui possit referri ad plures, veluti: *dabis in Paschate? dabis Calend. Augusti;* de proximo paschate, de proximis Calendis censetur cogitatum. *l. 41. pr. ff. V. O.* At potest tamen debitor etiam ante tempus conventum, aut, si in diem debitum sit, ante adventum diei solutionem offerre Creditori, & hic tenetur eam accipere, modò dies Debitoris gratiâ (ut communiter solet *l. 17. ff. de R. I. l. 40. §. 1. ff. de V. O.*) adjectus fuerit. *l. 70. l. 98. §. 4. ff. h. t. l. 38. §. 16. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Secùs, si in commodum, & favorem Creditoris. *l. 15. ff. de Annuis legat.* Zoës. *ad ff. h. t. num. 31.* Carpz. *p. 2. const it. 28. defin. 11. & seqq.* Harprecht *ad pr. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. n. 101. & seqq.*

Sed quid si aliquis errore facti solvat hodie, 26
cùm primùm solvere debeat post semestre, habetne condictionem indebiti, quasi plus solverit? Quod *nego*, si pecunia fuerit debita in diem certam, ut hic ponitur. *l. 10. l. 17. ff. de Condict. indeb. Affirmo*, si sit debita in diem incertam per *l. 56. ff. Eod.* Est autem dies incerta vel incertitudine, an sit extitura; vel incertitudine, quando sit extitura; vel utrâque incertitudine, an, & quando sit extitura? Primi, & tertii generis dies resolvitur in conditionem *l 77. ff. de Condit. & Demonstr. l. 1. 4. 21. & 22. ff. Quando dies legat.* adeóque quod ante ejus adventum solutum, indebitum fuit, & repeti potest per *l. 16. 18. & 48. ff. de Condict. indebit.* Diversum obtinet secundùm communem, si dies fuerit incerta tantùm, quando sit eventura; veluti: *solvam, quando moriar*: quia hoc in casu certum est, id, quod solutum fuit, debitum iri. *d. l. 17. & 18. ff. Eod.* Exiltimem tamen juri, & æquitati magis consentaneum, ut quod in diem etiam certum debetur,

betur, si quid per errorem facti ante adventum diei solutum est, id saltem repeti possit, quod tempore intermedio extra sortem ratione præproperæ solutionis lucro Creditoris cessisse, Debitor probaverit: quis enim ferat, ut cum damno Debitoris sinè ipsius culpa Creditor locupletetur? Neque adversantur *cit. l.* 10. *&* 17. *ff. de Condict. indeb.* ut quæ vel de repetitione sortis principalis, non verò lucri, vel de rebus talibus, quarum repetitio nullam vel modicam utilitatem affert, commodè accipi possunt.

27 ℟. II. Si de tempore solutionis nihil actum est inter partes, differri potest solutio, donec Creditor petat debitum: quia prudenter interim cogitari potest, Creditorem non esse invitum quoad dilationem solutionis. arg. *l. debitores præsentes.* 10. *ubi DD. C. de Pignorib.* nisi debitum descenderet ex delicto: nam ad restituendum v. g. furto ablatum, primum quodque tempus pro termino est secundùm Sylvestrum *V. mora q.* 1. aut nisi Creditor fortè non peteret debitum ex aliqua ignorantia, timore, impotentia, aliáve de causa, unde debitor posset conjicere, se invito Creditore differre solutionem: tunc enim, si non statim solvat, erit in mora culpabili. Molin *de J. & J. disp.* 564. Carpz. *p.* 2. *constit.* 28. *definit.* 19. & Ego *ad tit. de Sponsal. & matr. n.* 52.

§. VII.

28 *Finis* solutionis est extinctio obligationis non tantùm principalis, sed accessoriæ.

§. VIII.

29 *Effectus* solutionis, alius est *ex parte Creditoris*, alius *ex parte Debitoris*, alius *ex parte rei solutæ.*

Ex parte Creditoris est iste, quòd in eum transeat dominium rei ex obligatione dandi solutæ, & quidem irrevocabiliter. *l.* 10. *C. h. t.* si modò & solvens Dominus fuit: quoniam si non fuit Dominus, Creditor tantùm ponitur in conditione usucapiendi solutum. *l.* 46. *ff. de Usucap.*

Effectus ex parte Debitoris est, quòd ipso jure liberetur à debito, & consequenter tollantur obligationes accessoriæ, tum rerum, tum personarum; ut sunt fidejussores, pignora, & hypothecæ, *pr. Inst. Quib. mod. tollitur oblig. l. cùm quis.* 38. *§.* 2. *l. in omnibus* 34. *ff. h. t. l.* 71. *ff. de Fidejuss.* sicut namque obligatio accessoria ab initio non constituitur, ubi nulla est principalis, ita hâc sublatâ, *illa* quoque exspirat, *l.* 2. *ff. de Pecul. legat. l. cum principalis.* 178. *ff. de R. I.*

Scrupulo non caret: in quale debitum solutio imputetur, si ex pluribus causis obligatus aliquam summam solvat, nihil exprimens, quam causam, seu debitum velit dissolvere? Communiter placuit, quòd debitor semper censeatur duriorem causam, & obligationem voluisse dissolvere, per quam scilicet plus gravatur; ut ecce; si quid debeat sub hypotheca, sub pœna, vel usuris, aliud sinè istis censetur illud solvere, quod debet sub hypotheca, pœna, vel usuris. *l.* 1. *l.* 3. *l.* 97. *l.* 103. *ff. h. t.* cùm enim tali casu in potestate debitoris sit, liberè determinare, in quodnam debitum velit solutionem imputare, per text. in *l.* 1. *C. h. t.* semper in dubio præsumitur facere id, quod sibi utilius est. Molin. *de J. & J. disp.* 565. Menoch. 4. *præsumpt.* 136. Hoc ita, si utrumque debitum sit principale: nam si alterum sit accessorium, puta, si debeat aliquis *mille* ex mutuo, & *quingentos* ex usuris, quas decem annis non solvit, offeratque *quingentos*, tali casu censetur debitor solvere usuras, non capitale: quamvis enim debitori utilius foret, talem pecuniam ex capitali deducere, quandoquidem hôc pactô minuerentur usuræ, cùm usuræ usurarum non debeantur, attamen de jure, quia in tali casu non est in potestate debitoris, sed creditoris, in quam summam velit imputare, cum creditor justè possit petere, solvi priùs usuras, quàm capitale, ideo non censetur, id actum, quod debitori, sed quod

quod creditori utilius est. *l. 5. §. 3. ff. h. t. l. 1. Cod.* Carpzov. *p. 2. constit. 29. def. 17.*

32 Porrò factâ solutione debitor chirographum, si quod dedit, à creditore per condictionem sinè causa repetere potest. *l. ult. C. h. t.* vel etiam ad id exhibendum agere. *l. ult. C. ad Exhibend.* Quodsi nullum chirographum datum sit, aut quod datum est, amissum fuerit, potest à creditore petere apocham, vulgo *quittantiam* vocant, quâ contineatur confessio debiti soluti. Gail. 2. *obs.* 37. Eckolt. *ad ff. h. t. §. 9.*

33 *Effectus* solutionis *ex parte rei solutæ* est, quod præsumatur fuisse debita, ita ut solventi qui indebitam se solvisse asserit, incumbat onus probandi. *c. fin. h. t.* non enim verisimile est, quod diligens Paterfamilias jactet sua; præsertim si solutio facta sit ex causa aliqua præterita. *l. cùm de indebito. 25. ff. de Probat.* nisi persona, quæ solvit sit privilegiata, ut pupillus, minor, mulier, miles, & rusticus; quæ non ante intelligitur debitè solvisse, quàm is, qui accepit, debitum sibi fuisse probaverit. *d. c. fin.* Junctâ Gloss. *h. t. & d. l. cum de indebito §. fin. autem.*

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

SUMMARIA.

1. Donationis etymologia. 2. Definitio. 3. usque 6. Divisio. 6. Origo. 7. usque 15. Quinam donare possint, qui non? 15. 16. 17. Quæres donari queant? 18. usque 25. Quæ ex parte donantis requirantur quæ ex parte Donatarii? 25. Quis sit finis donationis? 26. 27. Quis effectus? 28. & seq. Ex quibus causis revocari possit donatio?

NUnc ordo nos ducit ad donationis materiam, charam quidem, sed in praxi ramam, nam ut Poëta cecinit.

Accipere humanum est, inopi donare Deorum.
Nunquam tam paucos crede fuisse Deos.

§. I.

Donationis verbum originem trahit à *dono*, quasi *dono donatio*, teste JC Paulo in *l. Senatus. 35. §. donatio 1. ff. de Mortis causâ donat.*

§. II.

Definitur donatio, quod sit liberalitas, quæ 2
nullo jure cogente in alterum exercetur. arg. *l. 1. & 29. ff. h. t.*

§. III.

Dividitur I. in perfectam, seu realem, & 3
imperfectam, seu verbalem. *Perfecta*, seu *realis* est, qua donans rem alteri, & actu donat, & simul in effectu tradit. Et hæc donatio proprissimè dicitur, & definiri potest; *liberalis doni donatio.* Donatio *imperfecta*, seu *verbalis* est conventio de dono donando, scilicet cùm quis per verba de præsenti actu quidem alteri rem donat, dicendo v. g. *dono tibi hunc librum, vel equum*, sed fortè absentem, vel adhuc usui necessariam nondum tradit.

II. *Dividitur* in donationem gratuitam, 4
& remuneratoriam. *Gratuita* est, quæ fit seclusâ omni prorsùs obligatione tam justitiæ, quàm gratitudinis ex parte donantis, adeóque ex pura puta liberalitate, & absque meritis Donatarii. Et hæc propriè donatio appellatur in *l. 1. ff. h. t.* *Remuneratoria* est, quæ 5
fit ex aliquâ obligatione, non quidem justitiæ, sed gratitudinis ex parte dantis ob merita Donatarii. Et hæc non est propriè dicta donatio, etsi absolutè donatio dici possit, cùm satis sit rem donatam non esse debitam ex jure, seu justitia juxta *d. l. 29. ff. h. t.* Ubi tamen illud breviter noto, quòd statuta, aut leges odiosæ de donatione loquentes non sint extendendæ ad remuneratoriâ, nisi aliud ex verbis, aut fine legis expressè colligatur, siquidem in odiosis terminus donationis strictè

est accipiendus, scilicet pro donatione merè liberali, omnem etiam gratitudinis obligationem excludente. Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. disp.* 6. cum Communi. Card. Tusch. *lit. D. concl.* 610 *n.* 16.

5 III. *Dividitur* donatio in donationem inter vivos, & mortis causâ. *Donatio inter vivos* est, cùm is qui donat, mavult habere illum, cui donat, quàm se. *l. senatus* 45, §. 2. *ff. de Mortis causâ donat.* Clariùs: est liberalitas, quæ fit sinè ulla mortis, aut mortalitatis cogitatione. *Donatio mortis causâ* est, cum quis mortis intuitu donat rem, quam se magis, quàm Donatarium, & hunc potiùs, quàm hæredem habere vult. §. 1. *Inst. h. t.* De illa in præsenti, de hac fortè alibi agemus.

§. IV.

6 *Causa efficiens* donationis est vel remota vel proxima.

Remota est jus naturæ: quippe liberalitatis Author ipse Deus per implantationem animæ hominis & hunc quoque affectum ipsi indidit, ut pronior esset ad dandum, quàm ad accipiendum; utut non negandum, hodie perversam hominis naturam malle accipere, quàm dare juxta illud Poëtæ:

Heu! creber nimium est hoc Abblativus *in orbe.*

In pretio rursus quando Dativus *erit?*

7 *Proxima* est donans. Potest autem donare omnis, qui habet dominium cum libera administratione, nec specialiter donare prohibetur: siquidem non tantùm illis, qui rerum suarum liberam dispositionem non habent, ut sunt Pupilli, Minorennes, Prodigi; sed etiam inter alias certas personas, partim ex *Jure Civili*, partim ex *Jure Canonico* Donationes sunt prohibitæ

8 *Jure Civili* I. donare non potest Pater filio, quem in potestate sua habet. *l.* 1. §. 1. *ff. l. cùm de bonis.* 11. *C. h. t.* quia quidquid filiofamilias ab ipso Patre datur, in peculio profectitio, & ita in dominio Patris est, adeóque Pater non tam filio, quàm sibi ipsi donaret. Planè Mater indistinctè suis filiis rectè donat, uti etiam Pater filio emancipato, vel juxta consuetudinem hodiernam, postquam filius per contractum matrimonium patriâ potestate liberatus est, cùm his casibus cesset ratio potestatis patriæ, & peculii profectitii. Illud tamen utilitatis adfert donatio facta filio in potestate constituto, quòd confirmetur emancipatione, ita scilicet; ut si Pater, dum filium ex potestate dimittit, non revocet rem donatam, ex tunc donatio convalescat, & ulteriùs revocari nequeat. *l. donationes.* 31. §. 2 *ff. h. t*

9 II. Prohibetur donatio inter Conjuges ea ratione, nè vel nimius amor alterutrum ad paupertatem redigat, vel certè difficultas donandi, & denegatio rei ab altero desideratæ inimicitarum & litium causam præbeat. *l.* 1. *l.* 3. *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* Unde tametsi vir defacto uxori, aut uxor viro aliquid donet, semper iterum revocare poterit, morte tamen donantis, si moriatur ante Donatarium, confirmatur. *l.* 32. §. 2. *ff. l.* 1. *&* 3. *C. Eod.* & Ego infra in *lib.* 4. *tit.* 20. *n.* 22.

10 III. Nihil potest donare miles suæ focariæ, sive concubinæ: quamvis enim aliàs etiam inhonestæ donationes valeant, & tam benè meretrici, quàm benè merenti donari possit per *l.* 5. *ff. h. t. Milites tamen meos,* inquit Imperator in *l.* 2. *de Donat. inter vir. & uxor, à focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo.* Et quia aliàs Clerici ordinariè participant privilegia militum, cùm & ipsi militare dicantur, eadémque subsit ratio, nè scilicet blanditiis fœminarum depauperati, avocentur à Divinis &c. rectè hanc juris dispositionem, & annullationem donationum Concubinis factarum, etiam ad Clericos extendit Rota *dec.* 46. *n.* 6. *coram Seraph.* Cæsar de Panimoll. *dec.* 59. *n.* 38. Covar. in *c. peccatum. p.* 2. §. 2. *n.* 2.

IV. Li-

10 IV. Licèt amplum sit officium, & satis magna Tutorum, Curatorúmve auctoritas, eò tamen potestas eorum minimè se porrigit, ut ex bonis, quæ administrant, donare quicquam valeant. arg. *l.* 28. §. *fin. ff. de Pactis.* cùm officii eorum sit, administrare bona, non verò perdere. *l.* 7. *pr. ff. h. t.* nisi donare velint pro more, & liberalitate ejus, cujus bona administrant. Unde ab hac prohibitione DD. communiter excipiunt Tutores, ac Curatores personarum Illustrium, aut Nobilium. Gail. 2. *observ.* 72. *num.* 8. Carpz. *p.* 2. *constit.* 11. *def.* 48. *n.* 4. arg. *l.* 12. §. 3. *l.* 13. *ff. de Administ. & peric. tutor. l.* 7. §. 3. *ff. h. t.*

11 De *Jure Canonico* prohibetur Ecclesiarum Prælatis, nè ex bonis suæ Ecclesiæ immoderatas donationes faciant, cùm non sint Domini, sed solùm administratores: & si de facto in detrimentum Ecclesiæ donare attentent, tanquam de Jure invalidæ à Successore revocari poterunt. *c.* 2. *h. t.* Præterea tum per antiquissimos Canones Apostolorum, tum novissimè in Concil. Trid. *sess.* 25. *de Reform. c.* 1. Episcopis, & quibuscunque beneficia Ecclesiastica obtinentibus omninò interdicitur, ne ex bonis Ecclesiasticis Consanguineos suos ditent, sed econtra quàm maximè potest, S. Synodus eos cohortatur, ut omnem humanum erga Fratres, Nepotes, Propinquosque carnis affectum deponant. Denique monentur omnes Clerici non tantùm bona suarum Ecclesiarum, verùm etiam bona intuitu Ecclesiæ acquisita, & redditus ordinarios suorum beneficiorum sibi superfluos non aliter, quàm ad pios usus donare, aut expendere. *c. fin. dist.* 16. & passim alibi.

12 *Quæstionis* est; an Prælati saltem donationes remuneratorias de rebus Ecclesiæ facere possint suis officialibus, aut ministris? Resp. posse per text. in *c.* 5. *h. t.* id enim discreta administratio exigit, neque potestatem alienæ rei administratoris excedit, cùm etiam Tutores id possint, qui tamen non sunt administratores perpetui, nec tam amplam administrationem habent. *l.* 12. §. 3. *ff. de Administr. tutor.* Interim quando Prælati, vel aliæ personæ, quibus de jure prohibitum est donare, remuneratorias donationes facere volunt, necesse est *primò*, ut merita Donatarii sint proportionata, & condigna premiô donatô: aliàs enim, in quantum donum excedit meritum, non erit donatio remuneratoria, consequenter nec valida. *Secundo* non creditur assertioni Prælati donantis, si in genere dicat, se donare propter merita, sed merita hæc specificari, & in dubio à donatario probari debent, aliàs legi donationem prohibenti facilè fraus fieri posset, ut rectè advertit Jul. Clar. §. *Donatio. q.* 3. *n.* 2. Tusch. *concl. pr. concl.* 626. *lit. D. Tertiò*, si Prælati Ecclesiarum alicui propter benè merita rem immobilem, aut mobilem valdè pretiosam donare velint, etiam consensum Capituli, & superioris adhibere debent: quia ad donationem, uti ad quamcunque aliam alienationem rei Ecclesiasticæ duo copulativè requiruntur; scilicet *justa causa*, & simul *solennitas* à Jure præscripta, atquè alterutro istorum prætermissô actus invalidus, & nullus erit, ut probavi in *tit. de Reb. Eccles. alien. vel non.*

13 Connexa *difficultas est*, an consuetudine introduci possit, aut de facto introductum sit, ut Prælati suis Consanguineis, aut aliis ex mera liberalitate donare queant?

Rationem dubitandi suggerit Alexander III. in *c.* 3. *h. t.* in quo rescripsit Vigorienси Episcopo, in donatione Abbatis datæ rei quantitatem & illius terræ consuetudinem, quæ tamen sacris Canonibus non obviet, attendendam esse, & secundùm hoc donum aut ratum, aut irritum judicandum.

Verùm Panormit. & Barb. in *d. c.* 3. *h. t.* docent nullâ consuetudine introduci posse, ut bona immobilia, vel mobilia pretiosa donari

possint: nullam item consuetudinem impedire posse, quò minus immoderatas donationes quascunque in grave detrimentem Ecclesiæ factas revocare, aut saltem per viam restitutionis in integrum rescindere liceat: quia talis consuetudo hòc ipsò SS. Canonibus alienationem rerum Ecclesiasticarum prohibentibus, & econtra Ecclesiæ graviter læsæ restitutionem in integrum concedentibus directè obviaret, & tanquam irrationabilis non valeret. Planè si res donata exigua sit, vel si ex rationabili causa, veluti ob benè merita fiat, nulla consuetudo requiritur, cùm etiam res immobiles exigui valoris, puta terrulas, aut vineolas, sine omni solennitate alienare liceat. *c. terrulas. causâ* 12. *q.* 2.

Et ad hoc potissimùm facere videtur consuetudo in *cit. c.* 3. requisita, nimirum ut determinet, quænam donatio modica, vel immodica sit? cùm enim id à Jure non determinetur, ea communi hominum æstimatione, consideratis redditibus Prælaturæ, exemplis Antecessorum, aut approbatione Superiorum, dijudicandum erit, ut docent communiter DD. in *d. c.* 3. *h. t.*

§. V.

14 *Materia*, sive *objectum* donationis est res, quæ donatur. Possunt autem donari res omnes humano commercio obnoxiæ: corporales & incorporales: mobiles & immobiles etiam alienæ, quarum donatio si bonâ fide facta sit, eatenùs valet, quod fundet titulum usucapionis. *t. t. ff. Pro donato.*

Frequens in scholis *quæstio* est: utrum valeat omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum donatio?

15 Negat communior DD. quam sequuntur Schneidw. *ad Inst. h. t. n.* 86. Clar. *lib* 4 *Sent. §. donatio q.* 16. Carpzov. *lib.* 5. *Resp.* 65. & Gomez. *tom.* 2. *Var. resol. c.* 4. *n.* 5. qui *eodem tom.* 2. *cap.* 14. *n.* 24. nec juramentò firmatam hanc donationem subsistere posse asserit; partim propter textus in *l. stipulatio* 61. *ff. de V. O. & in l. fin. C. de Pact.* partim ob rationem, quòd per eam auferatur libera testandi facultas causâ utilitatis publicæ permissa, cùm is, qui nulla bona in civitate reliquit, hæredem habere non possit. *l.* 28. *ff. de Vulg. & pupill. substit.*

Sed præplacet sententia affirmativa, quam 16
tuentur Harprecht *ad Inst. h. t. §.* 2. *n.* 118. Clariss. Frid. Ernest. à Someting. *cod. tit. n.* 4. & alii: cùm enim quilibet Dominus disponere possit pro lubitu de rebus suis & præsentibus, & futuris, nisi lege prohibeatur, *l.* 21. *C Mandati* cur non etiam de omnibus bonis per donationem, ut quæ nullibi reperitur prohibita, sed potiùs approbata per textus expressos in *l.* 35. *§.* 4. *C. de Donat. l.* 8 *C. de Revoc. donat. l.* 5. *C. de inoffic. donat. l.* 17. *§.* 1. *ff. Quæ in fraud. credit.* in quibus de omnibus omninò bonis sermo est. Atque hæc sententia maximè obtinet, si donatio fiat causæ piæ per *c. fin. de Succes. ab intest. & c. & causâ* 19. *q.* 3. siquidem in tali donatione jus Gentium, & Canonicum sequimur. Tiraquel. *Privil. piæ causæ* 100. Barb. *J. E. U. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 17.

Nec difficilis est responsio ad *l.* 61. *ff. de* 17
V. O. & l. fin. C. de Pactis. loquuntur enim de pactis, & stipulationibus captatoriis, quæ inducunt votum captandæ mortis alterius; cujus modi non est donatio omnium bonorum, cùm, ut effectum suum sortiatur, morte Donatarii opus non sit, sed quoad bona præsentia ad tradendum statim agi possit; quoad futura autem Donatario expediat, ut Donator diu vivat, & ita plus acquirat; cur ergo illi mortem machinaretur? Minùs probat adducta ratio: in primis enim Donator omnium bonorum nunquam damnatur in solidum, sed semper tantum retinet, unde exhibere se possit. *l.* 19. *§.* 1. *ff. de Re jud.* & sic semper bona habet, de quibus testari possit.

De-

Deinde facultas testandi ita juris publici est, ut privatus illam sibi interdictè adimere queat, prout sanè arrogatione, per quam omnia bona transferuntur in arrogatorem & ingressu in Monasterium facultatem testandi constat impediri.

17 Illud addendum, bonis omnibus simpliciter donatis, præsentia tantùm non futura donata censeri, cùm stricti juris sit donatio. *l.* 22. *ff. h. t.* & de gravi hic Donantis præjudicio agatur. Zoës. *ad ff. h. t. n.* 29. Carpz. *p.* 2. *const.* 12. *defin.* 27. Hinc specialiter bonorum futurorum expressione opus, perinde sicuti bonis omnibus mobilibus, & immobilibus donatis specialis nominum mentio facienda est. Neque contrariatur huic assertioni, quòd in hypotheca bonorum simpliciter, & generaliter facta comprehendantur bona tam præsentia, quàm futura. *l. fin. C. Quæ res pign. oblig. poss.* etenim maxima inter bonorum donationem, & hypothecam differentia intercedit, ex quo hic de nullo vel exiguo præjudicio debitoris agitur, quia soluto debito omnia bona liberantur; donantis autem semel legitimè bonis nulla recuperatio speranda.

§. VI.

18 *Forma* donationis alia est *essentialis*, alia *accidentalis*.

Essentialis duo concludit, quæ exhibet *l.* 55. *ff. de Obligat. & Action.* ibi: *in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat, oportet affectus ex utraque parte contrahentium, nam sive ea venditio, sive donatio, sive qualibet alia contrahendi causa fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum non potest.* Itaque.

19 Ex parte *Donantis* requiritur voluntas donandi; quæ ut obligationem inducat, signò aliquò externò manifestata sit, necessum est, aliàs procedet regula: *cogitatum in mente retentum nihil operatur*: neque in dubio præsumitur, sed ab eo, qui asserit, sibi quid donatum esse, probari debet per *l.* 25. *ff. de Prob.* & juxta vulgatum illud: quod toties, quoties alia, quàm donationi conjectura capi potest, in dubio præsumptio, aut conjectura donationis non sit sumenda. Dan. Moller *lib.* 3. *c.* 37. *n.* 1. sufficit tamen hanc voluntatem utcunque declarari. *l.* 6. *C. h. t.* etiam per epistolam. *l.* 13. *C. Eod.* Imò interdum ex solo facto colligitur, ut si quis sciens indebitum solvat. *l.* 1. *§.* 1. *l.* 24. *l.* 26. *§.* 3. *ff. de Condict. indebit.* tametsi eâ mente datum sit, ut postea repetatur. *l.* 50. *ff. eod.* Si creditor reddat chirographum debitori, videtur enim inter eos conventum, ne debitum petatur, *l.* 2. *§.* 1. *ff. de Pactis* etiamsi plures tabulæ ejusdem debiti fuerint scriptæ, nec omnes redditæ arg. *d. l.* 2. §. 1. Si inter dantem & recipientem sanguinis & amicitiæ vinculum actu intercedat per *l.* 39. *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* maximè si dans sit nobilis, ac dives, & summa data non usque adeò magna. Menoch. *de Arbitr. judic. caf.* 88. *n.* 39 & 52. Celsus *decis.* 389. *à n.* 4. ubi plures conjecturas affert, ex quibus donatio præsumitur.

Ex parte *Donatarii* desideratur *doni acceptatio*, cùm expeditissimi juris sit, ante acceptationem donationis neque civilem, neque naturalem nasci obligationem per *l.* 10. *ff. h. t.* Hinc ante acceptationem Donator non tantùm donationem moderari, verùm etiam pro libero suo arbitrio revocare potest, idque quolibet modo, quo contraria voluntatis intentio demonstratur. P. Engel *ad tit. de Pact.* §. 1. *n.* 1. Hinc si Donans Donatarium certiorem faciat de donatione, ante acceptationem autem literarum, moriatur, Donatarius donatæ rei dominus non fit, neque donationem post mortem Donatoris ampliùs acceptare potest, nisi eâ mente servo ejus res data fuerit, ut statim Domini fiat. *l.* 2. §. 6. *l.* 10. *ff. l.* 6. *C. h. t.* Fr. Ern. à Someting. *ad Inst. h. t. n.* 6. Carpz. *lib.* 5. *resp.* 62. Hinc similiter si ante Donatorem

20 Do-

Donatarius moriatur, acceptione nondum facta donatio ad hæredes non transmittitur; videtur enim acceptatio in arbitrium ipsius collata, non hæredum: aliud námque est velle dare jus ad hæredes transiturum, aliud velle dare hæredibus. P. Engel *loc. cit. num.* 6. Hugo Grot. *de Jure belli, & pac. lib.* 2. *c.* 11. *§.* 16.

21 *Disquisitionem* meretur: an, ut valeat donatio Ecclesiæ, vel ad pias causas facta, Administratorum Ecclesiarum acceptatio requiratur? Affirmativam cum aliis tenet Trentacinque *l.* 3. *tit. de Donat. resol.* 1. *n.* 1. arg. *d. l.* 10. *ff. h. t.* quæ generaliter loquitur. Verior tamen est Negantium sententia: cùm enim ejusmodi donationes Deo fiant, & ab eo statim acceptentur vix est, quòd ambigas, talem donationem absque alia acceptatione valere, & hæredem voventis obligare. *l.* 2. §. 2. *C. de Pollicit.* Tiraquel *de Privileg. pia causæ. privil.* 115. Carpz. *lib.* 5. *Resp.* 62. *num.* 16. Stryck *de Cautel. contr. sect.* 3. *c.* 9. *n.* 2.

22 Ad *formam accidentalem* donationis refertur donandi modus, & donationis insinuatio.

Modum donandi quod attinet, donatio fieri potest vel per stipulationem, aut promissionem ad petitionem alterius, vel per pollicitationem, & motu proprio; inter quas conventiones illud interest, quòd inprimis donatio, seu conventio per stipulationem inter præsentes fieri debeat, quo sensu exaudienda *l.* 38. *ff. de Mort. caus. donat.* ubi mortis causâ donare dicitur, qui præsens præsenti dat; qualis præsentia absente stipulatione non requiritur, quandoquidem traditio, promissio, & acceptatio utique etiam per internuntium fieri potest? Præterea interest, quod donatio facta à Principe motu proprio latiorem recipiat interpretationem quàm facta ad supplicationem, ac petitionem alterius, modò non cedat in præjudicium tertii arg. *c. olim.* 16. *de V. S.* Quod præcipuè in Bullis Pontificiis observandum. Addidi donationem à Principe motu proprio factam recipere latiorem interpretationem: quoniam Principibus proprium est benefacere, & perabsurdum, perque temerarium foret, Principum liberalitatem astuta interpretatione non ad augmentum, sed ad diminutionem convertere juxta. *l. fin. C. de Præpositis Agentium.* Aliud dicendum de donationibus Privatorum, quæ stricti juris sunt *l. eum, qui* 22. *ff. h. t.* Nisi ad pias causas fiant, quibus propter fructum animæ nemo præsumitur parcè benefacere, ac proinde intuitu illarum donationes quoque privatorum latissimam interpretationem recipiunt, habito tamen respectu ad statum, & verisimilem mentem donatoris. Textus & Panormit. in *c.* 6. *h. t.* P. Engel *ibid. n.* 5.

Insinuatio, quâ donator coram Judice declaret suam voluntatem donandi, ejusque assensum, & auctoritatem requirat, exigitur, si donatio *quingentos solidos*, id est, *quingentos ducatos Ungaricos*, seu *mille imperiales* excedit *l.* 25. *& 34. C. h. t.* Carpz. *p.* 2. *constit.* 12. *defin.* 12. Omissâ hâc insinuatione donatio non in totum vitiatur, sed eatenus, quatenus summam legitimam transcendit, cum in his, quæ dividua sunt, utile per inutile vitiari non debeat. *l.* 5. §. 2. *ff. de donat. inter vir. & uxor. l.* 1. §. 5. *ff. de V. O. cap.* 37. *de R. I. in* 6. non ita quidem, ut donatarius summam sibi datam non possit retinere, quia leges nequeunt obligare Donatarios, ut sponte restituant; sed ita, ut Donanti, aut ejus hæredibus liberum sit repetere excessum. Lessius *de J. & J. c.* 18. *n.* 99. Brunnemann *ad d. l.* 34. *C. h. t. n.* 17. Imò sunt nonnullæ donationes, quæ, licèt excedant quingentos solidos, absque insinuatione valent; qualis est I donatio à Principe, vel Principi à privato facta. *l.* 34. *in fin. pr. & anth. seq. C. h. t.* Quod ad Proceres Imperii post alios DD. extendit Mylerus *de Princip. Imper. cap.* 27. *§.* 6. *&* 8.

II. Do-

II. Donatio facta à Duce militibus in rebus mobilibus tam ex sua substantia, quàm ex spoliis hostium, sive in ipsa bellorum occupatione, sive in quibuscunque locis degere noscantur. *l.* 36. §. 1. *C. h. t.* III. Donatio remuneratoria obsequiorum, vel beneficiorum. arg. *l.* 27. *ff. h. t.* Carpz. *d. c.* 12. *defin.* 13. Clarus §. *donatio q.* 16. *num.* 6. item donatio mortis causâ, utpote in qua testes quinque & nihil aliud desideratur. *l. fin.* §. *ult. C. de codicill.* juncta *l. fin. Cod. de Donat. causâ mort.* Ratio utriusque est, quia nec donatio remuneratoria, nec donatio mortis causâ propriè dicta donatio est. IV. Donatio, quæ fit in refectionem ædium, incendio, vel ruina consumptatarum, *d. l.* 36. §. 2. *ff. t.* V. Quando plures res diversis temporibus ab una persona donantur: nam tunc plures donationes esse censentur, non una, consequenter, si singulæ non excedant legitimam quantitatem, non est necessaria insinuatio, licèt coacervatæ quingentos aureos excedant. *d. l.* 34. §. 4. *C. h. t. & ibi* Cujacius.

14 Multùm *digladiantur.* Interpretes, utrùm donatio Ecclesiæ, vel ad alias pias causa facta insinuationis immunitate gaudeat? Negant Zoes. *ad ff. h. t. n.* 48. Brunnemann *ubi supra n.* 10. Carpz. *d. const.* 12. *defin.* 13. & plerique Civilistæ Acatholici. Affirmant communiter Theologi, & Canonistæ, quibus subscribo fretus auctoritate *d. l.* 36. *C. h. t.* & ratione, quòd salus animæ liberalitatis limitationem excludat. Et quamvis in *cit. l.* 36. non fiat mentio piæ causæ in genere, sed tantùm in specie pro redemptione captivorum, ac insuper *in l.* 19. *C. de SS. Ecclesiis.* decidatur, donationem piæ causæ factam insinuandam esse, nisi specialiter excepta sit, quemadmodum excipitur pro redemptione captivorum, ut ita in casibus non exceptis firmet regulam; nihilominùs quia piæ causæ juris civilis dispositioni non subjacent, maximè quatenus ad salutem, & redemptionem animæ ordinantur, ideo meritò secundùm æquitatem canonicam, & jus gentium, quod donationes ad pias causas universim admittit, regulantur arg. *c. relatum.* 11. *de Testament.* proinde insinuatio solùm de jure civili in donationibus requisita ad pias causas se non extendit. Ad hæc satis durum, si non injustum est, liberalitates erga DEUM impedire, vel restringere. Jul. Clar. §. *donatio. q.* 17. *num.* 1. præsertim nostro tempore, ubi ingens Ecclesiarum paupertas, & magna donantium ad pias causas raritas.

§. VII.

Finis donationis est mutua inter homines sublevatio: hominis namque interest, hominem beneficio affici, & beneficio affectum beneficium rependere oportet. *l. Servus* 7. *ff. de Servis exportandis.* 25

§. VIII.

Effectus donationis alius est donationis verbalis, seu imperfectæ, alius donationis realis, seu perfectæ. 26

Donatio verbalis, seu imperfecta inducit obligationem præcisam ad tradendum donum. §. 2. *Inst. h. t.* & condictionem ex lege, si donatio nudo pacto; *l.* 35. §. *fin. C. h. t.* vel actionem ex stipulatu, si stipulatione facta est.

Donatio realis, seu perfecta tribuit dominium rei donatæ, si donans fuit dominus; §. 40. *Inst. de rer. divis.* si non fuit, conditionem usucapiendi donum. *l.* 9. §. *fin. ff. h. t.* juncto *tot. tit. ff. pro donato.* 28

Huc subjungi potest illa *quæstio*: an, si forsitan res donata à Domino fuerit evicta, donator evictionem præstare teneatur? *Nego* quoad donationem simplicem per *l.* 18. §. *ult. ff. h. t.* ubi generaliter dicitur, adversus donatorem rei alienæ nullam de evictione competere actionem: & ex ratione in *l.* 62. *ff. de Ædilit. edicto.* expressâ, ne scilicet Donator 28

nator suæ liberalitatis pœnam patiatur. Interim si sciens rem alienam donaverit ignoranti, datur decepto actio doli ratione sumptuum, quos in rem donatam fecit, *d. l.* 18. *§. ult. ff. h. t.* *Affirmo* quoad donationem remuneratoriam, vel ob causam factam. arg. *l.* 1. *C. de Donat. sub modo.* & arg. *l.* 27. *&* *l.* 34. *§.* 1. *ff. h. t.* Certè donatario deberi evictionem, si expressè promissa fuerit, perspicuè traditur in *l.* 2. *C. h. t.*

§. IX.

29 *Contraria* donationi est revocatio. Revocatur autem donatio vel *pro parte*, *vel pro toto*, *sive in totum.*

Pro parte revocatur donatio, si sit inofficiosa, hoc est, si sit tantæ quantitatis, ut non sit salva portio legitima illis, quibus debetur. *l.* 1. *&* *tot. tit. C. de inofficios. donat.* eo enim casu post mortem donantis, ceu postquam demum legitima debetur, *Novell.* 92. per *querelam inofficiosæ donationis* rescinditur donatio non quidem tota, sed in tantum, ut legitima suppleatur. *l.* 1. *l.* 5. *l.* 8. *C. Eod.* Gail. 2. *observ.* 28. Bocer. *tr. de Donat. cap.* 3. *n.* 27. Idque indistincte sive re tantùm, sive re & consilio simul fuerit inofficiosa. *d. l.* 5. 8. *&* 9. *C. Eod.* sive facta fuerit filio vel descendenti, sive extraneo: per *d. l.* 1. in verbis: *sive in quosdam liberos*, *sive in extraneos &c.* sive omnibus bonis donatis nihil planè conquerenti relictum fuerit, sive portio quædam, quæ tamen infra legitimam est, querelanti fuerit reservata. per *d. l.* 5. *&* 7. *C. Eod.* Dissentiunt Zoës. *ad ff. h. t. num.* 76. Bartol. *in d. l.* 1. *C. de Inofficios. donat. col.* 2. & Perez *ad C. Eod. tit. num.* 5. Hanc autem querelam lapsu quinquenii, à morte donantis computandi, extingui text. est *in l. fin. C. de Inofficios. donat.*

30 *In totum* donatio revocatur I. si Donatarius existat ingratus; ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ notabile damnum in bonis fortunæ adferat, vel vitæ periculum per se, vel per alium creaverit, vel conditiones donationis appositas implere detractaverit. Text. *in c. fin. h. t. & in l. fin. C. de Revocand. donat.* Præter has causas ingratitudinis nec similes, nec majores esse admittendas cum Zoës. *ad ff. d. t. n.* 90. aliisque DD. statuo, eò quòd allegata *l. fin.* tantùm ex causis relatis permittat donationem infringi; ut patet ex subjuncta clausula exclusiva: *ex his tantummodo causis*: Insuper donator causam ingratitudinis liquidò probare debet institutâ eo fine actione revocatoriâ, quæ ipsi soli, non hæredibus, in ipsum donatarium solum, & non in hæredes competit. *d. c.* 1. *h. t. l.* 1. *in fine l.* 7. *& l. fin. C. de Revocand. donat.* quia hæc actio ex delicto sive vitio ingratitudinis oritur, & vindictam continet. *l.* 1. *§.* 1. *&* 2. *ff. de Privat. delict.* P. Engel *h. t. §.* 3. *n.* 20.

Addubitatum scio: num donatio Ecclesiæ, vel Monasterio facta propter ingratitudinem Prælati vel Capituli revocari possit? Ita putat Panormit. *in c. verum num.* 3. *de Conditionib. appos.* docens, saltem ob ingratitudinem Prælati, & Capituli simul donationem esse revocabilem, eò quòd Prælatus una cum suo Capitulo Ecclesiæ nocere queat. Dynus *ad c. delictum* 76. *de R. I. in* 6. Sed ab ejus sententia hìc recedere non dubito cum Claro *§. donatio q.* 21. quia talis donatio principaliter nec Prælato, nec Capitulo, sed DEO facta est, qui nunquam ingratus: neque delictum Prælati & Capituli in bonis ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, maximè illis, quæ aliàs alienari sine solennitate non possunt Ecclesiæ nocet, saltem perpetuò, & quoad jus ipsum ut tenet ipse Panorm. *in c.* 1. *de Dolo*, & *consuetud. n.* 14.

II. *In totum* revocatur donatio, quándo liberis destitutus alteri bona sua omnia vel majo-

majorem eorum partem donavit, & postea liberos suscepit. *l. sinunquam* 8. *C. de Revocand. donat.* quam legem, licèt Vinnius *ad* §. 2. *Inst. h.t.* & Bachov. *ad Treutl. Volum.* 2. *disp.* 19. *th.* 7. *lit. E.* ad solum Patronum, de quo loquitur, ideo restringant, quia decisio ejus nova est, & jus singulare continet; attamen potior est sententia contraria, quam in praxi sequendam esse fatentur Clarus *lib.* 4. *sent.* §. *donatio q.* 22. *n.* 1. Gail. *lib.* 1. *observ.* 40. *n.* 13. Carpz. *lib.* 3. *Respons.* 63. *n.* 4. & alii, quorum numerum auget Clariss. D. Frid Ernest. à Someting. *ad Inst. h.t. n.* 10. ex hac præcipuè ratione, quòd ex donantis mente hæc donatio tacitam conditionem habere intelligatur, ut si liberi ipsi postea nati fuerint, ad se, suósque liberos, quod donatum est, revertatur: verisimilius enim est, Patrem bona sua, vel partem eorum donaturum non fuisse, si de liberis cogitâsset. arg. *l.* 102 *ff. de Condit. & demonstrat.* Planè si quis unicum filium habuerit, & donet, revocare donatum non potest, etsi decem adhuc supernati fuerint, siquidem in *cit. l. sinunquam* 8. privilegium hoc revocationis illi conceditur, qui liberos non habebat, cessatque ratio revocationis, quòd non præsumatur de liberis cogitâsse. Brunneman. *ad cit. l.* 8. *n.* 6.

TITULUS XXV.
De Peculio Clericorum.

SUMMARIA.

1. Peculium Clericorum quid? 2. Quotuplex? 3. Quò jure concessum? 4. usque 8. Quæ res peculio patrimoniali, quasi patrimoniali, aut Ecclesiastico accensenda? 8. Quæ forma? 9. Qui finis peculii clericalis? 10. & seqq. Quid juris, & quæ dispondi potestas competat Clericis circa peculium?

HActenus de *alienatione rerum Ecclesiasticarum*, eáque occasione de *Contractibus*: nunc sequuntur res, seu bona, quæ *Peculium Clericorum* constituunt, hócque respectu materia *testamentorum & successionis* adjicitur.

§. I.

Peculium dicitur, quasi *pusilla pecunia. l.* 5. 1
§. *fin. ff. de Pecul.* quam servus, vel filiusfamilias à rationibus Domini, vel Patris separatam habet; cum qua similitudinem habent bona Clericorum, quæ separatim à bonis immediatè, & directè ad Ecclesiam pertinentibus possident & propterea etiam rectè à Papa *peculium Clericorum* appellitantur.

§. II.

Dividitur peculium Clericorum in pecu- 2
lium Patrimoniale, quasi Patrimoniale, & Ecclesiasticum, seu prospectu Ecclesiæ acquisitum. Peculium *patrimoniale* complectitur non tantùm ea, quæ veniunt ex hæreditate paterna, sed etiam illa, quæ Clericis ex donatione, alióve simili titulo Laicis communi obveniunt, sive à Patre, sive ab extraneis: item illa omnia, quæ ante statum Clericalem quocunque demum modo acquisita sunt. Peculium *quasi patrimoniale* comprehendit bona *quasi patrimonialia*, seu, ut alii vocât, *industrialia*, quæ scilicet Clerici post Clericatum proprio labore & industriâ, sive profanâ, sive spirituali adipiscuntur, puta honesto opificio, contractu, Professura liberalium artium, lectione Missarum, exceptione confessionum, vel aliorum Sacramentorum administratione, & juxta receptiorem sententiam, quæcunque ex stola acquiruntur, etiamsi illi, à quibus accipiuntur, sint Parochiani; quia non tam sunt redditus, quàm stipendia laborum Clericalium. Navar. *de Reddit. Ecclesiast. q.* 1. *monit.* 19. *n.* 2. Peculium *prospectu Ecclesiæ acquisitum* continet illa, quæ recipiuntur ratione Canonicatûs, Decanatûs, vel alterius beneficii titulô; cujusmodi sunt decimæ, annuum stipendium in fixo consistens, aliique redditus, seu proventus ex bonis Ecclesiæ provenientes.

§. III.

3 *Causa efficiens* peculii Clericalis est Jus præsertim Canonicum, quò singulis Clericis, postquam in commune vivere desierunt, pro sustentatione & dispositione certa aliqua portio est assignata: etenim in principio Ecclesiæ usque ad tempora Simplicii Papæ vivebant omnes Clerici ex Cassa, ac ærario communi, neque quisquam aliud proprium habebat; postmodum verò redditus Ecclesiarum dividebantur in quatuor partes, & *prima* Episcopo; *altera* fabricæ Ecclesiæ; *tertia* Clericis; & *quarta* pauperibus fuit atributa *c.* 23. 25. 27. & 28. *causâ* 12. *q.* 2. quia autem portio pauperum non ampliùs extat, creditur probabiliter Episcoporum & Clericorum portionibus permixta, ac consolidata. Clariss. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tom.* 3. *tr.* 11. *disp.* 29. *a.* 2. *n.* 5.

§. IV.

4 *Materia*, seu *objectum* peculii Clericorum sunt res, quæ eò pertinent. Quia verò sæpè dubitatur, ad quod genus peculii quid referri debeat, ideò

Quæres I. si Episcopo, vel Parocho aliquid donetur: aut in testamento legetur, an hujusmodi donum, vel legatum inter bona Ecclesiæ, vel bona patrimonialia Clerici computandum sit? R. id pendere ex intentione testatoris vel donatoris, utrùm principaliter ipsi Ecclesiæ, num verò personæ Episcopi, aut Parochi donare, vel legare voluerit? sin Ecclesiæ? donum, aut legatum cedit Ecclesiæ; sin personæ? cedit personæ, & peculio patrimoniali permiscetur. *c. requisivisti* 15. *de Testam.* In dubio recurrendum est ad conjecturas, quarum *prima* fluit ex *natura rei legatæ*, aut *donatæ:* nam si res conveniat usui Ecclesiastico, uti est calix, patena, similisve: tum donum, aut legatum Ecclesiæ intuitu datum, vel relictum censebitur; secus, si personæ magis conveniat, ut vestis quotidiana &c. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *Præsumpt.* 27. *n* 3. & *lib.* 4. *præsumbt.* 112. *n.* 8. & 9. *Altera* conjectura desumitur ex *persona accipientis* etenim si Clericus nullam administrationem rerum Ecclesiasticarum habeat, ut si aliquis ex Canonicis hæres instituatur, vel ei aliquid legetur, nunquam intuitu Ecclesiæ, sed tanquam amico relictum præsumitur: si verò Prælato, ac beneficiato administrationem bonorum Ecclesiæ habenti quidpiam donetur, aut relinquatur, distinguendum erit, an id fiat à persona conjunctâ, vel de quâ aliàs bene meritus est talis Clericus, an verò ab extranea? priori casu testator ad personam, posteriori ad Ecclesiam respexisse putatur. *d. c. requisivisti* 15. *de Testament. & ibi* Panormit. Corasius *lib.* 2. *Miscellan. c.* 4. Menoch. *cit. præsumpt.* 27. *n.* 3. & 4. Barb. *de Officio & potest. Episcop. p.* 3. *allegat.* 117. *n.* 14. & 15.

Quæres II. Cui peculio, seu quibus bonis § Clericorum accenseri debeant redditus Capellaniæ vel aliorum beneficiorum simplicium? Ratio dubitandi est, quòd ex una parte hujusmodi redditus ex beneficio proficiscantur; ex altera autem intuitu certi laboris, puta pro certis Missis, singulis septimanis legendis, dentur. Nihilominus hos redditus cum Navarrò *de Reddit. Ecclesiast. q.* 1. *monit.* 30. peculio prospectu Ecclesiæ acquisito annumero propterea: quia non minùs, quàm alii fructus beneficiorum præcisè intuitu beneficii acquiruntur. Nec refert, quòd ipsum beneficium certum onus & laborem annexum habeat, quoniam universim decimæ & redditus parochiarum, canonicatuum, aut Episcoparuum non dantur otiosis, sed Ecclesiæ & Altari inservientibus, idque eò magis, quòd modò dicta beneficia personalem residentiam, & interessentiam in Divinis officiis requirant, cùm tamen Capellani, & alii beneficiati simplices per substitutum deservire queant. Clariss. P. Paulus Mezger in *Theolog. Schol-*

last.

lass. tom. 3. tract. 11. disputat. 29. artic. 1. num. 5.

6 *Quæres* III. quò referri debeant distributiones quotidianæ Canonicis Divino officio interessentibus persolvendæ? Navarrus *d. Monit. 30. n. 2.* distributiones quotidianas accenset peculio bonorum prospectu Ecclesiæ acquisitorum, eò quòd ex ipsis redditibus Ecclesiæ sumantur, adeóque naturam suam retineant, licèt modus distribuendi varietur: jubet enim Trident. in *sess. 21. de Reformat. c. 3.* ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis tertia pars fructuum ordinariorum separetur, atque in distributiones quotidianas convertatur. Sed rectiùs distributiones quotidianas peculio quasi patrimoniali adnumerant Gonzalez *ad Reg. 8. cancell. §. 7. præam. num 65.* Gratianus *discept. forens. c. 381. n. 11.* Cæsar de Panimoll. *decis. 20. adnot. 1. n. 4. & seq.* cum citatis: quia licèt distributiones quotidianæ ex redditibus Ecclesiæ proveniant, & nonnisi Canonicis dentur, non tamen precisè ratione Canonicatûs sed propter particulares actus, & labores accipiuntur: unde nec nomine fructuum, sive redditiuum Canonicatûs comprehenduntur, cùm possit Canonicus gaudere fructibus, ut si causâ studiorum absit, qui tamen distributiones quotidianas non accipiet juxta *c. unic. de Clericis non resident. in 6.*

7 *Quæres* IV. Num bona à Clerico relicta, si non constet, quo titulo ea acquisiverit, pro bonis quasi patrimonialibus, vel pro bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis habenda sint? R. sub distinctione: vel enim constat Clericum præter beneficii fructus aliunde aliqua sive ex patrimonio, sive ex propria industria acquisivisse, & tunc præsumendum, eum fructus beneficii ad sustentationem suam applicâsse, & bona relicta consanguineis suis reservâsse, ut docet Navar. *h. t. consil. 4. n. 5.* vel non constat, unde talia bona provenerint, & tunc præsumendum, ea intuitu Ecclesiæ, & titulô beneficii acquisita esse, ac proindè non Consanguineis, sed Ecclesiæ relicta, nisi contrarium hæredes, vel alii, quorum interest, legitimè probaverint: non facilè enim aliter Clericus quid acquirere potest, ne gravi præsumptione oneretur. *c. 21. causâ 12. q. 1.* Covar. *ad c. 1. de Testament. n. 9. & seqq.* Atque hæc eatenus procedunt, ut quamvis Clericus domos, agros, vel quæcunque bona mobilia, & immobilia emerit, si non constet, quòd ex bonis propriis emerit, ex bonis Ecclesiæ comparata, & per consequens ad Ecclesiam spectare præsumantur. *c. 1. & ibi* Panorm. *c. 4. & ibi* Gonzal. *h. t.* Mascardus *de probat. concl 200. num. 4.*

§. V.

8 *Forma* peculii Clericorum potest intelligi ex ejusdem descriptione, & divisione *supra n. 1. & 2.* traditis.

§. VI.

9 *Finis*, ob quem peculium Cericale concessum, est, ut Clerici præmio aliquo ad ministerium Ecclesiasticum invitentur.

§. VII.

Effectus peculii Clericalis spectatur in jure & potestate disponendi circa illud, quæ pro ejus, & bonorum eò pertinentium diversitate variat: nam

10 *Bona patrimonialia*, & *quasi patrimonialia*, seu *industrialia* hodie sunt in pleno, & absoluto dominio Clericorum, possúntque pro lubitu de iis ad quoscunque usus disponere, non minùs, quàm Laici de suis bonis: proinde non tantum inter vivos liberaliter donare, sed etiam testamentum de iis condere. Imò si testamentum nullum faciat, in istis bonis non Ecclesia, sed proximi consanguinei ab intestato succedunt juxta *c. fin. causâ 12. q. 5. c. 1. h. t. c. 9. c. 12. c. 15. de Testament.* Lessius *lib. 2. de J. & J. c. 4. n. 37.* Navar. *de reddit. Eccles. q. 1. monit. 19. n. 2.*

Neque his obstat, quod dicitur in *c. Clericos 6. & 2 seqq. causâ 1. p. 2.* nefas esse, Clericum divitem Ecclesiæ stipendiis sustentari: utut enim in primitiva Ecclesia nemo ad Ecclesiastica admitteretur, qui omnibus terrenis bonis se non abdicâsset; hoc tamen non est divini præcepti. & remissâ pristinâ illa rigidiori disciplina evanuit.

11 Quod attinet *bona prospectu Ecclesiæ acquisita*, receptum est, beneficiatos inde congruam sustentationem percipere, & propterea fructus vendere, aut commutare, aut quocunque modo de redditibus Ecclesiasticis, quatenus ratio decentis sustentationis exigit, disponere posse, S. Thom. 2. 2. q. 185. *art. 7. in Corp.* Fagnanus in *c. ult. h. t. n. 23.* Lessius *loc. cit. n. 39.*

12 Gravis & in utramque partem dubio marte agitata *quæstio* est: an Clerici in redditibus beneficialibus, qui ultra decentem, & statui convenientem sustentationem supersunt, verum dominium, vel usum tantùm habeant?

Navarrus *de reddit. Eccl. q. 2. monit. 7.* & Panorm. in *c. cùm esses 10. de Testam. n. 29.* & plurimi alii, præsertim ex antiquioribus Canonistis statuunt, dominium omnium bonorum Ecclesiasticorum penes Christum esse, & Prælatos, ac Beneficiatos solam administrationem, neque aliud jus habere, nisi decenter inde vivendi, per textus in *cap. 1. & 6. causâ 12. q. 2. c. fin. causâ 16. q. 1. c. 16. de Prabend. c. 28. de Decimis.* ubi bona, ac redditus Ecclesiastici dicuntur patrimonium Christi, & proprietas pauperum.

Benignior nihilominùs sententia passim inter Theologos obtinuit, quòd videlicet Clerici reddituum superfluorum dominium, quamvis restrictum habeant. Quam opinionem olim tradidit D. Thom. 2. 2. q. 185. *art. 7.* & Doctorum animis profundius impressit Trid. *sess. 23. c. 1. & sess. 24. cap. 12. de Reformat.* dum decernit Clericos diu absque necessitate absentes, aut professionem fidei intra præscriptum tempus emittere negligentes *non facere fructus suos.* Unde a contrario fortiùs inferri videtur, quòd alii faciant fructus suos, seu dominium eorum acquirant: secùs enim nulla foret absentium, & non professentium pœna, fructus non facere suos. Alii id ipsum colligunt ex *c. unic. de Clericis non resident. in 6.* ubi absentes sine causa legitima dicuntur distributiones quotidianas non facere suas; sed incautè, quia hæ distributiones à plerisque annumerantur bonis quasi patrimonialibus.

Ad textus in contrarium allatos respondet Haunold. *de J. & J. tr. 4. c. 22. controv. 7. n. 74.* in illis vel esse sermonem de superfluis bonis ante factam bonorum Ecclesiasticorum divisionem; vel, si loquuntur de posterioribus temporibus, loqui per quandam exaggerationem, quô pactô etiam divites Laici, pauperibus eleemosynam negantes, homicidæ pauperum appellantur; vel accipiendos esse de bonis Ecclesiæ, super quibus Clerici tantùm administrationem habent, & quorum dominium est penes Ecclesiam.

Licèt autem ista ita se habeant, certa tamen; omnium omninò Theologorum, & Canonistarum sententia, ac doctrina est, Clericos in conscientia, & sub reatu pecati mortalis teneri, bona ex beneficiis Ecclesiasticis provenientia, quæ congruæ eorum sustentationi supersunt, in pias duntaxat causas, seu usus expendere, sive ea obligatio sit ex justitia, sive ex charitate, aut Religione. Hinc Concilia & SS. PP. gravissimè redarguunt Clericos, qui de proventibus beneficiorum suorum divitias accumulant, aut splendidè, opiparéque, & in deliciis vivunt, vel consanguineos suos ditant, & attollunt, *c. 8. c. 26. causâ 12. q. 1. c. 59. c. 65. & 66. causa 16. q. 1.* Trident. *sess. 25. de Reform. c. 1.* Atque istis, & similibus aliis Juris textibus multi ex Theologis & Canonistis

sis permoti docent, Beneficiarios præbendarum fructus superfluos malè impensos restituere obligari. Laym. in *Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 3.* cum Navar. Archidiacono, Panormitano, Majolo, Paludano, aliisque, quibus in hoc contradicit Covarruv. *ad c. 7. n. 3. de Testament.* cujus sententiam in praxi non esse damnandam, asserit Pirrhing. *h. t. 19.*

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

SUMMARIA.

1. Testamenti etymologia. 2. Homonymia. 3. Definitio. 4. usque 13 Divisio. 13. Quo jure introducta sit testandi facultas? 14. usque 31. Quinam testari possint, qui non? 31. usque 39. Quinam possint, aut debeant institui hæredes 39. usque 44. Assignatur materia testamenti. 44. usque 53. Exponuntur solennitates testamentorum. 53. Quis sit finis testamenti. 54. usque 62. Quinam effectus? 62. & seqq. Quæ contraria?

DUo exhibet præsentis tituli rubrica; *testamenta videlicet, & ultimas voluntates.*

§. I.

1 *Testamentum* Auctore Justiniano ex eo appellatur, quòd *testatio mentis* sit *pr. Inst. de Testament. ord.* Num rectè? viderint Grammatici. Alii fortè meliùs testamentum à *testationo* derivant cum Ludwell. *de Ult. Volunt. p. 2. c. 1.*

§. II.

2 *Acceptiones* testamenti occurrunt variæ. Latè sumptum etiam Codicillos complectitur per §. 3. *Inst. de Eo, cui libert. causâ.* Strictè verò, & propriè denotat eam ultimam voluntatem, quæ Codicillis opponitur. §. 1. *Inst. de Libert. tot. tit. ff. & C. qui testam. facere possunt.* & ita interdum impropriè usurpatur pro tabulis testamenti. *Rubrica ff. testamenta quemadmodum aperiantur.* II Pro scriptura, quâ testamentum describitur: sic enim dicitur testamentum induci, vel cancellari, *l. 2. ff. de his, quæ in testamento delentur.* III. Pro hæreditate in Testamento delata. *l. 77. in fin. ff. de Acquir. vel amitt. hæred.*

§. III.

Definitur testamentum, quòd sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. *l. 1. ff. Qui testament. facere poss.* Clarius: quòd sit ultima voluntas, directam hæredis institutionem continens. 3

§. IV.

Testamentorum de jure antiquo varia fuisse genera, ostendit Imperator in §. 1. *& seq. Inst. de Testam. ordinand. & ibidem* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *num.* 5. quæ tamen antiquata sunt. 4

Jure novo *dividitur* testamentum in publicum, & privatum. 5

Publicum est, quod fide, & authoritate publicâ nititur, éstque duplex: *insertum & oblatum. Insertum* dicitur, quando testator sine ulla solennitate ultimam suam voluntatem precibus insertam Principi offert, ut ejus fide, & authoritate sustineatur. *l. 19. C. h. t.* Ubi quamvis nomine Principis veniat Imperator, seu Princeps supremus, nihil tamen prohibet, quò minùs testamentum offerri possit ejus Curiæ, aut Cancellariæ, vel etiam Secretariis, aut Consiliariis à Principe, aut ejus Curia hoc fine ad ægrotum missis. arg. *d. l. 19.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *loc. cit. num. 6.* Quin imo idem jus etiam ad Principes inferiores, & status Imperii porrigitur. Mylleus *de Princip. & statib. Imper. c. 28. num. 1.* Testamentum *oblatum, seu judiciale* est, quod fit apud acta cujusque Magistratûs; ut si Testator voluntatem scriptò comprehensam Judici, aut Municipibus ad se vocatis offerens petens, ut ad acta referatur. *d. l. 19. C. h. t.* Atque ita testari licet coram quocunque Judi-

Judice etiam incompetente per *d. l.* 19. ibi: *cujuscunque Judicis*, & ob eam rationem quia hujusmodi testamenti factio ex communi DD. est actus voluntariæ jurisdictionis, & quidem simplicis, qui coram quovis Judice, & tam in, quàm extra territorium jus dicentis expediti potest. Clariss. D. D. Braun *de Jurisdict. c. 4. §. 3. n. 25.* Berlichius *p. 3. concl. 4. n. 12.*

6 In facto *quæsitum* fuit: an requiratur oblatio personalis, an verò hæc oblatio etiam per nuntium, vel Procuratorem fieri possit?

Fulgosus, Alexander, & Andreas Gerhardus apud Berlichium *p. 3. concl. 4. n. 31. in fine* contendunt, testamentum per tertium offerri posse I. quia *d. l.* 19. personalem oblationem, ac insinuationem non requirit. II. quia in omni negotio civili Procurator admittitur idémque est facere per alium, & per se ipsum. *c. 68. & 72 de R. J. in 6.*

Verùm communior sententia est, testamentum hoc fieri vix posse, nisi & ab ipsomet testatore offeratur. Bocerus *Class. 3. disp. 2. th. 7.* Berlichius *cit. conclus. 4. n. 32.* Struvius *Exercitat. 32. th. 9.* cùm enim ultimæ voluntates omnium maximè fraudibus sint subjectæ, tantò majori etiam cautione ad eas excludendas opus videtur, ne vera falsis, quæ tamen post mortem non revertuntur, ultima elogia subvertantur, maximè cùm & de præjudicio tertii, legitimorum scilicet hæredum agatur. Accedit, quòd verba *cit. l. 19. C. h. t.* ad ipsum testatorem directa sint, adeóque factum ejus proprium minimè excluſum, vel remissum, verbis: *mentis suæ postremum publicavit judicium &c. successorem suum possit declarare &c.*

Neque obstat, quòd in *d. l.* 19. præsentia testatoris præcisè non desideretur: quia enim jure communi in genere de substantia cujusque testamenti est, ut testator præsens à testibus videatur, & audiatur, sufficit, requisitum illud *in d. l.* 19 quoad testamentum oblatum saltem expressè remissum non esse. Minùs convincunt adductæ Juris regulæ, à quibus hìc receditur ob summum, quod verti potest, & testatoris, & veri hæredis præjudicium; quod in aliis negotiis civilibus facilè non est timendum, siquidem fraude comperta, etsi contra intentionem mandantis quid actum fuerit, legitimis remediis damnum resarciri, aut, quod gestum est, retractari poterit; at testamentum dolosè interversum, quia post mortem non revertitur, à defuncto revocari nequit; quapropter actus offerendi planè personalissimus est.

Testamentum privatum vocatur, quod nititur fide, & authoritate privata, éstque similiter duplex: solenne, & insolenne. 7

Solenne est, quod omnibus solennitatibus juris constat. Cujus itidem duæ sunt species, *scriptum, & nuncupativum.* Solenne *scriptum* est, quod in scripturam redactum, & debitô modô subscriptum, & subsignatum est: *l. 21. pr. C. h. t.* Et hoc testamentum, quia testes plerumque ignorant, quæ in eo scripta sint, & quis hæres sit institutus, *mysticum vel clausum* nuncupatur. Solenne *nuncupativum*, quod vulgò ein von Mund außgesprochener letzter Will dicitur, est, cùm testator vivâ voce voluntatem suam uno actu declarat, hæredémque palam coram septem testibus specialiter rogatis, ac idoneis exprimit, & nominat. *§. fin. Inst. de Testam. ordinand. d. l. 21. §. 2. & l. 29 C. h. t.* Et hoc communiter in necessitate tantùm, quando instans mortis periculum solennem scripturam non admitti, fieri solet; quia scilicet malorum hominum insidiis facilè subjacere potest, qui voluntatem suam circa hæredem & Legatarios palam declarat. Utut autem hodie ad faciliorem probationem etiam hoc communiter à Notario publico in scripturam redigi consueverit, quò per eandem, si unus vel alter testis moreretur, fides

fides rei gestæ fieri queat, per hoc tamen nuncupativum esse non desinit. Julius Clarus §. *testamentum q.* 4. *n.* 2.

Testamentum *non solenne* est, quod est specialiter privilegiatum, ita ut aut nullas, vel saltem non omnes solennitates jure communi præscriptas requirat. Quò pertinet.

I. *Testamentum militis*, id siquidem in expeditione bellica factum nullam exigit solennitatem, sed satis est, quoquô modô exponere, ac declarare ultimam voluntatem, modò de ea satis constet. *pr. Inst. l.* 1. §. 1. *ff. l.* 5. & 15. *C. de Testament. militar.* ideo, quia milites arma magis, quàm jura scire præsumuntur, & subita pericula, in quibus momentaneè versantur, curam solennitatum in condendis testamentis habere non sinunt. Neque privilegiô istô gaudent soli milites, qui in numerum relati, juramentum militare ad vexilla præstiterunt, sed illi, qui, licèt milites non sint, castra tamen cum simili vitæ periculo, & quidem militum causâ sequuntur, puta Concionatores, Consiliarii, Medici & Chirurgi bellici, sicut & mercatores castrenses, die Marcatenter. *l.* 16. *C. Eo t.* Hodie tamen solùm in conflictu existentibus ita liberè testari licet; qui in castris degunt, duos ad minimum testes adhibere debent. *R. I. de Anno* 1512. *tit.* von Testamenten §. und sollen. Quòdsi miles post missionem, aut extra castra testamentum condat, communi jure utitur §. 3. *Inst. de Militar. testam. l. penult. C. Eod.* Milites veterani, si testamentum jure militari ante missionem factum reliquerint, id post missionem intra annum adhuc valet, ita ut si testator intra annum à missione moriatur, in eo testamento militariter condito institutus hæres hæreditatem acquirere possit; post annum autem à missione elapsum, si moriatur, acquirere nequit, nisi hæredi conditio post annum demum exstitura fuerit adjecta. *l* 38 *ff. de Militar testam.*

II. *Testamentum Parentum inter liberos*, 9 in quo liberi legitimi, ab que omnibus solennitatibus juris per nudam parentum voluntatem hæredes instituuntur. *l. fin. C. Familiæ herciscundæ. l.* 21. §. *ex imperfecto. C. h. t. Novel.* 107. *c.* 1. Unde valet hoc testamentum scriptum, licèt nulli adhibiti sint testes. Gail. 2. *observ.* 112. *n.* 78. per *d. l.* 21. §. 1. dummodo Parens manu propriâ, claris & propriis verbis liberorum nomina, & uncias, ex quibus hæredes eos esse cupit, exprimat: item res singulas inter eos distribuendas unà cum testamenti facti tempore scribat, aut testamentum alienâ manu exaratum subscribat, & liberi manum patris agnoscant *d. Novel.* 107. *c.* 1. Ratione testamenti nuncupativi pariter sufficit, duos adhibere testes, non rogatos, modò sint idonei; qualis etiam hic est mulier: ex quo jus gentium, non civile in testamento parentum inter liberos consideratur. *d. l. ult. C. Familiæ herciscund. authent. quod sine. C. h. t.* Fachin. *lib.* 4. *controv. c.* 11. Gail. *d. observ.* 112. *n.* 4. Quod ita obtinet, si parentes liberos instituant: si extraneos hæredes nominaverint, eorum testamentum non subsistit, & tantùm quoad liberos valet, relictum verò personis extraneis liberis accrescit. *d. l.* 21. §. 1. *C. h. t. d. Novel.* 107. *c.* 1. Donellus *lib.* 6. *c.* 9. adeò ut & legatum, vel fideicommissum, in hujusmodi testamento extraneis adscriptum sit ipso jure nullum, liberisque cedat, nisi saltem duo testes adhibiti fuerint per *d. Novel.* 107. *c.* 1. ℣. *si tamen* juncta *l.* 12. *ff. de Testib.* Carpzovius *p.* 3. *constit.* 4. *defin.* 20. Quin imò probabilior sententia quinque testes desiderat. arg. *l. ult.* §. *ult. C. de Codicill.*

III. *Testamentum ad pias causas*, factum 10 scilicet pro salute animæ, vel amore DEI in favorem Ecclesiarum, Xenodoch orum, Scholarum, Pauperum, Viduarum, Captivorum, aliarúmve piarum causarum. Panormit. *ad*

Rubric. num. 9. & in c. 15. h.t. etenim si constet, testatorem respexisse ad causas pias, sola sufficit enixa ejusdem voluntas, quatenus secundùm jus gentium, & naturale regulatur, *l. 1. C. de SS. Ecclesiis. c. relatum. 11. h.t. & ibi* Interpretes: quippe bonum animæ legis humanæ subtilitas impedire non debet, nec minor esse favor militiæ sacræ, quàm sæcularis. Neque reclamat *cit. c. relatum.* dum in testamento ad causas pias duos saltem testes requirit: nam id accipiendum est, non quasi duos testes exigat ad substantiam, sed duntaxat probationis causâ, quemadmodum ex verbis finalibus *ejusd. cap.* apertè colligitur, & defacto ita Rota decidit. *p. 2. decis. 74. num. 12.* consequenter, si per scripturam, vel alio modo constet de testatoris voluntate, testibûs opus haud erit. Et hanc Pontificis constitutionem non tantùm in terris Ecclesiæ, sed etiam Imperij observari debere omnium ferè Doctorum sententia est: quoties enim apud Judicem sæcularem incidit controversia de testamentis, & legatis piis, eam Jure Canonico decidendam esse, post alios tradit Carpzov, *p. 3. constit. 4. defin. 33.*

11 IV. *Testamentum rustici*, in quo propter imperitiam, & necessitatem in actu testandi septenarius testium numerus remissus est, ita ut quinque sufficiant, si plurium copia commodè haberi nequeat; pauciores autem de jure communi nunquam sufficerent, tametsi aliquando nec quinq; haberi possent: per text. expressum in *l. fin. C. h. t.* ibi: *usq; ad quinq; modis omnibus testes adhiberi jubemus: minus autem nullo modo concedimus.* Quam legem Maximilianus Imperator confirmavit *Recess. Imper. Anno 1512. tit.* von Testamenten. *§.* Und sollen die Notarien. Præterea in testamento rustici relaxatur specialis testium subscriptio, & sigillorum appositio, si nempe testes litterarum sint ignari; si autem duo, vel tres litterarum gnari adsint, licet ipsis pro ignorantibus præsentibus subscriptionem interponere. *d. l. fin. C. h. t.*

V. *Testamentum factum tempore pestis*, in 12 quo quanquam non omnes, aliquæ tamen remissæ sunt solennitates; ut namque testes ad ipsum testandi actum specialiter convocentur, necessum non est; numerus tamen septenarius testium adhuc de rigore juris loquendo æquè in hoc, ac in aliis testamentis requiritur auctoritate textûs in *l. 8. C. h.t.* consociatione remissâ, idque ob metum contagionis. Zoël. *ad ff. Qui testam. facere poss. n. 41.* Crederem autem tunc quinque testes sufficere, quando plures haberi nequeunt, & testator ipse peste infectus est, arg. *l. fin. C. h. t.* imò hodie in Camera Spirensi duobûs, vel tribûs testibûs tempore sæviss imæ pestis factum testamentum sustineri, testatur Gail. *lib. 2. observ. 118. n. 18.* Siquidem tempore necessitatis meritò à solennitate legali, & regulis Juris communis receditur.

§. V.

Causa efficiens testamenti duplex est: *Remota & proxima.*

Remota est Jus. sed quale? an naturale, aut 13 gentium, vel positivum Civile, aut Canonicũ?

Sunt, qui facultatem testandi Juri Civili attribuant, atq; in totum Juris Civilis esse contendant, præcipuè ideo, quia stando in Jure naturæ non potest quis de ulla re disponere pro eo tempore, quo quis Dominus amplius non est; nam dispositio, quæ sit tempore habili, si in tempus inhabile confertur, inutilis est per *l. Stichus. 39. ff. de Manumiss. testam.* atqui testamentum facere in effectu aliud non est, quàm disponere de bonis suis pro eo tempore, quo quis Dominus amplius non est, cùm dispositio testamentaria conferatur post mortem testatoris, postquam desinit esse Dominus, cessat esse membrum reipublicæ, & bona ipsius sunt vacantia, & quasi derelicta: ergo stando in jure naturæ nemo potest facere testa-

stamentum, & nisi lex Civilis permitteret, suâque authoritate extremas hominum voluntates muniret, subsistere haud possent. Ita Haunold *tr. 6. de J. & J. c. 1. controv. 1. n. 14.* cum citatis.

Veruntamen probabilius videtur, testamentum origine esse jus naturalis, ac gentium, formâ autem Juris Civilis. Ratio peremptoria est, quia quod inter vivos concedi tur, illud multò magis in ultima voluntate concedendum est. arg. *tit. Inst. de Lege Fusia Caninia tollenda.* nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis, post quam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit ad arbitrium. *l. 1. C. de SS. Ecclesiis.* At apud omnes gentes, & de jure naturæ inter vivos de rebus suis disponere cuique licuit. *l. 5. ff. de J. & J. l. in re mandata. C. Mandati.* Cur non igitur & ultima voluntate? Certè testamentorum usum non minùs, quàm contractuum apud omnes ferè gentes invaluisse, in confesso est: ergo si facultas contrahendi, & per contractum dominia transferendi jure naturæ, & gentium competit, eodem jure competit etiam facultas testandi. Ad hæc, si possum jure naturæ, & gentium donare centum aureos post mortem meam donatario solvendos, quò tempore dominus non ero; ratio non est, cur non possim jure naturæ & gentium de bonis meis pro tempore mortis disponere. In hac opinione resident Covar. *Var. resol. lib. 3. c. 6. n. 7.* Jul Clar. *§. testamentum. q. 2.* Harprecht *ad Inst. h. t. n. 62. & seqq.* & complures alii.

Neque opposita sententia sibi præsidium accersere potest ex eo, quod dispositio, quæ fit tempore habili, inutilis sit, si referatur ad tempus inhabile: quippe hoc principium procedit, quando executio confertur in tempus inhabile respectu executionis, ut in *cit. l. Stichus. 39. ff. de Manumiss. testam.* in qua libertas ita data: *Stichus servus meus, si eum hæres alienaverit, liber esto;* inutilis dicitur, non quia legatum confertur in tempus inhabile respectu dispositionis, sed quia effectus legati, id est, manumissio confertur in tempus inhabile respectu executionis, ex quo directa libertas, de qua agitur, servo alieno dari nequit. *l. 9. ff. Eod.* Secus autem, si executio conferatur in tempus habile respectu executionis: nam tunc, etsi inhabile sit respectu dispositionis, valet dispositio, ac proinde testamentum sustinetur, quamvis effectus ipsius conferatur post mortem, ut quod tempus, licèt sit inhabile ad disponendum, est tamen habile ad hoc, ut quod semel legitimè dispositum est, detur executioni; imò necessarium est, cùm testamentum testatoris nonnisi post mortem executioni mandari possit. *l. 1. ff. Qui testam. facere poss.*

Causa efficiens proxima testamenti est Te- 14
stator. Possunt autem testari omnes, qui naturâ non impediuntur, nec legibûs prohibentur. arg. *l. 1. §. 1. ff. de Testib. l. 43. §. 1. ff. de Procurat.* est enim testamenti factio de genere promissorum, & edictum de iis, qui testari nequeunt, prohibitorium, cujus hæc est natura, ut posse censeatur, cui specialiter non interdicitur. Reisner. *de Test. vol. 1. p. 2. c. 2. in fin.*

Natura impediuntur nonnulli, vel ob defe- 15
ctum animi, vel ob defectum corporis.

Ob *defectum animi* impediuntur I. Infantes sive ii, qui nondum habent tantum rationis usum, ut bonum possint à malo sufficienter discernere. II. Mente capti & furiosi. *l. 2. l. 17. ff. & l. 3. C. Qui testam. fac. poss* ita tamen ut valeat testamentum, quod condiderunt tempore lucidi, si quod habent (de quo certo constare debet) intervalli. *§. 1. Inst. Quib non est permiss. facere testam.* sicut & valet id, quod factum est ante furorem: quia superveni entia, quæ facti sunt, non infringunt a, quæ sunt Juris, & bonum habuêre principium: nec

novum, ut utiliter constituta valeant, vel eo casu existente, unde initium trahere nequiverunt. *l.* 85. §. *non est novum. ff. de R. I.* Quòd autem aliqui concedant, fatuum posse facere testamentum, verum reor, si fatuus pro simplici, substupido, ac obtusi ingenii homine sumatur. Joan. Faber in §. *præterea Inst. Quib. non est permiss. facere testam.* Mantica *de Conject. ultimar. volun. lib.* 2. *t.* 5. *num.* 14.

III. Ebrii ebrietate perfectâ, & cum quodam mentis temporario exilio, quamdiu ejusmodi ebrietas durat: aliud est, si sit modica, & talis, quæ non adimit usum rationis. Nicol. Reisner. *de Testam. Volum. 1. p.* 2. *c.* 12. *n.* 3.

16 Ob *defectum corporis* testari impediuntur muti & surdi simul à natura. §. 3. *Inst. quib. non est permiss. fac. testam. l.* 6. §. *ult. l.* 7. *ff. l.* 10. *C. Qui testam. fac. poss.* Ratio est: quia voluntatem suam certò manifestare non possunt. Quòdsi ex accidente surdi & muti facti sint, non prohibentur, modò antè litteras didicerint, & testentur in scriptis: nec ii, qui surdi sunt tantùm, vel muti tantùm, modò illi loqui articulatim, isti scribere possint: per *d. l.* 10. Planè cœci & olim, & nunc, rectè testantur, observatis tamen solennitatibùs juris, quæ sunt, ut testentur nuncupativè, cùm scripturam videre nequeant: & ad præsentiam septem testium adhibeant Notarium, vel ejus locô octavum testem. *l.* 8. *C. Qui testam. facere poss. Recess. Imperii de Anno* 1512. *tit.* von Notarien §. aber zu eines Blinden.

17 *Legibus* prohibentur alii jure gentium, alii Jure Civili, alii Jure Canonico.

Jure gentium prohibentur I. Servi, *l.* 16. *pr. l.* 19. *ff. Qui testam. fac. poss.* His tamen ne accenseas homines proprios, die Leibeigne/ quia etsi admodum durè in quibusdam locis habeantur, liberi tamen sunt, & ingenui. Mynsing. *cent.* 2. *observ.* 23. Gail *de Pignor. observ.* 8. *n.* 2. ideóque testamenta facere, aliósq; actus civiles exercere queunt. Gloss. in *pr. Inst. de Jure personar.* II. Capti ab hostibus in bello justo: quia quamdiu sunt in hostium potestate, servi sunt. §. 3. & 4. *Inst. de Jure personar.* Hinc licèt redierint, testamenta in captivitate confecta non convalescunt; ea verò, quæ ante captivitatem jure fecerunt, valent, vel jure postliminii, si redierint; vel ex lege Cornelia, si ibi decesserint. §. *ult. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l.* 8. *ff. Qui testam. facere poss.* Moribûs nostris, & secundùm humaniorem sententiam testamenta, quæ Christiani captivi condunt, etiam apud Turcas, aliósve barbaros pro justis habenda, ne afflictis afflictio addatur. Covar. *in relect. c. peccatum tom.* 1. §. 11. *n.* 6. Quamvis jus antiquum contra Turcas in bello captivos obtinere, testetur Schneidewy. *ad* §. *penult. Inst. de Jure person.* Mynsing *ibid. n.* 5 cum aliis. Idem dicendum de obsidibus, qui publicarum conventionum firmandarum causâ ab uno populo alteri, quasi pignoris locò dantur. *l. obsides.* 11. juncta Gloss. *ff. Qui testam. fac. poss.*

Jure Civili aliqui prohibentur testari ob 18 defectum ætatis; nonnulli ex defectu integri statûs; plures ob vitium morum.

Ob *defectum ætatis* testari prohibentur impuberes, masculi scilicet ante annum decimum quartum, fœminæ ante annum duodecimum completum, *l.* 5. *ff. Qui testam. fac. poss.* quia nullum eorum est animi judicium, tale nimirum, quale requiritur in his, qui de omnibus facultatibus suis disponere cogitant. §. 1. *Inst. Quibus non est permiss. facere testam. l. ult. C. de Testam. milit.* Neque rectè quis dixerit, hîc malitiam supplere ætatem: quippe hæc repræsentat aliquem adultum quoad certum solummodò effectum, scilicet quoad effectum habilitatis contrahendi matrimonium; non verò quoad effectum absolutæ, & perfectæ ætatis: cum Leges præcisè certum annorum numerum ad testamenti factionem re-

sequirant. Hinc & Ulpianus in *l.* 1. §. 1. *ff. de Tutele & rationib. distrah.* respondit, pupillos ne quidem authoritate Tutoris interveniente, testari posse. Cæterùm puberes, licèt alios actus inter vivos sine consensu suorum Curatorum celebrare nequeant, possunt tamen sine eorum consensu testari: quandoquidem testandô sibi non præjudicant, cùm effectus testamenti primùm post mortem eveniat. *l.* 20. §. 1. *ff. de Libert. legat.*

19 Ob *defectum integri status* à testamenti factione removentur filiifamilias, non quidem simpliciter, sed pro diversitate bonorum, quæ habent. *pr. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l.* 6. *pr. l.* 16. *ff. Qui testam. facere poss. l.* 3. §. *fin. Eod.* Enim verò de peculio *castrensi, & quasi castrensi* testari possunt, cùm in iis pro patribusfamilias habeantur. §. *ult. Inst. de Milit. test. pr. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l. penult. & ult. C. Qui testam. facere poss.* De peculio *profectitio* autem *& adventitio minùs pleno*, seu *regulari* testari nequeunt, etiamsi consensus patris accedat. *pr. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l.* 6. *ff. Qui testam. facere poss.* quia testamenti factio per LL. XII. tab. ad patresfamilias restricta est, & cùm juris publici sit, saltem authoritate, formâ & approbatione, *l.* 3. *ff. Eod.* privatâ pactione concedi non potest. *l.* 38. *ff. de Pactis. l.* 15. §. 1. *ff. ad L. falcidiam.*

An autem in peculio adventitio irregulari, in quo pater usumfructum non habet, testamenti factio filiisfamilias competat? *controvertitur.*

20 Treutl. *vol.* 2. *disp.* 11. *th.* 2. *lit.* A. Hun. 2. *var. resol.* 5. *q.* 10. & alii, qui affirmant, præcipuè se fundant in *l.* 8. §. 5. *C. de Bonis, quæ liberis.* juxta quam filiisfamilias in his duntaxat casibus, in quibus ususfructus apud parentes constitutus est, de iis rebus testari non licet; facili argumento, quòd ergo in aliis casibus, ubi parentes non habent usumfructum, uti in hoc peculio, testari liceat. Deinde in *Novel.* 117. *c.* 1. ubi filiisfamilias libera de ejusmodi peculio indulgetur dispositio.

Nihilominùs verior est negantium opinio I. quia facultas testandi tantùm patribusfamilias concessa est, & filiisfamilias in peculio castrensi, & quasi castrensi, quatenùs in iis pro patribusfamilias habentur. *l.* 120. *ff. de V. S.* II. ob textum expressum in *l. penult. C. Quæ testam. facere poss.* ubi Justinianus Imperator perspicuè facultatem testandi in his bonis filiisfamilias negat, & jus antiquum servari jubet. Ita cum Covar. Fachinæo, Harprecht, & Vinnio, Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting *ad Inst. Quib. non est permiss. facere testam. n.* 4.

Neque oppositæ sententiæ opitulatur *d. l.* 21 8. §. 5. *C. de Bonis, quæ liberis*: quia argumenti à contrario sensu nulla vis est contra textum expressum, & apparet ex *d. l. penult.* quòd ejus promulgandæ nulla alia fuerit ratio quàm hæc, ne superesset ampliùs occasio errandi. Minùs juvat *d. Novel* 117. *c.* 1. §. 1. nam generalia illa verba: *quovis modo disponere &c.* restringenda sunt ad dispositionem inter vivos: neque enim verisimile est, Justinianum per illam Novellam *d. l. penult* immutare voluisse: & sanè infirmum est argumentum, quod ex verbis generalibus ad legem particularem corrigendam & tollendam desumitur.

Ob *vitium morum* Jure Civili testari prohibentur l. prodigi, quibus interdicta bonorum administratio dato Curatore. §. 2. *Inst. Quib. non est permiss. fac. testam. l.* 18. *ff. Qui Testam. fac. poss.* tales enim quoad administrationem bonorum furiosis comparantur. *l.* 1. *ff. de curatorib. furioso.* Quod de jure ad eum etiam casum extendendum, quo salubriter & prudenter posteritati suæ consuluerint, aut quidquam utiliter de suis bonis disposuerint: quamvis enim contrarium expressè ha-

beatur in *Novell. Leonis* 39. & ideo dissentiant Cujacius in *l. 6. ff. de V. O.* & Carpzov. *q. 3. const. 6. defin. 11.* hæc tamen Novella contra jura manifesta nihil potest, nec ubique recepta est. Perez. *ad C. tit. Qui testam. fac. poss. n. 2.* Richt. *decis. 43. n. 7.* Planè illud testamentum, quod prodigi fecerunt, antequam interdictio bonorum iis fieret, ratum manet etiam post interdictionem. *d. §. 2. Inst. Quib. non est permiss. fac. testam. d. l. 18. pr. ff. Qui test. fac. poss.*

22 II. Qui se incestis nuptiis polluerunt, eò, quòd jure novissimo bona omnia statim amittant, eáque fisco cedant; nisi fortè liberos habeant ex justis nuptiis legitimos, qui fiscô sunt potiores, *Novell.* 12. *c.* 1. Quin imò hodie non tantùm descendentes, sed & ascendentes usque ad tertium gradum, fisco præferuntur. *Novell.* 134. *c. ult.*

23 III. Qui ob carmen, seu libellum famosum, quod vulgò *pasquillum* vocant, damnati, *l.* 18. §. 1. *ff. Qui testam. fac. poss.*

IV. Rei perduellionis, qui scilicet hostilia adversus Principem, aut Rempublicam moliti sunt, fortè quòd sumptis armis, ac initâ pactione in necem Principis, aut perniciem Reipublicæ conspirârunt per *l.* 20. *C. de Accusationib.*

24 V. Deportati. *l.* 8. §. 1. *ff. Qui testam. fac.* non item relegati: quippe hi unà cum civitate jus testandi retinent. *d. l.* 8. §. 3. Hodie deportatis similes putantur Banniti & proscripti ab Imperatore, vel Camera Imperiali, die in die Reichs-Acht erklärt seyn: tales enim non tantùm desinunt esse cives Romani, sed insimul pro hostibus Imperii habentur. Gail. *de Pace publ. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 3. & 5. Relegatis verò comparantur, qui tantum ab aliquo Statu Imperii proscripti sunt, utpote quibus jus Civitatis Romanæ, & per consequens etiam jus testandi salvum manet. Haunold *de J. & J. tr.* 6. *c.* 4. *n.* 220.

25 VI. Damnati ad mortem, seu ultimum supplicium. *l.* 8. §. 1. *ff. Qui testam. fac. l.* 6. §. 6. *ff. de Injusto, rupto irrit.* ubi additur ratio: quia servi pœnæ fiunt, bonáque eorum confiscantur. Et quamvis jure Novellarum capite damnati nec libertatem perdant, *Novellâ* 22. *c.* 8. nec bona, ut quæ modò non fisco, sed Ascendentibus, & descendentibus usque ad tertium gradum *Novellâ* 134. *c. ult.* (quibus compillator authenticarum ex errore adjecit Collaterales in *auth. bona damnatorum C. de Bonis proscript.*) applicentur; quia tamen saltem peregrini efficiuntur, & civitatem per sententiam capitalem amittunt, probabiliùs est, eos etiam jure novo esse intestabiles, licèt contrarium observet praxis, teste Claro §. *testamentum. q.* 21. *num.* 1. Nattâ *consil.* 178. *n.* 4. Illud certum est, quòd ante sententiam testati & mortui, imò etiam qui postea (siquidem ab eo appellaverint, ut possunt, spectato jure communi, ac pendente appellatione moriantur) pro legitimè testatis habeantur, haud dubiè ideo, quia adhuc integri status sunt, cùm appellatio effectum sententiæ suspendat. *l.* 9. *l.* 13. §. 2. *ff. Qui testam. fac. poss. l.* 1. *ff. de Pœnis.*

26 *Jure Canonico* aliqui testari prohibentur ob conditionem statûs, alii in pœnam delicti.

Ob *conditionem statûs* prohibentur I. Religiosi professi. *c.* 7. *causâ* 19. *q.* 3. & *ibi* Glossa in *V. testandi. c.* 2. *h. t.* & *ibi* Covaruv. *n.* 18 & 19. quia sui juris non sunt, & nec velle, nec nolle proprium habent. *c. non dicatis. causâ* 12. *q.* 1. Et hæc prohibitio procedit etiam de ipsis Prælatis, & elevatis ad Episcopalem dignitatem, quia votô paupertatis & aliis substantialibûs per prælaturam, aut electionem ad Episcopatum non liberantur. *c. de Monachis.* 3. *causâ* 16. *q.* 1. *c. penult. de Vita & honestate Clric. c. nullus. de Elect. in* 6. Navarrus *de Redditib. Eccles. q.* 1. *monit* 9. *n.* 22. Barbosa *ad c.* 1. *h. t. n.* 7. ubi notat, quod Episcopus regularis, obtenturus dispensationem, ac

& licentiam testandi à Summo Pontifice, duo impedimenta explicare debeat: unum Religionis, alterum Episcopatûs, si nimirùm testari velit de bonis Ecclesiasticis. Porrò Novitii religionum possunt pro suo libitu sive ante ingressum religionis, sive durante Noviciatu etiam ante duos menses proximè præcedentes professionem, quin & sine petita licentia Superioris testari, eo, quo voluerint, modo. *auth. nunc autem. C. de Episcop. & Cleric. c. si qua mulier.* 9. §. *fin. causâ* 19. *q.* 3. Sanchez *lib.* 7. *Moral. c.* 3. *num.* 3. Molin. *disp.* 139. *n.* 8. Neque testamenta eorundem per subsecutam professionem rumpuntur, sed potiùs per eandem, tanquam mortem civilem, ita firmantur, ut postea revocari nequeant: & si Religio illa, quam professi sunt, bonorum sit incapax, bona statim ad hæredem devolvuntur; si verò bonorum & successionis in communi capax existat, hæreditas non priùs ad hæredem transibit, quàm post mortem naturalem testatoris professi, cujus bonis Monasterium interim fruetur. Panormit. in *c. in præsentia 6 de Probat. n.* 58. Covar. *ad c.* 2. *h. t. n.* 9. Rosmer *de J. & J. in t. de Hæred ab Int. n.* 3. Quod tamè usus non ubiq; observat.

27 II. Episcopi, & Clerici sæculares: quamvis enim hi testari possint ad causas tam profanas, quàm pias de bonis *patrimonialibus industrialibus, & parsimonialibus; c. quia nos.* 9. *h. t. & ibi* Covar. *Auth. presbyteros. C. de Episcop. & Cleric.* Navar. *de Redditib Eccles. q.* 1. *n.* 59. *&* 82. de bonis tamen *superfluis prospectu Ecclesiæ acquisitis*, ne quidem ad causas pias testamentò disponere possunt. *c.* 1. 7. 8. 9. *&* 12. *h. t. c.* 1. *&* 3. *de Pecul. Cleric.* quia, ut dicitur in *cit. c.* 7. *h. t.* in officiis charitatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. Unde cum Episcopi, ac alii beneficiati non exiguos, sed amplos fructus ab Ecclesia percipiant, æquum est, ut penes Ecclesiam fructus superflui remaneant, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint. Interim dubitandum non est, quin Summus Pontifex Clericis licentiam concedere valeat, quâ possint de omnibus superfluis testari: arg. *c.* 2. *de Præbend. in* 6. *& c.* 4. *de Concess. Præbend.* Atque ex hac licentia probabiliter etiam testamentum, priùs conditum, vires accipit, cùm tam concedentis, quàm supplicantis mens fuisse videatur, ut impetrans decederet testatus; quod ex benigna interpretatione de testamento facto, & faciendo intelligi potest. Tuschus *concl. pract.* 145. P. Engl *h. t. sub n.* 9. Mallem tamen in sententiam contrariam deflectere, propter *c. non firmatur. & c. quæ contra. de R. J. in* 6. §. *præterea. Inst. Quib. non est permiss. fac. testam. & l.* 20. §. 1. *ff. de Testam. milit.* Ab Episcopis autem, & aliis inferioribus Prælatis talis licentia concedi nequit, nisi privilegio, vel consuetudine fulciantur. arg. *Clem.* 2. *pr. de Elect. & c. dilectus. de Temporib. ordinat.*

An per consuetudinem introduci possit, ut 28
Clerici de redditibus Ecclesiasticis ad usus profanos liberè testentur? Negant absolutè Navarrus *tr. de Redditib. Eccles. q.* 1. *monit.* 53. *& q.* 3. *monit.* 2. Panormit. in *c.* 7. *h. t. n.* 5. Henricus Canisius in *c.* 1. *n.* 18. *Eod.* Affirmant simpliciter Covar. in *c.* 7. *n.* 9. *h. t.* & apud hunc laudati Joan. Andr. Imola, Faber, & Paludanus, Barbosa *J. E. V. lib.* 3. *c.* 17. *num.* 7. Garc. *de Beneficiis. p.* 2. *c.* 1. *num.* 16. Haunold. *de J. & J. tom.* 2. *tr.* 6. *controv.* 7. *n.* 258. Alii variè distinguunt. Tu ante alios consule P. Engl *h. t. n.* 3.

In *pœnam delicti* Jus Canonicum testandi 29
facultatem adimit. I. Hæreticis, & hæreticorum receptatoribus, defensoribus, & fautoribus. *c.* 13. §. *credentes. de Hæretic. auth. credentes C. Eod.* Quò referuntur Manichæi, Donatistæ, Anabaptistæ, Wiclephiani, Hussitæ, & ejusdem generis plures fungi,

Ve-

Verùm hæc prohibitio procedit de hæreticis non toleratis: nam tolerati, quales in Imperio sunt Lutherani, & Calviniſtæ, validè teſtantur, teſte P. Engl *ſub n. 3. ad fin.* II. Percuſſoribus Cardinalium, ac iis, qui Romanæ Eccleſiæ Cardinalem hoſtiliter inſequuntur, percutiunt, capiunt, vel ad id conſilium, aut auxilium præſtant. *c. felicis. de Pœnis in 6.*

30 III. Uſurariis manifeſtis ante factam reſtitutionem, vel ſaltem cautionem idoneam de reſtituendis uſuris præſtitam. *c. fin. de Uſur. in 6.* quis autem ſit, & dicatur uſurarius manifeſtus, tradit Covar. *lib. 3. var. reſolut. c. 3. num. 4.* & Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. uſura. num. 15.*

Et hi ferè ſunt, qui teſtari nequeunt. Econtra omnes alii teſtari poſſunt: mares, & fœminæ: *l. 5. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Juvenes, & ſenes, quotcúnque demùm annorum ſint, ſi modò mens adhuc ſine injuria eſt. *l. 3. C. Eod.* ſani, & ægroti, etiam morti proximi, ſi modò morbus tam vehemens non eſt, ut quoque menti officiat. *d. l. 3. C.* junctâ *l. 2. ff. Eod.* Etiam excommunicati, cùm nullo jure teſtari prohibeantur. Panormit. *ad Rubr. h. t. n. 5.* ſi modò non ob tale crimen ſint excommunicati, quod ipſos aliàs inteſtabiles reddit. Diſſentit Fachinæus *lib. 5. controv. c. 88.* Etiam infames, ſi modò non ſint tales ex delicto, quod ſpeciali jure reos arceat à teſtamenti factione. arg. *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. cognit.* junctâ *l. 8. §. 3. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Molina *de J. & J. diſp. 137. n. 9.* Covar. *3. var. reſol. c. 3. n. 8.*

§. VI.

31 *Subjectum* teſtamenti eſt hæres, qui in eo poteſt, vel debet inſtitui.

Inſtitui hæredes poſſunt omnes, qui non prohibentur; in quam claſſem prohibitorum pertinent l. ſervi pœnæ. *l. 3. ff. de His, quæ pro non ſcript. habent.* II. Peregini, qui jus civitatis Romanæ ex cauſa pœnæ amiſerunt; uti ſunt deportati. *l. 1. C. de Hared. inſtit.* Quibus hodie exæquantur damnati ad triremes, & Banniti Imperii. Eckolt *ad ff. Eod. §. 5. in fin.* Aliud dicendum de Peregrinis, id eſt, alienigenis, ſive extraneæ nationis hominibus: cùm enim hi ex conſtitutione Frider. Cæſaris teſtari poſſint, *auth. omnes peregrini. C. Communia de ſucceſſ.* poſſunt etiam inſtitui, quia teſtamenti factio activa, ceu nobilior, annexam ſolet habere paſſivam. III. Damnati ad ultimum ſupplicium: nam licèt hodie non fiant ſervi pœnæ, *Novella. 22 c. 8.* fiunt tamen peregrini, & civitatem amittunt. *l. 29. ff. de Pœnis.* IV. Hæretici, eorúmque receptatores, ac defenſores. *l. 4. & auth. credentes. C. de Hæretic.* Quod tamen non in omnibus obtinet: ſiquidem in *Pace Religioſa de Anno 1555.* in Imperio promulgatâ, ſecta Lutherana ita permiſſa eſt, ut nec Pater Catholicus filium Acatholicum, nec hic natum catholicum exhæredare poſſit. Carpzov. *p. 3. conſt. 14. defin. 10.* quibus in inſtrumento *Pacis Monaſterienſis art. 6. §. 1.* etiam reformati annumerantur. Andler *ad Inſt. de Hæred. inſtit. n. 1.* V. Apoſtatæ, ſive qui à Chriſtiana fide deſciverunt. *l. 3. C. de Apoſtat.* VI. Qui Cardinales hoſtiliter inſequuntur, percutiunt, capiunt, vel cum his quocunque modo participant. *c. fin. de Pœnis in 6.* De cætero excommunicati (exceptis illis, qui excommunicati ſunt ob hæreſim, apoſtaſiam, aut percuſſionem, vel cædem Cardinalis) ut inſtituere, ita hæredes inſtitui poſſunt. VII. Liberi perduellium, & rebellium. *l. 5. §. 1. C. ad Legem Juliam Majeſt.* VIII. Qui ſe incæſtis nuptiis polluerunt: quippe hi, neque ſe, neque liberos inde editos hæredes ſcribere poſſunt. *l. 6. & auth. ex complexu. C. de Incæſtis nupt. auth. licet. C. de Naturalib. liber.* imò neque Pater filium ſpurium, arg. *d. auth. ex complexu. & Novell. 89 c. ult.* quia jura vagam libidinem deteſtantur. Avus tamen ne-

nepotem spurium ex filio legitimo, aut ex filio spurio legitimè genitum non prohibetur instituere per *l. fin. C. de Natural. liber. & ibi* Gloss. IX. Collegia illicita, quæ scilicet speciali lege aut SCto approbata non sunt, veluti Synagogæ Judæorum. *l.* 1. *C. de Judæis. l.* 8. *C. de Hæretic.* Licita possunt instituí, veluti collegia opificum. *d. l.* 8. quin etiam singuli de Collegiis illicitis. arg. *l.* 20. *ff. de Reb. dub.* X. Huc referuntur Religiosi, eorúmque Cætus, habitô tamen discrimine, Unde

32 *Dico* I. Minores de observantia, & Capucini neque in particulari, neque in communi capaces sunt hæreditariæ successionis, sive consistat in pecunia, sive in bonis immobilibus, sive in censibus annuis, qui immobilibus accensentur, ita, ut ex tali institutione ipsis nec tantùm percipere liceat, quantum ex legato possent. Legatorum tamen capaces sunt, dummodò non sint superflua, & si in immobilibus consistant, nec indigeant pro domo, horto, aut habitatione, solum pretium ad necessitates sublevandas recipiant *Clem. exivit. §. quia igitur. de V. S.* Trident. *sess.* 28. *de Regular. c.* 3. Layman. *in Theol. moral. lib.* 3. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 2. 4. *& 5.*

33 *Dico* II. Professi Societ. JESU, & Coadjutores formati hæredes instituí nequeunt, *ut puritatem paupertatis, & quietem, quam secum affert, eò melius conservare possint*, prout habetur in *p.* 6. *Constit. c.* 2. *§.* 12. Aliud dicendum de his, qui nondum ediderunt ultima vota, sicut & de ipsa Societate, ejúsque Collegiis, domibus probationis, & domibus professis: nam hos rectè hæredes scribi, docent Molin. *de J. & J. disp.* 195. *n.* 3. Laym. *loc. cit. num.* 2. Haunold. *de J. & J. tr.* 6. *n.* 5. *controv.* 1. *num.* 285. & cum his Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Instit. de hæred. instit. n.* 3.

34 *Dico* III. Reliqui Ordines, ac Communitates, earumque Professi etiam mendicantes, capaces sunt hæreditariæ successionis, sive immediatè, sive mediante jure illis ex professione Religiosi acquisito. *l. Deo nobis.* 56. *§.* 1. *C. de Episcop. & Cleric.* ita ut Superior hæreditatem Religioso delatam adire possit; nec necessum sit, ipsum Religiosum adire, utut aliàs ipse institutus hæreditatem adire debeat per Text. *in l. per curatorem.* 90. *ff. de Acquirenda hæredit.* cùm enim Monasterium, & Religiosus pro una, eademque persona habeantur, Prælato, vel Superiore, aut alio jussu ejus adeunte, ipse Religiosus adire censetur, imò Prælatus hæreditatem adire potest Religioso eam repudiante: quia in hoc similis est filiofamilias, quo repudiante aditio patri salva manet: *l. fin. in pr. C. de Bonis, quæ liberis*, & dissensus Religiosi nullum in jure effectum sortitur. *c. si Religiosus de Elect. in* 6. Zoës. *ad ff. de Acquirend. hæred. n.* 5.

35 Cæterùm, & unum hominem, & plures usque in infinitum, quot quis hæredes velit facere, licet. Text. *in §.* 4. *Inst. de hæred. instit.* & siquidem plures instituti sint hæredes, unus simpliciter, reliqui per modum collectionis: puta ita: *Cajum, & fratris mei filios, hæredes instituo*: primus, nempe Cajus accipiet semissem, sive medietatem hæreditatis; alteram verò semissem cæteri collectivè instituti, nempe fratris filii: quoniam ii unius personæ vice funguntur. *l.* 11. *l.* 13. *pr. l.* 59. *§.* 2. *ff. de Hæred. inst.*

36 *Instituí hæredes debent* I. liberi saltem in legitima, quæ hodie est *triens*, si liberorum sint quatuor, vel pauciores: *semis* verò, si plures. *Novell.* 18. *c.* 1. aut si hoc non fiat, opus est ut nominatim exhæredentur. *pr. Inst. de Exhæredat. liber.* Quæ exhæredatio, ut justa ac legitima sit, ex præscripto *Novell.* 115. *c.* 3. tria requiruntur. *Primum*, ut ex justa causa fiat. Sunt autem ejusmodi causæ quatuordecim, his versiculis comprehensæ:

Bis septem ex causis exhæres filius esto,
Si Patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum,
Criminis accuset, vel paret insidias.
Si dederit damnum grave, sinec ab hoste redemit,
Testarive vetet, se sociétque malis.
Si Mimos sequitur, vitiétve cubile paternum.
Si mutet fidem, filia si meretrix.

Præter has, ne æquè graves, aut etiam graviores causas admittamus, palam vetat Imperator *in cit. Novell.* 115. *c.* 3. *in pr.* ibi: *præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur;* & cum Molin. *de J. & J. disp.* 170. *n.* 48. aliisque docet Frider. Ernest. à Someting. *ad Inst. de Exhæred. lib. n.* 19. *Alterum* requisitum est, ut illa causa ingratitudinis disertè, & in specie in testamento exprimatur, quod est exhæredationem *cum elogio* facere. Hinc non sufficit in genere dixisse, filium fuisse ingratum, quamvis hæres specialem ingratitudinis causam probare velit: quia Imperator *in d. Novell.* 115. *c.* 3. vult causam ingratitudinis nominatim inseri testamento, aut in ejus defectum nullum præjudicium generari liberis. Gomez. *1. var. resolut.* 11. Covarruv. *de Testament. c.* 16. & alii. An verò exhæredatio facta sine elogio relinquat testamentum ipso jure validum? Affirmant Fachin. 4. *controv.* 9. Zoës. *ad ff. de Liberis & Posthumis n.* 10. Negant Gomez, & Covarruv. *loc. cit.* quos sequuntur innumeri alii. *Tertiò* requiritur, ut causa ingratitudinis ab hærede in testamento instituto probetur: quòd veteri jure secus erat, ut quo ipse filius tenebatur docere innocentiam suam. *l.* 8. *C. de Inofficioso testam.* Quamvis autem ut exhæreditatio cum effectu procedat, & extraneus hæres institui possit, causa exhæredationis necessariò testamento inseratur, ita ut aliàs institutio hæredis extranei nequidem in conscientia valeat, sed hæreditas perinde ad filium spectet, ac si testamentum factum non esset, probatio tamen causæ expressæ non est de forma, adeóque exhæredatus ex eo præcisè, quòd hæres in probatione causæ deficiat, bonâ conscientiâ testamentum paternum impugnare, aut hæreditatem occupare, vel per malitiosum mendacium ereptam retinere non potest, legis Civilis auctoritate minimè patrocinante, ut quæ in falsa præsumptione innocentiæ fundatur.

II. Liberis non existentibus juxta *cit. Novell.* 115. *c.* 4. à filiis parentes instituendi, aut nominatim exhæredandi sunt per *Novell.* 22. *c.* 47. & quidem servatâ eâdem formâ, quâ fieri debet exhæredatio liberorum. Et hic ergo, ut exhæredatio parentum subsistat causa ingratitudinis testamento inserenda, & postea ab hærede probanda est *per d. Novell.* 115. *cap.* 4. Causæ tamen, ob quas Parentes exhæredari possunt, octo saltem proditæ sunt cùm Parentes non totidem modis pietatem in liberos lædere queant, quot filii reverentiam parentibus debitam. Causas autem illas nonnemo his versiculis inclusit: 37

Si Pater accuset capitalis criminis, aut se
Adjungat nurui, vitæque est insidiatus.
Testari prohibet gnatum, Matrique venenum
Præparet, inclusum si carcere, vel furiosum
Negligat, & veram contemnat religionem.

III. Præter liberos & parentes etiam fra- 38
tres & sorores in casu, quo iis turpis persona præfertur, vel hæredes instituendi, vel exhæredandi sunt. §. 1. *Inst. de Inofficioso testam. l.* 27. *C. Eod.* Causæ autem ingratitudinis, ob quas fratres hæreditate paternâ excluduntur, etiamsi turpis persona instituta fuerit, tres assignantur, quæ sequentibus versiculis continentur:

Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem,
Si fratri insidias, perniciémque struat.

Si

Si stelerа impingat, ferro fatóque pianda,
Aut si fraternas perdere censet opes.

§. VII.

39 *Materia*, seu *objectum* testamenti est vel primarium, vel secundarium.

Primarium est hæreditas, hoc est, jus universum, quod defunctus habet tempore mortis, sive deinde sit activum, sive passivum *l.* 24. *ff. de V. S. l.* 62. *ff. de R. J.* nisi enim in testamento caveatur de translatione universi juris testatoris, non est testamentum, sed codicillus, aut alia ultima voluntas per § 2. *Inst. de Codicill.* Relinquitur autem hæreditas, vel totâ, quæ æs, *libra*, aut *pondo* dicitur, vel pro parte tantùm. §. 5. *& seqq. Inst. de Hared. instit.* imò & in re certâ, *l.* 13. *C. Eod.* Et verò refert, an unum tantùm hæredem, an plures testator scripserit, aut nominaverit? Si unum tantùm: tunc sive in tota hæreditate, sive in parte hæreditatis, sive in re aliqua determinata instituerit, institutus semper ex asse hæres erit. *d.* §. 5. *Inst. l.* 1. §. 4. *ff. l.* 13. *C. Eod. l.* 41. §. *ult. ff. de Vulg. & pupill. substit.* ex ratione *l.* 7. *ff. de R. J.* quia nemo paganus partim testatus, partim intestatus decedere potest. Quòd si plures hæredes scripserit, aut nominaverit, tunc vel omnes instituit in re, rebúsve certis? & singuli res illas certas sibi relictas capient jure prælegati, hæredes verò per se loquendo erunt ex æqualibus partibus: *l.* 9. §. 13. *ff. de Hared. instit.* vel quosdam instituit in re certa, alios verò universaliter, & sive ex tota hæreditate, sive ex parte hæreditatis, sive simpliciter? & tunc illi, qui in re certa instituti sunt, Legatariorum locò habentur. *l.* 13. *C. Eod.* vel omnes instituit universaliter, nullum in re, rebúsve certis? & tunc quomodo pro diversitate institutionis factæ singuli ad hæreditatem admittantur, docet Imperator in §. 6. *& 2. seqq. Instit. de Hared. instit. & ibi* Clariss. D. Ernest. à Sonneting. *n.* 5. aliique Interpp.

Ad *secundarium objectum* testamenti per- 40
tinet I. *donatio mortis causâ*, quæ fit ob suspicionem mortis, *l.* 2. *& seqq. ff. de Mortis causa donat.* & explicatur triplici modo. *Primus* est, quando quis nullo præsentis periculi metu, sed sola cogitatione mortalitatis donant; & hæc donatio durat, dum donans in eadem voluntate manet, & effectum suum morte subsecuta sortitur. *Secundus*, quando quis metu præsentis periculi commotus, sic donat ut res statim fiat accipientis, ita tamen, ut si mors non sequatur, rem ita donatam velit ad se reverti, sibique restitui. *Tertius*, quando quis dictô periculô motus, non sic donat, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum, cùm mors fuerit insecuta. Et hæc donatio cessante tali periculo, vel si mors secuta non fuerit, adeóque conditio, sub qua donatio facta est, non evenerit, ipso jure exspirat, sine alia revocatione. *l.* 2. *& ibi* Gloss. *l.* 31. *l.* 35. §. 4. *ff. de Mortis causâ donat.* Cœterùm donatio mortis causa non est, quam facit moriens, vel in periculo mortis constitutus, nisi specialiter expresserit, se ex motivo mortis donare: aliud enim est morientem donare, aliud causâ mortis donare. *l.* 42. §. *ult. ff. Eod.* & in dubio potiùs donatio inter vivos, quàm mortis causâ præsumitur, atque allegans contrarium illud probare tenetur. *per d. l.* 42. §. *ult.*

II. *Legatum*, quod est donatio quædam à 41
defuncto relicta, ab hærede præstanda. §. 1. *Inst. de Legat.* hoc est, quòd donationis species sit, non univoca, sed analogica, dum néque in donationem inter vivos abit, cùm non detur à testatore, sed relinquatur; neque in donationem mortis causâ incidit, cùm illa à Donatario, vel procuratore ejus acceptari debeat. *l.* 38. *ff. de Mortis causa donat.* De eo *alter-* 42
cari DD. video, an sicut de Jure Civili valet legatum rei alienæ, ita quoque valeat de Jure Canonico?

Difficultatem facessit text. in *c. filius* 5. *h. t.*

ubi Summus Pontifex: *leges quidem ſæculi*, inſit, *hoc habent, ut hæres ad ſolvendum cogatur, ſi auctor ejus rem legaverit alienam: ſed quia lege DEI, non autem lege hujus ſæculi vivimus, valde mihi videtur injuſtum, ut res tibi legatæ, quæ cujusdam Eccleſiæ eſſe perhibentur, à te teneantur, qui aliena reſtituere debuiſti.* Ex quo textu Antiqui differentiam conſtituunt inter Jus Civile, & Canonicum, atque de Jure Canonico indiſtinctè legatum rei alienæ invalidum eſſe ſtatuunt, adeò ut nec ipſa res legata, nec æſtimatio ejus debeatur legatario. Panorm. *in cit. c. 5.* Sichardus *in l. cum alienam. C. de Legat.*

Attamen ut affirmativæ patrocinium ſuſcipiam, juris veritate compellor per *c. ſi Epiſcopus. cauſa* 12. *q. 5.* ubi apertè legatum rei alienæ valere ſupponitur. Neque verò Jus Civile iniquitatem redolet, dum legatum rei alienæ admittit cum hac conditione, ut hæres à Domino volente rem emat, & legatario præſtet, aut, ſi vendere nolit, ejusdem juſtam æſtimationem arbitrio Judicis ſolvat. *l.* 14. *&* 30. *§. fin. ff. de Legat.* 3. *l. cum rem l. proprias. C. de Legat.* proinde nec admittit correctionem à Jure Canonico. Covar. *ad cit. c. filius* 5. *n.* 6. Fachin. *lib.* 5, *c.* 38.

Ad textum *d.c. filius.* reſpondet *ibid.* Gloſſ. Pontificem tantùm prohibere, ne res aliena invito Domino detineatur, quia ad alienationem cogi non poteſt. Sed quia ex hoc nullum à Jure Civili, diſcrimen relucet, Innocentius ait, *cit. c. filius.* tantùm procedere de rebus Eccleſiæ, quæ difficulter, & non niſi urgente magnâ neceſſitate alienari poſſunt, prout ob eam rationem res Cæſari legari prohibentur. *l. idem Julianus. §. fin. ff. de Legat.* 1. Fachin. *loc. cit.* ex integra illius *cap.* lectione exiſtimat, teſtatorem ibi filiis hæredibus inſtitutis exiguum valdè patrimonium reliquiſſe, atque ideo eos nec ad rem legatam, nec ad ejus æſtimationem præſtandam obligatos fuiſſe.

III. Ad objectum *ſecundarium* teſtamenti refertur *fideicommiſſum*, quod vel univerſale, vel ſingulare. *Univerſale* dicitur, quando hæres gravatur reſtituere alteri hæreditatem vel totam, vel partem ejus. *Singulare*, cùm quis rogatur alteri reſtituere rem aliquam ſingularem. Ne verò hæres fiduciarius propter nullum, vel exiguum lucrum recuſet adire hæreditatem, & ſic fideicommiſſum evaneſcat, ex fideicommiſſo univerſali deducere poteſt quartam partem hæreditatis, quæ *Trebellianica* vocatur, *c.* 16. *h. t. §.* 7. *&* 8. *Inſt. de Fideicommiſſ. hæredit.* ex ſingulari autem, (quod Imperator legato exæquavit in §. 3. *Inſt. de Legat.*) Falcidiam. arg. *l.* 1. *ff. ad SCtum Trebell.* Zoëſ. *ad ff. tit. ad leg. Falcid. n* 5. *& ſeq.*

Hinc *controverſa* illa emergit *quæſtio*: an quando filius à patre rogatus eſt, ut totam hæreditatem reſtituat, præter legitimam etiam Trebellianicam, adeóque duas quartas deducere valeat?

Sanè plerique Legiſtæ ad hanc quæſtionem pro negativa leges ingeminant, nempe *l. Papinianus* 8. *§.* 14. *ff. de Inofficioſo teſtam.* ubi querelam inofficioſi non poteſt movere filius pro conſequenda ſua legitima, qui jam habet quartam falcidiæ: *l. cohæredi* 41. §. 3. *ff. de Vulg. ſubſtit.* ubi retentâ falcidiâ reliqua hæreditas reſtituenda venit: *l.* 6. *C. ad SC. Trebell.* ubi liberi fideicommiſſo gravati jubentur reſtituere *dodrantem*, id eſt, *novem uncias.* ergo retinent tantùm *quartam*, ſive *tres uncias*, aut hodie ſecundum *Novell.* 18. *tricntem*, ſive *quatuor uncias.* Ita Cujacius 8. *obſervat. §.* Struvius *Exercitat.* 36. *th.* 30. Zoëſ. *in ff. ad SC. Trebell. n.* 92. & alii.

His reclamant Canoniſtæ: quòd enim filius, præſertim quando fideicommiſſo ſub conditione gravatus eſt, Jure Canonico præter legitimam Trebellianicam deducere poſſit, textus luculenti ſunt in *c. Raynutius* 16. *&* in *c. Raynaldus* 18. *h. t.* ubi Pontifex confirmat Judi-

Judicis sententiam, qui pronuntiabat, legitimam non fuisse restitutioni obnoxiam, & Trebellianicam detrahi posse. Et licèt multi magni nominis JCti in fideicommisso puro diversum statuant, ne uno, eodemque tempore duæ deductiones contra Juris regulas concurrant. *l.* 11. *§. quod vulgò. ff. Ad L. Falcid.* quod non fit, quando fideicommissum sub conditione, vel in diem relictum est, cùm detractiones diversis temporibus fiant, id quod jure non prohibetur; Gail. 2. *obs.* 121. *n.* 4. tamen in utroque indistinctè, sive purè, sive sub conditione relictum sit, duplicem detractionem Jure Canonico faciendam, tuetur Fachin. 5. *controv. c.* 2. eò quòd Pontifex in *cit. cap.* se non fundaverit in conditionato fideicommisso, sed in hoc, quòd legitima liberis debita à testatore gravari non potuerit, juxta *l. quoniam. C. de Inoffic. testam.* Trebellianicam verò filius recipiat, sicut quivis alius hæres extraneus restitutione gravatus, quo filius deterior esse non debet. Quæ ratio, cum de jure quoque Civili militet, non putem, in hac controversia pugnam adstruendam esse inter Jus Canonicum & Civile, sed potiùs leges civiles ad claram canonum decisionem inflectendas. arg. *c.* 1. *de Novi oper. nunciat.*

Unde ad textus oppositos respondeo, dictis locis antea detractam fuisse legitimam, quandoquidem in ponenda ratione *quartæ*, seu *Trebellianicæ* primò deduci debet omne æs alienum, quod defunctus debuit. *§. in ponenda. Instit. ad leg. Falcid.* legitima autem æs alienum est. *l. cum ratio* 7. *ff. de Bonis damnat. Novell.* 18. *in præfat.* adeoque ante deduci debet, & ex residuo retentâ quartâ dodrans restitui.

Denique ad *secundarium* objectum testamenti spectant Codicilli, tutorum, & libertatum dationes, aliáve similia capitula, de quibus testamento cavemus; ea verò brevitatis gratiâ ad Civilistas remitto.

§. VIII.

Forma testamenti alia est *generalis*, alia *specialis*. 44

Generalis consistit in directa hæredis institutione, quæ est basis omnium testamentorum, utpote à qua omnem suam vim, atque firmitatem mutuantur. § *ante hæredit.* 34. *Instit. de Legat. l. penult. ff. de his, quæ in testament. delent. l.* 10. *& ult. C. de Jure Codicill.* Circa hanc

Controvertitur I. an non saltem de Jure Canonico hæredis institutio in alienum arbitrium committi possit? v. g. dicendo: *ille hæres esto, quem Parochus meus nominaverit;* vel *Titius pro suo arbitrio bona mea distribuat?*

Sunt, qui affirment, moti textu *c. cùm tibi* 13. *h. t.* ubi dicitur: *qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit; non videtur decedere intestatus.* Alii sunt, qui docent, nec de Jure Can. consequenter nec in terris Pontificiis, nec inter Clerios hæredis institutionem, & determinationem absolutè committi posse, verùm hoc ipso, quòd talis commissio fiat, piam causam institutam esse censeri. Gloss. & Panormit. in *d. c.* 13. *n.* 3. Covarr. *ibidem num.* 13.

Sed magis est, ut censeam, *cit. cap.* neque hanc præsumptionem piæ causæ institutæ introducere, nec quidquam novi contra Jus Civile, quo hæredis institutio ex alieno arbitrio pendere nequit. *l.* 32. *pr. ff. de Hæredib. instit.* statuere; sed loqui de casu, quô in alterius voluntatem non confertur principalis dispositio ac institutio, sed tantùm committitur electio hæredis incerti ex certis, vel sub certa demonstratione; veluti si ex circumstantiis, & modo agendi constet, testatorem intendisse ad pias causas disponere, sive deinde ipsam piam causam saltem in genere instituere, sive eum, cujus arbitrio commisit, hæredem facere voluerit cum onere restituendi & distribuendi hæreditatem ad causas pias; quod fieri posse,

traditur in *l. 7. §. 1. ff. de Reb. dub.* Fachin. *lib. 5. controv. c. 57.* Gonzalez in *cit. cap. 13. h. t.* Zoës. *Eod. n. 18.*

45 *Controvertitur* II. Valeátne hæredis institutio facta à moribundo ad interrogationem alterius, si simpliciter *sic*, vel *ita* responderit?

In negativam propendere videtur Cujacius *Consult. 36.* quia ut legitima sit institutio. I. testator coram septem testibus idoneis, ac specialiter rogatis ipse, vivâ voce, & non alius hæredem nuncupare debet. *§. fin. Inst. de Testam. ordin. l. 21. ff. Qui testam. fac. poss. l. 21. §. 2. l. 26. l. 29. V. oportet enim. C. h. t.* II. quia testator tribus saltem verbis debet usus fuisse, quibus per nuncupationem aliquem testari posse, habetur in *l. 1. §. 3. in fin. ff. de Hared. instit.* III. quia testator debet posse articulatè loqui. *d. l. 29. pr. ℣. si enim talis. C. h. t.* Menoch *consil. 45. n. 22.* articulatè loqui verò non videtur, qui per verbum unicum respondet. Manzius *de Test. tit. 3. q. 5. num. 16.* Gabriel *Conclus. commun. lib. 4. concl. 2. n. 4.* IV. quia non expediret, tale testamentum esse validum: facile enim post mortem existeret aliquis, ac diceret, testatorem ab alio interrogatum per verbum *ita* respondisse, adeóque via fraudibus sterneretur.

Verùm valere testamentum nuncupativum confectum ad interrogationem alterius, si testator articulatè loqui possit, sustinent Molin. *de J. & J. disp. 127. n. 2.* Covarruv. *ad c. cum tibi h. t. n. 4.* Clar. *§. testam. q. 37. n. 2.* & plures alii ab his relati, ob rationes subsequentes. *Prima* est, quia paria videntur ore proprio, vel alieno, ex consensu tamen proprio hæredem nuncupare. *Secunda:* quia si non valeret, tunc ideo, quòd testator in testamento jubeatur nuncupare nomina hæredum at hæc ratio non sufficit: ita enim licèt ad stipulationem verba utriusque contrahentis requirantur, tamen interpres adhiberi potest. *l. 79. ff. de V. S.* similiter licèt Judex proferre jubeatur sententiam, tamen adhibere potest scribam, qui eam recitet. *l. 2. C. de Sent. ex breviculo recitand.* poterit igitur nomen hæredis ore quoque alieno nuncupari. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 8. num. 11. & 13. Tertiò:* quia, quamvis cæcus testamentum confecturus teneatur nomina hæredum exprimere, tamen si voluntatem ejus scripto comprehensam testibus prælegerit, ipséque subjunxerit: *ita se velle*; tenet testamentum... *l. 8. ℣. at cum humana. C. Qui testament. facere poss.* ergo etiam valet institutio, de qua agimus.

Ex his facilis est resolutio argumentorum contrariorum: etenim *primum* quod attinet, etsi jura caveant, ut testator confecturus testamentum nuncupativum coram septem testibus vivâ voce nomen hæredis exprimat, paria tamen sunt ore proprio, vel alieno hæredem nuncupare. Certè licèt Testator nomen hæredis non dixerit, indubitabili tamen signo demonstraverit, valet institutio. *l. 9. §. 8. ff. de Hæredib. instit.* valebit igitur etiam, si nomen hæredis quidem non dixerit, ad interrogationem tamen alterius per vocem *ita* responderit, quia vi hujus responsionis persona hæredis Testibus sufficientissimè innotescit. *Secundum* quoque non stringit: tametsi enim testamentum nuncupativum verbo unicò confici nequeat, si interrogatio nulla præcesserit, cùm verbo unico mens & voluntas interna declarari non possit; diversum tamen obtinet, si præcesserit interrogatio: utpote ex qua subsecutâ responsione testatoris resultat una dispositio, quemadmodum ex interrogatione unius & congrua responsione alterius resultat una stipulatio. arg. *l. 1. §. 7. l. 52. §. 2. ff. de Oblig. & act.* Simili responsione evertitur *tertium:* enimverò si interrogationem alterius Testator per vocem *ita*, clarè & perspicuè expressam approbet, suffi-

ciet

cienter constat de voluntate ejus, aliis præsertim adminiculis concurrentibus; cúmque vocabulum istud perfectum sensum contineat participare censetur naturam sermonis articulati, quandoquidem articulatè loqui ille creditur, qui ad interrogationem alterius tale aliquid respondet, ut testes intelligant, quæ sit mens, ac voluntas ejus: *l.* 15. *C. de Testam.* Denique & argumentum *quartum* infirmum est: quamvis enim pernicioſum foret, à milite ad interrogationem alterius unicô verbulô testamentum posse confici, de quo casu expresse loquitur Cujac. *cit. consult.* 36. dispar tamen est ratio testamenti, quòd jure communi coram septem testibus conficitur: per præsentiam enim tot testium fraudibus, & impostoris via sufficienter præcluditur.

Forma specialis, spectatur in solennitatibus testamenti solennis tum scripti, tum nuncupativi, quæ plures.

46 *Prima est continuitas actûs*, hoc est, ut fiat actu continuo sine interruptione, vel admixtione actûs extranei, & omninò impertinentis ad testamenti factionem. §. 3. *Inst. de Testam. ord. l.* 21. *§. ult. ff. Qui testam. facere poss.* ideo: ne turbetur seria, enixa, & constans animi applicatio, & deliberatio, qualem negotii hujus gravitas desiderat. Intelligitur autem per actum continuum non compositio ipsius testamenti, quæ utique interruptim absolvi potest, *l.* 21. *pr. C. h. t.* sed adhibitio solennitatum. *d. l.* 21. Itaque non valet testamentum, si contractus intervenerit in ipso actu testandi. arg. *l.* 20. *ff. de V. S.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Instit. de Testam. ordin. n.* 11.

47 *Secunda* respicit certum testium numerum, qui non ab utroque jure æqualis desideratur; nam Jure Civili constat in omni testamento solenni requiri septem testes, eósque puberes, Cives Romanos, masculos, non fœminas, rogatos, non fortuitos. *d. §.* 3. *Inst. l.* 30. *C. h. t.* propterea: ut per plures homines perfectissimè veritas reveletur. *l. fin. C. de Fideicommiss.* & ne quid falsitatis committatur circa ultima hominum elogia, quæ exitum habere, interest Reipublicæ. *l.* 1. *C. de SS. Eccles. l.* 5. *ff. Testam. quemadmodum aper.* De Jure verò Canonico testamentum coram Presbytero; & duobus, vel tribus testibus à parochiano conditum valet. *c. cùm esses* 10. *& c. relatum* 11. *h. t.* Ratio hujus diversi Juris desumitur ex illis S. Scripturæ verbis: *in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Matth.* 18. Et hoc etiam quoad pias causas in foro civili obtinere, testatur Bart. in *l.* 1. *n.* 66. *C. de SS. Ecclesiis.* Alexand. *volum.* 4. *consil.* 15. Wurms. *tit. de Testam. observat.* 1. *n.* 1. & 2. De cætero in terris imperii etiam Jure Can. probabilius standum est Juri Civili, cùm non versemur hic in materia peccati, aut causa spirituali, sed in materia adiaphora, seu profana, circa quam quodlibet jus in suo foro servandum est. Covarruv. *in d. c. cùm esses. n.* 12. Molin. *de J. & J. disp.* 133. *n.* 4. *&* 8. P. Engel *h. t. n.* 12. ubi fatetur, hanc sententiam esse communiorem. Barb. *in collectan. ad d. c.* 10. *n.* 2. contra Panorm. & Hostiens. *ibidem.*

Præterea *tertiò* ad testamentum *scriptum* 48
requiritur, ut hæres in eo vel ab ipso testatore, vel ejus jussu ab alio scribatur, & si alius scripserit, ut ab ipso testatore, vel ab octavo teste subscribatur. §. 3. *in fin. Inst. de Testam. ordin. l.* 28. *C. h. t. Novell.* 119. *c.* 9. Item ut testes adhibiti testamentum propriâ manu subscribant. *d. §.* 3. *Inst. de Testam. ordin. l.* 22. *§.* 4. *l. pennult. ff. Qui testam. fac. poss. &* simul omnes subsignent propriô, aut alienô annulô, vel aliô signô characteres habente. §. 5. *Inst. de Testam. ordin. l.* 22. *§.* 5. *ff. Qui testam. fac. poss. l.* 22. *C. h. t. R. J. de An.* 1512. *tit.* von den Testamenten, §. 7. ubi generale verbum Signet legitur. In testamento

zu-

autem *nuncupativo* opus est, ut Testator coram septem testibus idoneis & rogatis ultimam suam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm legata, & alia palam, distinctéque enunciet. *§. fin. Inst. de Testam. ordin. l.* 21. *§.* 2. *l.* 26. *C. Eod.* Certa tamen verborum formula non exigitur, sed sufficit, ea esse apta ad declarandam voluntatis intentionem. *l.* 15. *C. Eod.*

49 Illud acriter *disceptatur*: utrùm testamentum in ratione nuncupativi valeat, si testator hæredis nuncupationem faciat cum relatione ad schedam, dicendo: *eum hæredem instituo, quem in schedâ apud Confessarium meum deposita designavi?*

50 Ita putant Clarus *§ Testamentum. q.* 36. Covarruv. *in c. cùm tibi h. t. num.* 5. Berlich. *p.* 3. *concl.* 4. *n.* 22. Brunnem. *ad l.* 21. *§.* 2. *C. h. t.* eò quòd demonstratio, quæ fit per relationem, fungatur vice nominationis, & expressionis individuæ. per *l.* 34. *ff. de condit. & demonstrat. l.* 6. *ff. de Reb. credit. l.* 6. *ff. de Rei vindicat.* ita ut paria sint in testamento aliquid exprimere nominatim, & specificè, vel per relationem ad aliud. Gabriel *commun. concl.* 11. *de Testament. lib.* 4. *per tot.* Quare licèt nominatio hæredis sit de forma testamenti, modus tamen, per quem nominatio ista fit, de forma testamenti non est, sed sufficit potiùs, de ea constare. arg. *l.* 2 *ff. de Liber. & posthum.* Accedit Text. *in l. asse toto ff. de Hared instit.* ubi hæredis institutio per relationem facta valere dicitur.

51 Nihilominùs sub negantium vexillo contra affirmantes, & ego merebor propter Text. ex. resum in *l.* 21. *§.* 2. *C. h. t.* ubi postquam in principio causa, ob quam inventum fuit testamentum scriptum, allata est, nempe ut testibus hæres occultetur, subjungitur, quòd testamentum per nuncupationem factam aliter non valeat, quàm si septem testes simul uno, eodémque tempore collecti voluntatem testatoris audiverint. Ergo testes in testamento nuncupativo audire & scire debent nomen hæredis, nec textus accipi potest de implicita auditione, sive per relationem ad schedam, quòd in scripto etiam fieri solet, sed de tali auditione intelligendus est, quâ hæres in propria persona testibus innotescat. Vasquius *l.* 2. *q.* 16 Sichardus, & Gilkenius *in l. hac consultissima. C. h. t.*

Nec contrarium suadet ratio superiùs op- 51
posita, cùm enim in testamento nuncupativo pro forma requiratur, ut nomen hæredis testibus audientibus exprimatur ore testatoris, dici non potest, quòd sola expressio nominis requiratur, & non modus exprimendi, si quidem auditus per sonum fit, & aures nec vident, nec legunt. Quod attinet *l. asse toto.* 77. *ff. de Hæredib. instit.* eam non moror; quia solùm dicit, quòd valeat institutio testatoris scribentis: *quem in codicillis hæredem fecero, hæres esto;* quod utique fieri potest in testamento scripto, utpote in quo opus non est, ut testes voluntatem testatoris, & nomen hæredis sciant.

§. IX.

Finis testamenti est benefacere hæredi, ex 53
motivo conjunctionis, affectionis, amicitiæ, gratitudinis, vel alio simili: unde Testator potius præsumitur honorare velle hæredem; quàm gravare. *l.* 67 *§* 8 *ff. de Legat.* 2.

§. X.

Effectus testamenti jure sive solenniter, 54
sive insolenniter facti multiplex se offert.

Primus est aditio hæreditatis, qua mediante in hæredem præter dominium rerum hæreditariarum transeunt omnia alia jura hæreditaria, activa, & passiva, credita, & debita, lucra & onera. *l.* 37 *ff. de Acquirend. vel omittend. hared. l.* 24. *l.* 178. *§.* 1. *ff. de V. S. l.* 59. *l.* 62. *l.* 128 *§.* 1. *ff. de R. J.* Fit autem aditio hæreditatis vel verbis, cùm quis declarat, se hæredem esse: & hæc dicitur *aditio hæreditatis*

ditatis in specie; vel facto, cùm quis idem declarat facto aliquo, ex quo prudenter possit conjici animus quærendæ hæreditatis, ut si quis res hæreditatarias distrahat, ædes inhabitet, agros colat, æs alienum solvat, debita exigat &c. & hæc vocatur *pro hærede gestio. §. ult. Inst. de Hared. qualit. & differ. l. 20. ff. de Acquirend. vel omitt. hared.* Utraque si fiat ab hærede extraneo, nuncupatur *aditio;* si ab hærede suo, & necessario (qualis est, qui proximè in patria potestate defuncti tempore mortis ejus, vel saltem delatæ hæreditatis existit) *immixtio* appellatur. Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. de Hared. qualit. & different. n. 2.*

57 *Alter effectus* testamenti est *parata executio.* Wesenb. *in Paratit. tit. Qui testam. facere poss. n. 12.* si modò testamenti causa sit liquida, ita ut testamentum non cancellatum, nec aliàs vitiosum sit prolatum, nec legitimus contradictor adsit. *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. tollen.* si enim talis contradictor extiterit, tum causa remittitur ad ordinarium processum, & in judicio competenti causæ in possessionem missionis, & subsecutæ contradictionis ventilantur, & ei possessio acquiritur, qui potiora ex legitimis modis jura ostenderit. *d. l. fin. §. fin autem.* Ludwell. *in tr. de ultim. volunt. p. 1. c. 4.* ubi prolixè tractat, quando beneficio huic paratæ executionis locus sit, quando non. Vide quoque Sichard. & Brunneman. *ad cit. l. fin.*

Tertius effectus conspicitur *in actionibus*, quæ ex testamento pro persequenda hæreditate, legatis, & fideicommissis competunt; cujusmodi sunt petitio hæreditatis, simplex & qualificata, civilis & prætoria, actio familiæ herciscundæ, persecutio fideicommissorum extraordinaria, actio hypothecaria, actio ex testamento, & realis; quarum posteriores concurrunt non exercitio, seu cumulativè, sed origini seu electivè *l. 108. §. 2. ff. de Legat. 1. l. 76. §. 8. ff. de Legat. 2.* Bachov. *ad Treutl. volum. 2. disp. 13. th. 7.*

Quartus effectus testamenti est *hæreditatis transmissio*, id est, translatio successionis ab hærede defuncti in alium. Non transmittitur autem hæreditas per se loquendo, nisi fuerit adita. *l. un. §. 5. C. de Caduc. tollend.* Addidi: *per se loquendo*: fallit enim I. in suo hærede, ut qui mortuus ante immixtionem, vel abstentionem hæreditatis paternæ, aut avitæ, transmittit illam hæreditatem in quoscunque hæredes etiam extraneos jure suitatis. *l. 8. C. de suis, & legitim. hared.* Ratio est, quia suus hæres statim ipso jure hæres est sine ulla immixtione, & Dominus rerum paternarum, adeóque mirum non est, quòd dominium jam quæsitum transmittat in quoscunque successores. Fallit II. in descendentibus defuncti: hi enim hæreditatem ascendentium, quamvis necdum aditam, jure sanguinis transmittunt in liberos suos sine discrimine sexûs, gradûs, & familiæ, sed non in hæredes extraneos. *l. un. C. de his, qui ante apert. tabul.* ubi simul ratio additur: quia perindignum est, fortuitas ob causas, vel casus humanos liberos successione fraudari. Fallit III. In omnibus aliis hæredibus: nam si hæres quicunque sive ex testamento, sive ab intestato sciens, hæreditatem sibi delatam esse, & de ea adeunda deliberans moriatur intra annum ad deliberandum datum, transmittit jus deliberandi & adeundi hæreditatem ad hæredes quoscunque ita ut ipsis cedat totum tempus residuum, quod defuncto ad deliberandum supererat. *l. 19 C. de Jure delib.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ubi supra n. 6.*

Quintus effectus testamenti est *obligatio* 58 *hæredis*, quâ in conscientia tenetur obtemperare voluntati rationabili, quam defunctus in testamento expressit; cùm nihil magis hominibus debeatur, quàm ut suprema eorum voluntas, postquam jam aliud velle non pol-

possunt, exitum & effectum habeat, *l. 5. ff. Testament. quemadm. aperiant. l. 1. C. de SS. Eccles.* Pertinet autem executio, si Testator in testamento nullum alium executorem specialiter nominaverit, etiam quoad legata pia ad hæredem defuncti; hærede verò, quamvis Laicus sit, vel alio executore ab ipso Testatore nominato in legatis & dispositionibus piis exequendis negligente, ad Episcopum, tanquam generalem piarum voluntatum executorem, devolvitur, *cap. 3. & 6. h. t.* & ibi DD. Trid. *sess. 22. c. 8. de Reform. l. nulli. 28. C. de Episcop. & Cleric.* Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 3. tit. 1. n. 23.* Sed

59 *Quæres* I. Intra quod tempus legata solvenda, aliáque in testamento expressa executioni mandanda sint, si Testator nullum tempus determinavit? R. Legata ad causas pias secernenda esse à legatis profanis. Profana intra annum, pia intra annum medium, sive sex menses præstanda sunt juxta *auth. hoc amplius C. de Fideicommiss. Novell. 131. c. 12.* Sed hoc ita, si certa res, aut quantitas dari jussa est: nam si testator pro anima sua aliquid facere jussit, puta Ecclesiam ædificare, hæredi pro executione inchoanda datur annus, sicut in relictis ad causas profanas. *c. 3. & ibi* DD. *h. t.* Quòd si hæres solutionem legatorum piorum ultra terminum juris tam diu distulerit, donec in judicium vocetur, tenebitur ad duplum: *§. vi autem. 19. Inst. de Action.* & generaliter, qui relicta sive ad pias, sive ad profanas causas intra annum non exsolvit, postquam de hoc à Judice sæculari, vel Ecclesiastico monitus est, perdit omne lucrum, omniáque sibi in tali testamento relicta, salvâ duntaxat legitimâ, si hæres sit suus, & necessarius. *d. auth. hoc amplius. c. 3. & ibi* Panorm. *n. ult. h. t. Novell. 1. c. 1.*

60 *Quares* II. Quâ ratione, & quibus solvenda sint legata in genere pauperibus, vel incertæ piæ causæ relicta? R. recurrendum esse ad præsumptam mentem Testatoris. Ita in legato pauperibus relicto pauperes consanguinei extraneis: magis egeni minùs egenis; pauperes illius loci, ubi Testator defunctus est alienigenis præferendi sunt, nisi aliud suadeant circumstantiæ; nam si quis, v. g. miles, alibi bona sua fortè non adeo justô titulô quæsivit, non improbabiliter de iis potiùs pauperibus, ubi bona acquisivit, quàm de pauperibus loci, ubi mortuus est, cogitâsse censetur. Videatur Zypæus *lib. 3. consult. 1. de Parochiis.* Similiter, si quis in genere Ecclesiam, vel Ecclesiam, aut Sodalitatem B. Virginis instituerit, posito, quòd plures hujus nominis, ac tituli sint in eadem civitate, ac vicinia, præsumitur ante alias cogitâsse de Ecclesia sua parochiali, vel de Sodalitate, cujus fuit Sodalis; sin autem æqualiter in utraque Ecclesia, vel in neutra solitus sit Sacramenta frequentare, eam in qua elegit sepulturam; si & in hoc paritas sit, eam, quæ est pauperior, instituisse censebitur. His omnibus paribus, ad alias conjecturas, & denique ad determinationem Episcopi, seu Ordinarii deveniendum erit. Zypæus *loc. cit.* Panorm. *in c. 19. h. t. num. 4.* Covarruv. *ibid. n. 2. per l. fin. C. de SS. Eccles.* nam, quòd Molina & alii doceant, hoc casu divisionem faciendam esse, minùs placet; cùm enim ex hypothesi constet, Testatorem de una aliqua Ecclesia, aut Sodalitate locutum esse, & tantùm dubium sit, de qua cogitaverit, potiùs ad quascunque conjecturas, vel ad determinationem Episcopi recurrere, quàm contra expressam intentionem testatoris divisionem facere oportet.

Quares III. Quid juris sit, si dispositio ad61 pias causas non possit adimpleri eô modô, quô testator voluit, ut si legatum certo pauperi relictum sit, & ille moriatur ante Testatorem; aut si certa summa relinquatur ad ædificandam Ecclesiam, & ad hunc usum applicari nequeat? R. legatum ejusmodi ad aliam piam

piam causam nominatæ similem, ac propinquam applicandam esse, ut quantùm fieri potest, voluntas Testatoris impleatur. *c. 3. h. t.* sine dubio ideò, quia relicta ad pias causas sive in genere sive in specie, principaliter non in favorem certi pauperis, vel Ecclesiæ, sed ipsi DEO, & pro salute Testatoris facta censentur, consequenter Testator ita constitutus fuisse præsumitur, ut si uno modo DEO obsequium præstare, & animæ suæ consulere nequeat, alio simili modo id facere intendat. Panorm. *loc. cit. n. 6.* Molin. *de J. & J. disp.* 249. *n.* 7. arg. *l.* 16. *ff. de Usu, & usufr. leg.* Atque ex tali necessaria, vel alia gravi, & justa causa Episcopos, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos, pias defunctorum voluntates commutare, & ad certum pium usum relicta ad alium applicare posse, præmissâ summariâ, & extrajudiciali cognitione de veritate precum, decretum est in Trid. *sess.* 22. *cap.* 6. *de Reformat.* Quamvis alioquin nonnisi S. Pontifex de plenitudine suæ potestatis possit jus unius piæ causæ quæsitum in aliam transferre, ut docent DD. uno ore.

§. XI.

62 *Contraria* testamenti sunt modi, quibus testamentum infirmatur; quod fit vel *via juris*, vel *factô hominis*. *Via juris*, cùm testamentum *rumpitur*, *irritatur*, aut *destituitur*.

Rumpi dicitur testamentum, cùm in eodem statu manente testatore vitium incurrit in ipsum testamentum. §. 1. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* quæ *ruptio* dupliciter accidit.

I. *Agnatione sui hæredis*, tam naturali, quàm civili: *naturali*, si post factum testamentum suus nascitur hæres. *l.* 3. § 4. *ff. de Injusto, rupto.* intellige, si vivus nascatur, & homo: nam si vel mortuus editus est, vel vivus quidem, sed declinans in monstrum, talis nativitate suâ testamentum non rumpit. *l.* 3. *C. de Posth. hæred. instit. Civili*, si post testamentum conditum quis testatori hæres suus efficiatur. *d. l.* 3. §. 1. *ff. de Injust. rupt.* ut si filius naturalis post testamentum legitimetur: *Novell.* 89. *c.* 12. vel si ab ascendente quis in filium adoptetur: §. 2. *Inst. de Adopt.* aut à quocunque arrogetur. §. 1. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* Hoc modo rupto testamento neque legata debentur. *l.* 1. *in fin. C. de Posth hæred. instit.*

II. *Mutatione*, seu *revocatione voluntatis*; 63 quæ alia est *realis*, alia *verbalis*. Circa *verbalem* regula traditur, eam ad eversionem testamenti non sufficere, licèt coram septem testibus expressa sit. §. 7. *Inst. Quib. mod. testam. infirm. l.* 27. *C. h. t.* Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 10. *th.* 7. Carpzov. *lib.* 6. *respons.* 17. *tit.* 2. Besold. *p.* 4. *consil.* 144. *num.* 16. Excipitur, nisi revocatio illa, vel coram idoneis testibus saltem tribus, vel inter acta manifestata sit, & insuper decennium à tempore testamenti conditi elapsum fuerit. *d. l.* 27. *C. h. t.* Julius Clarus §. *testamentum q.* 91. Stephan. Gratian. *tom.* 4. *decis.* 763. *num.* 14. Carpzov. *ubi supra n.* 2. *& seqq. Realis* mutatio inducitur *primò* incisione, deletione, inductione, cancellatione, laceratione, corruptione, alióve modô, consultò vel à testatore ipso, vel per alium facta. *l.* 1. *l.* 2. *ff. de His, quæ in testam. delen. l. penult. C. h. t. Secundò* surrogatione novi & alterius testamenti ritè perfecti. §. 2. & 3. *Inst. Quib. mod. testam. infirm. l.* 2. *ff. de Injusto rupto.* Et hoc modo rumpitur testamentum prius etiamsi eidem clausula derogatoria, vel juramentum de non revocando adjectum fuerit: ambulatoria namque est hominis voluntas usque ad extremum vitæ exitum. *l.* 4. *ff. de Aliment. legat.* nec potest sibi quis hanc legem dicere, ut à priore voluntate recedere non liceat. *l.* 22. *pr. ff. de Legat.* 3. ipsúmque juramentum sequitur naturam actûs, cui adjicitur, & nullam majorem firmitatem ei conciliat. arg. *l. fin. ff. qui jurisdare cogantur.*

adeò, ut ne quidem perjurium testator revocans incurrat, si causam justam revocationis habuerit, aut conditionaliter juraverit. Gilkenius *ad d. l. 27. C. h. t. in fin.* arg. *c. quemadmodum 25. de Jure juran.*

64 *Irritum* redditur testamentum, si Testator post testamentum conditum patitur *capitis diminutionem maximam*, hoc est, si ex libero homine fiat servus: *mediam*, hoc est, si ex cive Romano fiat peregrinus: aut *minimam*, hoc est, si testator facto testamento se alteri arrogandum det. §. 4. *Inst. Quib. mod. testam. infirm. l. 6. §. 5. & seqq. ff. de Injusto, rupto. l. 8. §. 3. ff. de Jure Codicill. l. penult. §. 2. ff. de Bonor. possess. secund. tabul.* Neque officit, quòd superveniens furor, aut prodigalitas non irritet testamentum jure factum. *§. 1. & 2. Inst. Quib. non est permiss. fac. testament.* est enim diversa omnino ratio: nam furor, & prodigalitas sunt impedimenta facti, quæ quidem impediunt testamentum fieri, sed jam ante factum non irritant; econtra capitis diminutio est impedimentum juris, quod non tantùm impedit testamenti factionem, sed etiam jam factum infirmat. Quomodo autem recuperato statu, in quo testari licet, testamentum reviviscat? exponunt Imperator & interpretes in §. 6. *Inst. Quib. mod. testament. infirm.*

65 *Destituit* testamentum dicitur, si nemo ex eo hæres existat. *§. 2. Inst. Eod.* Quod contingit duobus casibus: *primò* si hæres scriptus non possit esse hæres, vel quia adhuc vivo testatore, vel post mortem ejus, sed ante aditam hæreditatem decessit, nec eam transmisit ad alios; vel quia conditio, sub qua hæres scriptus est, defecit. *Secundò* si hæres scriptus nolit esse hæres, sed hæreditatem vel repudiet, vel inde se abstineat.

Hic illa se insinuat *difficultas*: num Prælatus sine solennitate hæreditatem, aut Legatum suæ Ecclesiæ relictum repudiare possit?

Affirmativam Zoës. *ad ff. de Acquirend. vel omittend. hared. n. 46.* Barb. *J. E. V. lib. 3. c. 30. n. 42.* Panormit. in *c. tua 8. de His, quæ fiunt. à Prælat. num. 9.* & Sanchez *de Matrim. lib. 6. disp. 4. n. 15.* ex ea potissimùm ratione commendant, quòd nomine alienationis Prælato prohibitæ veniat alienatio strictè dicta, sive ea, quâ aliquid ex dominio Ecclesiæ in alterum transfertur, repudiatio autem hæreditatis, ac legati non sit alienatio, quandoquidem diversa in jure æstimantur alienare, & non acquirere. *l. si sponsus 5. §. 13. ff. de Donat. inter. vir. & uxor l. quod autem. 6. in pr. & §. 5. ff. Quæ in fraud. creditor. l. alienationis verbum 28. in princ. ff. de V. S.* Addit tamen Zoës. *d. n. 46.* Prælatum, qui temerè & sine justa causa hæreditatem, aut legatum Ecclesiæ relictum repudiavit, ad instar tutoris obligari Ecclesiæ ad refusionem damni ex propriis bonis, cùm ex officio, consequenter ex lege justitiæ, teneatur bene administrare arg. *c. quicunque 2. causâ 12. q. 4. l. quidquid 7. C. Arbitrium tutelæ.* Sanchez verò in *cit. n. 15.* subjungit, quòd contra talem repudiationem Ecclesia exemplo minorum restitutionem in integrum petere valeat arg. *l. ait prætor. 7. §. hodie 6. & seqq. ff. de Minor. juncto cap. 1. extra de In integr. restitut.* ibi: *Ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari.*

Azorius *Instit. moral. p. 2. l. 9. c. 1. q. 12.* Molin. *de J. & J. disp. 468. n. 11.* aliique hæreditatem à Legato puro & certæ speciei separant, & in illa priorem sententiam admittunt, non in isto propter textum notabilem in *l. magis puto 5. §. fundum 8. ff. de Reb. eor. qui sub tutel.* ubi expresè Ulpianus JC. *fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris authoritate non potest: esse enim & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat.* Ecce hic repudiatio legati respectu pupilli habetur pro alienatione rei ipsius pupilli:

pilli: ergo etiam pro tali habenda eſt reſpectu Eccleſiæ, cùm ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit, per *l. 43. in fin. ff. de Relig. & ſumpt. funer.*

His ad rationis ſtateram appenſis videtur utraque ſententia valdè probabilis, & quod conſequitur, ille, qui ex repudiatione inſolenni rem acquirit, in foro tam externo, quàm interno ſecurus, nec non repudians à pœnis *Extravag. ambitioſa. de Reb. Eccleſ. non alienand. inter comm.* in malè alienantes latis immunis, ut etiam notavit Quaranta in *Summ. Bullar. V. alienatio rerum Eccleſ. n. 23.*

16 *Facto hominis* infirmatur teſtamentum, quando *propoſitâ querelâ inofficioſi teſtamenti* per ſententiam Judicis reſcinditur, qua de *tot. tit. Inſt. & ff. de Inofficioſ. teſtam.*

TITULUS XXVII.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

SUMMARIA.

1. Succeſſionis ab inteſtato Synonymia. 2. Definitio. 3. Diviſio. 4. Origo. 5. Quibus deferatur hæreditas ab inteſtato? 6. usque 10. Qua ratione liberi ſuccedant Parentibus? 10. usque 14 Parentes liberis? 14. usque 19. Collaterales collateralibus? 19. Conjux conjugi? 20. Fiſcus in bonis vacantibus? 21. Eccleſia in bonis Clericorum? 22. Quæ ſit ſucceſſionis ab inteſtato materia? 23. 24. 25. Quæ requiſita? 26. 27. Quis finis, qui effectus?

POſt ſucceſſionem teſtamentariam ſuccedit *ſucceſſio ab inteſtato*, & ideo ſuccedit, quia quamdiu ſperatur hæres ex teſtamento, ceſſat ſucceſſio ab inteſtato. *l. 89. ff. de R. J. l. 39. ff. de Acquirend. hæred.*

§. I.

1 *Succeſſio ab inteſtato* vulgò *legitima* appellatur, quòd immediatè, ac ſolâ lege, ſine ulla hominis diſpoſitione, deferatur arg. *l. 3. §. 2. ff. Pro ſocio. l. 2. §. 4. ff. de Suis, & legit.* ad differentiam ſucceſſionis teſtamentariæ, quæ mediante teſtamento obvenit. §. 6. *Inſt. Per quas perſon. cuique adquir. l. 1. ff. de Hæredit. petit.*

§. II.

Definitur ſucceſſio ab inteſtato, quòd ſit 2
hæreditatis legitimæ extra caſum ultimæ voluntatis defuncti acquiſitio. *tot. tit. ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtam.*

§. III.

Dividitur ſucceſſio ab inteſtato, quòd alia 3
ſit *in ſtirpes* in die Stämmen/ alia *in capita* in die Häupter. *Succeſſio in ſtirpes* illa dicitur, quando non habetur ratio multitudinis, vel paucitatis perſonarum ſuccedentium (ita ut inter eas hæreditas æqualiter, ſeu viritim diſtribuatur) ſed potiùs totius ſtirpis, ex qua unaquæque perſona deſcendit, omnibúsque ſimul ſumptis certa aſſignatur portio inter illas denuo dividenda, ſive multæ, ſive paucæ ſint: wann ſie in die Stämme gehen/ oder der Stämmen Theil nehmen. §. 6. & *ult. Inſt. de Hæred. qua ab inteſt. Succeſſio in capita* illa eſt, quando inter plures ejusdem gradûs hæredes ſecundùm numerum perſonarum viritim hæreditas dividitur; Germani dicunt: ſo viel Mund/ ſo viel Pfund. *Novell. 118. c. 3. in fin.* Inde autem dicitur *in capita* ſucceſſio, quòd ſecundùm numerum capitum, id eſt, perſonarum nullâ habitâ ratione ſtirpis, unde illæ perſonæ deſcendant, diviſio fiat in portiones æquales. Foſterus *de ſucceſſ. lib. 3. c. 34.*

§. IV.

Cauſa efficiens ſucceſſionis ab inteſtato eſt 4
partim jus naturale, partim civile: *Naturale* quidem, quia naturalis ratio ſuadere videtur ut emolumentum hæreditatis paternæ potiùs filiis, quàm remotioribus in gradu agnatis, hísque priùs, quàm extraneis, ignotísque deferatur. Facit *c. 7. diſt. 1.* ubi inter exempla

juris naturalis recenſetur liberorum ſucceſſio. *Civile*, quia ſicut ad hæreditatem ex teſtamento ſuprema teſtatoris voluntas, ita ad hæreditatem ab inteſtato vocat ſuprema legum poteſtas. *l. 3. §. 2. ff. Proſocio. l. 2. §. ult. ff. Unde legitimi. tot. tit. ff. de Suis, & legit. hared.*

§. V.

5 *Subjectum* hujus ſucceſſionis ſunt hæredes à lege ad hæreditatem defuncti inteſtatò vocati, quos Imperator antiquo jure in totum antiquato in *Novell.* 118. in tres ordines diſtinxit. *Primus* eſt Deſcendentium. *Secundus* Aſcendentium. *Tertius* Collateralium. Poſt hos ſuccedunt etiam Conjuges, & poſtremò Fiſcus. *tot. tit. ff. & C. Unde vir, & uxor. & tot. tit. C. de Bonis. vacant.* Clariſſ. D. Frid. Erneſt. à Someting. *ad Inſt. de Hæredit. quæ ab inteſt. ſub n. 5.*

6 *Primò* igitur, & ante omnes juxta *d. Novell.* 118. *c.* 1. vocantur *Deſcendentes*, ſive *liberi* tam naſcituri, quàm nati, tam fœminæ, quàm maſculi, tam emancipati, quàm ſui, tam Clerici, & Monachi, quàm laici: quamdiu enim liberi ſuperſunt, tamdiu alii conſanguinei cujuscunque gradûs à ſucceſſione excluduntur: tum ex naturali æquitate dictante alimentationem filiorum ex bonis paternis: tum ex præſumpta defuncti voluntate, qui filiis potiùs, quàm extraneis bona congregâſſe cenſetur. Inter ipſos verò deſcendentes unus alterum gradu etiam remotiorem non excludit, ſed omnes omninò, quantumcunque in gradu remoti ſuccedunt. §. 5. & 15. *Inſt. de Hæredit. quæ ab inteſt. d. Novell.* 118. *cap.* 1. Sub hac tamen differentia, quòd ſi omnes ſint in primo gradu ſuccedant *in capita*, tot ſcilicet æqualibus factis portionibus, quot ſunt perſonæ; ſi verò ſint ulterioris gradûs, ſive ſoli inter ſe ſive cum aliis proximioribus concurrant, tantùm ſuccedant *in ſtirpes* jure repræſentationis, id eſt, remotiores in gradu parentes primi gradûs repræſentant, & in illorum locum ſuccedunt, conſequenter licèt plures ſint, habentur tamen locò unius, & non plùs conſequuntur, quàm eorum Parens, quem repræſentant, conſecutus fuiſſet, ſi vixiſſet, ſicque illius portio dividenda venit: ut ecce! ſi concurrant duo filii, quivis habebit dimidiam partem hæreditatis, & ita ſuccedent *in capita*, ſi concurrant unus filius, & tres nepotes ex filia, non ſuccedent in capita, id eſt quatuor æquales portiones, ſed hæreditas dividetur in duas ſemiſſes, quarum unam filius, alteram tres nepotes locò filiæ inter ſe dividendam accipient. Idem dicendum, ſi ex uno filio duo nepotes, & ex altero tres ſuperſint: tantum enim illi duo, quantum iſti tres conſequentur. *d. Novell.* 118. *c.* 1. §. 6. *Inſt. de Hæred. quæ ab inteſt. l.* 1. §. 4. & 6. *ff. de Suis, & legit. hared. R. J. de Anno* 1500. *tit.* von *Succeſſion* der Töchter. Clariſſ. D. D. Franz *de Succeſſ. ab inteſt. p.* 1. *n.* 26. *& ſeqq.*

Et hæc ita procedunt in *liberis legitimis*, 7 ſive deinde ſint *legitimi & naturales ſimul*, ſeu ex legitimo matrimonio procreati, ſive ſint *legitimati per ſubſequens Matrimonium*, ut qui favore matrimonii in omnibus æquiparantur legitimè natis, & ſuccedunt non modò in allodialibus, ſed probabiliùs etiam in feudalibus arg. *c. 6. Qui filii ſint legit.* §. 2. *Inſt. de Hæredit. quæ ab inteſt. l. cùm quis, & auth. ſeq. C. de Natural. lib.* Mynſing. 5. *obſerv.* 42. Gail. 2. *obſerv.* 141. *n.* 2. ſive ſint *legitimi tantùm*, id eſt, arrogati, vel adoptati, vulgò angewünſchte / oder angenommene Kinder / nam & iſti etiam cum aliis liberis legitimè natis in allodialibus ſuccedunt. Patri adoptivo, niſi ipſo adhuc vivente adoptio diſſoluta ſit, quô caſu ceſſat ſucceſſio. §. 14. *Inſt. de Hæred. quæ ab inteſt. l.* 10. *pr.* §. 1. & 2. *C. de Adopt.* juncto *tit.* 26. §. *adoptivus. Feud.* 2.

De reliquis liberis diverſum jus eſt; nam l. 8 *legitimati per reſcriptum* Principis, vel per Comi-

Comitem Palatinum non aliter Parentibus ſuccedunt, quàm ſi ex juſtis nuptiis procreati liberi nulli extent *auth. item ſine C. de Natural. lib. Novell.* 74. *c.* 1. *Novell.* 89. *c.* 9. uſu tamen fori, & praxi hodiernâ invaluit, ut legitimati cum filiis ex matrimonio pòſt contracto natis ſimul ſuccedant. Gail. 2. *obſerv.* 142. *n.* 5. Struv. *exerc.* 38. *th.* 20. II. Liberi *naturales tantùm*, qui ex concubina, quam quis uxoris locò citra maritalem affectionem domi habuit, progeniti ſunt, matri quidem, reliquis queaſcendentibus in linea materna unà cum legitimis liberis æqualiter ſuccedunt, etſi mater fuerit illuſtris. *l.* 2. *&* 8. *ff. unde cognati. l.* 5. *C. ad SCtum Orphitianum.* Patri verò non aliter ſuccedunt, quàm ſi ei nec liberi legitimi nec uxor legitima exſtet, & quidem tunc tantùm in *ſextantem*, hoc eſt, in duas uncias, ſive ſextam partem hæreditatis, cum ſua matre ex æquo dividendam. *Novell.* 18. *cap.* 5. *cit. Novell.* 89. *c.* 12. *§.* 4. His liberis naturalibus hodie ex duobus ſolutis, inter quos matrimonium tenet, procreati comparantur. Jacob Schyz *ad ff. tit. Quis ord. in poſſ. ff.* Struvius *exercit.* 30. *th. ult.* III. *Spurii, ſeu vulgò quæſiti*, qui ſcilicet ex vaga, & promiſcua libidine concepti ſunt, nihil capere poſſunt ex bonis ejus, quem patrem dicunt arg. §. 4. *Inſt. de Succeſſ. cognat. l.* 2. *cum auth. liſet. C. de Natural. lib.* ad matris tamen, quæ ſemper certa eſt, & parentum maternorum ſucceſſionem unà cum legitimis admittuntur, niſi mater fuerit perſona illuſtris, quæque alios liberos ex juſto matrimonio procre tos habeat, quò caſu ſpurii ex bonis maternis ſolùm alendi. *§.* 3. *Inſt. l.* 5. *&* 8. *C. ad SCtum Orphitian. l.* 5. *§.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. lib.* Gabriel Paleot. *tr. de Noth. & ſpur. c.* 21. *n.* 3. IV. Denique *Sacrilegi, & adulterini, nefarii*, atque *inceſtuoſi*, qui ex complexibus damnatis progeniti ſunt, omni ſucceſſione tam paternâ, quàm maternâ privantur, licèt nulli extent liberi legitimi; *auth. ex comp'exu C. de Inceſt. nupt. Novell.* 74. *c. ult. Novell.* 89. *c. fin.* Imò de Jure Civili nec alendi forent à Parentibus per *d. Novell.* 89. *c. ult.* quod tamen ex æquitate Juris Can. *in c.* 5. *de eo, qui duxit in matr.* mitigatum eſt, ita ut ſaltem neceſſaria alimenta ipſis debeantur.

Quotidiana *quæſtio* eſt: quô modô liberi ex diverſis nuptiis nati Parentibus ſuccedant? 9
R. eos, ſi privigni ſint, ſingulos ſuo ſuccedere Parenti; ſin verò Parentem communem habeant, æquâ lance ejus hæreditatem dividere, ita ut conſanguinei in bonis paternis, uterini in maternis ſuccedant, juxta vulgarem illum Verſiculum: *Maternis cedant materna, paterna paternis*; & Text. *in l.* 3. 4. *&* 5. *C. de Secund. nupt. l.* 4. *C. ad SCtum Tertyllian. l.* 13. *C. de Legit. hæredib. Novill.* 22. *c.* 25. 26. *&* 29. *& Novell.* 84. *c.* 1. Haunold. *tr.* 5. *de J. & J. c.* 3. *controv.* 2. *n.* 405. Quæ diſtinctio ideo ſtatuta eſt: quòd in iſtis bonis propriè non dicantur ejusmodi liberi ſuccedere, ſed bona ad eos reverti. arg. *l. filio ff. de Lib. & poſth.* Sed hoc ita, niſi pactum *unionis* ſive *parificationis prolium*, die Einkindſchafft und Gleichmachung der Kinder intervenerit, quo bona utriusque matrimonii communicantur, & liberi ex diverſis matrimoniis quoad jus ſucceſſionis tanquam ex uno matrimonio nati habentur; prout illud pactum generali Germaniæ conſuetudine receptum, & ab Imperiali Camera approbatum eſſe, tradit Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 125.

Deficientibus *liberis primi ordinis ſucceſſo-* 10
ribus, ad ſucceſſionem legitimam *ſecundo loco* vocantur *Aſcendentes*, puta *Parentes* utriusque ſexûs in infinitum, quorum ordo alius eſt ſimplex, alius mixtus.

Simplex eſt, quo Aſcendentes ſoli ſunt, Ubi refert, an ſint ejusdem gradûs, ut pater & mater, vel avus & avia, aut gradu diſpares ut Pater, & avus? *Priore* caſu Parentes illi, licèt diſpares numero, pariter ſuccedunt, paternis

qui-

quidem dimidiâ, maternis verò alterâ portione dimidiâ delatâ. *d. Novell.* 118. *c.* 2. *Posteriore*, non attento repræsentationis jure, quòd in linea ascendente locum nullum habet, proximiores remotiores excludunt; ut si Pater & Mater unà cum avis maternis, vel paternis sint superstites, soli succedunt exclusis avis: vel si mater sit mortua, pater excludit avum maternum, etiam quoad bona, quæ à linea materna ad filium pervenerunt. *per d. Novell.* 118. *c.* 2. in qua Imperator utique expressisset, si voluisset, habendam esse rationem qualitatis bonorum. Mynsing. *cent.* 6. *observ.* 55. *n.* 3. Bachov. *ad Treutl. volum.* 2. *disp.* 16. *th.* 4. *lit. C.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. de Haredit. quæ ab intest. n* 12. contra Bartolum, quem secutus est Schneidew. *de secund. ord. succedendi. n.* 12.

11 *Ordo mixtus* Ascendentium est, quo Ascendentes cum fratribus, vel sororibus germanis defuncti concurrunt. Hoc casu hi ex privilegio simul cum ascendentibus admittuntur. & quidem in capita, hoc est, in æquales partes. *d. Novell.* 118. *c.* 2. ita nimirum ut si defunctus ex una parte reliquit avum, & aviam paternam, ex altera solam aviam maternam, & præter hos Fratrem Germanum, hæreditas in quatuor viriles partes dividenda sit: interventus enim fratris efficit, ut hæreditas in capita dividatur, quæ aliàs, si Ascendentes soli fuerint, secundùm lineas, quasi in stirpes, consequentes partes dispares divideretur. Frid. Ernest à Someting. *loc. c. num.* 15. Fach. 6. *controv. c.* 7. Imò si præter Germanum Fratrem simul cum Ascendentibus concurrant alterius fratris prædefuncti filii, vel filiæ, isti quidem secundùm *Novell.* 118. *c.* 3. ℣. *si autem cum fratribus.* expresè à successione remoti fuerunt, sed per *Novell.* 127. *c.* 1. cum Parentibus & fratribus simul ad hæreditatem vocantur in stirpes, quatenùs jure repræsentationis succedunt in locum sui Patris. Zoës. *ad ff. de Suis & legit. hæred. n.* 8. quod tamen privilegium ad fratrum, aut sororum prædefunctorum Nepotes, multò minùs Pronepotes non extenditur, cùm in correctoriis, seu materia exorbitante nulla extensio concedatur. *c. quæ à jure communi.* 28. *de R. J. in* 6. *l.* 41. *ff. Eod.* Zoës. *loc. cit. n.* 30.

In contentionis ferram trahitur: an fratrum germanorum prædefunctorum filii cum Patre, avo, aut aliis ascendentibus succedant, si soli supersint?

Negant Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 16. *th.* 4. *lit. G.* Cujac. *ad d. Novell.* 118. Zoës. *ad ff. de Suis, & legit. hæred. n.* 28. freti auctoritate *cit. Novell.* 127. *c.* 1. quæ illo duntaxat casu jus vicariæ successionis prædefunctorum Germanorum liberis impertitur, quò fratres, fratrúmque liberi cum Ascendentibus concurrunt, proinde ad casum, quo germanorum filii soli, & nulli germani existunt, porrigi non potest, cùm omnis correctio in jure sit odiosa, & quod non mutatur, quare stare prohibeatur? *l. præcipimus.* 32. *§. ult. C. de Appellat.*

Affirmat Forster. *de Successionum.* 3. *cap.* 7. 13 & Frid. Ernest. à Someting. *ubi supra n.* 15. eò quòd non possit prudens disparitatis ratio assignari, cur Fratrum germanorum filii succedant cum Parentibus, si adsint Patrui, & non succedant, si soli sint: cùm utroque casu repræsentent suos Parentes, neque verò putandum, jus repræsentationis exigere fratres germanos superstites, ceu medium: si enim in linea descendentium liberi mediati diversæ stirpis succedunt jure repræsentationis Parentibus suis, licèt nullus adsit ex illo gradu, quo fuit is, qui repræsentatur, adeóque nullum tale medium, quale requirunt AA. idem erit in nostro casu.

In theoria utraque sententia defendi potest in praxi autem videtur servanda posterior.

Atque hæc ita se habent de Jure communi.

Secun-

Secundùm particularia verò quorundam locorum ſtatuta, & conſuetudines (ſicuti in Auſtria) aſcendentes nullô modô ſuccedunt deſcendentibus, eô quòd inconveniens videatur, hæreditatem aſcendere, & liberos theſaurizare parentibus. Joan. Henr. Reutter *in tr. de Differ. jur. Civil. & Auſtr. p.* 12. *n.* 4. Joan. Weingarten *de Conc. & diſcord. jur. conſuet. Auſtr. cum jure com. lib.* 3. *pag.* 154. Interim quia per talem conſuetudinem ſæpiùs contra naturalem æquitatem repelluntur Parentes, ut ſi iniquitate fortunæ ad paupertatem redacti ſint, & liberi poſtea ſatis nummati ſine liberis decedant relicto conſanguineo quodam valdè remoto, ideo quantùm fieri poteſt in praxi ſimilis conſuetudo, vel ſtatutum limitandum eſt, & parentibus ſuccurrendum.

Cæterùm cùm jura ſucceſſionum reſpectu Parentum, & liberorum correlativa ſint, eô modô Parentes liberis ſuccedent, quo diximus, liberos ſuccedere Parentibus; unde ſicut ſpurii non ſuccedunt Patri, ita nec Pater illis. *l. ſi ab eo.* 11. *C. de Legit. hæred. auth. licèt patri. C. de Natural. lib.* in correlativis namque idem eſt judicium, eadémque diſciplina, & quod ſtatuitur in uno, ſi in utroque haud diſpar ſit ratio, videtur etiam ſtatutum in altero. Everhard. *in Top. legal. loc.* 20. Excipitur ſpecialiter filius arrogatus impubes, cui Pater arrogans non ſuccedit, ſi intra impubertatis annos moriatur, item etiam filius adoptatus ab extraneo, cui abſolutè non ſuccedit Parens adoptivus. *§.* 2. *&* 3. *Inſt. de Adopt.*

14 *Tertium* ordinem ſucceſſionis ab inteſtato occupant *collaterales*, die von der Seiten/ oder Zwerch-Linie einander angehören/ oder verwandt ſeyn. Et ex his ob duplicitatem vinculi primò vocantur fratres & ſorores ex utroque Parente defuncto conjuncti, quos germanos Brûder und Geſchwiſter von voller Geburt/ oder beyden Banden ſalutamus, eorúmque præmortuorum filii; excluſis fratribus conſanguineis, & uterinis; ita quidem, ut ſi fratres germani ſoli ſint, ſucceſſio fiat in capita; ſi fratrum filii cum his concurrant, fratres in capita veniant, filii jure repræſentationis in ſtirpes, capturi partem, quam cæpiſſet parens, ſi viveret; ſi ſoli extant fratrum præmortuorum filii, adhuc excludunt agnatos & cognatos, quamvis in eodem gradu ſecum exſtantes. *d. Novell.* 118. *c.* 3.

Dubium eſt: Quomodo fratrum filii, ſi 15 ſoli exſtent, in bonis Patrui ſuccedant: utrùm in capita vel in ſtirpes? Ecquidem Accurſius, Bartolus, & alii eorum ſectatores contendunt, eos ſuccedere in ſtirpes. Sed magis eſt, ut cenſeam, quòd in capita ſuccedant, ita ut ſi ex uno fratre duo, & ex altero quatuor liberi ſint, hæreditas Patrui in ſex æquales portiones dividenda ſit. Mynſing. *cent.* 3. *obſerv.* 94. Cephal. *conſil.* 431. Hotom. *quæſt. illuſt. c.* 14. quia jus vetus, quô certum erat, fratrum liberos tunc in capita ſuccedere. *l.* 2. *§.* 2. *ff. de Suis, & legit. l. penult. §.* 1. *C. de Legit. hæred.* nullibi in hoc paſſu correctum eſt, quin potiùs *in d. Novell.* 118. *c.* 3. approbatur: Statuitur enim, quòd fratrum filii tunc beneficium repræſentationis habeant, quando vocantur cum filiis, hoc eſt, patruis, avunculis, ergo non habent, quando ſoli ſunt, ergo quando ſoli ſunt, ſuccedunt in capita: non in ſtirpes. Ad hæc ſententiam iſtam Carolus V. Sacratiſſimus Imperator confirmavit expreſſa conſtitutione in Comitiis Spirenſibus de Anno 1529. *tit.* Kayſerliche *Conſtitution*, und Satzung wie Brûder- oder Schweſter-Kinder/ ihres Vatters Bruders/ oder Schweſter verlaſſene Erbſchafft/ unter ſich theilen ſollen.

Fratribus utrinque conjunctis non extanti- 16 bus, nec filiis eorum, ad ſucceſſionem defuncti vocantur *fratres & ſorores* altero tantùm Parente conjuncti, nempe *conſanguinei, vel*

uterini, vulgò Stieff-Brüder/halb Brüder/ Halb-Schwestern / Halb-Geschwistrigt. *Auth. post fratres. C. de Legit. hæred. d. Novell.* 118. *c.* 3. ℣. *his autem non existentibus.* Sed quo ordine & modo? eôdem, quô germani, & utrinque conjuncti: ideóque si extant soli consanguinei & uterini, successio fit in capita; si concurrant præmortuorum filii successio fit in stirpes; si fratrum defunctorum filii soli sint, successio fit in capita, quia tunc jure suo, non repræsentationis ampliùs succedunt.

Illud autem hìc *dispiciendum*, utrùm in successione fratris consanguinei, & uterini in bonis prædefuncti fratris concurrentium, ratio aliqua bonorum habenda sit?

17 Sunt, qui consanguineo paterna, uterino materna bona deferant; quibus non modò tritus versiculus: *maternis cedant materna, paterna paternis;* sed & apertus textus suffragatur *in l. de emancipatis.* 13. §. 2. *C. de Legit. hæred.* ubi habetur: *exceptis maternis rebus, in quibus si de eadem matre fratres, vel sorores sint, eos solos vocari oportet.* Hanc sententiam amplexi sunt Cujac. *in Parat. C. de Legit. hæred. & in Novell.* 84. Forster. *de Success. lib.* 8. *c.* 8. *n.* 2. *&* 4. & alii.

Sed displicet hæc sententia non uno ex capite. *Primò:* quia si Imperator voluisset fieri divisionem bonorum in concursu fratrum consanguineorum & uterinorum, debuisset hoc exprimere in sæpè *cit. Novell.* 118. *c.* 3. Atqui ibi tali loquendi modo utitur, ut potiùs videatur, omnem hujusmodi divisionem, tanquam obnoxiam litibus propter difficultatem in bonis illis separandis rejicere. *Secundò:* quia postquam bona pervenerunt ad filios desinunt esse paterna, vel materna, & efficiuntur bona fratris: ad bona autem fratris admittuntur consanguinei & uterini æqualiter. *Tertiò*, quia ex Adversariorum sententia sequeretur, quòd consanguinei etiam cum germanis deberent admitti in bonis paternis, & uterini in maternis, quos tamen constat à germanis penitùs excludi. Ita Fachin. *lib.* 6. *controv. c.* 5. cum Baldo, Saliceto, Fulgosio, Corneo, & aliis.

Ad Textum *ex cit. l. de emancipatis.* 13. §. 2. oppositum, est expedita responsio, quòd *per d. Novell.* 118. *c.* 3. correctus sit.

Denique post fratres & horum filios vo- 18
cantur promiscuè reliqui *collaterales* absque ullo sexûs, vel agnationis discrimine, & sine differentia bonorum, secundùm prærogativam gradûs, ita ut propinquiores semper excludant remotiores, & pares gradu pariter in capita admittantur, idque in infinitum *d. auth. post fratres. & Novell.* 118. *c.* 3. §. 1. Berlich. *p.* 3. *concl.* 24. *n.* 88. *& seqq.* Schurff. *consil.* 89. *p.* 2.

Verùm hæc omnia accipienda sunt de fratribus, & aliis collateralibus legitimis, & naturalibus simul: Fratres enim legitimi tantùm, seu adoptivi non succedunt sibi invicem nisi ab aliquo ascendentium fuerint adoptati. *l. penult.* §. *& ideo C. de Adopt.* Fratres naturales tantùm, aut spurii succedunt quidem fratribus uterinis, non verò consanguineis. *l.* 4. *ff. Unde cognati.*

Si nec *Descendentes*, nec *Ascendentes*, nec 19
Collaterales adsunt, tunc *quarto loco* ad successionem ab intestato admittitur *conjunx*; in qua successione primùm observanda sunt pacta dotalia *per l. fin. C. de Pact. convent.* deinde consuetudines, & statuta cujuslibet loci. Gail. 2. *observ.* 156. *n.* 3. iis verò deficientibus confugiendum erit ad jus commune, quò Prætor propter legitimam conjunctionem maritalem ante fiscum vocat superstitem conjugem dando ei *bonorum possessionem, unde vir & uxor. tot. tit. ff. & C. unde vir & uxor.* dummodò justum fuerit matrimonium, & ad mortem alterius duraverit. *l.* 4. *C. de Incest. nupt.* Forster. *de Successione in præf. ad lib.* 9. nec maritus uxorem, nec uxor maritum interfecerit. *l.* 10. §. 1. *ff. solut. matrim.* Imò jure

jure noviſſimo ſancivit Juſtinianus, ut ſi matrimonium fuerit indotatum, & conjunx deſunctus locuples, uxor autem ſuperſtes inops, illa marito ſuccedat unà cum liberis communibus, vel etiam alterius matrimonii, in quarta parte bonorum defuncti, ſi liberi tres ſint, vel pauciores; ſi verò plures extent liberi in parte virili, in ein Kinds-Theil; ita tamen ut tantùm usumfructum habeat iſtius quartæ, vel virilis portionis, proprietate ſervatâ liberis, ſi qui extiterint; his autem deficientibus potiatur etiam dominio iſtius portionis, in quam imputatur id, quod ei relictum, vel donatũ eſt à conjuge. *Novell* 53. *c. ult. Novell.* 117. *c.* 5. *auth. præt. C. Unde vir, & uxor. & ibi* DD.

20 *Ultimò* ſi nec *conjunx* adſit, *bona vacantia*, die erbloſe Gütter ſibi vendicat *fiſcus, tot. tit. C. de Bonis vacant.* Sixtinus *de Regal. lib.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Bona tamen iſta ad fiſcum tranſeunt cum ſuo onere, nimirum ut fiſcus debitoribus ob defuncti æs alienum ſatisfaciat, ſiquidem fiſcus non jure proprio, ſed jure hæredis ſuccedit *l.* 3. *§. fin. l.* 6. *§. ſi fiſco ff. ad SCtum Trebell. l.* 6. *&* 14. *ff. de Jure fiſci. l.* 7. *C. de Diſtract. pign. l. un.* §. 14. *C. de Caducis tollend.* Hinc etiam legata & fideicommiſſa, quæ ab hærede præſtanda ſunt, ſolvere obligatur per *l.* 96. §. 1. *ff. de Legat.* 1. *l. dicitur.* 14 ibi: *quibuslibet aliis cauſis fiſco vindicatis. ff. de Jure fiſci.*

21 *Quæſtio* ſupereſt: quô modô fiat ſucceſſio in bonis Clericorum? Br. breviter, in bonis ſuperfluis reſpectu Eccleſiæ, ſeu ex beneficii redditibus acquiſitis ipſam tantùm Eccleſiam ſuccedere, excluſis omnibus conſanguineis, niſi conſuetudine aliter ſit introductum *c.* 1. 7. *&* 12. *de Teſtam.* In reliquis verò bonis, nempe patrimonialibus, induſtrialibus, ſicut & parſimonialibus, fieri ſucceſſionem eodem modo, quô de Laicis priùs dictum eſt, juxta lineæ, aut gradûs prærogativam, ut notant communiter Interpp. *ad c.* 1 *h.t.* præterquam, quòd ante fiſcum Eccleſiaſticum (qui ſuccedit Clericis, ſicut laicis fiſcus ſæcularis) aliis conſanguineis deficientibus, ſuccedat Eccleſia, vel altare, cui Clericus inſervivit. *d. c.* 1. Et meritò cùm per illam in ſortem Domini ſint vocati, ut adeò non injuriâ illam ſucceſſione honorent, à qua beneficio, ac honore Clericali affecti ſunt.

§. VI.

Materia, ſeu *objectum* ſucceſſionis ab inte- 22
ſtato eſt hæreditas legitima, quæ nempe obvenit ab inteſtato juris legitimi diſpoſitione. Weſenbec. in *Paratit. de Hæred. inſt. n.* 3. *lit. E.*

§. VII.

Forma ſucceſſionis ab inteſtato conſiſtit in 23
requiſitis, quæ tria.

Primum eſt, ut deferatur ſola lege. Hinc in prohibitione Teſtatoris, ne in alienam familiam res alienetur, ſucceſſio legitima non continetur: quoniam hæc non eſt alienatio hominis, ſed ipſius legis, quæ ab inteſtato ſucceſſiones defert. *§.* 1. *Inſt. de Hæredit. quæ ab inteſt. l.* 3. ibi: *lege ad ſe rediret. l.* 11. ibi: *hæreditatem poſſideant lege ff. Si quis omiſsâ causâ teſtam.* Et neceſſaria omninò eſt: quia per mortem, quæ omnibus eſt neceſſaria, cauſatur, conſequenter ſub hominis interdicto contineri intelligitur. *l. alienationes* 13. *ff. Famil. herciſcund.*

Secundum eſt, ut inteſtatus ſit, de cujus hæ- 24
reditate agitatur, quamdiu enim ex teſtamento poteſt adiri hæreditas, ab inteſtato non defertur. *l. quamdiu* 31. *ff. de Acquirend. hæredit.* Dicitur autem *inteſtatus*, qui caret hærede teſtamentario; quod fit I. ſi quis teſtamentum non fecit, cùm tamen facere potuiſſet. *l.* 1. *in pr. ff. de Suis, & legit.* II. Si quis voluit quidem teſtamentum facere, ſed non potuit, impeditus vel de facto, quia morte præventus, vel de jure, quia lege teſtari prohibitus, ut pupillus, filiusfamilias &c. licèt enim hi ſtrictè loquendo inteſtabiles dicantur, latè tamen, & ex communi uſu loquendi

pro intestatis habentur. *d. l.* 1. *pr.* ℣. *planè* III. Quando quis testamentum quidem condidit, sed non jure, omissis scilicet solennitatibus à jure præscriptis. *pr. Instit. h. t.* IV. Si testamentum jure quidem factum sit, sed agnatione posthumi, vel arrogatione, vel adoptione ab ascendente ruptum est. *d. l.* 1. *in pr. ff. de Suis, & legit.* vel per capitis diminutionem quamcunque fit irritum. *pr. Inst. h. t.* V. Si testamentum sit perfectum, ex eo tamen nullus hæres existat. *d. l.* 1. *in pr.* hìc enim omnibus casibus res dicitur ad causam intestati redire.

Porro si controversia inter hæredem ab intestato, & extraneum, qui testamentum factum esse asserit, oriatur, probatio non hæredi ab intestato venienti, sed extraneo illi incumbit, tum quòd talis extraneus affirmet, & alleget factum aliquod, quod ab allegante semper probandum est, per *l.* 2. *ff. de Jur. & facti ignorant.* tum quòd fundet se in testamento, consequenter teneatur probare testamentum factum esse, tanquam fundamentum suæ intentionis. Accedit, quòd hæredes ab intestato habeant intentionem pro se fundatam in jure, & successionem sibi à Lege delatam eò usque retineant, donec probetur, testamentô contrarium esse dispositum. Menoch. *præsumpt.* 1. Covarruv. 2. *V. R. c.* 6. *n.* 5. Fachin. 6. *controv.* 46.

25 *Tertium* requisitum est, ut hæres ab intestato probet mortem ejus, in cujus bona cupit succedere: siquidem viventis nulla est hæreditas. Peragitur autem probatio hæc I. per duos testes: Mascard. *de Prob. concl.* 1075. *n.* 2. nonnunquam etiam per unicum, ut si quis in loco aliquo remoto, mari, aut morbo contagioso obiisse dicitur. Carpz. *p.* 1. *constit.* 16. *def.* 38. II. Per attestationem Judicis, aut Magistratus eo in loco, quo quis obiisse perhibetur. Carpz. *Jurispr. consistor. lib.* 2. *def.* 168. *n.* 5. idem est, si præfectus militiæ, sub quo quis militavit, in documento attestetur, militem, in quodam conflictu, aut alio modo inter turbas bellicas periisse. Mevius *p.* 5. *dec.* 134. III. Per attestatum Parochi extractum ex libro, in quo mortui describuntur. Rota *dec.* 220. *n.* 1. *p.* 2. *divers.* Gratian. *discept. forens. c.* 653. *n.* 59. IV. Aliquando per famam, cujus limitationes, & exceptiones, vide is apud Mascard. *de Prob. vol.* 3. *concl.* 1074. V. Per diuturnam absentiam: ita enim in Regno Bohemiæ absens per triginta annos annum & diem, habetur pro mortuo, ejusque bona proximis agnatis sine cautione deferuntur, & Scabini Lipsienses statuunt absentes per 70. annos pro mortuis haberi. Richter *p.* 1. *dec.* 66. *n.* 5. & 6. Carpz. *p.* 3. *const.* 15. *def.* 57. Omitto alias mortis probationes, quas suggerit Mascard. *concl.* 1075. *& seqq.*

§. VIII.

Finis, ob quem introducta est successio ab 26 intestato, est, ut hæreditas intestati iis obveniat, quos propinquitas sanguinis & naturæ conjunctio vocavit.

§. IX.

Effectus successionis ab intestato est idem, 27 qui successionis ex testamento, de quo prolixè in *tit. præced.* disseruimus.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1. Sepulturæ diversa acceptio. 2 definitio. 3. origo & causa impulsiva. 4. Cœmeteria constituere pertinet ad Episcopum. 5. 6. Quibus Ecclesiis competat jus sepulturæ? 7. 8. 9. Ubi quisque sepeliri debeat? 10. Quinam excludantur à Sepultura sacra? 11. Qui ritus funerum? 12. Quis finis Sepulturæ? 13. quis effectus?

SUccessio tam testamentaria, quàm legitima demum post mortem locum habet, quam,

quam quia proximè comitatur *sepultura*, de ea in præsenti agitur.

§. I.

1 *Sepultura* tripliciter sumitur. I. Pro officio quod impenditur corporibus humandis. *c.* 105. *causâ* 1. *q.* 1. II. Pro jure sepeliendi, seu assignandi locum in Ecclesia. Gonzalez in *c.* 13. *h. t. n.* 4. III. Pro loco, in quo quis sepelitur. *d. c.* 13. *h. t. c. aurum causâ* 12. *q.* 2. In qua acceptatione.

§. II.

2 *Definitur* Sepultura, quòd sit locus religiosus, in quo Christianorum ex hac vita piè decedentium corpora tumulantur.

§. III.

3 *Causa efficiens* sepulturæ est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est Jus Canonicum quô locus quidam communis consecratus, & ab aliis profanis separatus, qui *cœmeterium*, sive *dormitorium* dicitur, juxta Ecclesias pro sepultura destinari solet, ut fidelium cadavera minùs à spiritibus immundis vexentur, memoria eorum in Divinis officiis frequentior sit, vivi etiam commonefiant sæpius suæ mortalitatis, & defuncti Sanctorum illorum suffragiis, ac patrocinio gaudeant, quibus Ecclesia consecrata est. *c.* 19. *causâ* 13. *q.* 2. Quamvis de rationabili causa similia cœmeteria etiam in loco remoto ab Ecclesia construi possint, præsertim pro pestiferis, & in contagioso morbo decedentibus, ut benè notat Sylvester V. *sepultura q.* 1.

4 *Proxima* est Episcopus: non enim Jure Canonico, ut Civili, quisque locum religiosum facere potest, sed tantùm Episcopus, siquidem ad rationem cœmeterii requiritur, ut locus publicâ Episcopi authoritate pro fidelium sepultura deputetur, & ante illationem cadaveris consecretur, vel benedicatur arg. *c.* 4. *de Religios. domib.* Panormit. in *c. penult. n.* 4. *h. t.*

§. IV.

Subjectum sepulturæ sunt Ecclesiæ Paro- 5
chiales, quarum sacro sinu Christianorum corpora recipiuntur; quippe jure communi tantùm Ecclesiæ Parochiales jus sepulturæ habere censentur per *Clem. dudum. §. verum. h. t. c.* 1. *causâ* 13. *q.* 1. Panormit. in *c.* 9. *h. t. n.* 7. Monasteria, quæ populum & jus parochiale non habent, possunt quidem habere cœmeterium, sed pro suis duntaxat, & pro Religiosis hospitibus ibi morientibus. *c.* 1. *causâ* 6. *q.* 1. *c. fin. h. t. in* 6. & licèt defunctus elegerit sepulturam in alia Ecclesia, vel Monasterio, propterea tamen admitti non debet, cùm ad hoc ipsum, ut v. g. Monasterium possit sepelire aliquem, qui ibidem ultrò sepulturam elegit, speciali privilegio opus sit, juxta *c. in nostra* 10. *h. t.* Quale privilegium concessum est ordini Prædicatorum, & Minorum in *d. Clem. dudum. §. hujusmodi.* Imò defacto omnibus Monasteriis Regularium vel ex consuetudine jus sepeliendi defunctos competere ex Lancelloto refert P. Engel *h. t. n.* 3. Hujusmodi autem privilegium non solùm summus Pontifex, sed etiam Legatus de latere intra suam Provinciam, Episcopi, & quasi Episcopali jurisdictione præditi, intra suas Diœceses concedere possunt. Panormit. in *d. c.* 9. *h. t. n.* 8. Molin. *disp.* 214. *n.* 21. Barbos. *de officio Parochi. c.* 26. *n.* 9.

Porro qui nullo jure, aut privilegio muniti 6
defunctum in Ecclesia sepeliunt, maximè si id dolosè, & violenter faciant, tenentur tam ipsum cadaver, quàm omne id, quod occasione funeris perceperunt, Ecclesiæ Parochiali, ubi de jure sepeliendus erat, restituere. *c.* 6. *h. t.* ordinariè tamen cadaver exhumari non debet, propter scandalum, & alia incommoda, sed solùm oblationes, & quæcunque occasione sepulturæ percepta, restitui debent juxta text. & DD. in *cap.* 10. *§. ult.. hoc tit.*

§. V.

7 *Objectum* sepulturæ sunt corpora Christianorum defunctorum. per *c.* 28. *causâ* 13. *q.* 2. *c.* 27. *& 28. dist.* 1. *de Consecrat.* Ubi *Quares* I. In qua Ecclesia, aut cœmeterio quisque sepeliri debeat? R. &

Dico I. Cuivis liberum est, eligere, ubi post mortem suam sepeliri velit. *c.* 1. 3. 4. 8. *&* 10. *h. t. c.* 1. *&* 2. *Eod. in* 6. dummodo eligatur locus, qui jus sepulturæ vel ex jure communi, vel ex privilegio habet. *c.* 16. *&* 17. *de Excess. Prælat.* Quod adeo verum est, ut etiam filiusfamilias inconsulto Patre, modo pubes sit, & uxor etiam invito marito sepulturam sibi eligere possint, non obstante potestate aliena, cui subsunt, quia disponunt in tempus, quô potestas illa penitus cessabit, scilicet post mortem, quæ omnem potestatem solvit. *c.* 7. *h. t. c.* 4. *Eod. in* 6. Excipiuntur Religiosi, quibus potestas eligendi sepulturam extra suum Monasterium non est, nisi ita remoti sint, ut ad id, cùm moriuntur, commodè deportari nequeant, tali namque casu ex licentia à Jure indulta sepulturam sibi eligere permittuntur. *c. ult. h. t. in* 6.

8 *Dico* II. Nullâ sepulturâ electâ defunctus in sepulchro majorum, si quod habet, sepeliendus est: quia tacitè hoc sibi elegisse videtur, dum sibi à Majoribus paratum agnovit, nec tamen contrariam voluntatem declaravit. *c.* 1. *h. t. c.* 3. *Eod. in* 6. Excipitur fœmina conjugata, vel vidua, quæ non in sepulchro suæ familiæ, aut Majorum, nisi specialiter id elegerit, sed in sepulchro mariti, &, si plures habuit, ultimi sepelienda est: uti enim unaquæque mulier relictâ familiâ propriâ virum suum in vita, sic & in morte sequi debet. *c. unaquaque causâ* 13. *q.* 2. *c.* 3. *h. t. in* 6.

9 *Dico* III. Qui nec ipsi sibi sepulturam elegit, nec à Majoribus, vel à Marito determinatam sepulturam habet, in cœmeterio Ecclesiæ suæ Parochialis, ubi vivus Sacramenta frequentare solebat, tumulari debet, *c.* 1. *&* 10. *h. t. c.* 1. *Eod. in* 6. adeò, ut tametsi aliquis extra Parochiam moriatur, v. g. in villa sua, ubi recreationis causâ comorabatur, nihilominùs non in ea Parochia, ubi decessit, sed in qua domicilium habuit, sepeliendus sit, siquidem commodè deferri possit. *c.* 3. *Eod. in* 6. Quodsi defunctus in duobus locis domicilium habuit, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare solitus fuit, in illa sepelietur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus est, in ea, ad quam arbitrio amicorum commodiùs deportari potest. arg. *c.* 2. *h. t. in* 6. Econtra si aliquis nullam omnino certam Parochiam habuit, vel si ad Parochiam suam commodè deferri non possit, ut peregrinus, miles, vagabundus; pro diversa locorum consuetudine, aut commoditate vel in Parochia, in qua decessit, vel rectiùs in cœmeterio Ecclesiæ cathedralis, si in eo loco aliquod extat, sepeliri debebit per ea, quæ notat Sylvester *d num.* 8. Panormit. in *c.* 1. *h. t. n.* 4. ubi rationem subdit; quia Ecclesia Cathedralis talibus administrat Sacramenta. *c. officium de Offic. Archid.*

Quares II. Quinam in loco sacro sepeliri possint? R. pro regula tenendum: omnes fideles piè & religiosè defunctos sepulturâ Ecclesiasticâ gaudere. *c.* 28. *causâ* 3. *q.* 3. Unde

I. Excluduntur gentiles, Judæi, & omnes non baptizati. *c.* 27. *&* 28. *de Consecrat. dist.* 1. etiam infantes Christianorum, qui decesserunt sine baptismo, ut ostendit quotidiana Ecclesiæ praxis, nisi in utero matris mortui sint, tunc enim tanquam pars ventris cum matre sepeliuntur. Gloss. in *c.* 35. *dist.* 4. *de Consecrat.* Armilla *V. sepultura n.* 21. Murga *disquis. moral. t.* 2. *disq.* 1. *dub.* 11. *n.* 3. *&* 4.

II. Hæretici, eorúmque in crimine hæreseos defensores, fautores & receptatores, licèt hæresis post mortem primùm fuerit manifesta, *c.* 8. *c.* 13. *de Hæret. c.* 2. *Eod. in* 6. 10

III. Pu-

III. Publicè, & notoriè excommunicati, quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis in sepultura communicare debemus. *c.* 1. *causâ* 24. *q.* 2. *c.* 12. *h. t.* ubi excommunicati in loco sacro sepulti, si ab aliorum corporibus discerni valeant, exhumari jubentur. His accensentur notorii, & denuntiati interdicti. *Clem.* 1. *h. t. c. is cui.* 10. *de Sent. Excomm. in* 6. *c.* 8. *de Privileg. in* 6. Si tamen interdicti, uti & excommunicati ante obitum pœnitentiæ signa dedissent, &, quò minùs reconciliarentur, per eos non stetisset, etiam post mortem absolvendi, & sepulturæ Ecclesiasticæ, sed non ante absolutionem, mandandi essent. *c.* 28. *de sent. excomm.*

IV. Usurarii manifesti, quamvis in extremis pœniteant, nisi tamen vel actu restituant, vel saltem de restituendo idoneam cautionem præstent, non sepeliuntur: *c.* 3. *de Usur. c. quanquam.* 2. *Eod. in* 6. Raptores & incendiarii, si ante restitutionem sine signis pœnitentiæ decedant: *c.* 2. *&* 5. *de Raptor.* Decimas Ecclesiæ debitas injustè detinentes: *c. prohibemus.* 19. *de Decimis.* Maledici, sive blasphemi. *c.* 2. *de Maled.* Religiosi proprietarii: *c.* 2. *&* 4. *de Statu Monach.* qui omiserunt confessionem annuam, & communionem paschalem, nisi specialia signa pœnitentiæ dederint: *c.* 2. *de Pœnit. & remiss.* qui in torneamentis occiduntur, *c.* 1. *de Torneament.* aut in duello occumbunt, etiamsi pœnitentes decedant. Trid. *sess.* 25. *de Reformat. c.* 19. & nos infra *ad tit. de Cleric. pugnant. in duello n.* 17. *&* 20.

V. Omnes in notorio, & certo peccato mortali absque pœnitentia decedentes per *c.* 19. *&* 21. *causâ* 13. *q.* 2. Censentur autem in peccato mortali decessisse, ac propterea sepulturâ Ecclesiasticâ indigni, qui in ipso crimine furti, vel adulterii interempti sunt. *c. fures* 31. *causâ* 13. *q.* 2. Item illi, qui sibi ipsis mortem consciverunt ex desperatione, iracundia, tædio vitæ, impatientia doloris, vel criminis conscientia. *c.* 12. *causâ* 23. *q.* 5. Farinac. *in praxi criminal. q.* 128. *n.* 17. asserens, sui interfectoris cadaver, si per ignorantiam in loco sacro sepultum fuisset, compertò errore exhumandum, & extra sacrum locum projiciendum esse. Secùs est, si quis ex fatuitate, amentia, aut alia mentis alienatione, & præter intentionem se occidisset, aut casu in flumen immersus occubuisset. *c.* 11. *h. t.* vel si quis illato sibi ex desperatione lethali vulnere, postea adhuc ederet pœnitentiæ signa; talem enim non esse privandum sepulturâ Ecclesiasticâ, docet Sylvester *V. sepultura. n.* 9. Adde, quòd adhuc, ut in puteo, aut flumine submersus, laqueo suspensus, ferro, aut veneno interfectus â sacra sepultura removeatur, constare debeat Ecclesiæ, quòd à se ipso interfectus sit: & quod in dubio præsumatur, potiùs vel casu, vel ex mentis alienatione, vel per vim, aut insidias, ab alio, quàm sponte à se ipso interfectum, cùm in dubio delictum, præsertim tam grave, de nemine præsumatur. *l* 51. *ff. pro socio.* Barb. *de Offic. Paroch. c.* 26. *n.* 49. Navarr. *h. t. consil.* 7. Covar. *var. resolut. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 11.

§. VI.

Forma sepulturæ stat in pompa funerali, cultu exequiarum, & reliquis sacris ceremoniis, quibus sepultura adornatur juxta gradum, qualitates, & facultates defunctorum. De his vide Jac. Pignatel. *tom.* 4. *consult.* 229. ubi eas contra hæreticos egregiè defendit. 11

§. VII.

Finis sepulturæ est, ut in mortalibus excitetur memoria mortalitatis, & futuri ex hac vita exitûs, quâ nulla est salubrior cogitatio. *Eccles.* 7. 12

§. VIII.

Effectus sepulturæ est perceptio funeralium. Nomine autem funeralium non solùm intelliguntur ea, quæ cum funere deferuntur, ut 13

vo-

voluit Gloss. *in Clem.* 2. *h. t.* sed omnia, quæ obveniunt Ecclesiæ ratione funeris, ut sunt mortuaria, oblationes, pannus, quô tumba, vel parietes teguntur, candelæ, aliáve pro locorum consuetudine, teste Barb. *in d. Clem.* 2. *num.* 27.

14 Illud hìc *quæri* potest: quid juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam, aut in sepulchro Majorum sepeliatur? R. quòd propter curam, & consueta onera præcipuè ratione obligationis administrandi Sacramenta Parocho debeatur *portio canonica*: & si defunctus in duabus Parochiis æqualiter domicilium habuerit, ac Sacramenta mixtim perceperit; atque in tertio aliquo loco sepulturam elegerit, portio canonica inter utramque Parochiam dividenda sit. *c.* 1. 8. & 10. *h. t. c.* 2. *Eod. in* 6. Trid. *sess.* 25. *c.* 13. *de Reformat.* Est autem ista *portio canonica* nihil aliud, quàm certa pars funeralium, & omnium illorum, quæ occasione funeris quocunque titulo alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, obveniunt, proprio Parocho restituenda. Quanta verò sit ista portio? sæpiùs *dubitatur*: nam *in c.* 1. *h. t.* dicitur esse *tertia in c.* 2. *media, & in c.* 8. *Eod. quarta* pars prædictorum bonorum. De jure loquendo esse quartam partem colligo *ex Clem.* 2. *h. t.* ubi absolutè *quarta* appellatur, & cum portione *canonica* identificatur. Neque obstat *c.* 1. & 2. *h. t.* quia loquuntur de speciali consuetudine prout colligitur *ex c.* 9. *Eod.*

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

SUMMARIA.

1. Parochia etymologia. 2. homonymia. 3. definitio. 4. Origo. 5. Quis possit constituere Parochiam? 6. Quinam dicantur Parochiani proprii, aut alieni? 7. usq; 12. Recensentur requisita ad constituendam Parochiam. 12. finis Parochiæ. 13. ejus effectus.

CUm sepultura in propria Parochia sit peragenda, idcirco subjicitur rubrica *de Parochiis & alienis Parochianis.*

§. I.

Parochia dicitur quasi *partitio curæ*: quòd 1
cura populi partita sit inter Ecclesias Parochiales. Panorm. *ad rubr. h. t. n.* 1. Alio nomine vocatur *Paræcia*, quod à S. Gregor. Magno *lib.* 12. *Regist. Epist.* 2. usurpatum reperitur.

§. II.

Acceptio Parochiæ duplex in jure reperitur, 2
aliquando enim denotat totam Diœcesim, sive civitatem & territorium, in quo Episcopus jurisdictionem spiritualem exercet. *c.* 1. 2. & 3. *dist.* 92. sicut vox *Parochianus* subditos Diœcesanos significat. *c. nullus* 3. *h. t.* frequentiùs & in præsenti accipitur pro districtu Ecclesiæ Cathedrali inferioris, ut demonstrat Gonzalez *ad c.* 2. *h. t. n.* 8.

§. III.

Definitur Parochia, quòd sit locus certis 3
finibus circumscriptus, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus cum Presbytero sive Rectore, à quo Sacramenta, verbum Divinum, aliáque spiritualia ex officio ministrantur. Panorm. *in c. extirpanda. §. qui verò, n.* 20. *de Prabend.* Sylvest. *in V. Parochia.*

§. IV.

Causa efficiens Parochiæ alia est *remota*, alia 4
proxima.

Remota est Jus Ecclesiasticum, quô juxta exigentiam necessariæ administrationis Sacramentorum Parochiæ distributæ sunt: nam licèt initio soli Episcopi essent Rectores Diœcesium, quas administrabant per Sacerdotes ad nutum & beneplacitum à se missos, cum assignatione determinati temporis, modi & limitum suæ administrationis (qui modus tenet Henriquez adhuc in Diœcesi Hispalensi & Cordubensi perseverat) succedente tamen tempore ob multiplicationem populi Christiani, & efficacius ejusdem regimen, Diœceses

in

in Parochias divisæ sunt, designato cuilibet Parochiæ suo stabili Parocho, idque ex decreto S. Anacleti Papæ *in Epist.* 3. quam ad omnes Episcopos & Sacerdotes scripsit, & aliô Dionysii Papæ circa annum 260. emanatô, cujus hic super re ordinatio extat in *Epist. ad Severum* relatâ *in c. 1. causâ 13. q. 1. c. 9. de his quæ sunt à Prælat.* Barb. *J. E. V. lib. 1. c. 1.*

Proxima est S. Pontifex, aut Episcopus, qui Ecclesiam Parochialem constituit mediante speciali erectione in titulum parochialem cum finium & plebis designatione. *c. nullus omninò causâ 16. q. 7.* Azorius *Inst. moral. p. 2. l. 3. c. 11. q 14.* Et verò si Parochiæ non habeant certos fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrent, Episcopus pro tutiori animarum sibi commissarum salute distincto populo in certas, propriásq; Parochias unicuique suum perpetuum peculiarémq; Parochum assignare potest. Trid. *sess. 24. de Reform. c. 13.* Imò ubi propter locorum distantiam Parochiani nonnisi cum magno incommodo ad propriam Parochiam accedere queunt, vel si numerus Parochianorum in tantum excrescat, ut populus non sufficienter per unum Parochum regi possit, potest Episcopus erigere novam Parochiam juxta *c. ad audientiã. 3. de Eccl. ædif.* & Trid. *sess. 21. de Ref. c. 4.*

§. V.

Subjectum Parochiæ sunt *Parochiani*, non *alieni*, *sed proprii*, qui intra limites Parochiæ Parochi curæ subjiciuntur; tales sunt, quincunque intra limites Parochiæ ab Episcopo determinatos verum, vel etiam quasi domicilium fegunt; quod verum non tantùm de Laicis, sed etiam de Clericis, imò etiam de Beneficiatis, vel Curatis, qui neglecto suo beneficio intra fines Parochiæ alienæ stabile domicilium habent. Neque interest, utrùm ad residentiam in suo beneficio obligentur, adeóq; malè faciant intra alienam Parochiam commorando: quia etiam injustum domicilium parochianum facit, ut bene docet Tuschus *lit. P. conclus. 99. n. 2.* Quòd si quis habitet in confinio duarum Parochiarum, censetur Parochianus illius, in qua domus habet aditum ex notabili doctrina Bartol. *in l. 6. n. 6. in fin. ff. de Damn. infect.* Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. numer. 71. p. 2.* Quòd, si domus habeat duas portas, quarum una tendat ad unam, altera ad aliam, judicetur de ea Parochia, in qua residet porta principalis, & aditus magis frequentatus. Aloys. Ricc. *in Prax. for. Eccles. decis. 333. in 1. edit. resol. 510. in 2. edit.* Cæterùm, quæ requirantur ad domicilium constituendum, colligi potest ex iis, quæ tradidi *in principiis ad tit. de Foro compet. à n.* 8.

§. VI.

Forma Parochiæ consistit in requisitis, quorum quatuor. 7

Primum est Auctoritas Episcopi, limites sive fines designantis, & populum Parochianum constituentis. *c. nullus omninò causâ 16. q. 7.* ideóque in controversiis an Ecclesia sit Parochialis, inter cætera quoque inquiri solet, quando, & cujus consensu vel auctoritate talis sit constituta. Azorius *Instit. moral. lib. 3. c. 12. q. 14.* Erecta tamen præsumitur Superioris authoritate, & consensu, ex lapsu temporis, ex celebratione Divinorum officiorum, Sacramentorúmq; administratione. Barb. cum aliis *de Offic & potest. Paroch. c. 1. n. 38. & 39.* *Secundum* est locus certis limitibus ab Episcopo constitutus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit. *c. Ecclesias causâ 13. q. 1.* neque enim Ecclesia Parochialis salutari potest quæ non habet distinctionem limitum, domuum & personarum, adeò ut si administret Sacramenta sine istis requisitis, signum manifestum sit, quòd non sit Parochia, sed Capella exstructa pro succursu & auxilio Matricis Ecclesiæ, atque ut magis commodè fidelibus Sacramenta administrentur. Rebuff. *de Decim.* 8

q. 6. *n.* 1. Rota *decis.* 268. *n.* 6. *p.* 1. *Recent.* Quamvis autem in Concilio Toletano relato *in c. unic. causâ* 10. *q.* 3. constitutum sit, quòd Ecclesia Parochialis debeat sub se habere *decem mancipia*, vel ut alii legunt, *municipia*, id est, *domus aut familias* Barb. *de Offic. & potest. Paroch. n.* 20. nihilominùs de jure hodierno alia regula dari non potest, nisi quòd tanta debeat esse Parochia, ut & Parochus ex decimis & oblationibus congruam sustentationem habere, & aliunde populus commodè ad Ecclesiam Parochialem convenire, ibíq; Sacramenta percipere, & officia Divina frequentare possit.

9 *Tertium*, & principale requisitum est potestas fori pœnitentialis, scilicet potestas ligandi, atque solvendi, exercenda à Sacerdote, qui ratione muneris, quod gerit, Sacramenta fidelibus ministrare, & ab his illa percepturis adiri debet. Gloss. *in Clem. dudum. de Sepult.* Mascard. *de Probat. conclus.* 469. Rota *decis.* 52. *p.* 2. *divers. & decis.* 380. *p.* 5. *Recent.*

10 *Quartum* requisitum Parochiæ est, ut habeat proprium Rectorem, qui curam exerceat nomine suo, & non tantùm alieno. *c. extirpanda. §. quiverò de Prabend.* imò qui exerceat curam hanc nomine suo singulariter, & solus, non cum aliis ad regimen Ecclesiæ Parochialis adjunctis, ut declarat Rota *in decis.* 52. *à num.* 1. *usque ad* 17. *p.* 2. *divers.* quia quemadmodum una mulier non potest duos, vel plures sponsos habere. *c.* 1. *de Sponsa duor.* nec unum corpus duo capita. *c. quia plerisque de Offic. ordin.* sic nec Ecclesia duos, aut plures curatos. *c. cùm non ignorus.* 15. *de Prab. c. in apibus causâ* 7. *q.* 1. *c. sicut una.* 22. *q.* 2. Mascard. *loc. cit.*

11 Atque hæc quatuor requisita ordinariè probanda sunt, ut Ecclesia parochialis esse credatur. Barb. *de Offic. & potest. Paroch. p.* 1. *c.* 1. *n.* 27. Alia indicia, & proprietates Ecclesiarum Parochialium, ut quòd omnes Ecclesiæ parochiales curam animarum in foro pœnitentiali exerceant: quòd certus populus ibi missam, conciones & Divina audiat: quòd Eucharistia constàter asservetur: quòd matrimonia ibidem celebrentur: quòd fontem baptismalem, item cœmeterium, & jus sepeliendi defunctos habeat: quòd Rectori Ecclesiæ decimæ solvantur, oblationes fiant; singula quidé præsumptionem faciunt pro Ecclesia Parochiali, & econtra, si unum ex dictis indiciis desit, contraria præsumptio inducitur, certum tamè est, quòd nonnulla ex iis etiam Ecclesiæ non Parochiali competere possint, & econtra multæ sint Ecclesiæ Parochiales, in quibus ea omnia non reperiuntur, vel propter negligentiam Parochorum, vel per contrariam præscriptionem, aut concordata specialia. Cæterùm si *Parochialitas* non probetur, Ecclesia potius simplex, quàm parochialis præsumitur. Garz. *de Benef. p.* 1. *c.* 6. *n.* 8. Barb. *de Offic. & potest. Paroch. c.* 1. *n.* 36. *&* 37. Rota *decis.* 101. *in fin. decis.* 233. *n.* 4. *decis.* 258. *n.* 5. *p.* 1. *Recent.*

§. VII.

Finis, ob quem distinctæ sunt Parochiæ, 12 assignatò cuilibet propriò Parochò, est, ut unusquisque diligentiùs suas oves cognoscat, custodiat, & gubernet, & earum rationem Domino reddat. arg. *c.* 1. *causâ* 13. *q.* 3.

§. VIII.

Effectus Parochiæ spectatur *in Juribus Pa-* 13
rochialibus, quæ varia refert Panorm. *ad rubr. h. t. n.* 2. & Azorius *p.* 2. *Inst. moral. lib.* 3. *c.* 12. *q.* 4. Præcipua sunt.

I. Quòd Parochiani in Parochiali Ecclesia teneantur recipere Baptismum: ex quo Episcopi officium baptizandi, quod ipsis per se primò competit, Parochis duntaxat communicârunt. Barb. *de Offic. & potest. Paroch. c.* 18. *n.* 1. ubi cum comuni docet, Parentes graviter peccare, si proles suas extra casum necessitatis, vel sine licentia Parochi alieno baptizandas offerant.

II. Quòd in ea Parochiani quotannis semel con-

confiteri, & in paschate sacram Eucharistiam percipere debeant. *c. omnis utriusq; de Pœnit. & remiss.* Zoës. *h. t. n.* 2. ubi rectè advertit, Sacramentum Pœnitentiæ à Parocho, vel Presbytero alieno sine expressa, vel tacita licentia proprii Parochi administratum penitus invalidum esse propter defectum jurisdictionis. Sed hoc ita spectato *jure communi*, cujus rigor multùm mitigatus est, dum passim extra tempus Paschale Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non tantùm apud Regulares specialiter privilegiatos, sed & in aliis Ecclesiis ex privilegio vel consuetudine non contradicentibus, atque ita saltem tacitè consentientibus Parochis frequentantur. P. Engel *h. t. n.* 25.

III. Quòd in Ecclesia Parochiali matrimonia, seu nuptiæ solenni ritu celebrandæ sint. *c. 1. de Clandest. desponsat.* Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de Reformat. matrim.* ita quidem, ut matrimonium, cui sine licentia proprii Parochi assistit alienus, irritum sit juxta Trid. *d. c.* 1.

IV. Quòd à proprio Parocho tempore debito petendum sit Sacramentum Extremæ unctionis. *Clem. dudum. de Sepulturis. Clem.* 1. *de Privil.* ubi Regularibus etiam exemptis sub excomunicatione prohibetur, ne sine licentia Parochorum Sacramentum hoc administrent.

V. Quòd Parochiani in Ecclesia Parochiali diebus Dominicis & Festis Divinis interesse obligentur juxta *c.* 2. *h. t.* ubi Parochi, priusquam talibus diebus Missam celebrent, alienos Parochianos ejicere jubentur; & *Extravag.* 2. *de Treuga inter comm.* ubi fratribus Mendicantibus prohibetur, ne prædicent, populum ad Missam diebus festis in propria Parochia audiendam non teneri. Hodie tamen de consuetudine, & propter diversa Religiosorum privilegia, videmus ubique contrarium observari, & pro cujuslibet comoditate diebus etiam festivis extra Ecclesiã Parochialem Missas, & Divina officia frequentari.

VI. Quòd defuncti Parochiani in Ecclesia Parochiali ordinariè sepeliri debeant, ut constat ex dictis *tit. præced. n.* 9.

VII. Quòd Parocho quotannis solvendæ sint decimæ præter primitias, & alias oblationes, de quibus *tit. seq.*

VIII. Quòd Ecclesia parochialis gaudeat privilegiò, ut intra fines suos alia Ecclesia, vel Capella non possit ædificari invito ejus Rectore. *c. quicunque causâ* 16. *q.* 1. Barb. *de Off. & pot. Paroch. c.* 1. *n.* 26. *v. & ista Ecclesia.*

IX. Quòd finibus Parochiarum, si de iis legitima authoritate constitutis constet, ne quidem præscriptione 100. annorum, vel temporis immemorialis præscribi possit. *c.* 4. *& ibi* Panorm. Barb. ac alii *h. t.* cùm enim præscriptio à jure positivo vim suam habeat, ei locus esse non potest, ubi lex, vel canon resistit. *c.* 6. *causâ* 16. *q.* 3. *l.* 3. *C. de Fundis limitrophis.*

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARIA.

1. Decimarum definitio nominalis. 2. Definitio realis. 3. Divisio. 4. An dentur decimæ mixtæ? 5. Quo jure sint introductæ? 5. usq; 11. Quinam teneantur solvere decimas, qui non? 11. 12. 13. 14. Quibus solvendæ sint decimæ? 15. 16. Quorum proventuum decimæ præstandæ sint? 17. 18. 19. Quo modo solvendæ sint? 20. Quis sit finis decimarum? 21. Quinam effectus? 22. 23. de Primitiis & oblationibus.

INter jura Parochialia non postremum locum obtinet jus *decimarum, primitiarum, & oblationum.*

§. I.

Vox *decimarum*, si notionem, & derivationem ejus spectes, decimam cujusque rei, vel bonorum partem significat, unde comprehendit quoque decimas, quæ solvuntur titulò merè profanò, & exiguntur instar tributi à Dominis temporalibus prædiis aliquando impositi: item eas, quas urgente Ecclesiæ necessitate SS. Pontifices de bonis Ecclesiasticis sibi, vel aliis ad tempus solvendas extra

ordinem exigunt juxta *Clem. 2. h.t. & Extrav. 1. Eod. inter commun.* Secundùm communem verò usum loquendi decimæ significant quamvis aliam partem frugum, & bonorum quotannis Ecclesiæ Ministris præstandam juxta *c. 4. causâ 16. q. 7.* & vernacula dicuntur **der Zehend.**

§. II.

2 *Definiuntur* decimæ, quòd sint certa quota, id est, decima pars fructuum, & proventuum, seu lucrorum justè acquisitorum, DEO in recognitionem universalis dominii debita, & ipsius ministris propter spirituale ministerium persolvenda. P. Engl. *h.t.*

§. III.

3 *Dividuntur* decimæ in prædiales, & personales. *Prædiales* sunt, quæ solvuntur de terræ fructibus. Et hæ rursùm sunt *majores*, & *minores, seu minutæ*, vulgò **grosser/ und kleiner Zehend**: *majores*, quæ scilicet ex frumento, oleo, vino, penduntur: *minores seu minutæ*, quæ ex hortis, de sale, agnellis, vitulis, suculis, lana, caseis, butyro, pullis, ovis, & similibus præstantur. *c. 3. & 30. & ibi* Gloss. *h.t.* Zoës. *eod. n. 14. Personales* dicuntur, quæ solvuntur ex acquisitis personæ labore, & opera, sive proveniant ex artificio, industria, scientia, militia, mercatura, negotiatione, piscatione, venatione, vel ex alio quolibet actu, & quæstu licito. *c. 20. c. 22. & 28. h.t.* harum rarior usus est, & in Germania omnium pene locorum consuetudine, vel disuetudine sublatæ sunt. Besol. *thesaur. pract. voc.* **Zehend.** Joan Werndle *l. 2. c. 1.*

4 Tertium quoque genus decimarum constituit Hostiens. in *Summa h.t.* §. 1. Gonzal. *in d. c. 7. h.t. n. 4.* & communiter alii, quas *mixtas* vocant, partim scilicet prædiales, quatenùs proveniunt à natura, partim verò personales, quatenùs hominum industria accedit, & hujusmodi censent esse decimas animalium, seu ex fructibus pecorum, vel avium, ut gallinarum, apum, perceptas, scilicet ex lana, lacte, ovis, melle. Attamen aperta ratio est, quare hanc speciem pro genuina agnoscere nequeamus: quia enim natura plùs cooperatur, quàm industria hominum: & aliàs quoque omnes reliquæ decimæ prædiales mixtæ dici deberent, eò quòd fermè semper aliqua hominum industria intervenire soleat, ut patet in plantandis vineis, colendis agris &c. hinc decimæ animalium ad prædiales non incommodè revocari poterunt. Accedit, quòd in *c. ad Apostolica 20. h.t.* & alibi tantùm de duobus prædictis decimarum generibus mentio fiat, & ita jura hæc duo tantùm agnoscere videantur. P. Engl *num. 1.* Pirrhing. *n. 4. h.t.* P. Jacob Wex *in insign. manip. decim. q. 2. n. 4.*

§. IV.

Causa efficiens decimarum duplex est: alia *remota*, alia *proxima*.

Remota est jus; quo jure autem introductæ sint decimæ, Divino, an Ecclesiastico? non una omnium est sententia. Receptior distinguit in decimis *substantiam*, quatenùs sunt necessarium stipendium ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & *taxationem, quotam, seu quantitatem* decimarum, quatenùs scilicet sunt decima pars fructuum. Decimæ quoad *substantiam*, seu ut alii loquuntur *materialiter* consideratæ non tantùm jure humano, sed etiam naturali & Divino debentur, jure *naturali* quia naturalis ratio dictat spiritualia ministrantibus necessariam vitæ sustentationem, tanquam debitum stipendium, tribuendam esse; jure Divino positivo, quia Christi testimonio *dignus est operarius cibo suo: Matth. 10 v. 10.* & effato Pauli *1. ad Corinth. 9. ℣. 14. Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Et in hoc sensu accipiendi sunt textus *in c. 2. causâ 16. q. 2. in c. 1. causâ 16. q. 7. in c. 14. & 25. h.t.* in quibus asseritur, decimas à DEO institutas, & jure Divino introductas esse. Econtra decimæ *formaliter, seu quoad ipsam quotam* spectatæ neque sunt juris

juris naturalis: cùm nulla ratio naturalis, imò vix aliqua convenientia adferri possit, cur præcisè decima, & non undecima, vel nona pars pendenda sit? neque Juris Divini, eò quòd in Testamento novo nullum extet præceptum, & licèt in veteri Testamento præcisè decima pars Sacerdotibus sit attributa *Levit. 22. & 27.* quia tamen hæc lex non fuit lex moralis, in ratione aliqua naturali fundata, sed partim cerimonialis, partim judicialis, ut docet S. Thom. 2.2.q.87. *art. 2. in C.* ea cum aliis hujusmodi legibus per mortem Christi extincta est, nec in Ecclesia obligat, nisi quatenùs ab eadem denuo fuit reassumpta *per c. un. de Purif. post part.* Gutierez *Can. quæst. lib. 2. c. 21. n. 16.* Covar. *lib. 1. var. resol. c. 17. in pr.* Clariss. P. Jacob Wez *in manip. decim. q. 3. per tot.* Adde, quòd aliàs obligatio præstandi decimas nec privilegio remitti, nec consuetudine tolli, ac minui posset, cùm tamen defacto privilegio Apostolico Regulares quodammodo à solvendis decimis eximantur. *c. 10. h. t. c. fin. de Privileg.* & plurimorum fructuum decimæ consuetudine omninò sublatæ sint, approbante hujusmodi consuetudinem *c. 32. h. t.*

6 *Proxima* sunt illi, qui decimas solvunt, certum autem est, omnes cujuscunque ordinis, vel dignitatis sint, etiam Reges & Principes teneri ad decimas solvendas, nisi specialem exemptionem allegare possint. *c. 23. & 24. h. t.*

Igitur I. & præcipuè decimas solvere tenentur Laici. *c. 14. 26. & 32. h. t.* etiam Judæi & pagani de prædiis, ac fundis, quæ à Christianis Possessoribus ad ipsos pervenerunt venditione, permutatione, alióve titulo, nisi ejusmodi prædia, aut fundos dimittere malint per Text. *in c. 16. Eod. & in c. 18. de usur.* Ratio est, quia ex quo tempore Diœceses distinctæ sunt in Parochias, prædiis ntra harum fines existentibus annexa est obligatio pendendi partem decimam fructuum Ecclesiæ Parochiali, quæ obligatio tanquam onus reale ipsis prædiis inhæret, & ad quemcunque possessorem transit. arg. *c. 5. de Pignor.*

II. Clerici & Parochi, qui respectu prædiorum in aliena Parochia sitorum decimas solvere debent de illis bonis, & fructibus, quos habent titulo, ac jure sæculari, puta ex patrimonio, hæreditate, donatione, quia quantùm ad hoc pro Laicis habentur, adeò quidem, ut tametsi ipsi Episcopi, & alii Prælati etiam exempti agros patrimoniales possideant in aliena Parochia, nihilominùs ad decimas obligentur. *c. 42. & 44. causâ 16. q. 1.* Aliud dicendũ de bonis, & fructibus, quos Clerici recipiunt jure clericali, cujusmodi sunt, fructus & redditus beneficiales; de quibus procedit textus in *c. 2. h. t.* qui ita habet: *novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant.* Layman *in Theol. moral. lib. 4. tr. 6. c. 3. n. 1.* Barb. *J. E. V. lib. 3. c. 26. §. 3. n. 10.* Pirrhing. *h. t. n. 40.* Panorm. & alii Interpp. *ad cit. c. 2.* 7

III. Monachi, ac Religiosi tam exempti, quàm non exempti de prædiis, quæ ab aliis conducta habent. *c. 8. h. t.* sicut & de terris, ac possessionibus acquisitis hactenus, & amodò acquirendis, quæ decimales fuerant, solvere coguntur. *c. 3. 4. & 34 h. t. c. 2. §. cæterùm. Eod. in 6.* generali tamen privilegio in corpore juris inserto omnes Religiosi in tantum immunes sunt, ut saltem in hortis, & nutrimentis animalium, item de novalibus auß den neubrüchen/ quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt, decimas non persolvant per text. *in c. ex parte 10 h. t.* specialiter verò Cistercienses, Templarii, & Hospitalarii privilegiati sunt in omnibus agris ante datum privilegium acquisitis, quos proprio labore colunt. *d. c. ex parte* juncto *c. 34. Eod.* 8

Porro *exemptio* à solvendis decimis acquiri potest I. *Privilegio*, non quidem Principis Laici, *c. 25. h. t.* vel etiam Episcopi, quia iste jus commune relaxare nequit, sed solius Papæ juxta *cit. c. ex parte 10. h. t.* Interim hujus-

modi privilegia sive Clericis, sive Laicis concessa strictè interpretanda, nec ad novalia extendenda, & si valde damnosa sint Ecclesiis, ita scilicet, ut Rectores non habeant congruam sustentationem, quoad excessum per Episcopum loci corrigenda sunt per *c.* 31. *de Privil. c.* 2. *h. t. in* 6. Ampliùs: si ex postfacto privilegium exemptionis incipiat redundare in gravem læsionem Ecclesiæ, ut si certa Religio, Hospitale, vel aliud certum genus hominum à decimis eximatur, successu temporis autem exempti in tantum multiplicentur, & locupletentur, ut major ferè pars agrorum ab ipsis possideatur, eo, inquam, casu privilegium impugnari posse, quasi res ad eum casum devenerit, quem, si S. Pontifex prævidisset, tam generale privilegium concessurus non fuisset, textus est in *c.* 9. *h. t.*

9 II. *Præscriptione* quadragenariâ cum titulo: quia minor contra Ecclesiam non currit; sine titulo autem temporis immemorialis. *c.* 1. *de Præscript. in* 6. Potest autem hanc immunitatem etiam Laicus præscribere, non obstante, quòd jus decimandi præscribere nequeat. *c.* 7 *Eod.* id enim inde est, quòd Laicus jus decimandi, utpote rem spiritualem, possidere non possit, quæ ratio in proposito non militat; ex quo laicus non solvens decimas nullum jus spirituale usurpat, sed tantùm integros fructus percipit ex agro suo, & econtra Parochus jure suo decimandi non utitur: neque enim aliud ad præscriptionem immunitatis requiritur, quàm ut Parochus jure suo non utatur, atque ita per suam negligentiam & non usum jus decimandi amittat, quô ipsô Laicus immunitatem acquiret sine alia possessione. Cardinal. de Luca *discurs.* 1. *de Decim. n.* 26. & 29. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 75. Pirrhing. *h. t. n.* 130.

10 III. *Gratuitâ cessione*, aut *compensatione*, ut si Parochus decimas Religiosis pro re, sive jure aliquo spirituali, quô ad faciendas v. g. conciones, vel administranda Sacramenta in Ecclesia Parochiali obligarentur, remitteret. *c.* 3. *h. t. c.* 2. & 8. *de Transact.* P. Engel *ibid. n.* 5. Quæ tamen remissio, si sit perpetua, probabiliùs fieri debet auctoritate Sedis Apostolicæ juxta *d. c.* 8. si verò ad tempus tantùm, sufficit intervenire auctoritatem Episcopi. Gloss. in *Clem.* 1. *V. propriis. de Reb. Eccles. non alien.* Sed an hæc immunitas *pro re* temporali commutari possit? *ambigitur.* Dixeris, posse, siquidem juxta dicta immunitas à solvendis decimis nihil est spirituale. At contrarium perspicuè decisum est in *c. fin. de Rer. permut.* ubi contractus inter duos Prælatos initus, quorum unus volebat à petitione decimarum desistere, si alter certam pecuniæ summam refunderet, penitus annullatur, ex ratione, quòd permutatio à spiritualibus ad temporalia à jure improbata sit. Neque adversatur ratio oppositа: quoniam licèt ipsa immunitas nihil spirituale sit, atque adeò is, qui immunitatem emeret, nihil spirituale acquireret, nihilominùs alter, qui immunitatem venderet, hòc ipsò jus suum decimandi, quod spirituale est, vendere deberet, quod est simoniacum.

§. V.

Subjectum decimarum sunt personæ, aut 11
Ecclesiæ, quibus debentur. Certum autem est post factam in singulis diœcesibus Parochiarum, & beneficiorum divisionem eas jure communi Ecclesiis parochialibus, seu Parochis propter ministerium spirituale populo exhibitum solvendas esse, adeò ut hodie Parochus fundatam intentionem in jure habeat etiam contra Episcopum, cui proinde cum Parocho concurrenti onus probandi incumbet, quòd jus decimarum vel ex privilegio, vel aliunde habeat. *c.* 29. & 30. *h. t.* Covar. *lib.* 1. *var. resol. c.* 17. *n.* 7. Barbos. *de Off. Parochi c.* 28. §. 2. *n.* 7. Sicut ex adverso quoad *quartam decimarum*, sive *portionem canonicam*

tam etiam Episcopi intentio in jure fundata est. c. 16. de Offic. Ordin. c. 13. h. t.

12 *Quæres* I. Cui Parocho decimæ solvendæ sint, si Parochianus in diversis Parochiis prædia possideat, aut si in una Parochia habitet, in alia verò agros habeat? R. decimas prædiales secernendas esse à personalibus, & utrasq; à mixtis. *Personales* ubi in usu sunt, illi Parocho solvendæ sunt in cujus Parochia quis habitat, & Sacramenta, cæteráque Divina percipit, quantumvis alibi fortasse negotiationem exerceat, aut quocunque modo lucrum acquirat. c. 20. h. t. c. fin. de Parochiis. Decimas *Prædiales* quod attinet, de iis nihil in jure determinatum reperitur, sed consuetudo attendi jubetur in c. 18. & 20 h. t. Interim rationabiliùs videtur. & ubi de contraria consuetudine non constat, potiùs judicandum est, quòd decimæ istæ illi Parocho debeantur, intra cujus fines agri, & prædia sita sunt, quantumvis Dominus & Colonus illorum alibi Sacramenta percipiat: ut rectè docuit Sylvester *V. decima n.* 14. Navar. h. t. consil. 1. n. 6. partim quia sic minùs confundentur, sed perpetuò certi manebunt fines Parochiarum; partim quia etiam Judæi, qui utique Parochiani non sunt, nec Sacramenta frequentant, ex agris, quos intra fines alicujus Parochiæ possident, decimas dare compelluntur Parochis loci *per* c. 16. h. t. Denique decimæ *mixtæ*, quæ v. g. ex fœtibus pecorum solvuntur, debentur Parocho, in cujus Parochia pecora pascuntur, ita ut si diversis anni temporibus pascantur in Parochiis diversis, inter has pro ratione temporis, quô in ipsis aluntur, sint dividendæ, quandoquidem hujusmodi decimæ prædialibus potiùs, quàm personalibus accensentur. Glos. *in c. ad Apostolica* 20. *v. personales h. t.* Navar. *d. consil.* 1. n. 7. Barb. *J. E. V. lib.* 3. *c.* 26. §. 1. *num.* 11. & §. 2. *n.* 39.

13 *Quæres* II. Cui debeantur de jure decimæ Novalium, der Zehend auß den Neureut/ und Neubrüchen? R. si nomen *Novalium* impropriè accipiatur pro novis agris, aut vineis, quæ ex pomariis, pratis, aut pascuis fiunt, wann solche Gärten / Wiesen umbgerissen werden; expeditum est, indifferenter illis solvendas esse decimas frumenti, & vini, quibus ante sive de jure, sive ex privilegio, aut præscriptione decimæ fœni, vel animalium solvebantur, aut solvi debuissent: quia licèt mutetur terræ cultura, ejus tamen substantia manet. c. 4. h. t. & *ibi* Joan. Andr. *n.* 2. Quinimò licèt quis pratum habuerit, & de fœno ibidem crescente decimas, ut in plerisque locis dari non solent, non præstiterit, si tamen postea ex eo agrum, vel vineam fecerit, decimas omninò dare tenebitur. P. Engl h. t. *sub n.* 11. Si autem propriè loquamur, & juxta c. 1. & 21. *de V. S.* nomine novalium intelligamus agros ex sylva, palude, aliâve terrâ omninò sterili primò præcisos, & noviter ad culturam redactos, de quibus non extat memoria, quòd aliquando culti fuerint, attendendum est, an novalia intra fines certæ Parochiæ exsurgant, an verò, quod frequentiùs accidit, in confinio Parochiarum, v. g. in sylva, aut palude, quæ pro termino Parochiarum ab Episcopo constituebatur: *Priori* casu de jure decimæ ad Parochum loci spectant. c. *cùm contingat* 29. h. t. ita quidem ut decimæ Novalium Parocho debeantur, esto alius intra fines suæ Parochiæ jus decimandi præscripserit. d. c. 29. & 30. h. t. aut ex privilegio obtinuerit. arg. c. *tua* 25. *in fin.* h. t. Zoël. h. t. n. 56. Covar. *lib.* 1. *variar. resolut. c.* 17. *n.* 13. *Posteriori* casu, quia tales agri, aut vineæ novæ in nulla certa Parochia sunt, solùm Episcopum pro Parocho loci habent, ac proinde eidem decimæ de jure debentur juxta c. *quoniam* 13. h. t. & *ibi* Panormit. *n.* 5. Canis. *eod. tit. c.* 11. *n.* 4.

14 Cæterùm etiam Ecclesia contra Ecclesiam jus decimandi acquirit I. Speciali Pontificis concessione: quippe hâc sæpe decimæ, quæ jure

jure spectarent ad certam Ecclesiam Parochialem, alii Ecclesiæ, sive Parochiali, sive Regulari applicantur. *c. 2. h. t. in 6.* II. Donatione *c. 7. de his, quæ fiunt à Prælat.* III. Compromissô in arbitrium. *c. 8. & 9. de Arbitris.* IV. Transactione, sive amicabili compositione super dubio jure decimas percipiendi, modò tamen nullum interveniat pretium. *c. 2. & ibi* Gloss. *v. decimis. c. 8. de Transact.* V. Permutatione, quâ Ecclesia una decimas suas cum alterius Ecclesiæ decimis, vel alio jure spirituali commutare potest. *c. 6. & fin. de Rerum permut.* ubi Gloss. hoc observat. VI. Unione unius Ecclesiæ cum alia. arg. *c. 33. de Prabend.* Quare si Parochia sit alicui Monasterio unita, Monasterium, licèt curam animarum per Vicarium ibidem exerceat, locò Parochi censetur & non minùs, quàm alius Parochus sine aliqua probatione juris decimandi intentionem in ipso jure fundatam habet, sive deinde Parochianus, sive Episcopus, aut etiam ipse Vicarius controversiam moveat, qua de re extat clara decisio Rotæ, quam refert Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. decis. 102.* His tamen casibus consensus superioris, aliæque solennitates alienationum plerumque intervenire debent. Panorm. *in c. 4. de Arbitr. n. 8.* Moneta *de Decim. c. 5. n. 120.* VII. Præscriptione, nimirum decennii, si decimæ contra privatum, quadraginta annorum sine titulo, si contra Ecclesiam, intra cujus fines proveniunt, præscribantur, juxta *c. 4. 6. & 8. de Præscript. & auth. quas actiones C. de SS. Ecclesiis.* si verò ex prædiis sitis intra Parochiam alienam præscribantur, spatio quadraginta annorum cum titulo, vel tempore immemoriali opus est: juxta *c. 1. de Præscript. in 6.* Panorm. *in c. 3. h. t.* Covarr. *1. var. resol. c. 17. n. 7.* Planè Laicos juris decimandi incapaces faciunt Canones propterea, quòd hoc jus spirituale sit. *c. 15. & 17. h. t.* possunt tamen capaces reddi beneficio S. Pontificis. Panorm. *in c. 7. de Præscript.*

§. VI.

Materia seu objectum decimarum sunt res, 15
de quibus debentur. In genere decimæ *prædiales* debentur ex quibuscunque fructibus, seu proventibus rerum omnium, seu mobilium, seu immobilium: *personales* ex omnibus lucris per actionem & industriam hominis justè acquisitis. *c. 3. 5. 6. 21. 22. 26. 27. & 28. h. t.*

Controversia est, cùm *jura citata* de omni- 16
bus licitè acquisitis decimas dare jubeant, an econtra lucra, & fructus illicitè percepti à decimis sint immunes? In qua controversia distinguo inter decimas prædiales & personales. Prædiales dantur etiam de fructibus illicitè acquisitis, ut si quis malâ fide agrum alienum colat; quandoquidem hæc obligatio decimarum inest ipsi terræ, & tanquam onus reale transit ad quemcunque possessorem. Quod attinet decimas personales, refert, an lucra ita sint illicita, ut nec licitè quæri, nec licitè retineri possint, sicut, quæ per usurariam pravitatem, bellum injustum, fraudes, & injurias acquiruntur? & de his non debentur: cùm nec lucra sint, quippe restitutioni obnoxia: vel an lucra sint talia, quæ illicitè quidem acquiruntur, licitè tamen retinentur, uti lucra histrionum, meretricum &c. & ex his rigore juris debentur decimæ; quamdiu tamen acquirentes in tali statu ac vitiis persistunt, Ecclesia non acceptet, oportet, ne modum acquirendi videatur approbare, dum in acquisitis partè habere contendit. Post conversionem autem licitè recipiet. Panorm. *in c. ex transmissa n. 3. h. t.*

§. VII.

Ad formam decimarum refertur modus eas 17
solvendi, qui tribus potissimùm requisitis absolvitur: Etenim

I. Decimæ statim fructibus collectis, hoc est, à solo separatis solvendæ sunt. *c. 7. & 22. h. t.* ita ut grave peccatum incurrat non tantùm ille, qui omninò non solvit, sed & qui tardiùs solvit. *c. 66. causa 16. q. 1. & Exod. 22.* ibi:

ibi: *decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Hinc Parochianus etiam non requisitus ad decimas præstandas obligatur, die pro creditore interpellante. Panormit. in c. 4. n. 3. *h.t.* & Parocho quoque licet propter periculum fraudis decimas in ipso agro separare, vel jubere, ut præmoneatur ad hoc, ut in sua præsentia, vel sui substituti decimatio fiat. arg. *l.* 29. *ff. de Inoffic. testam.* Illa tamen consuetudo, quâ decimatio in horreo fit, non est improbanda, modò fraudes absint, aliàs Parochus eâ non obstante decimationem in agro exigere poterit. Speculator *h. t. n.* 11. Pialecius *in prax. Episcop* 2. *c.* 4. *h. t. n.* 60.

18 II. Præstandæ sunt decimæ, antequam tributorum vel censuum prædialium exactiones fiant. *c.* 33. *h.t.* & sine deductione seminis, ac expensarum in mercenarios pro agris colendis, & colligendis fructibus factarum. *c.* 4. 7. 8. 22. & 23. *h.t.* Sed hoc ita se habet in decimis prædialibus: nam personales post deductas expensas de residuo, quasi de lucro solvendas esse, disertè rescripsit Innocent. III. in *c.* 28. *Eod.* Cujus differentiæ ratio est, quòd decimæ prædiales debeantur ex fructibus non civiliter acceptis, prout sunt lucrum domini, vel usufructuarii alicujus prædii, quod remanet deductis jam expensis juxta *l. fructus.* 7. *ff. Solut. matr.* sed naturaliter consideratis, prout omne id includunt, quod DEI beneficio ex terra nascitur, quo modo ex præcepto Divino in veteri Testamento decimæ solutæ sunt; ad cujus imitationem in Novo præstantur reales, non etiam personales, ut quæ lege primum Ecclesiasticâ introductæ, & ex istius dispositione tantùm de lucro quod deductis expensis supereſt, præstandæ sunt. Gonzalez in *c.* 7. *n.* 8. *h.t.* Barb. *de Offic. Paroch. c.* 28. §. 1. *n.* 37.

19 III. Decimæ à Parochianis suis sumptibus deferendæ sunt ad horreum Parochi, maximè ubi commune, & publicum aliquod horreum pro decimis destinatum exstat per Text. in *c. revertimini* 65. *causâ* 16. *q.* 1. & *ibi* Gloss. Panorm. *in c. pervenit* 5. *h.t.* Consuetudine tamen passim, & præsertim in Germania contrarium obtinuit, teste Canis. *de Decimis c.* 7. quæ consuetudo valet, & observari debet. Moneta *de Dec. c.* 61 *n.* 6. & 7. Gonz. *ad c.* 7. *h.t. n.* 6.

§. VIII.

Finis decimarum est, ut Ministri Ecclesiæ commodè sustententur, & per eos à cura victûs solutos expeditiùs rebus Divinis vacetur. 20

§. IX.

Effectus decimarum est, quòd pro iis non solutis Ecclesiæ, aut Parocho detur rei vindicatio vera, aut utilis. Vera, si fructus decimales jam separati sunt à reliquo cumulo, & per designationem quasi traditi in dominium Ecclesiæ, aut Parochi transierunt. Utilis, si fructus decimales nondum fuerunt separati à reliquo cumulo: quoniam hoc in casu Parocho contra quemcunque Possessorem fructuum adhuc extantium utilem vindicationem, aut si non extent, saltem utilem condictionem ex Canone competere, cum P. Engel *h.t. n.* 16. docet Clariss. P. Jacob Wex *in manip. decim. q.* 8. *th.* 12. 21

§. X.

Affines decimis sunt *primitiæ & oblationes*, de quibus agit altera pars hujus Rubricæ. 22

Primitiæ sunt certa pars primorum fructuum, qui ex agris, vel animalibus percipiuntur ac de jure semel tantùm persolvuntur in signum gratitudinis erga DEUM omnium Largitorem. *c.* 1. & 65. *causâ* 16. *q.* 1. quibus etsi olim Primitiæ perceptæ fuerint, hodie tamen in plerisque locis earum usus per desuetudinem abolitus est, ut testatur Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 39. *n.* 31. neque consuetudo hæc adversatur juri naturali: etsi enim jus naturale inculcet, homines debere esse DEO gratos in genere, non tamen præcipit, eos debere esse gratos in specie per istud opus.

Oblationes sunt largitiones, quas fideles pro peccatis in Ecclesia, vel ad Altare offerunt. *c.* 13 23

causâ 10. q. 1. Atque hæ de jure communi scripto omnino arbitrariæ sunt, & ex libera offerentiũ voluntate, seu beneplacito dependent, sicut aliæ donationes gratuitæ erga DEUM absque ulla determinatione quantitatis, vel qualitatis. Si tamen aliunde Parochus defectum sustentationis pateretur, Parochianos ad faciendas proportionatas oblationes compelli posse communiter sentiunt DD. & ita accipiunt textum in *c. omnis* 69. *dist.* 1. *de consec.* ubi oblationes inter missarum solennia præcipiuntur. Certè per consuetudinẽ Parochianos ad præstandas certas oblationes obligari posse, *ex c.* 42. *de Simonia* concludit P. Engel *h. t. n.* 64.

Sciscitanti: cujus sint oblationes, quæ fiunt Oratoriis, atque Ecclesiis, vel Capellis, ac Imaginibus sitis intra limites cujusdam Parochiæ? respondeo, esse Parochi, ut qui intentionem fundatam in jure habet super omnibus oblationibus factis intra fines suæ Parochiæ juxta *c. quia Sacerdos & c. Sanctorum causâ* 10. q. 1. & notant Canonistæ *in Rubr. de Parochiis.* Hostiens. *n.* 1. Panorm. *n.* 4. Nisi eâ intentione offerrentur, ut in honorum, ornatúmque Sacelli, vel imaginis insumerentur: etenim talis offerentium intentio servanda esset. *c. causâ* 13. *de V. S.* Angelus *V. Ecclesia.* §. 9. Seraph. *dec.* 774. *n.* 1. Fagn. *in c. pastoralis. de his, quæ fiunt à Prælat.*

TITULUS XXXI.

De Regularibus & transeuntibus ad Religionem.

SUMMARIA.

1. Quid sit professio religiosa? 2. Quotuplex? 3. Voti solennitas inventa est lege Ecclesiasticâ. 4. usque 12. Quinam capaces, ut religionem profiteantur. 12. Qui non? 13. In qua Religione emittatur professio? 14. 15. 16. 17. Requisita professionis. 18. Ejus finis. 19. & seqq. Ejusdem effectus.

HActenus *de Clericis sæcularibus*, eorúmq; beneficiis, & juribus. Deinceps agemus *de Regularibus*, quos facit *professio religiosa.*

§. I.

Definitur professio religiosa, quòd sit approbatæ ab Ecclesia Religionis solennis promissio, quâ quis se observationi certæ alicujus Monachalis regulæ obstringit. Hostiens. *h. t.* §. *ad quid* ℣. *professio.* 1

§. II.

Dividitur ptofessio religiosa in expressam, & tacitam. *Expressa* est, quando quis expresse vel verbis, vel scriptis, vel utrisque simul se alicui probatæ religioni devovet. *Tacita* quando quis non verbis, sed alio indicio mentem suam religionis à se tacitè susceptæ explicat; veluti si habitum Professis proprium per triduum, vel habitum Novitiis, & Professis communem per annum gestaverit. *c.* 8. *c.* 22. *h. t. c.* 1. *c.* 2. *Eod. in* 6 *Clem.* 2. *Eod.* Atque hic tacitus Professionis modus etiam post Concilii Tridentinum obtinet, modò actus, per quos tacita fit professio, à Novitio liberè, & cum intentione profitendi post decimum sextum ætatis annum, & annum integrum probationis peragantur. Barb. *J. E. U lib.* 1. *c.* 41. *n.* 4. Miranda *in man. Præl. tom.* 1. *q.* 24. *a.* 12. Sanè in praxi tacita ista professio vix amplius in usu est, sed ordinariè verbaliter, ac in scriptis fieri solet. 2

§. III.

Causa efficiens professionis Religiosæ est vel *remota*, vel *proxima*. 3

Remota est jus, non Divinum, sed Canonicum, ex quo voti solennitas profluit, ita testante Bonifacio VIII. *in c. un. de voto in* 6. per illa verba: *Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* Cui succinit Gregor. XIII. in Bulla: *Ascendente Domino* ubi contra impugnatores instituti S. J. statuit, Coadjutores ejusdem Societatis, tametsi vota tantùm simplicia edant, esse tamen verè Religiosos, inductus ratione *d. c. un.* ut ipse insinuat: *Nos considerantes, voti solennitatem solâ Ecclesiæ constitutione inventam esse &c.*

Proxima est mas, aut fœmina, qui religionem 4

nem profitetur. Potest autem profiteri omnis, qui non expressè prohibetur. Prohibetur verò

I. *Furiosus*, seu ex ægritudine *mente alienatus. c.* 15. *h. t.* quia Professio religionis petit voluntatem plenam, & deliberatam. *c.* 1. *de His, quæ vi, metúsve causâ.*

II. *Impubes*, & quicunque decimum sextum ætatis annum non implevit, adeò ut Professio antea facta sit nulla, nullámque, & per consequens nec voti simplicis, obligationem inducat. Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 15. per quod corrigitur *c.* 1. *c. placuit causâ* 20. *q.* 1. *c.* 1. *& ib. t. Clem.* 1. *Eod.* & plura alia. Gonzal. *ad c.* 6. *h. t.* ubi refellit errorem Lutheri, qui asserit, viros tantùm post 70. aut 80. annos vitam monasticam profiteri oportere: & Calvini, qui refert, olim nefas fuisse, ante annos 60. fœminas votum continentiæ emittere.

III. *Filius*, si Parentes ita ejus operis indigeant, ut absque illis in gravi necessitate constituantur, & defectum sustentationis patiantur, nisi filius subveniat, & ab ingressu religionis abstineat: tali enim casu tenetur filius ingressum Religionis differre, & Parentibus succurrere. *can.* 1. *dist.* 30. S Th. 2. 2. *q.* 101. *a.* 4. *ad* 4. *& q.* 189. *a.* 6. Si tamen Professio defacto emissa sit, valida est, cùm substantiale defectum non habeat. Barb. *J. E. U. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 20. *in fin.*

IV. *Servus*, qui durante servitute absque consensu Domini Professus, intra triennium revocari potest. *& fin. causâ* 17. *q.* 2. nisi Monasterium sciverit servitutem, vel neglexerit inquirere; quo casu, si admissus fuerit servus non repetetur, sed à Monasterio arbitrio boni viri æstimatio ejus præstabitur. *c.* 12. *dist.* 54. Barb. *in c.* 2. *de Servis non ordin.*

V. *Obligatus ad rationcinia*, id est, reddendis rationibus propter officium aliquod publicum obnoxius, aut ingenti *ære alieno gravatus*, si adhuc spem habeat satisfaciendi. Tambur. *de Jure Abb. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 3. tum quia propter opus consilii, ut est ingressus in religionem, non est omittendum opus præcepti, ut est solutio debitorum; tum quia nemini licet cum alterius injuria locupletari, nec in bonis temporalibus, nec in spiritualibus. *cap. suam de Pœnis.*

VI. *Episcopus*, cui Episcopatum deserere, & 9
transire ad Religionem, in eáque Professionem emittere haud licet: siquidem, sicut Maritus suæ uxori, ita hic obstrictus est suæ Ecclesiæ; unde sicut maritus non potest deserere uxorem absque ejus consensu, ita nec Episcopus Ecclesiam suam sine consensu Papæ, qui talem licentiam concedere non solet, nisi Episcopus ad exequendum officium suum sit inhabilis. *c.* 18. *h. t. c.* 10. *de Renuntiat.* Quod tamen intelligendum est de Episcopo consecrato, vel etiam de electo & confirmato, ut qui similiter est sponsus Ecclesiæ suæ, cui sine licentia Papæ professionem religionem renuntiare nequit. *c.* 2. *de Translat. Episc.* Episcopus autem electus tantùm, cùm nondum spirituali conjugio sit ligatus suæ Ecclesiæ, ideo sine licentia Papæ Episcopatui renunciare, religionémque profiteri potest. Pirrhing. *h. t. n.* 125. *& seqq.*

VII. Is, qui *laborat caducô*, vel alio simili 10
gravi morbo, propter quem sine turbatione comunitatis in monasterio habitare, & regulam religionis observare non potest. Quòd si similem defectum in Novitiatu dolosè, vel ex quacunque alia causa reticeat & Professionem defacto emittat, graviter quidem peccat, præsertim si à Superioribus propterea interrogatus sit: decipit enim monasterium in re satis gravi & notabili; nihilominùs cùm similis gravi & notabili defectus non afficiat, nec mutet substantialia defectus non afficiat, nec mutet substantialia religionis, valet Professio defacto emissa, ut ex quadam Bulla Clementis VIII. & aliis DD. quasi certum asserit Tambur. *cit. loc. n.* 11. 15. *& 26.* Fatendum tamen, ex peculiari religionis statuto à S. Pontifice, cujus est substantialia Religionis augere, in forma specifica confirmato, Novit um ob ejusmodi morbum, ac

defectum ad Professionem illius Religionis absolutè inhabilem reddi posse, quemadmodum in Religione S. J. Capucinorum, & Minimorum morbô gallicô laborantes penitùs excludi, refert Tamb. *de Jure Abb. cit. disp. 6. q. 3. n. 26.* Utrùm autem nulliter Professus ob talem morbum absque Ordinarii interventu, & non servatâ formâ præscriptâ in Trid. *sess. 25. de Regular. c. 19.* expelli possit? disputat Jacob Pignatel. *tom. 1 consult. 89. à n. 7.*

11 Huc pertinet illa *quæstio*: an iustum & tolerandum sit, ut in quibusdam Monasteriis, & collegiis non recipiantur, nisi nobiles? Resp. &

Dico I quòd si aliquod Monasterium, aut Collegium fundatum sit pro Nobilibus, expeditum est, solos in eo nobiles recipiendos esse: quandoquidem in Collegiis non sunt admittendæ personæ cujusvis conditionis, nisi illius, cujus gratiâ sunt instituta. *l. 6. C. de SS. Eccles.* talia Monasteria in Germania sunt Ducale Archisterium Campidonense, Cœnobium Gengenbacense, Abbatia Buchaviensis, & si quæ alia. Hermes *in Fascic. Jur. publ. c. 27. n. 5. 18. & 38. in edit. pr.*

12 *Dico* II. Nullâ consuetudine induci potest, ut in Monasteriis, aut Collegiis, quæ indifferenter pro personis cujuscunque conditionis fundata sunt, soli nobiles recipiantur. Ita Virg. Alviset. *in Murenul. sect. 4. dub. 27. n. 7. & seq.* ubi per longum & latum ostendit, talem consuetudinem adversari menti fundatorum, repugnare legi Evangelicæ, contrariari SS. Canonibus, praxi Ecclesiæ, decretis SS. Pontificum, & in specie regulæ Smi. Patriarchæ Benedicti, eò quòd in Ecclesia non attendenda sit generis, sed virtutis nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciant, & idoneum servitorem. *c. venerabilis. de Prabend.* Sunt tamen cæteris paribus nobiles ignobilibus præferendi, ut probat idem Alviset *loc. cit. n. 3.*

§. IV.

13 *Objectum* Professionis Religiosæ est Religio ab Ecclesia approbata, quam quis professus editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ. §. V.

Forma Professionis Religiosæ stat in requisitis, quæ inter

Primum est, ut Novitius ante Professionem stet in probatione per annum. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 15.* Et hic annus I. debet esse integer ac de momento in momentum computari ab hora, in qua suscepit habitum, usque ad horam in qua fit Professio, ita ut si unus tantum dies deficiat, Professio sit nulla. Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 24. n. 16. & 22.* Azor. *tom. 1. Inst. moral. lib. 5. c. 28.* ubi ex jure ostendit, quòd, quando lex requirit aliquod tempus, & loquitur cum præpositione *per*, ut *per annum*, vel *mensem*, talis annus, vel mensis debeat esse completus arg. *l. non putabam. & l. si annos. ff. de Condit. & Demonstr.* II. annus Novitiatus debet esse continuus, & non interpolatus. Navar. *concl. 52. h. t. n. 2.* Bonacin. *tom. 1. q. 2. de clausur. p. 10. diff. 2. §. 2. n. 3.* ubi dicit, interpolationem duarum dierum vitiare integritatem, & continuationem anni. Sanchez *lib. 5. Decal. c. 4. n. 10.* ubi pro se citat 24. Doctores Juristas. Amplius: Navar. *consil. 37. h. t. ait*, se vidisse in tribunali sacræ Pœnitentiariæ declarari nullam Professionem cujusdam Novitii, qui fuit in quodam Conventu per decem menses, è quo exivit, & postea ivit ad alium Conventum ejusdem ordinis, ubi mansit Novitius per duos menses, & Professionem emisit cum suffragiis totius Conventûs.

Notat verò Barb. *in c. 16. h. t. n. 4.* Gonz. *ib. n. 1.* & plures apud eum citati, Moniales S. Dominici, & cum illis communicantes, speciali privilegio Pii V. *in Constit.* quæ incipit: *Summa. 23. Aug. 1570.* edita concesso, si decimum sextum ætatis annum expleverint, in articulo mortis constitutas profiteri posse etiam intra annum Novitiatûs ad lucrandas indulgentias, aliásque gratias Professarum, ita tamen ut si ex illo

illo morbo convaluerint, teneantur complere integrum Novitiatûs annum, & Professionem de novo emittere, nec vi talis Professionis in articulo mortis emissæ Monasterium in bonis profitentis cum præjudicio venientium ab intestato succedere possit, nisi postea convalescēs expleto probationis ano expressam Professionem edat. Zypæus *in Anal. jur. Pont. h. t. n.* 18. Donatus *in Prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 9. *q.* 17.

15 *Alterum* requisitum est, ut professio spontaneâ & liberâ voluntate sit emissa. *c.* 1. *h. t.* metus enim gravis ab extrinseco in ordine ad Professionem incussus eandem annullat. *c. personas. causâ* 20. *q.* 3. *c.* 1. *de his, quæ vi. metúve causâ.* Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de Regul.* ubi ait, præcipuam causam ad probandam Professionis nullitatem esse metum, aut vim. Ratio est: quia per ipsam novus, & ex natura sua immutabilis status recipitur, non minùs, quàm per matrimonium carnale. Suarez. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *c.* 5. *in fin. & c.* 6. *n.* 6. Quapropter Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 17. *de Regul.* præcipit, ne ulla Abbatissa, seu Præfecta Monialium admittat ullam Novitiam ad Professionem, nisi priùs monitô Episcopô, qui jubeat fieri examen de libertate Novitiæ. Quòdsi Abbatissa Episcopô non monitô Novitiam ad Professionem admiserit per Episcopum potest suspendi ab officio. An verò Professio facta absque prævio examine sit nulla? vide Sanchez. *lib.* 5. *Decal. c.* 4. *n.* 21.

16 *Tertium* est: ut Professio fiat cum consensu ejus, cujus est incorporare Religioni *per c* 13. *& ibi* Gloss. *c.* 16. *h. t.* propterea, quia ut sui traditio obligationem pariat respectu religionis, ejus consensus interveniat, oportet. Et quidem in Ordine Minorum facultatem recipiendi Novitios habent Provinciales, quam tamen Generalis Ordinis illius poterit coarctare, sicut viderit expedire. *c. exivit. de V. S. in* 6. Imò addit Sanchez *l.* 5. *Decal. c.* 4. *n.* 71. quòd non solũ Generalis Ordinis, sed & Provincialis absque privilegio Prælato Conventûs mandare possit, ne admittat ad Professionem talem Novitium, si Provincialis habeat justam causam, ita ut si Prælatus localis secus faciat, Professio sit nulla, etsi Provincialis in sua inhibitione non addat decretum irritans. In aliis Ordinibus primùm spectanda est consuetudo, alicubi enim hoc jus suscipiendi Religiosum, & admittendi ad Professionem ad solum Abbatẽ, & Conventum simul spectat. *c. fin. h. t. in* 6. Quòd si consuetudo, aut privilegium speciale probari nequeat, Abbatem cum solo consilio Conventûs Professionem recipere posse, adeò scilicet ut tantùm vota, & rationes Conventûs audire, non autem sequi debeat docet Panorm. Sylv. & alii, ex ea maximè ratione, quòd licèt Abbas in arduis debeat requirere consilium Conventûs, absolutè tamen tota dispositio Monasterii penes Abbatem consistat juxta *c. nullam causâ* 18. *q.* 2. Sed verius est receptionem Religiosorum de jure communi ad Abbatem cum consensu Capituli, vel majoris partis suorum Conventualium pertinere, cùm secundùm *c.* 6. *de his, quæ fiunt à Prælat.* Abbas nec in Parochia, ubi Monasterium Jus Patronatûs habet, Clericum præsentare valeat sine consensu Capituli. Sanchez *d. c.* 4. *n.* 65. qui *n.* 63. assignat 17. Doctores pro hac opinione.

Scrupulo non caret: an saltem sede vacante, sive Abbate mortuo possit Conventus Novitium ad Professionem admittere? Sed resolutio patet ex dictis: si enim jus recipiendi Religiosum ex consuetudine vel privilegio simul & æquè principaliter Abbati & Conventui competat, etiam mortuo Abbate poterit Conventus Novitium ad Professionem admittere juxta *c. fin. h. t. in* 6. Econtra si vel ad Abbatem solum, vel ad Abbatem cum consilio, aut consensu Capituli susceptio Religiosorum spectet, mortuo Abbate Conventus Religiosum suscipere non poterit. arg. *c. un. Ne sede vac. aliquid innov.* 17

§. VI.

18 *Finis* Professionis religiosæ est Christianæ charitatis perfectio, ad quam tendere omnes Religiosi obligatur S. Th. 2.2.q.186.a.1.ad 3.

§. VII.

19 *Effectus primus* est quòd Professum faciat Religiosum, & constringat ad observationem votorum castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ita ut neque S. Pontifex salvâ religione contra ea possit licentiam indulgere. *c. 6. de Statu Monach.* ex quo infert S.D. 2.2.q.88.a 11. S. Pontificem in voto solenni religionis dispensare non posse. Verùm huic doctrinæ obsistit, quòd juxta *c. un. de Voto in* 6. voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit adinventa, consequenter ab eodem rursus dissolubilis. arg. *c. 1. de R. J.* Præsertim cùm defacto SS. Pontifices aliquoties dispensaverint, ut docent historiæ.

20 *Secundus* est, quòd Professio inducat obligationem indissolubilem, tam ex parte Profitentis, quàm ex parte Religionis, ita ut neque Professus propriâ authoritate possit deserere Religionem, neque Religio possit Professum dimittere saltem regulariter.

21 Addo: *saltem regulariter*: I. enim ob veram incorrigibilitatem, & contumaciam in gravi aliquo crimine Religiosus actualiter Professus è Monasterio, vel omninò ex Religione ejici potest, ut colligitur *ex c. 6. & fin. de Statu Monach. c. 10. de Majorat. & Obed. & cap. 7. Ne Clerici vel Monach.* justissimâ ratione: quia membrum putridum, cui ampliùs remedium applicari non potest, meritò resecatur, ne etiam reliqua corrumpat. Ut autem Religiosus quoad effectum ejectionis incorrigibilis censeatur, non sufficit, quòd sæpiùs admonitus non emendaverit, vel aliàs vix superfit spes emendationis, sed insuper juxta decretum S. Congregationis Concil. Trid jussu Urbani VIII. editum, prout refert Tambur. *de Jur. Abb tom. 3. disp. 8. q. 7.* singulariter requiritur, ut uno anno in carceribus jejuniô, & pœnitentiâ probatus non resipuerit, sed indurato animo in depravatis moribus permanere voluerit.

II. Religiosus ab una Religione transire 22
potest ad aliam strictiorem, petitâ tamen, etsi non obtentâ licentiâ. Itaque ad transitum ab uno Monasterio ad aliud requiritur justa causa & præter illam tria sequentia accedere debent; *Primò*, ne fiat ex temeritate vel levitate *in injuriam ordinis*: *Secundò*, ut fiat ad Religionem strictiorem, sive arctiorem: hinc in *Extrav. 1. h. t.* omnibus mendicantibus conceditur transitus ad Carthusianos. *Tertiò*, ut Superior tribuat licentiam transeundi, quam tamen si denegaverit, nihilominùs transitus permissus est. *c. 18. & ibi DD. Eod.*

Tertius effectus est, quòd Professio religio- 23
sa extinguat omnia voto personalia, & realia ante ipsam tam in sæculo, quàm in Novitiatu emissa, solis illis exceptis, quæ concernunt jus tertii. *c. 4. de Voto & Voti redempt.* Suarez. *tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 14. n. 6.* S. Th. 2.2. *q. 88. a 12.* qui *q. 89. a. 8.* consequenter docet, eum, qui vovit ingredi religionem arctiorem, & propriâ authoritate ingressus est laxiorem, non teneri post Professionem adire strictiorem, quia prius votum simplex extinctum fuit per subsequens solenne. Interim talis peccat ingrediendo laxiorem, & propterea pro voto priori non impleto, pœnitentia eidem imponi jubetur *in c. 5. h. t. in 6.*

Quartus est, quòd Professio religiosa libe- 24
ret à potestate patriæ, quatenus onerosa, non verò quatenus professo favorabilis est, & ideo jura quidem suitatis, & successionis retinet, si autem filio post professionem bona obveniant, nil inde participat Pater, ex quo bona illa tunc ad peculium quasi castrense referuntur. *auth. Presbyteros. C. de Episcop. & Cleric.* Quatenus tollat irregularitatem provenientem ex defectu natalium, dictum est *ad tit. de filiis presbyter.*

TITU-

TITULUS XXXII.
De Conversione Conjugatorum.

SUMMARIA.

1. Conversionis conjugum definitio. 2. Divisio. 3. Origo. 4. 5. 6. Quatenus conjugibus liceat profiteri Religionem? 7. Hujus conversionis objectum. 8. Requisita. 9. Finis. 10. 11. Effectus.

NOnnunquam etiam Conjugati Religionem profitentur, unde proponitur rubrica *de Conversione Conjugatorum.*

§. I.

1 *Definitur* conversio Conjugatorum, quòd sit religiosa Professio à Conjugato facta.

§. II.

2 *Dividitur* in conversionem, quæ fit post matrimonium ratum tantùm, id est, per verba de præsenti inter fideles celebratum copulâ carnali non secutâ; & in eam, quæ fit post matrimonium consummatum, quod videlicet accedente corporis usu, sive carnis copulâ perfectum, & completum est.

§. III.

3 *Causa efficiens* conversionis Conjugatorum alia est *remota*, alia *proxima*.

Remota est Jus *Canonicum*, quod legitimam conversionem Conjugum permittit, ac approbat: & ex parte etiam jus *Divinum*: utpote quò Conjugibus privilegium ante matrimonium consummatum ingrediendi Religionem concessum esse, *ex c. 7. h. t.* ibi: *ex interpretatione S. eloquii*, & antiquissimo usu Ecclesiæ colligit Clariss. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tr. 19. disp. 54. art. 6. n. 10.*

4 *Proxima* est conjunx conversus. Certum autem est, quòd, si matrimonium ratum solummodò extiterit, quivis ex conjugibus, altero etiam inconsulto, invito, & reclamante ad Religionem converti possit, ita ut si circa hoc deliberare intendat, altera pars nolens volens spatio duorum mensium exspectare debeat *c. 2. & 7. h. t.* sed

Dubitatur I. possitne Uxor intra bimestre 5
deliberandi, contra voluntatem à viro per vim, vel injustum metum cognita, invito Conjuge Religionem ingredi:

Negant Zoës. *h. t. n. 13.* Covat *de Matr. p. 2. c. 7. §. 4. n. 15.* Sylvester *V. luxuria. q. 6.* P. Engl, *h. t. n. 9*, quia matrimonium quoad vinculum ampliùs dissolvi non potest, utpote jam consumatum, consequenter Maritus proximo incontinentiæ periculo exponeretur, cū uxorem in sæculo remanens ducere non posset; quod periculum incontinentiæ principalis causa est, quòd matrimonium consumatum Religionis ingressum, & conversionem impediat. Deinde quia in jure, plus favore religionis concessum non est, quàm quòd post contractum, sed nondum consummatum matrimonium religionem ingredi liceat, ergo sine fundamento hæc licentia ad matrimonium consummatum quantumvis violenter, & per injuriam, extendetur, quandoquidem jura non distinguunt, an vi, vel sponte consummatum sit; maximè cùm aliàs illa facultas ingrediendi Religionem, quatenus facit ad dissolutionem matrimonii, odiosa, atque ad casum non expressum nullatenus extendenda videatur.

Affirmativam tuetur Gloss. *in c. fin. dist. 55. V. invitus.* Sanch. *de Matr. lib. 2. disp. 22. n. 6.* Panorm. *in c. 2. h. t. n. 9.* & plures alii, quibus iniquum videtur, ut uxor sine culpa, & voluntate sua per violentiam mariti suo jure privetur, maritus verò ex delicto suo, & injustâ cupulæ extorsione lucrum reportet, uxoris scilicet retentionem. Ego hanc sententiam eatenus comprobavero, quòd maritus in tali casu videatur posse cogi, ad dandam uxori licentiā ipse verò ad continendum, vel religionem similiter ingrediendum (si periculū incontinentiæ subsit) compelli, propterea; quòd maritus in tali casu propter injustā læsionem obligatus sit, ad convenientem satisfactionem, & compensationem damni illati; qualis erit, si uxori

ta-

facultatem & licentiam, quam ante copulam à jure concessam habuit, & maritus suo facto abstulit, ingrediendi religionem concedat, quod potest: aliter autem uxor jus suum, & libertatem ingrediendi non recuperabit, ergo ingressus eidem justè denegari non poterit. Neque movet, quòd alter subjaceat periculo incontinentiæ, quia hoc evitare poterit per ingressum religionis; imò etiam in sæculo conjuges sæpius continere coguntur contra voluntatem non tantùm propter culpam & delictum, sicut in proposito, sed etiam sine culpa, non tamen sine causa v. g. propter supervenientem ex parte alterius impotentiam, vel litem motam super impedimento dirimente. *c. fin. §. si autem. ut lite non contestatâ &c.* His accedit, quòd non sit improbabile, matrimonium per copulam vi extortam verè non consummari, *ut infra de Sponsal. & matr. n.* 88. ostendi.

6 *Dubitatur* II. an si unus conjugum post matrimonium consummatum adulterium commisit, alter innocens adulterô invitô ad Religionem transire possit?

℟. posse, cùm adulterium per se sit justa causa in perpetuum deserendi conjugem. *c. constitutus. c. veniens. & c significâsti de Divortiis.* Sanchez *lib.* 10. *de Matr. disp.* 10. *& seq.* modò constet de adulterio notoreitate juris, vel facti: notorium confessionis, quod pro tertia specie notorii communiter adduci solet, hic *directè, & per se non* sufficeret: quia quoties agitur de matrimonio carnali, tunc non statur confessioni conjugis contra matrimonium, ejúsque liberum & licitum usum *c. super eo. De eo, qui cognovit consang. & ibi* Panormit. Addidi: *directè, & per se*: nam confitens adulterium videtur, quantùm in se est, renunciare juri suo exigendi debitũ, ac cohabitandi, consequenter dare licentiam transeundi. Tametsi verò in se certum esset, ab altero adulterium fuisse perpetratum, antequam tamen sententia desuper feratur, si pars innocens religionem ingrederetur, posset pars nocens petere restitutionem conjugis ingredientis, tanquam spoliatus possessione ejusdem, neque oberit faciendæ restitutioni exceptio adulterii objecta. *c. item cùm quis, de Restit. spol.* Planè si uterque conjunx adulterium commisisset, neuter eorum sine consensu alterius religionem intrare posset: cùm paria delicta mutuâ compensatione tollantur: *c. significâsti de Adulteriis.* ac redintegretur utriusque conjugis obligatio ad cohabitandum, & reddendum invicem debitum conjugale ad exactionem alterius. Quod verum est, quàm diu conjuges in eodem statu permanent: si enim innocens ingressus religionem postmodum primùm labatur in adulterium, eatenus non compensatur adulterium ab altero conjuge ante ingressum hujus commissum, quatenus redire debeat, ac servire conjugi cohabitando ac reddendo debitum: mutavit enim statum, & non ampliùs est sui juris. arg. *l. si ex causa. §. Papinianus ff. de Minoribus.*

Porro consimili ratione si alter Conjugum in adulterium spirituale, hoc est, in hæresim vel Apostasiam à fide incidit, & auctoritate judicis Ecclesiastici propterea separatio facta est, conjunx innocens illiô invitô, quamvis ad veram fidem redierit, religionem ingredi, & in ea profiteri poterit. *c. fin. h. t. ubi* interpp. & Ego *infra de Divort. n.* 17.

§. IV.

Objectum hujus conversionis est vita regularis, cui se conjunx conversus addicit. *c. sanè h. t.* 7

§. V.

Forma stat in requisitis. Requiritur autem 8 ad conversionem *post matrimonium ratum tantùm*, ut conjunx volens se convertere intra trimestre religionem ingrediatur: *c. ex publico h. t.* ingrediatur, inquam: quia ex tunc integer annus Novitatûs relinquitur, & alteri parti in sæculo remanenti per integrum annum exspectandum erit, tametsi incontinentiæ periculum alleget; cùm ante professionem vinculum

culum matrimoniale non solvatur, & ingressus annum à Canone habeat ad experiendum ordinis rigorem, ut adeò privatus cōmodum hujus temporis illi aufferre non possit. Sanchez *l.2. disp.24. q.1.* Dissentit Zoës. *h.t.n.12.* Ad conversionem *post matrimonium consumatum* extra casum adulterii conjugi ad Religionem transituro necessaria est expressa licentia alterius conjugis. per *c. sunt, qui dicunt. causâ 27. q.2.* nec sufficit tacita, quæ ex ejus scientia, taciturnitate & dissimulatione colligitur. arg. *l. filiafam. §. invitus. ff. de Procuratorib.* Præterea alter conjunx, si ob seni'em ætatem extra suspicionem incontinentiæ existat, debebit votum castitatis emittere; si autem juvenis fuerit, votum castitatis in sæculo emissum non sufficit, sed insuper Religionem ingredi tenebitur. *c. cùm sit. c. uxoratus. c. ad Apostolicum & ibi* DD. *h.t.* Ut tamen valida sit Professio, solâ alterius conjugis licentiâ opus est. *per c.9. h.t. & ibi* Panorm. *c. Agatosa causâ 27. q. 2.* Denique ut fiat cum licentia, & authoritate Episcopi. *c. si vir. causâ 27. q. 2.* quæ tamen licentia similiter non est necessaria ad validitatem, sed solùm ad liciditatem per Text. *in c.1. h.t. & ibi* Joan. Andr. & Panormit. Sanchez *de Matr. lib. 2. disp. 27. n. 3.*

§. VI.

9 *Finis* conversionis conjugatorū est, ut conversus à conversatione alterius sejunctus ad religiosam perfectionē eò expeditiùs contendat.

§. VII.

10 *Effectus* alius est, si conversio conjugati legitimè, & alius, si illegitimè facta sit.

Effectus conversionis legitimæ iterum est vel *generalis*, vel *specialis*. *Generalis & communis* conversioni ante & post matrimonium consummatum est, quòd conversum adstringat ad observantiam regularē, ita ut nec mortuâ uxore inde recedere possit, *c.6. h.t.* Effectus autem *specialis* conversionis post matrimonium ratum tantùm est, quòd per eam dissolvatur etiā vinculum matrimonii, ita ut conjunx in sæculo remanens ad secunda vota transire valeat. *c.7. h.t.* cùm tamen matrimonium consumatum per conversionem dissolvi nequeat. Cur tam variè? rationem reddit Hostiens. *in Sum. h.t.n.7.* quia videlicet illa conjunctio animorum per matrimonium ratum, tametsi verum Sacramentum, & perfectum matrimonium sit, tamen solùm significat conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam, quæ conjunctio & in meliùs mutari, sive intendi, & etiam omninò tolli potest. Econtra conjunctio corporum in consummatione matrimonii significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est indissolubilis.

Effectus conversionis illegitimæ est professi 11 repetitio, & restitutio: etenim conjunx sine consensu alterius post consumatum matrimonium professus tenetur redire ad conjugem, & petenti debitum reddere, quamvis petere non possit, cùm se ad castitatem voluerit obligare, quantum potuit. *c. placet. 12. h.t.* Non tamen putem, conjugē Professum propriâ authoritate exire Monasteriò posse, tum quia sui juris ampliùs non est, tum quia per se manendo in religione non peccat, licèt peccaverit ingrediendo non servatis, quæ de jure ad legitimum ingressum Religionis requiruntur. Imò tametsi peteret conjunx in sæculo remanens, illum sibi à Prælato restitui, absq; eô tamen, ut officium Judicis desuper imploraret, à Prælato uxori reddendus non esset: in re enim tam ardua, maximè in foro externo, Judicis erit videre, an nil obstet revocationi faciendæ, ac sententiā saltem declaratoriam super nullitate professionis ferre. *per d.c. placet. 12. h.t.* Glos. *in c. uxor. V. nullat. Eod.* Sanch. *lib. 2. disp. 33. n. 15.*

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIA.

1. Definitur conversio infidelium. 2. Est donum

DEI. 3. Quinam veniant nomine infidelium. 4. Quanta necessitas fidei. 5. Assignantur requisita hujus conversionis. 6. Finis 7. 8. Effectus.

A *Conversione Conjugatorum* ad Religionem nos convertimus *ad conversionem infidelium* ad fidem.

§. I.

1 *Definitur* conversio infidelium, quòd sit transitus ab infidelitate ad fidem, ac religionem Catholicam.

§. II.

2 *Causa efficiens* conversionis infidelium est ipse Deus: sic enim Divina oracula: Joan. 6. *hoc opus DEI, ut credatis in illum, quem misit ille.* Ad Philippens. 2. *Vobis donatum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis, verùm etiam, ut patiamini pro eo.* ad Ephes. 6. *Charitas cum fide à DEO Patre, & Domino JESU Christo.* Ex quibus clarè patet, fidem esse ex DEI gratia. Sic tamen fides est ex DEI gratia, ut concurrat etiam liberum arbitrium, nam ut ait S. Augustinus: *credere, & velle bonum, DEI est, quia ipse praparat voluntatem: & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.*

§. III.

3 *Subjectum* conversionis infidelium sunt infideles conversi, non largè accipiendo nomen *infidelium*, prout comprehendit omnes, qui à fide Christiana quoquô modô alieni sunt, veluti hæretici, qui non tam propriè converti, quàm reverti dicuntur; sed strictè pro iis scilicet, qui nunquam per Baptismum Ecclesiæ subjecti sunt, ut sunt Judæi, & Pagani.

§. IV.

4 *Objectum* conversionis infidelium est fides Catholica, quæ, ut definit Trid. *sess. 6. c. 8. est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile placere DEO, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Quæ verba Concilium desumpsit ex S. August. *serm. 38. de tempore.* ubi & hæc, quæ sequuntur, addit: *sine fide nullus in hoc sæculo justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.*

§. V.

Forma conversionis infidelium stat in re- 5
quisitis. Requiritur autem I. Gratia Dei, quippe frustra fides prædicatur audientibus, nisi Divina gratia assensum fidei procuret, intellectum illuminando, & voluntatem piè afficiendo. Ita *Act. 16.* Lydiæ purpurariæ *Dominus aperuit cor, ut crederet his, quæ dicebantur à Paulo.* Unde S. Gregor. *lib. 11. mor. c. 5. mutum est omne os, quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui adspirat verba, quæ audiuntur.* II. Requiritur actus voluntatis, qui assensum fidei imperet: cùm enim res fidei non ita clarè à DEO revelentur, lumen fidei non ita efficaciter hominem convincit, ut absolutè credere debeat; sed opus est voluntatis electione, qui intellectum ad credendum moveat, & determinet, plùs tribuens Divinæ veracitati, quàm humanis ratiunculis in contrarium obstantibus. Quare causam incredulitatis Judæorum in voluntatem eorundem refundit Joannes *c. 12.* ad quod S. Aug *tr. 26. in Joan.* dicit: Judæos non potuisse credere, quia nolebant. Vide Clariss. P. Paulum Mezger *in Theol. Scholast. tr. 10. disp. 19. a. 1.* III. Requiritur, ut infidelis baptizetur, & per Baptismum Ecclesiæ uniatur; antequam verò baptizetur, opus est, ut dolorem de præteritis delictis, præsertim mortiferis, eliciat cũ proposito non peccandi de cætero. S. Th. *3. p. q. 66. a. 4.*

§. VI.

Finis conversionis infidelium est æterna sa- 6
lus, ac felicitas.

§. VII.

Effectus conversionis infidelium est vel 7
principalis, vel minùs principalis.

Principalis est, quòd converso in Baptismo simul cum gratia sanctificante habitus fidei, aliarúmque virtutum supernaturalium infundantur. Trid. *sess. 6. c. 7.*

Mi-

8 *Minùs principalis* est divortium conjugum; siquidem si periculum perversionis, aut malitiosa desertio subsit, integrum est ei, qui conversus est, divertere, ac ad secunda vota transire: *c. 1. h. t. & c. 7. de Divortiis.* & si alter infidelium conjugum venit ad fidem, altero in infidelitatis errore remanente, communis proles assignatur converso; quod in favorem fidei Christianæ constitutum est in *c. ult. h. t.*

TITULUS XXXIV.

De voto, & voti redemptione.

SUMMARIA.

1. Voti diversa acceptio. 2. Definitio. 3. 4. Divisio. 5. Votum est meritorium. 6. usque 12. Quinam vovere possint, qui non? 12. usque 17. Quæ opera voto promitti possint? 17. usque 20. Voti requisita. 20. Finis. 21. Effectus. 22. & seqq. Quibus modis cesset voti obligatio?

IN obligatione religiosa votum editur, nec alia ratio est, cur hoc loco titulus iste inseratur. §. I.

1 *Votum* dupliciter sumitur I. In genere pro quovis desiderio. II. Et frequentius in specie pro promissione Deo facta. In qua significatione. §. II.

2 *Definitur* votum, quòd sit promissio deliberata DEO facta, de bono meliori. S. Th. 2. 2. q. 88.

§. III.

3 *Dividitur* votum I. In simplex, & solenne. *Simplex* omne illud dicitur, quod privatâ voluntate fit, & in quo non intervenit publica Ecclesiæ acceptatio. *Solenne*, quod auctoritate publicâ Ecclesiæ acceptatur, & solennizatur; estque duplex: videlicet votum castitatis, quod majoribus Ordinibus est annexum, & votum Religiosæ Professionis, quod emittitur in Religione à Sede Apostolica approbata. In effectu votum simplex & solenne per hoc discriminantur, quòd *solenne* reddat personam absolutè inhabilem ad contractus & actus contra votum, ut ad matrimonium, vel dominium bonorum; *simplex* verò, ut castitatis, reddat contractū matrimonii solùm illicitum, non invalidum. *c. 3. Qui Clerici, vel voventes.*

II. *Dividitur* votum in personale, reale, & 4
mixtum. *Personale* est, cùm officium, vel opus aliquod personæ promittitur Deo, ita ut materia illius sit actio personæ, sive jam illa actio præcepti sit, sive consilii; ut votum jejunandi, orandi, ingrediendi religionem. *Reale* est, quando res ipsa DEO promittitur, adeóq; materia ipsius ita est res, ut actio personæ vim obligationis voti non ingrediatur, quale est votum erogandæ eleemosynæ. *Mixtum* est, quando quis, & rem, & personæ officium pollicetur, ut adeò materia istius constet partim ex actione, partim ex re; ut si voveas, te in capella Ætingana oraturum rosarium, & ibi unum aureum oblaturum. Differentia hæc inter est inprimis, quòd, si votum merè personale tanquam onus impositum personæ voventis, per ipsum ventem impleri nequeat, vovens non teneatur satisfacere per alium. Deinde, quòd votum merè personale non transeat in in hæredes, vel alios successores ex bonis voventis locupletatos, votum verò reale, & mixtum, quatenùs reale est, transeat, tanquam onus impositum rebus voventis.

§. IV.

Causa efficiens voti duplex est: *remota*, & 5
proxima.

Remota est jus tum Divinum, tum humanum: omni quippe *jure* non tantùm licitum est vovere, sed magis meritorium reputatur, si quando aliquid fiat ex voto, quàm sine voto; opus namque v. g. jejunium ex voto factum non tantùm est actus abstinentiæ, sed & actus latriæ, & sublimioris virtutis, scilicet religionis. S. Th. 2. 2. q. 88.

Proxima est vovens. Vovere autem pos- 6
sunt, quos vel *defectus usûs rationis*, vel *defectus liberæ voluntatis* non prohibet.

Ratione *defectûs usûs rationis* à vovendo arcentur *furiosi*, *amentes*, *infantes*, sive quod idem est, pueri usque ad annum septimum. Et sanè in foro externo ex juris præsumptione certum est, votum pueri ante septeñium completum pro nullo haberi, quamvis in interno aliquando aliter eveniat; ubi prudentis Confessarii erit dijudicare, num in illa ætate eo usu rationis polleant, ut peccare mortaliter possint, tunc enim etiam vovere valebunt, ut docet Navar. in *man. c.* 12. *n.* 68. Illi autem pueri, sive impuberes, qui annum quidem decimum quartum nondum impleverunt, septennium tamen, & ultra progressi sunt, voto saltem simplici obligare se absolutè possunt. Panorm. ad *c.* 2. *h. t. n.* 2. ita tamen, ut ejusmodi vota à parentibus, vel tutoribus simpliciter, & directè infirmari valeant, quia impuberes ut plurimùm imbecilli rationis usu prædíti sunt, ut adeò meritò Lex Ecclesiastica voluntatem eorum hac in ætate Parentum, ac Tutorum, & probabiliter etiam Avi aut Magistratûs in defectu Patris, vel Tutoris voluntati, ac authoritati subjiciat, quatenus, si ita eisdem videatur, irritare ejusmodi promissiones possint. Laym. *de voto c.* 7. *num.* 10. Azor *Inst. moral. tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 16. *q.* 9. Sanchez *in Moral. lib.* 4. *c.* 35. *n.* 11.

De *minoribus* patriæ, vel Curatorum potestati subjectis communis est sententia DD. quòd si vota purè personalia sint, neque patriæ potestati præjudicent, irritari à Patentibus, aut Curatoribus non possint. D. Th. 2. 2. *q.* 88. *a.* 9. Azor. *d. lib.* 11. *c.* 17. *q.* 7. Sanchez *cit. lib.* 4. *c.* 35. *n.* 15. & 16. eò quòd homo, quando venit ad annos pubertatis, regulariter non sit sub potestate alterius, si sit liberæ conditionis, quantùm ad ea, quæ ad suam personam spectant. Ut verò à Patre vota filiorumfamilias personalia ratione præjudicii infirmari possint, debent notabile aliquod damnum concernere: de minimis enim non curat Prætor; ut adeò solùm peregrinationes v. g. longam absentiam requirentes, vel nimia jejunia, quibus ineptus fieret filiusfamilias ad expedienda munia à patre justè, & pro familiæ necessitate indicta, rescindere paterfamilias queat, ut advertit Navar. in *d. c.* 12. *n.* 64. & Panormit. in *c. scripturæ h. t.* Dixi: *personalia*; si enim realia forent, vel mixta, quatenus præjudicium Patris spectant, sine consensu Patris emittinon possent, siquidem quoad hæc filiusfamilias subjectus est, & dependet ab alterius potestate. Sanchez *d. loc. n.* 17.

Defectus voluntatis liberæ à vovendo submovet I *impuberes*, & *minores* patriæ & Curatorum potestati subditos, de quibus statim dictum. 8

II. *Conjuges*: Siquidem neque maritus, neque uxor absolutè aliquid vovere possunt contra jus conjugis, aut impedimentum conjugii. *c. noluit. c. manifestum* 11. §. *ex præmiss. causâ* 33. *q.* 5. Navarr. *in Man. c.* 12. *n.* 61. *v.* 33. Sanchez *de Matr. lib.* 9. *disp.* 39. Interim quia maritus majus jus habet in uxorem, quàm hæc vicissim, cùm uxor etiam quoad rem domesticam subsit viro, & in virum solùm quoad usum matrimonii jus habeat, ideo maritus invita uxore nihil quidem vovere potest, quod usum matrimonii impediat: de cætero autem liberam facultatem vovendi habet; uxor verò nec in præjudicium conjugii, neque etiam in detrimentum rei domesticæ rectè vovet. Unde si v. g. longam peregrinationem, jejunium &c. voveat, non subsistet votum, nisi sub tacita conditione: *si maritus permiserit. d. c. manifestum* 11. *causa* 33. *q.* 5. idque adeò, ut tametsi vir semel assensum dederit, & uxori exercitium voti sui aliquamdiu reliquerit, tamen ex postfacto sententiam mutare, votumque irritare possit, ut *ibidem* habetur. Panorm. in *c. scripturæ h. t. n.* 8. 9

III. Ratione defectûs liberæ voluntatis vovere nequeunt *Religiosi*, & quidem in primis vo- 10

vota realia, videlicet dandi eleemosynas à Religiosis administrationê non habentibus, nullo modo emitti possunt: quia essent de re aliena, nec grata Deo, adeóque in hujusmodi votis defacto emissis nec Superiorem adire, aut requirere tenentur. Quantùm ad vota *personalia controversia* est propter textum in *c. 2. causâ 20. q. 4.* ubi dicitur: *Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit.* Nihilominus dicendum est, hunc textum rectè quidem procedere, si Religiosus aliquid voveat contra regulam, aut regularem observantiam, v. g. quòd velit vivere in eremo. Præterea & eo sensu rectè dicitur, absolutè Religiosum vovere non posse, quatenùs semper votum à Superiore irritari poterit, adeóque tametsi non sit contra regulam, puta certæ orationes, abstinentiæ &c. absolutè tamen fieri non potest, sed solùm sub conditione tacita, vel expressa: *nisi Superior contradicat, aut votum irritet.* Hujusmodi tamen vota non solùm obstringunt voventem, ad licentiam Prælati petendam, quasi interea in suspenso sint, sed defacto ligant statim etiam ante approbationem Prælati & tamdiu observari debent, donec irritentur, ut bene docent Navarr. in *Man. c. 12. n. 67. & 69.* Cajetan. 2. 2. *q. 88. a. 8.* & alii.

11 IV. Votum ex hac ratione interdicitur Episcopo, qui ea quidem vota tam realia, quam personalia liberè emittere potest, quæ officiũ Episcopale non impediunt, attamen votum longæ peregrinationis, votum ingrediendi religionem, aliáve, quæ officio Episcopali impedimentum præstant, sine licentia Pontificis emittere nequit: quoniam vinculum, quo suæ Ecclesiæ alligatur, etiam prætextu pietatis dissolvere non licet: bonum enim comũne bono, & devotioni privatæ præferendum est juxta *c. 10. de Renunciat.* Sanchez *in moral. l. 4. c. 25. à n. 36.*

§. IV.

Materia, seu *objectum* voti est opus, quod voto promittitur. Ut autem opus aliquod voto subjici possit tribus conditionibus affectum sit, oportet.

I. Ejus exercitium debet esse in voventis 12
potestate: frustra enim quis se obligat ad id quod sive nolit, sive velit, ei eveniet. Hinc communis sententia est, non posse quem absolutè vovere se evitaturum omnia peccata tam mortalia, quàm venialia in genere, & in specie; quia licèt vitare omnia peccata mortalia possibile sit per gratiam Dei, quam omnibus conferre paratus est, vitare tamen omnia venialia videtur impossibile saltem de via ordinaria etiam cum gratia Dei, quæ conceditur ex lege ordinaria secundùm illud *Joan. 1. si dixerimus, quòd peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vide etiam, quæ notantur in Trid. *Sess. 6. can. 23.* Existimo tamen, valere votum, si vovens evitare omnia peccata venialia, solùm intendat, omnem diligentiam habere, ut, quantùm in se est, caveat omnia venialia, quatenùs caveri cum Dei auxilio possint; cujus ratio est, quòd lex naturalis, & Divina obliget hominem ad evitanda omnia peccata, quantùm in se est possibile. Suarez *lib. 2. de voto c. 3. n. 5. & 54.*

II. Opus, quod voto promittitur debet esse bonum: cùm enim votum sit promissio Deo facta de bono meliori, actus indifferens, & multò minùs actus malus materia voti esse non potest. Unde

Primò nullum est votum de non abscinden- 13
dis unguibus, barba non fricanda, non nendo, vel fila ducendo die Sabbathi in honorem Beatiss. Virg. Item de non comedendo capita animalium diebus aliàs non prohibitis in honorem S. Joannis Baptistæ decollati, vel non vescendis carnibus assis in honorem S. Laurentii in craticula tosti; tametsi enim finis (extrinsecus) non sit malus, honor scilicet Beat. Virg. vel alicujus Sancti, quia tamen medium nihil confert ad honorem DEI, & Sanctorum, ejus-

modi materia sub votum non cadet. Dixi verò: *de non nendo, & fila duceudo:* votum enim abstinendi ab omni opere servili die Sabbathi valere, ait Navarr. in *Man. c.* 12. *n.* 37. est namque tale votum de materia bona, & conducente ad honorem Beatiss. Virg. redditque hominem expeditiorem ad cultum Divinum. Interim in dubio, num res, ad quam servandam se quis voto obligavit, indifferens sit, vovens contra votum propriâ authoritate venire non posset, sed deberet Superiori potestatem dispensandi habenti aperire, vel ad minimùm in foro interno Confessario patefacere, aut practicè se ad alterutrum determinare: in tali etenim dubio operandô se peccandi periculo exponeret. Bonac. *de Voto punct.* 4. §. 2. Navarr. in *Man. c.* 12. *n.* 37.

14 *Secundò* invalidum est votum, quo quis amore continentiæ vovet, se non ampliùs peccaturum, nisi cum una, tali vel tali fœmina: nã licèt amore continentiæ promittat abstinentiam ab illis fœminis, & eatenùs objectũ voti bonum sit, quatenùs tamen in conceptu voti involvit pravam voluntatem commercii illiciti cum tali, vel tali habendi, votum bonum non est, & resolvitur ejusmodi obligatio principaliter in duas partes. *Primò* quòd velit se continere à fœminis reliquis, & eatenùs bonum est votum. Deinde quòd continere se non velit ab omnibus, eatenùs votum malum est, & quia per modum unius obligationis se tali voto vovens obstringit, non videtur partim valere, partim non valere: dicit enim: *voveo me abstenturum ab omnibus præter unam;* ut adeò resolvi possit hæc propositio in hanc *voveo me imposterùm tantùm cum una peccaturum;* & sic materia voti bona absolutè non erit. Dissentit Bonacin. *d. Vot. punct.* 4 *n.* 3.

15 *Tertiò* quia bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu, ut votũ subsistere possit, non tantùm materiam, seu objectum in se bonum esse, ut est v. g. orare; sed nulla etiam circumstantiâ, vel intentione pravâ, quæ conceptum voti ingrediatur, vitiari debet. Quare eâ intentione vovens in templo orare expansis brachiis, ut ex aspectu hominum laudem reportet, vel die Sabbathi jejunare, ut die Dominico magis sapiant cibi, ac eò ampliùs comedere possit, ineptè vovet. Verùm singulariter adverte, utrùm hæc intentio causa finalis, primaria, ac principalis sit, an verò tantùm secundaria, & impulsiva? secundaria, & quæ solum impulsiva causa est, ipsum votum non vitiat, etsi contingere possit, ut mortaliter peccet, vel venialiter pro qualitate turpitudinis & objecti. Unde vovens ingredi Religionem, ut cum tempore Prælatus fiat, meliùs sibi provisum sit de victu, & vestitu, &c. non tamen principaliter dirigendo suam professionẽ, & votum in finem consequendæ prælaturæ, vel commodæ sustentationis, licèt hæc moveant vovere volentẽ ad emittendum votum, ejusmodi promissionem votivam non reddunt nullam, etsi actum voventis aliqualiter vitient; votum enim in se bonum est, cùm materia bona sit, causa finalis, & principalis bona, quamvis, quod secundario intenditur, vitiô non careat; cùm tamen hoc extrinsecum sit, ipsis substantialibus requisitis ad votum in se consideratum nocere non debet, licèt corrigi per pœnitentiam, ac deponi vitiosam hanc intentionem secundariam à vovente necessum sit. Bonacin. *de Voto punct.* 4. §. 1. Navarr. in *Man. c.* 12. *n.* 13. *v. dixit.*

III. Opus voto promissum debet esse de bo- 16
no meliori, & tale, quod hominem vovente non impediat ab eo bono, quod magis placet DEO, ac melius est. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. Ex quo sponte fluit, non valere vota illa, quæ fiũt, cum intentione ampliùs v. g. non mutuandi, non loquendi cum proximo, contrahendi matrimonium, non ingrediendi religionem, non se futurum Prælatum, Episcopum, Clericum &c. quia per se, & regulariter sunt impediti-

ditiva majoris boni, utpote contraria Divinis consiliis. Navarr. *loc. cit n.* 36.

§. VI.

17 *Forma* voti consistit in requisitis, quæ tria. I. Requiritur, ut sit promissio seria & cum intentione se obligandi facta, non simplex animi desiderium & propositum: quantumvis enim aliquis non semel, sed sæpius sibi opus bonum proponat, & longo tempore in hoc proposito maneat, si tamen non insuper promittat, non censetur votum emisisse. S. Th. 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. Text. & Panorm. in *c.* 3. *h.t.* ubi qui ultra vitæ mutandæ propositum progressus non est, voto dicitur non teneri.

18 II. Requiritur, ut promissio sit voluntaria, & deliberata; quâ scilicet aliquis liberè, & directè certum quid promittere voluit. Itaque usus rationis, & libertas talis est necessaria, qualis desideratur ad perfectum actum humanum in se volitum, seu, ut alii loquuntur, qualis requiritur ad peccatum mortale, Gutier. *can. qq. c.* 22. *n.* 7. Navar. *in Man. c.* 12. *n.* 26. & 27. Deliberatio indirecta, seu in sua causa haud sufficit; proinde si quis in ebrietate, vel somno votum etiam prævisum emitteret, non valeret.

19 III. Requiritur, ut votum fiat DEO saltem mediatè, id est, ut similiter in Deum dirigatur cum sit actûs Latriæ, & religionis soli DEO, tanquam auctori omnium bonorum debitus. Hinc si Sanctis, eorum Ecclesiis, vel imaginibus vota nuncupamus, ut per illorũ intercessionem sanitatem, vel quid aliud à Deo impetremus, hæc votorum nuncupatio intelligenda est ad modum, quo iisdem templa & altaria dedicari dicuntur: ut enim hæc dicantur Deo in honorem & memoriam Sanctorum, ita & vota Sanctis facta ad Deum tendunt, qui in iis honoratur. S. Th. 2. 2. *q.* 88. *a.* 5. Sylvester *V. votum n.* 3. Quòd si quis Sanctis aliquid promittat expresso animô, non se Deo obligandi, sed Sancto ut excellenti creaturæ, ea promissio proprie non erit votum, nec actus Divinæ religionis, sed singularis observantiæ, & Duliæ.

§. VII.

Finis voti est gloria Divina, quæ non quo- 20
modocunque à vovente intenditur, sed adeò firmâ voluntate, ut & facere promissum opus ad majorem DEI gloriam, & insuper ad illud opus faciendũ perpetuò obligat? manere velit.

§. VIII.

Effectus voti est obligatio ad præstandum 21
id, quod fuit promissum juxta illud *Isaiæ* 19. *Vota vovebunt Domino, & solvent*, & illud *Psalm.* 75. *vovete, & reddite Domino* DEO *vestro.* & illud *Deuter.* 23. *si noluesis polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies, sicut promisisti DEO tuo*: Atq; hæc obligatio, quatenùs realis est, & rei alicujus dationem respicit, ad hæredes quoque transit. *c.* 6. *de Testam. c.* 18. *de Censib. l.* 2. *ff. de Pollicit.* Non verò quatenùs est personalis, & proprium actum voventis. v. g. jejunium importat, ut docent DD. uno ore. Obligat autem votum juxta receptam sententiam ex genere suo sub peccato mortali; probabiliter tamen ex levitate materiæ peccatum solummodò veniale ejus violatio infert; nam sicut lucrum, quod ex genere suo est peccatum mortale, ex parvitate materiæ inter venialia reputatur, ita idem de voto dicendum existimo, ut docet cum multis Layman *lib* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *q.* 2. Azor. *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. *c.* 15. *q.* 4.

§. IX.

Contraria voti sunt modi, quibus cessat 22
ejusdem obligatio, scilicet *defectus materiæ, irritatio, commutatio, & dispensatio.*

Materia deficere dicitur, si propter supervenientes circumstantias res promissa desinat esse melius bonum, vel fiat majoris boni impeditivum, vel omnino destruatur, aut fiat impossibilis; veluti si quis certâ die peregrinationem voveat, & postmodum tali die assistendum sit ægroto.

Irritare vota nil aliud est, quàm per sub 23
tra-

tractionem materiæ, aut libertatis ejus, qui vovet, illud reddere cassum vim obligandi ei adimendo. Pertinet autem irritatio ad eos, à quibus aliorum voluntates dependent, vel absolutè, vel in tantùm, ne præjudicent. *Absolutè* dependent voluntates Religiosorum à suo Prælato, hinc potest omnia eorum vota irritare, etiam abstrahendo ab omni præjudicio. Solum votum transeundi ad strictiorem ordinem probabiliter excipitur: cùm quoad hoc non dependeant. Propter *evitandum præjudicium* dependent filii à Parente, uxor à marito, & vicissim, quatenùs usus conjugii impediatur, & universim omnes Christiani à S. Pontifice, & Episcopis, in quantum vertitur Ecclesiæ præjudicium, eatenùs itaque eorundem vota irritare possunt. *c. puella. causâ* 20. *q.* 2. *c. manifestum. c. voluit. causâ* 33. *q.* 5. Azor. *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 11. *c.* 17.

24 *Commutatio* voti nil aliud est, quàm materiam, de qua emissum est votum, mutare in aliam, ut peregrinationem in jejunium. Competit autem potestas ita commutandi vota ordinariè Episcopis, vel Episcopalem jurisdictionem habentibus. *c.* 1. *& ibi DD. h. t.* Extraordinariè etiam aliis v. g. ex privilegio, vel tempore Jubilæi ipsis Confessariis. Ubi tamen adverto, quòd tempore Jubilæi secundùm communiorem sententiam specialiter hæc potestas à S. Pontifice concedenda sit; nam aliàs independens est ab indulgentiis, ac proinde his concessis non videtur eò ipsò etiam data facultas commutandi vota: ut verò commutatio legitimè fiat, justa causa intervenire debet, nimirum difficultatis votum implendi, vel utilitatis, si votô ligatus velit opus utilius præstare. Et siquidem de majori utilitate certò constet, v. g. Religionem ingredi paratus sit, nec Superioris authoritate opus est. *c.* 4. *h. t. c.* 3. *de Jurejur.* bene autem in dubio.

Dispensatio voti est quædam remissio obligationis quæsitæ Deo per promissionē liberè factam. Possunt autem in voto solenni dispensare solus S. Pontifex, in simplici etiam Episcopi, vel Episcopalem jurisdictionem habentes *c.* 1. *h. t. & ibi* Zoës. *n.* 74. Excipiuntur tamen quinque vota singulariter S. Pontifici reservata, nimirum *perpetuæ castitatis, religionis, & tres peregrinationes*, scilicet *ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, & ad Terram Sanctam*, quod *ultramarinum* appellatur *c.* 7. 9. *& penult. h. t. Extrav.* 5. *de Pœnit. & remiss.*

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIA.

1. Status quid nominis? Quid sit status religiosus? 3. In quo differat status Monachorum à statu Regularium? 4. 5. Qua origo & qui Fundatores status religiosi? 6. Quod subjectum? 7. Quæ requisita? 8. Quis finis? 9. Qua obligatio hujus status?

ET hæc *de Regularibus, conversione, & voto* in genere. Restat modò in specie Regularium vitam, *statumq; Religiosum* examinare.

§. I.

Status vox latè quamcunque, strictè verò accepta eam tantùm vivendi rationem denotat, quâ quis alteri perpetuò, & stabiliter obligatur, cujusmodi in Ecclesia tres sunt, scilicet *Conjugum*, qui mutuis obsequiis: *Clericorum*, qui Divino servitio, & Ministerio Ecclesiæ, & *Religiosorum*, qui suæ Professionis regulæ perpetuô vinculô obstringuntur, S. Th. 2. 2. *q.* 183. *a.* 1. 1

§. II.

Definitur status Religiosus, quòd sit fidelium ad Christianæ vitæ perfectionem tendentium stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus editis tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ. S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 1. 3. *& 8.* 2

§. III.

Dividitur status religiosus *in statum Mo-* 3

na-

nachorum, & Canonicorum Regularium, quos ineptè per hoc ab invicem differre dixeris, quòd *Monachi* sint tantùm Clerici per accidens, & ex essentia sua non Clerici, seu Laici; econtra *Canonici Regulares* sint Clerici per se, & ex essentia: conveniunt enim Monachi nostri temporis cum Canonicis Regularibus, & omnibus aliis Religiosis in tribus votis substantialibus, solúmque quoad fines peculiares & in accidentalibus quibusdam differunt, conformiter particularibus regulis diversis hominum humoribus accomodatis.

§. IV.

4 *Causa efficiens* statûs Religiosi est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est jus: & quidem si statum religiosum secundùm se, & quoad substantiam tuam consideres, ab ipso Christo in nova Lege institutus fuit, ad consilia Evangelica excitante, ut adeo rectè dicatur Juris Divini consulentis, non præcipientis. Si verò hunc statum spectes quoad propriam regulam, sive peculiarem, & determinatum modum vivendi, institutioni Ecclesiæ varias Religiones approbantis natales suos in acceptis refert.

Proxima sunt SS. Patriarchæ, & Fundatores Ordinum Religiosorum; puta S. Benedictus, Augustinus, Franciscus, Dominicus, & alii, quos omnes hoc loco recensere, ubi hystorias non explico, esset extra chorũ saltare.

§. V.

5 *Subjectum* statûs Religiosi sunt Monachi, & Canonici Regulares, qui nullam inter se proprietatem habentes, victu & vestitu contenti, in cõmuni vivunt, ac tria vota obedientiæ, castitatis, paupertatis profitentur. *c. 6. h. t.*

§. VI.

7 *Forma* statûs Religiosi tribus requisitis absolvitur? etenim

I. requiruntur tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ propterea vota substantialia Religionis appellantur, sive dein solennia, sive simplicia tantùm sint; cùm enim solennitas voti solùm ex institutione Ecclesiæ, eam solennitatem, sicut in una religione Ecclesia potest exigere, ita in alia potest eandem non exigere. Id quod patet in Scholasticis profitentibus Societatis, qui, licèt non emittant vota solennia, debent tamen dici veri Religiosi, ut definit Gregor. XIII. Anno 1584. in Bulla *Ascendente Domino*. Quòd si alibi in jure legatur ad statum Religiosum requiri vota solennia, intelligendum est juxta jus antiquum, quô talia vota ad Religiosum statum necessaria erant. *Clem. 1. de Religios. domib. c. Religios. in fin. de Sent. excom. in 6.*

II. Requiritur, ut Religio, quam quis profitetur, sit ab Ecclesia approbata. *c. fin. X. c. un. in 6. Clem. un. & Extravag. Sancta Romana. de Relig. dom. c. un. de Voto. in 6.* Sanchez *lib. 5. in Decal. c. 4. n. 86.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. c. 15.* & alii apud Jacob Pignatell. *tom. 1. consult. 112. n. 4.* cum quibus docet, non esse satis emittere tria vota essentialia, nisi solennizentur in aliqua religione approbata. Et quidem hodie Episcopus novam Religionem recipere non posset, nisi à Sede Apostolica approbatam *d. c. fin. de Relig domib.* secùs olim: nam Religiones S. Benedicti, Augustini, Basilii, Antonii non fuerunt ab initio à Papa approbatæ, sed solùm ab Episcopis, quibus suberant; etsi sensim à Conciliis & Pontificibus sint confirmatæ

III. Requiritur stabilitas, seu permanentia, hoc est, ut quis ad tria illa vota, seu consilia Evangelica observanda stabiliter obligetur: quippe status religiosus significat quandam perpetuitatem saltem ex parte voventis, ut à Religione, cui semel se mancipavit, liberè recedere nequeat; quanquam à S. Pontifice omnium, & quorundam Religiosorum vota, ab ejusdem Ordinis Superioribus solvi possint, Suarez *tr. 3. de Relig. lib. 2. c. 3.* Cui non obstat, quòd Religiosi aliquando ex Monasteriis

assumantur ad Parochias, Episcopatus, ac Cardinalatus: quoniam tales substantialibus votis nihilominus manent obstricti, & propterea ferre debent habitum religionis, quamvis quoad aliquos paupertatis & obedientiæ effectus eximantur. *d.c. Monach causâ* 16. *q.* 1. *c. Clerici penult. in fin. de Vita & honest. Clericor.* S. Th. 2.2. *q.* 185. *a.* 8. an regula sit de essentia statûs Religiosi? disputat Less. *lib.* 2. *c.* 14. *n* 9.

§. VII.

8 *Finis* statûs Religiosi est perfectio vitæ Christianæ per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ adipiscenda.

§. VIII.

9 *Effectus* statûs Religiosi est obligatio ad servandam regulam, quam Religiosi profitentur, & tria illa vota: Obedientiam, castitatem, & paupertatem.

Vi *obedientiæ* tenetur Religiosus obsequi Superiori præcipienti, quæ vel directè, vel explicitè, vel indirectè, & implicitè sunt consentanea regulæ, cui se generaliter adstrinxit, ut docent D. Th. *quodlib.* 10. *art.* 19. Sylvester *V. religio.* 6. *q.* 6. & pluribus prosequuntur Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 51. *dub.* 9. *n.* 77. Sanchez. *in Decal. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 9.

De reformationibus, quas nonnunquam facere conantur Prælati, communiter dubitatur, an illas Religiosi vi obedientiæ accipere teneantur? rem distinctione expediri posse video scilicet utrùm discretæ sint, & ad defectus corrigendos tendant, an verò sint indiscretæ & contra regulam rationabiliter de Jure, vel consuetudine mitigatam? *Priores* acceptare tenentur, non item *posteriores* ex præsumpta voluntate voventium, ut qui nonnisi ad regulam, prout in tali loco rationabiliter observatur, se obligâsse censentur P. Engl. *ad tit. de Const. n.* 23.

Vi *voti castitatis* Religiosus ab omni delectatione veneris ea, non tantùm extra, sicut Laici sed etiam intra Matrimonium abstinere tenetur, ita ut transgrediendo duplicem malitiam committat contra votum scilicet, & præceptum Decalogi, de cujus sacrilegii gravitate passim Moralistæ.

Vi *paupertatis* non tantùm Dominii bonorum Religiosus solenniter professus incapax est sed ei quoque illicitus redditur omnis rei temporalis usus à Prælati voluntate, & licentia saltem præsumpta, independens. *c. non dicatis. causâ* 12. *q.* 1. *c.* 5. *de Regularibus. c.* 6 *h. t.* Quòd si quis aliter quidquâ tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activâ, & passivâ voce privatur, atque etiam juxta suæ regulæ ac ordinis constitutiones punitur. *c.* 1. 4. & 6. *h. t.* Trid. *sess.* 25. *de Regular. c.* 2. Insuper, si in hoc vitio proprietatis decesserit, à sepultura Ecclesiastica excluditur. *d. c.* 6. imò sepultus in loco sacro iterum effodi, & ab Ecclesia projici, ac in sterquilinio sepeliri debet. *d. c.* 4. & ibi Panorm. *n.* 15. Barb. *n.* 6. qui rectè notat ad prædictas pœnas incurrendas non sufficere, quòd pecunia, vel alia res pretiosa apud regulares reperta fuerit, sed priùs cognoscendum esse, quòd eam ut propriam tenuerit, & factum tale à violatione paupertatis religiosæ excusari nullatenus possit. Atque hoc voto paupertatis tenentur quoq; Prælati, quia sicut in Religiosis subditis, ita & in se ipsis superflua amputare debent. Interim sint in suos liberales potiùs quàm parci: tantò enim magis disciplina viget experientiâ teste, quantò uberiùs (intra limites tamen religiosæ deceantiæ) Religiosis præsertim in victu, & vestitu providetur

TITULUS XXXVI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIA.

1. *Quid sit domus religiosa? 2. Quotuplex? 3. Quâ intentione fundetur? 4. Quæ ejus materia, & Quæ requisita? 7. Quis finis? 8. & seqq. Qui effectus?*

A Religiosorum statu digredimur ad eorum Monasteria, Ecclesias, *domosq; religiosas.*

§. I.

§. I.

1 *Definitur* domus Religiosa, quòd sit locus pius religioni authoritate Episcopi deputatus *c. 4. h. t.*

§. II.

2 *Dividitur* Domus Religiosa in *sacram*, & *religiosam in specie*. Domus *sacra* est, quæ ritè, id est juxta Ecclesiæ formam per Pontifices, seu Episcopos Deo consecrata est. Cujusmodi sunt *templa*, *Sacella*, *Capellæ*, *Oratoria publica*, & multa *Hospitalia* Ecclesias habentia. Domus *religiosa in specie*, seu non sacra est, in qua citra consecrationem ex auctoritate Episcopi pietatis opera exercentur, uti sunt inprimis *Monasteria*, *Collegia*, cœteræque *Domus Regularium*. Deinde *Oratoria*, *Capellæq; domesticæ* devotionis causâ, auctoritate tamen Ordinarii intra proprias ædes constructa *c. quidam causâ 18. q. 2. c. unicuiq; de Consecrat. dist. 1.* Item *hospitalia* etiam sine Ecclesiis eâdem authoritate erecta, aliaque *Collegia*, & piæ *Confraternitates*, & *Congregationes*. Quodsi absq; auctoritate Episcopi erigantur, non habentur pro locis Religiosis, etsi propter opera pia ibi exercenda *loca pia* dicantur. Felin. in *c. de quarta. n. 4. & 11. de Præscript.* Ludovic. Rom. *consil. 477. n. 3.* Tuschus *V. hospitale concl. 157. & seq.*

§. III.

3 *Causa efficiens* domûs Religiosæ sunt Reges, Principes, Magnates, aliique pientissimi Fundatores, qui ad cultum Dei Omnipotentis, servitiique Divini continuationem, familiarum suarum memoriam, & animarum salutem pro exstruendis Religiosis domibus sua bona immensâ, ac profusâ liberalitate largiti sunt.

§. IV.

4 *Materia* domûs Religiosæ sunt ea, ex quibus componitur. Componitur autem ex fundamentis, parietibus, & tectis. Cartagena ad *h. t. observat. 2.*

§. V.

5 *Forma* domûs Religiosæ stat in eo, ut auctoritas illius Episcopi interveniat, in cujus territorio exstruitur, ut patet ex *tot. h. t.* Imò ad exstruenda nova Monasteria Mendicantiũ præter licentiam Episcopi desideratur quoq; consensus S. Pontificis, ut sunt textus expressi in *c. 1. de Excess. Prælat. in 6. Clem. cupientes de Pœnis.* Rot. *decis. 392. n. 1. p. 4 tom. 2 Rec.* & præterea observanda est Bulla Clement. V. & Gregor. XV. cujus tenorem refert P. Engel *h. t. n. 4.*

6 Cæterum ut in dubio Oratorium, locus, vel domus religiosa præsumatur, ea concurrere debent, quæ Panorm. Innocent. aliique Canonistæ tradunt in *c. inter dilectos n. 8. & seq. de Donationib.* quatenùs scilicet liceat ibi Sacra celebrare, erigere altare, campanam, quâ missam audituri publicè vocentur, instituere, ac habere cœmeterium, sitq; altare illud lapideũ, & fixum, non tantùm portatile. Consequenter ubi contrarium reperire est, maximè si dictorum locorum regimen sine Episcopi auctoritate per Laicos exerceri soleat, eáque sæcularibus collectas solvere debeant, à quibus loca Ecclesiastica, & personæ secundùm jura exemptæ sunt per *l. sancimus.* & *l. omnia privilegia. C. de Episc.* & *Cleric.* concludendum erit, ejusmodi loca religiosa haud esse.

§. VI.

7 *Finis* domûs Religiosæ sunt servitium Dei, officia Divina, ac opera pietatis, & misericordiæ, ad quæ destinata est.

§. VII.

8 *Effectus* domûs Religiosæ duplex occurrit, *Primus* est subjectio in ordine ad Episcopum. Pro cujus pleniore intellectu.

Dico I. domus, ac loca, tum *sacra*, tum *religiosa in specie* subjecta sunt jurisdictioni spirituali Episcopi, intra cujus Diœcesin sita sunt, ita ut, si aliquem locũ sive *sacrum*, sive *religiosum* intra istius fines situm esse constet, vel legitimè probetur, super ejus subjectione intentionem in jure fundatam habeat Episcopus *c. omnes Basilicæ. causâ 16. q. 7. c. 6. 7. & 8. h. t. c. cùm Episcopus de Offic. Ordin. in 6.* Neq; inter-

intereſt, tametſi auctoritate Papæ locus Religioſus, puta Monaſterium, Eccleſia, vel hoſpitale ob eorum ruinam alteri Monaſterio, vel Eccleſiæ alterius etiam Diœceſis cum omnibus, juribus & actionibus, quæ eidem competunt, uniatur; nihilomin⁹ enim Epiſcopus ſuũ jus Epiſcopale integrum conſervabit. *c. 2. & 7. h. t. c. 6. de Except.* Niſi locus ejusmodi vel omnino, vel à certis quibusdam juribus Epiſcopalibus privilegio Papæ, conceſſione Epiſcopi in ejus fundatione, vel poſtea accedente Capituli conſenſu, aut præſcriptione quadragenariâ cum titulo, vel ſine iſto iĩmemoriali exemptus, ſeu Epiſcopali jurisdictione ſubtractus probetur *c. 6. h. t. & ibi* DD. Planè eò Epiſcoporum jurisdictio, ac poteſtas ſe non extendit, ut de rebus temporalibus, ac proventibus domorum religioſarum pro libitu diſponere poſſit, ac in proprios uſus convertere, ſed ut Ordinarii locorum, quibus dictæ domus ſubjiciuntur, ordinent ad finem, & uſum deſtinatum. *d. c. 7. & ibi* Panorm. *h. t.*

9 *Dico* II. hoſpitalia, cæteráque loca pietatis, & miſericordiæ operibus deputata, ſed nullâ Eccleſiaſticâ auctoritate interveniente erecta Epiſcopi jurisdictioni non ſubjiciuntur. arg. à contrario deducto ex *c. ad hæc 4. h. t.* quia ita erecta, aut inſtituta hoſpitalia *pia* quidem, ſed profana, non *religioſa* loca ſunt, cùm talia non niſi Epiſcopali, vel alia auctoritate Eccleſiaſticâ fiant: & conſequenter neque ad forum Eccleſiaſticum ſpectant, cùm de iis Fundator, vel Patronus ad libitum diſponere valeat, ita ut dum vivit, ſi v. g. domum in figuram hoſpitalis erexit, ſublatis lectis locum ad alios uſus, etiam non pios denuò applicare, & divertere poſſit, dumodo ad eorum fundationem ſe ſe non obligârit arg. *c. 8. de Donat. & ibi* Panorm. *n. 12. d. c. 3. & 4. h. t.* Sed hoc ita permiſſum eſt Fundatori, ſeu Patrono, non ejusdẽ Succeſſori, ſeu hæredi; is namque piam teſtatoris voluntatem, quam, dum viveret, non revocavit, adimplere tenetur, & ut adimpleat, auctoritate Epiſcopi compelli poteſt. Panorm. in *d. c. ad hæc 4.* & Fagnan. *ibid. n. 53. h. t.* Sanè quatenùs locus pius eſt, eique legata fieri poſſunt, eatenùs eſt ſub cura Ordinarii loci. ut bene advertit Caſtrenſ. *conſil. 197.*

Alter effectus Religioſæ domùs eſt, quòd to exinde non poſſit fieri locus profanus. per *c. pervenit. causâ 18. q. 2. c. qua ſemel, & ſeqq. causâ 19. q. 3. c. 5. h. t.* Atq; hoc adeo, ut quamvis ob mòrum corruptionem loci religioſi incolæ ſpem emendationis non faciant, adeoq; veniant expellendi, debeat tamen eidem loco religioſo per ejusdem profeſſionis, ac Ordinis Religioſos provideri, neque ad aliorum Religioſorum implantationem deveniendum ſit, niſi in illa provincia ejusdem Ordinis Religioſi habeantur. Panorm. in *d. c. 5.* Deficientibus verò Regularibus ejusdem Ordinis, Religioſis ordinis diverſi; & his quoque deficientibus tandem Clericis Sæcularibus ejusmodi locus Religioſus concedi poſſet. Textus, Gloſſ. & Hoſtienſ. in *d. c. 5. h. t.*

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorũ, & aliorum Religioſorum.

SUMMARIA.

1. Capellæ unde dicantur? 2. Quid ſint capellæ Monachorum? 3. Ex quibus cauſis pertinant ad Regulares? 4 Monachis licet in Capellis Divina facere.

Religioſa domus ſunt vel principales, ut Monaſteria, vel acceſſoriæ, ut *capellæ* quæ itidem Epiſcopo ſubſunt.

§. I.

Capellæ dicuntur vel à *capiendo*, quòd ca- 1
piant populum, vel à cappa, quod tegumentum ſignificat; vel à *caprarũ* pellibus, quòd in domunculis hiſce pellibus ſectis Miſſæ celebratæ fuerint. Azor. *Inſtit. moral. t. 2. l. 3. c. 8.*

§. II.

Definiuntur Capellæ Monachorum, & alio- 2
rum

rum Religiosorum, quòd sint ædes sacræ, separatæ ab Ecclesia Monasteriali, in quibus Regulares Sacramenta administrant.

§. III.

2 *Causa*, ex quibus capellæ ad Monachos, aliósve Religiosos pertinent, sunt I. *fundatio*: quando cum authoritate, & consensu Episcopi, vel Episcopo Superioris eâ lege capella fundata est, ut per viros Religiosos in ea deserviatur arg. *c. quæ semel causa* 19. *q.* 3. II. *privilegium & concessio Apostolica*, cujus tenor & forma diligenter inspiciendi, ac servandi sunt. *c. porro de Privilegiis. c. ad audientiam. de Decim.* III. *Unio*, quâ Ecclesiæ, vel Capellæ Regularibus, aut eorum Mensis per Episcopum, vel Pontificem uniuntur. *Clem. si una 2. de Reb. Eccles. non alien. c. sicut unicè. de Excess. Prælat.* Quid autem sit unio & quotuplex, atque alia scitu de unione necessaria, exposui *ad Tit. ut Eccesiast. benef. sine diminut. p.* I. IV. *præscriptio* 40. *annorum*; si quidem titulus concurrat, sine titulò *immemorialis; cùm olim. 2. auditis & ibi* communiter Canonistæ, maximè Felin. & Panorm. *de Præscript.*

§. IV.

4 *Effectus* in eo conspicitur, quòd Regulares in capellis, & Ecclesiis præsertim Parochialibus ad Monasteria pertinentibus Missarum solennia, cæteráque Divina officia peragere, & Sacramenta administrare possint. *c. in parochia causâ* 16. *q.* 1. Wagnerek & Gonzalez *ad c.* 1. *h. t.*

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

SUMMARIA.

1. 2. Juris patronatûs onomatologia. 3. Definitio. 4. usq; 10. Divisio. 10. Origo. 11, usq; 16. Quibus modis constituatur? 16. usq; 20. quibus modis transferatur jus patronatûs? 20. usq; 25. Quinam sint capaces juris patronatûs? 25. in quibus Ecclesiis locus sit juri patronatûs. 26. Qua sit ejus forma? 27. In quo differant jus patronatûs Ecclesiasticum, & sæculare. 28. Quis sit finis? 29. usq; 33. Quinam effectus juris patronatûs. 33. 34. 35. Quibus modis jus patronatûs amittatur?

Cùm institutio tam in Præbendis, quàm in Religiosis domibus, ac Capellis Monachorum ad præsentationem Patroni fiat, *de Jure patronatûs* sequitur.

§. I.

Ratio nominis *Juris patronatûs* exstat in *c.* 1
filiis, & c. decernimus, causâ 16. *q.* 7. ubi patroni ideo tales dicuntur, quia ipsis defensio, & cura Ecclesiæ incumbit sollicita.

§. II.

Jus patronatûs variè sumitur I. pro jure 2
Manumissori competente in bona, & personas Liberti, ex eo quòd sponte servum ex justâ servitute liberum dimiserit. *tot. tit. ff. de Jure Patronatûs.* II. pro Jure Patronatûs Advocatorum, qui, dum patrocinio suo causas litigantium tuentur in judicio, patroni causarum salutantur. *c. un. causâ* 15. *q.* 2. *c.* 6. *de Transact.* III. Et in præsenti pro jure, seu facultate præsentandi Clericum ad beneficium; quæ acceptio est hujus loci.

§. III.

Definitur jus patronatûs, quòd sit jus seu 3
potestas præsentandi Clericum, instituendum ad beneficium vacans. Hostiens. in *Summa h. t. n.* 1. Germanis dicitur das Pfarrlehen/ oder Geistliche Lehenrecht.

§. IV.

Dividitur Jus Patronatûs I. in Ecclesiasti- 4
cum, sæculare, & mixtum per *c. cum autem* 24 *h. t. c. un. Eod. in* 6.

Ecclesiasticum est, quod Collegio Ecclesiastico, vel personæ Ecclesiasticæ competit nomine & ratione Ecclesiæ, Monasterii, Capituli, dignitatis, vel beneficii, quod habet, quantumvis fortè à Laico, ejúsque bonis patrimonialibus originem traxerit; nam si postmodum titulo aliquo honesto, puta donatione, legato,

gâtô, testamentô, fundatione, in Ecclesiam, vel in Collegium Ecclesiasticum, vel in personam Ecclesiasticam intuitu Ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii Ecclesiastici translatum sit, jus patronatûs Ecclesiasticum censebitur. *d. c. un. §. verum. h.t. in 6.* Barb. *p. 3. alleg. 72. n. 128.* Rota *in una Valentina Beneficii 26. Martii. 1593. coram Orano.* Garc. *tr. de Benef. p. 5. c. 1. n. 553.* qui sub. *n. 555.* resolvit, quòd jus patronatûs competens Episcopo (idem est de aliis Prælatis) ratione dominii temporalis ad suam Ecclesiam pertinentis, Ecclesiasticum sit.

5 *Saculare*, seu *laicum* dicitur non tantùm quod laico competit, sed etiam quod à Clerico ratione dotationis, aut fundationis ex bonis patrimonialibus, item ex Successione paterna, vel alio titulo sæculari obtinetur. Text. Gloss. & Panorm. in *c. cùm dilectus 28. h.t.* Garc. *l. cit. num. 592.* Hoc tamen impræsentiarum notâ dignum est, quod adverrit Honorius *in Summa h.t. n. 15.* Jus patronatûs tale præsumi, qualis est persona, quæ bonâ fide possidet, adeò ut si possideatur à Laicis, præsumatur Laicale, non obstante, quòd ex fundatione, vel dotatione Presbyteri veniat. Mascardus *de Probat. concl. 959, n. 12.* arg. Gloss. in *c. sint manifestæ causâ 12. q. 1. V. probando.* Si verò possideatur à Clericis, Ecclesiasticum censeatur, per *c. consultationibus h.t.*

6 Jus patronatûs *mixtum* est quod partim ad Ecclesiam, vel Clericum jure Ecclesiæ, & partim ad Laicum pertinet; vel quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonii competit. Pirrhing. *h.t. n. 3.* Hoc si Patroni inter se convenerint, quatenus alternis vicibus præsentent, ut præscribitur in *Clem. 2. h.t.* juxta Joann. Andreæ in *c. cùm in illis. §. fin. de Prabend. in 6.* in eo casu, & pro ea vice, quâ Laicus præsentat, totum Laicale censebitur; pro eâ verò vice, quâ Clericus, totum Ecclesiasticum: videtur enim tunc mixtorum natura, per hanc alternativam, pro illis vicibus reducta ad sua simplicia, sin verò hâc alternativâ non utantur, sed simul & semel præsentent, in multis naturam potiùs Juris patronatûs laicalis sapiet, quàm Ecclesiastici. Hinc neque examine per concursum in casu hoc opus, neque in eo reservationi Pontificiæ locus erit. Garc. *de Benef. p. 5. c. 1. n. 582.* in favorabilibus tamen tale jus patronatûs mixtum pro Ecclesiastico habendum esse, ita ut laicus quoque semestri tempore ad præsentandum fruatur, docet Clariss. P. Martinus Resch in *disp. de Jure Patron. c. 2. §. 1. n. 5.*

II. *Dividitur* Jus Patronatûs in hæreditarium & gentilitium, seu familiare. *Hereditarium* est, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos. *c. 3. h.t.* Et tale in dubio semper præsumitur, ut notat Panorm. in *c. cùm sæculum 13. h.t.* Barb. *J. E. V. lib. 3. c. 12. n. 20.* Rota *dec. 756. n. 1. p. 2. & dec. 72. n. 1. tom. 3. p. 2. Recent. Gentilitium* est, quod certæ tantùm familiæ competit, & relictum est, sive quod tantùm transit in illos, qui sunt de genere Testatoris, vel Fundatoris. Barb. *d. c. 12. n. 22.* Et tale esse præsumitur, quoties in ejus provisionibus specialiter fuit habita mentio familiæ, & descendentium, nunquam verò hæreditariæ qualitatis: aut si per spatium centum annorum nullus extraneus, aut fœmina in eo præsentavit: quandoquidem ad hanc qualitatem, scilicet gentilitium esse jus patronatûs, leviores sufficiunt probationes, cùm non agatur de substantia hujus juris, sed tantùm de pertinentia. Barb. *cit. loc.* ubi allegat decisionem Rotæ. Gratian. *discept. forens. c. 571. n. 17. & 19.* Cæsar de Panimoll. *dec. 137. n. 24.* Cess. *dec. 136. n. 7. & seqq.* 7

III. *Dividitur* in personale, & reale. Illud 8
personæ fundatoris, vel hæredis ejus cohæret, ubicunque extiterit. Hoc castro, vel prædio, aut similibus bonis cohæret, & non ad hæredem tantùm, sed quemcunque possessorem Castri, Prædii aut ejusmodi bonorum transit. Clariss. P. Martin. Resch *d. c. 2. n. 4.*

IV.

9 IV. *Dividitur* in activum, & passivum, Jus Patronatûs *activum* est, per quod fit, ut beneficium conferri nequeat, nisi talis vel talis præsentet. *Passivum*, quando certi de aliqua familia sunt præsentandi, nec alius extraneus præsentari, vel institui potest, quamdiu idoneus Clericus de familia adest. Et de hoc posteriori non est in proposito magna quæstio, cùm fundatoris intentio præ omnibus sit attendenda.

§. V.

10 *Causa efficiens* juris patronatûs est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est Jus Canonicum: quamvis enim jure stricto, & vi veterum Canonum jus præsentandi soli Episcopo competat. *c. quacunque causâ* 10. *q.* 1. *c omnes Basilicæ. causâ* 16. *q.* 7. ipla tamen Ecclesia vult eam facultatem suis Benefactoribus etiam Laicis in gratitudinem impertiri, hominúmque ad hæc pia officia voluntatem excitare *c. decernimus. causâ* 16. *q.* 7. Refertur autem ejus origo ad Urbani Pontificis tempora, qui floruit *Anno* 226.

11 *Proxima* sunt modi, quibus jus patronatûs acquiritur. Et hi alii sunt, quibus constituitur alii quibus ad alios transfertur.

Modi, quibus primitùs constituitur jus patronatus, sunt tres: nempe *fundatio*, *constructio*, & *dotatio*, qui singuli disjunctivè sufficiunt ad acquirendum jus patronatûs, prout in *hoc titulo* jura passim hæc tria distinguunt, & Trid. *sess.* 14. *c.* 12. *de Reform.* fundationem & constructionem conjunctivè requirens per *Sess.* 25. *c.* 9. *de Reform.* explicatur, ubi hæc disjunctivè requiruntur; imò *c.* 3. *h. t.* solius fundationis. *c.* 25. verò solius constructionis meminit. Malcard. *de Probat. concl.* 59. *num.* 34. Covar. *pract. quæst. c.* 36. *n.* 6. aliique cum Clariss. P. Martino Resch. *disp. de Jure patronatûs. c.* 5. *n.* 3. Dissentiunt Butr. *in c.* 1. *h. t. n.* 10. & Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 9. *n.* 44.

12 Porro *fundare* dicitur Ecclesiam ad effectum acquirendi juris patronatûs, quando quis assignat fundum, in quo construi debet. *c. nobis.* 25. *& ibi* communiter DD. *h. t. c.* 2. *causâ* 18. *q.* 2. Jacob Pignatell. *consultat.* 113. *sub n.* 5. Ubi satis notabile, quòd Ecclesia, in qua capella, vel Altare ædificatur, atque in perpetuum titulum beneficium erigitur, in jure præsentandi concurrat cum dotante, vel ædificante, quia scilicet fundum contulit ex hypothesi, quòd in Ecclesia beneficium erectum sit; Panorm. *in cap.* 3. *de Eccles. ædif. n.* 11. utut praxis subinde contrarium ostendat, & ordinariè sibi capellarum, ac beneficiorum erectores jus præsentandi usurpent; id tamen per inadvertentiam, & ignorantiam Rectorum Ecclesiæ contingere putat *ibidem* Panormit, vel rectius per contrariam consuetudinem locorum, quam rationabilem esse, & valere testatur Barb. *c.* 9. *n.* 41.

Construere Ecclesiam dicitur, quando quis 13
pro ea ædificanda, ac construenda expensas, sumptúsque facit. *d. c. nobis* 25. *h. t. c. Monasterium. causa* 16. *q.* 6. Idem est, si quis expensis suis Ecclesiam reparet, ac reficiat, modò reparatio cum Episcopi consensu fiat, & Ecclesia funditus destructa sit, ita ut novâ indigeat consecratione. Garc. *de Benefic. p.* 5. *c.* 9. *n.* 51. Fagnan. *in c. quoniam.* 3. *n.* 57. *h. t.* Clariss. P. Martin. Resch. *cit. c.* 5. *n.* 9. quia non minùs propriè Ecclesiam ædificare dicitur, neque minùs eidem beneficium præstat, qui collapsam reædificat, quàm qui primitus eandem construxit. per *c.* 7. *de Judæis.* ubi tradunt Interpp. favorabilius esse destructam reædificare, quàm de novo construere. Æquum tamen omninò est, ut Episcopus, priusquam in reædificationem, ab alio faciendam, consentiat, ea de re admoneat antiquum Ecclesiæ Patronum, eúmque idem facere volentem, præ quovis extraneo admittat. Fagn. *loc. cit.* Garc. *d. n.* 51. & alii arg. *c. potuit. de Locat. & Conduct.*

Dotare Ecclesiam dicitur, quando quis Eccle- 14
siam

siam fundatam, & constructam sine dote sufficienter dotat, ac redditus, seu annuos census, ad celebrationem Sacrorum, sustentationem personarum servitio Divino dedicatarum, & ad alia Sacræ ædi necessaria, in perpetuum assignat. *c. filiis. 31. causâ 16. q. 7. Hac dotatio* an ante, vel post consecrationē interveniente consensu Episcopi fiat? parùm interest. favore enim Ecclesiæ indotatæ retrotrahitur, & fingitur, ac si ab initio ante consecrationem facta fuisset. Panorm. *in c. quoniam. h. t. n. 9.* Garc. Azor. & alii apud Pirhing *Eod. n. 11.* Certè qui post primam dotationem agros, & quæcunque bona Ecclesiæ donat, etiam eâ conditione, ut fundi dotales fiant, benefactor duntaxat Ecclesiæ, non patronus censetur, quamquam id, quod donatum est, plùs sit, quàm quod primitus in dotem datum erat; cùm dotantes non propter quantitatem rei donatæ Patroni, & fundatores dicantur, sed quia ipsam Ecclesiam quodammodo à non esse ad esse perducunt. Gloss. *in c. pia mentis. 26, causâ 16. q. 7.*

Altioris *inquisitionis* est: an adhoc ut jus pa-
15 tronatûs *ex fundatione, ædificatione, vel dotatione* acquiratur specialis reservatio, & consensus Episcopi requiratur? R. consensum quidem Episcopi respectu ipsius fundationis, ædificationis, & dotationis omninò necessarium esse, adeò ut jus patronatûs non acquirat, qui sine prærequisita authoritate, & licentia Episcopi Ecclesiam, vel beneficium fundat, ædificat, aut dotat *c. nobis. 25. h. t. c. 26. & 27. causâ 16. q. 7.* sufficit tamen consensus etiam ex post-facto accedens, ut si Episcopus templum sine consensu suo prævio ædificatum, postea acceptet, & consecrari jubeat. Panorm. *in c. cura, not. ult. h. t.* Gloss. & DD. *in c. edoceri. de Rescript.* Imò in dubio ex diuturnitate temporis interveniſse præsumitur. Garc. *de Benef. p. 5. c. 9. num. 27.* De cætero tamen non requiritur, ut super ipso jure patronatûs tractatus, vel concessio Episcopalis intercedat, quia ipso jure per fundationem, ædificationem, aut dotationem cum authoritate Episcopi factam jus patronatûs obtinetur, nullâ de eodem mentione, aut reservatione factâ, dummodò contrarium actum, sive expressè jus patronatûs remissum non sit. *d. c. 25.* & est communissima DD. teste Garc *cit. c. 9. n. 62.* quidquid unus aut alter in contrarium docuerit.

Modi, quibus jus patronatûs semel legitimè 16
quæsitum, & constitutum in alios transfertur, quatuor præcipuè assignantur: scilicet *Successio, Donatio, Permutatio, & venditio*; hinc triti illi versiculi à Gloss. *in c. cùm sæculum. h. t.* allegati:

Jus patronatûs transire facit novus hæres
Res permutata, donatio, venditióque.

Successione jus patronatûs transfertur in hæredes. Est autem hac in parte observanda forma fundationis, & primæ conventionis cum Episcopo Ecclesiæ factæ; potuit enim fundator vel omninò remittere jus patronatûs vel sibi tantùm, filiis, aut familiæ suæ reservare; regulariter autem non solùm filiis fundatorum, ut videtur innuere *c. filiis causâ 16. q. 7.* sed etiam quicunque hæredes extranei, & hæredum hæredes in infinitum succedunt in jure patronatûs. Innocent. in *Rubr. h. t. n. 4.* Panorm. *in c. cùm sæculum eod. n. 5.* Succedunt autem secundùm stirpes, ita scilicet, ut si plures ab uno ex Patronis hæredes relicti sint, omnes simul sumpti unicam duntaxat habeant vocem in præsentatione Rectoris *Clem. 2. & ibi* Interpp. *h. t.*

Donatione jus patronatûs transfertur in Do- 17
natarium aliquando cum, aliquando sine consensu Episcopi: etenim si jus illud sit *reale*, & annexum universitati, istâ alteri donatâ, ipsum quoque in Donatarium transferri, licèt Episcopi consensus non interveniat, facilè concedunt DD. arg. *c. 13. h. t.* Si verò *personale* sit, ut validè donetur Laico, opus est consensu Episcopi arg. *c. un. h. t. in 6.* ubi dicitur, efficacem esse cen-

censendam donationem juris patronatûs à Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso etiam sine consensu Episcopi factam; ergo à contrario inefficax erit, si fiat à Laico loco non religioso sine consensu Episcopi. Panorm. *in c. illud. h. t.* Barb. *J. E. U lib. 3. c. 12. num. 246.* Excipitur casus, quô plurium Compatronorum unus jus patronatûs alteri remittit, quod liberè, & Episcopo non requisito fieri posse, docet Gloss. in *c. 14. V. contuliſſe. h. t.* Barb. *ibid. n. 4.* arg. *Clem. 2. h. t.*

18 *Permutatione*, ut ritè transferatur jus patronatûs, necessum est, ut permutetur cum alio jure patronatûs, vel simili jure spirituali, aut quod connexum est spirituali, quia de spiritualibus ad temporalia improbatur permutatio tanquam simoniaca in *c. ult. de Rer. permut.* Insuper requiritur ad ejusmodi permutationem consensus Episcopi, ut fraudibus obvietur, cùm facilè fingi posset permutatio, quæ tamè revera foret venditio, & sic simonia committeretur. Barb. *de Offic. Epiſc. alleg. 71. n. 21.* Panorm. *in c. illud. & in c. querimoniam.* cum Joan. Andr. & Hostiens. *h. t.*

19 *Venditione* transfertur jus patronatûs, si universitas, aut castrum vendatur, cui jus patronatûs cohæret; tametsi enim hoc jus utpote spirituale per se, & solitariè vendi nequeat absque vitio simoniæ, si tamen reale sit, & bonis v. g. oppido, villæ, aut castro habenti capellam annexam, aut in hæreditate, castro, villa, aut oppido vendi potest, modò intuitu illius pretium non augeatur, nec alius temporalis respectus habeatur, Text. & DD. *in c. 10. 13. h. t.* Neque ad hoc, ut jus patronatûs accessoriè vendatur specialiter de eadem conventionem, aut mentionem fieri oportet, sed hocipsò, dum v. g. castrum, aut villa venditur & non specialiter excipitur, eò ipsò in contractum veniet, & ad emptorem transibit, juxta *d. c. 7. & ibi* Gloss. & Panorm. *n. 1.*

§. VI.

Subjectum Juris patronatûs sunt ii, quibus 20
competit. Potest autem competere omnibus tam Laicis, quàm Clericis, qui non speciali jure exeluduntur. *c. 3. & 25. h. t.*

Nec refert I. mares sint, an fœminæ? nam & fœminæ juris patronatûs capaces sunt, per Text. *in c. fin. de Conceſſ. præb. c. ex literis. c. nobis. & ibi* Panorm. *h. t.* Garc. *de Benefic. p. 5. c. 9. n. 142.* Hinc si jus patronatûs sit hæreditarium, imò etiam gentilitium fœmina quoque in eodem succedit: cùm, si Riccio in *Prax. p. 1. resol. 169.* fides, jus quæsitum sub hac forma: *mihi, & fratribus, ac eorum hæredibus*, etiam sorores complectatur. *per l. fratres. C. de Inoffic. teſtam. & l. tres fratres. & ibi* Gloss. *ff. de Pact.*

Connexa *difficultas* est: utrùm si mulier in 21
dotem det castrum, in quo jus patronatûs habet, vir durante matrimonio præsentare possit an mulier? Zoës. *h. t. n. 36.* Layman. *in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18.* aliique plures præsentationem attribuunt Marito, tanquam Domino civili rerum dotalium. Panor. *in c. fin. de Conceſſ. præb.* Azor. *Inſtit. mor. tom. 2. lib. 6. c. 21. q. 16.* probabiliùs in præsentando uxorem præferunt Marito: licèt enim jus patronatûs transeat regulariter cum universitate bonorum *per c. ex liberis h. t.* dos autem sit aliqua universitas; quia tamen originaliter dos tantùm debetur propter fructus ad compensationem onerum matrimonii. *l. 20. C de Jure dot.* jus patronatûs verò potiùs sit quidam honor, quàm fructus re ipsâ æstimabilis, penes uxorem manebit jus præsentandi.

Neque refert II. pubes quis sit, an impu- 22
bes. Azor. *cit. c. 21. q. 14.* Layman. *loc. cit.* & siquidem pupillus infans sit, ejus nomine Tutor præsentabit. Garc. *de Benef. p. 5. c. 9. n. 193.* si verò infantiam egressus, & septennio major sit, in præsentando Tutori præfertur: tum quia est Dominus hujus juris & constitutus

in hac ætate etiam sponsalia de futuro per se contrahere potest. *tot. tit. de Despons. Impub.* tum quia sicut patria, ita nec potestas tutoria in spiritualibus locum habet per ea, quæ notantur *in c. fin. de Judic. in 6.* non enim spiritualia ad ministrat tutor, ut advertit Glossa *in c. ex eo. V. Suffragium. de Elect. in 6.* attamen ex communi saltem de honestate Pupillus authore Tutore præsentare debet. Glossa *in c. decernimus. causâ 16. q. 7.* Garc. *loc. cit.* Zoës. *h. t. n. 40.*

23 Nec refert III. sive legitimi sint, sive illegitimi: nam etiam Spurii juris patronatûs capaces censentur, ex quo nullibi prohibentur, & generaliter disponitur in *c. pia mentis. c. quicunq; c. filiis. causâ 16. q. 7.* quemcunque Christianum fundantem, dotantem, aut extruentem Ecclesiam jus patronatûs acquirere; & sine dubio spurius est capax hæreditatis, ab extraneo acquirendæ; ergo & juris patronatûs. Azor. *tom. 2. Inst. moral. lib. 6. c. 21. q. 15.* Neque impedit, quòd incapax sit bonorum, beneficiorum, ac officiorum publicorum: nam hoc solummodò verum est de officiis, honoribúsque verè publicis, & maximè secundùm electionem, & optionem publicam acquirendis, non impropriè dictis, & in aliquam remunerationem, & compensationem primordialiter concessis.

24 Excluduntur Judæi, pagani, hæretici. Azor. *d. lib. 6. c. 21. q. 7. & 8.* Panorm. *in c. nobis. h. t.* Text. & Glossa *in c. frequentibus. in c. pia mentis, c. quicunque. causâ 16. q. 7.* cùm enim pagani & Judæi sint extra Ecclesiam, juris patronatûs, suò modò spiritualis, incapaces sunt: & in *cit. cap.* mentio fit de solis Christianis, quæ qualitas Christianitatis, cùm vacet in his personis, meritò rejiciuntur, utpote requisitâ qualitate destitutæ. Quoad hæreticos de jure scripto res etiam expedita est: nam ob hæresim omnia illorum bona ipso jure confiscata sunt, consequenter etiam jus patronatûs ad fiscum abibit. *per c. cùm secundùm leges. de Hæret. in 6.* Azor. & Panorm. *cit. loc.* In praxi res est difficilior maximè in nostra Germania, ubi certæ sectæ hæreticorum tolerantur, neque hanc pœnam incurrunt: quippe ex quo sunt capaces hæreditatum, etiam juris patronatûs capaces dixeris, quod cum universitate, ut est hæreditas, transit: maximè quia constat, in aliquot Monasteriis Sueviæ Comites Acatholicos hodiedum prætendere, & possidere jus Advocatiæ, ex eo solùm, quòd sui majores tunc Catholici, idem adepti sint, quibus illi, utpote legitimi hæredes, in omne jus, quod habeant, succesſère. Mallem tamen asserere, Ecclesiam, & ordinarios locorũ de rigore juris eos posse repellere à præsentando, quandoquidem Ecclesia nunquam consensit in illorum confœderationem, & liberum commercium cum Catholicis habendum, atque de Jure Canonico æquè in pœnam suæ sectæ omnibus suis bonis privantur. *per d. c. cum secundùm leges. de Hæret. in 6.*

§. VII.

Objectum juris patronatûs sunt Ecclesiæ, *circa quas jus patronatûs ex fundatione, constructione, aut dotatione competit. Ubi secernendæ Ecclesiæ collegiatæ, seu conventuales à non collegiatis. Collegiatæ, seu conventuales* appellantur, in quibus plures Clerici seu Sæculares, seu Regulares commune sigillum habentes, tanquam fratres, constituunt unum collegium, sive potiùs tanquam membra unum corpus Ecclesiasticum, cujus caput est Prælatus, qui de Jure communi à collegio eligendus est. *per c. 1. de Elect.* In hujusmodi Ecclesiis, etsi fundatione, aut donatione jus patronatûs acquiratur quoad honorem, aliósque similes effectus; jus tamen prælentandi, vel nominandi Prælatum sine Sedis Apostolicæ consensu non obtinetur. *c. nobis & ibi* Panorm. *n. 9.* Barb. *n. 3.* & Fagn. *n. 14. Non colle-*

collegiata vocantur, in quibus unus, vel etiam plures Clerici, seu Beneficiati singulares, commune sigillum non habentes diversis officiis, & ministeriis deputati, & uniti Ecclesiæ Rectori subjecti deserviunt, quin efficiant unum collegium, seu corpus, cujus caput sit Præsul ab ipsis eligendus. Laymann in *d.c. 1. de Elect. & n. 1.* In hujusmodi Ecclesiis jus patronatûs non tantùm quoad honorem, seu præcedentiam, sed & quoad jus Rectorem, & alios beneficiatos præsentandi patronum consequi, pro judicato habetur.

§. VIII.

26 *Forma* juris patronatûs alia est *generalis*, alia *specialis*.

Generalis in eo posita est, quòd sit jus spirituali annexum, honorificum, oneroſum, & utile alicui competens in Ecclesia, eò quòd de Ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit, vel dotaverit, aut id à suis Majoribus, vel Antecessoribus factum fuerit.

27 *Specialis* consistit in differentia, quâ inter se differunt jus patronatûs *Ecclesiasticum*, & *sæculare*. *Differunt* autem I. quòd patronus *Laicus* ad beneficium vacans plures, vel simul vel successivè, re adhuc integrâ & nondum factâ institutione; *Ecclesiasticus* verò nonnisi unum præsentare possit. *c. 5. & 24. h. t.* Quemnam autem ex pluribus præsentatis Episcopus eligere, & instituere teneatur? dictum est *supra ad tit. de Instit. n. 11.* II. *Differunt*, quòd Patronus *Ecclesiasticus* ad præsentandum habeat semestre, tametsi jus præsentandi à Laico sibi donatum adeptus sit. *c. 22. h. t. c. un. Eod. in 6. & ibi* Gloss. *Laicus* verò tantùm quadrimestre, siquidem nomine proprio & non procuratorio locò Clerici præsentet. *c. 3. & 27 h. t.* Quod temporis spatium eatenus extendimus, ut tametsi Patronus sive Laicus, sive Ecclesiasticus aliquem jam ante præsentaverit intra quadrimestre, vel semestre, si tamen is non prosequatur suam præsentationem, admissionem, & institutionē, possit patronus tempore illo elapso alium, præsentare, quandoquidem negligentia præsentati non debet redundare in præjudicium Patroni. Zerol. in *prax. Episcopal. V. jus patronatûs. 2. p.* III. *Differunt*, quòd Patronus *Laicus* non obstante decreto Trid. *sess. 24. c. 18. de Reform.* pro libitu ad Parochiam Clericum aliquem præsentare possit, qui per Examinatores ad concursum destinatos tantùm examinari, & dignus repertus ab Ordinario institui debeat; econtra si Patronus *Ecclesiasticus* sit, concursus locum habeat, ut prolixè tradidimus *ad tit. de Conces. Præb. n. 29.* IV. *Differunt*, quòd Papa juri patronatûs *sæculari* derogare non soleat, Legatus verò non possit. *c. 28. h. t. & ibi* Panorm. *n. 3.* Barbos. *n. 3.* secùs de *Ecclesiastico*; propterea, ne Laici à fundationibus abstereantur, & jus patronatûs contemnant, si illud non facilè eludi posse videant. V. *Differunt*, quòd probabiliter solus patronus *Ecclesiasticus* privetur jure suo pro illa vice, si inidoneum præsentaverit. *c. 2.* ibi: *minùs idonea persona de Suppl. neglig. Prælat.* non item *Laicus* per satis clarum textum in *c. cùm vos. de Officio Ordinarii & ibi* Panorm. Barb. *de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 105.*

§. X.

Finis, ob quem Ecclesia jus patronatûs tri- 28
buit, est, ut eos, qui pio affectu ducti res suas Ecclesiæ dedicârunt, aliquo saltem jure, tanquam perpetuo voluntatis & pietatis monumento remuneraretur.

§. XI.

Effectus juris patronatûs sunt jura, quæ ex 29
eo Patronus consequitur, vide licet *jus honorificum, utile, & oneroſum* juxta dictos illos versiculos.

Patrono debetur honos, onus, emolumentum,
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Primus itaque *effectus* est *honor*, quem patronus obtinet in Ecclesia juxta *c. pia causa 16.*

q. 7. quia in ista eidem debetur sedes honorabilior, locus dignior & prioritas in processionibus, in suscipiendâ pace, thurificatione, & aliis actibus similibus. Barb. *J. E. U. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 215. Extra Ecclesiam etiam ab istius Rectore, vel Administratore honorandum esse Dd. passim tradunt.

30 *Secundus* est *onus*, seu cura defendendi Ecclesiam, ne bona ejus indebitè dilapidentur, vel ad alios, quàm à fundatore destinatos usus convertantur. *c. constitutum causâ* 16. *q.* 9. *c. filiis causâ* 16. *q.* 1. Barb. *J. E. U. lib.* 2. *c.* 2. At in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenùs se ingerere præsumat Patronus, saltem laicus; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus se immisceat: nisi quatenus id ei ex institutione, aut fundatione competit. *c. noverint. causâ* 10. *q.* 1 Concil. Trid. *sess.* 24. *de Reformat. c.* 3. *in fine.*

31 *Tertius effectus* est utilitas redundans in Patronum: quia si patronus vergeret ad inopiam, Ecclesia teneretur eum præ reliquis pauperibus ex redditibus, qui detractis necessariis impensis supersunt, alere, ac juvare *c. nobis. h. t. c. quicunq;* 30. *causâ* 16. *q.* 7. æquissimâ ratione, quâ ad remunerandum iis obligati sumus, à quibus beneficium accepimus. arg. *l.* 26. §. 12. *ff. de Condict. indebit.*

32 *Quartus* demum, & præcipuus *effectus* est facultas præsentandi Clericum ad beneficium vel Ecclesiam vacantem, quæ Patrono ita competit, ut intra tempus à jure indultum ad præsentandum, ipso contradicente, vel etiam ignorante, ab Episcopo, vel alio, qui jus instituendi habet, facta Clerici institutio ipso jure irrita sit, ac proinde hâc non obstante in Ecclesia, vel beneficio instituendus sit alius Clericus idoneus à Patrono reclamante intra præscriptum tempus postea præsentatus. *c.* 14. *h. t. c. decernimus causâ* 16. *q.* 7. Rochus de Curte *V. honorificum*, *n.* 3. & Ego *supra de Institut. n.* 15. Porrò se ipsum Patronus nec per se, nec per alium à se delegatum præsentare potest, etiamsi Clericus sit, & idoneus. *c.* 26. *h. t.* suum tamen cognatum, quin & filium præsentare nullo jure prohibetur. arg. *c.* 15. *Eod. & ibi* Gloss in *V. concedere.* Panormit. *ad idem n.* 3.

§. XII.

Contrariæ Jurispatronatûs sunt modi, quibus amittitur. 33 Amittitur autem vel propter *defectum fundamenti*, vel propter *delictum*, vel propter *non usum*, ac subsecutam *præscriptionem.*

Propter *defectum fundamenti* amittitur jus patronatûs I. si Ecclesia sine spe reædificationis planè pereat, aut dos ei adimatur, quandoquidem non entis nullæ sunt qualitates. Barb. *J. E. U. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 254. Zoës. *h. t. n.* 68. II. Si cum Patroni consensu ex Ecclesia patronata fiat Monasterium, vel Ecclesia collegiata, cùm in his non præsentatio, sed electio obtineat. Butr. in *c.* 25. *h. t. n.* 26. Vallensis §. 7. *n.* 5. III. Si Ecclesia patronatui obnoxia alteri Ecclesiæ, vel Monasterio sine juris reservatione uniatur: quia Ecclesia unita alteri censetur quasi extincta. Pirrhing. *h. t. n.* 138. Zoës. *n.* 68.

Propter *delictum* jus patronatûs amittitur 34 I. Si Patronus incidat in hæresim, Schisma, apostasiam, aut crimen læsæ Majestatis; cùm propterea omnia bona confiscentur. *c. fin. de Hæret.* Panormit. in *c. cùm laici h. t.* II. Si quis per se, aut per alium temerario ausu Prælatum, Rectorem, vel Clericum Ecclesiæ patronatæ occidat, vel impias in illos manus injiciat vulnerando vel aliâ enormi læsione offendendo: *c.* 12. *de Pœnis & ibi* Panormit. ut tamen privatio ex hoc capite delicti effectum habeat, sententiâ Judicis declaratoriâ opus est, licèt delictum fuerit notorium. Gail. 2. *observ.* 51. *n.* 6. III. Si se scienter, & malitio-

litiosè ingerat quoad perceptionem fructuum beneficii, sive deinde in proprios usus convertat, sive tantùm impediat, ne ad Beneficiatum perveniant; qui talis præter privationem juris patronatûs etiam excommunicationem incurrit. Trident. *sess.* 22. *de Reformat. c.* 11. ℣. *quodsi ejusd. Ecclesiæ. & ibi* Barb. IV. Si Patronus contra sanctiones canonicas venditione, aut alio quocunque modo prohibito jus patronatûs in specie in alium transfert. Trident. *sess.* 25. *de Reform. c.* 9. ℣. *nec dictum & ibi* Barb. Piasec. in *Prax. Episc. p.* 2. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 37.

‡ Propter *non usum* (intellige positivum, non merè negativum) ac *præscriptionem* perditur jus patronatûs, si Patronus tanto tempore, quantùm de jure requiritur ad prælcriptionem, præsentationes de Rectore Ecclesiæ facere, cùm posset, omisit, & duabus saltem vicibus Rector fuerit sine præsentatione institutus. Panormit. *consil.* 106. *vol.* 2. Barb. *J. E. U lib.* 3. *c.* 12. *n.* 257.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

QUemadmodum *Jus patronatûs*, ita & *census*, *exactiones*, & *procurationes* onera sunt Ecclesiarum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum, de quibus proinde hîc sigillatim.

Pars I.
De Censibus.

SUMMARIA.

1. Census bononymia. 2. Definitio. 3. Divisio. 4. usq; 9. Quinam possint imponere censum? 9. 10. 11. An, & quatenùs census possit exigi à Monasteriis, aut Parochiis incorporatis? 12. In quibus rebus census constitui possit? 13. Adferuntur requisita ad censum imponendum. 14. Quis sit finis census. 15. An census remitti possit?

§. I.

Vocabulum *censûs* non uno semper significatu, sed variè pro cujuslibet instituto à variis accipitur, uti id ipsum Comentatores accuratè ad *h. t.* notare solent. Hîc loci significat pensionem annuam ex redditibus Ecclesiasticis in recognitionem subjectionis, aut beneficii solvendam. In qua acceptatione. 1

§. II.

Definitur census, quòd sit pensio, quæ de proventibus Ecclesiæ, Monasterii, aliorúmve piorum locorum Prælatis in signum subjectionis, vel patronis in recognitionem beneficii, vel aliis ex alia justa causa persolvitur. 2

§. III.

Dividitur census in novum, & antiquum, *Novus* est, qui ab initio non fuit impositus: vel qui non solvitur regulariter ab aliis Ecclesiis: aut qui imponitur ex causis de Jure Canonico non proditis. Hostiens. in *Summa. h. t. n.* 4. Honorius *eod. t. n.* 6. *Antiquus* dicitur, qui ab initio, id est, tempore fundationis, consecrationis, vel concessæ exemptionis constitutus est. Potissima autem, & principalis species censûs est *cathedraticum*, quod nihil aliud est, quam certa summa, scilicet duo solidi (id est aurei rhenani, vulgò Gold-Gulden. *c.* 16. *de Offic. Ordin.*) singulis annis in recognitionem cathedræ Episcopalis præstanda; & quia olim in Synodo deponi debebat, etiam *Synodaticum* appellatur. 3

§. IV.

Causa efficiens censûs est is, qui illum imponit. Potest autem 4

I. Sine dubio imponere S. Pontifex; quod plerumque facit in signum & argumentum indultæ libertatis, & protectionis. *c. recepimus. de Privileg. c. constitutus. de Religios. domib.*

II. Episcopus, quando remittit jura Episcopalia. *d. c. constitutus.* quæ remissio, ut legitimè fiat, fieri debet auctoritate Superioris, & 5

eum consensu, ac consilio Capituli: est enim species alienationis; vel quando concedit aliquas Ecclesias, incorporando piis locis saltem de consensu sui Capituli: *c. pastoralis. de his, quæ fiunt à Prælat.* Item sibi, vel alteri censum reservare potest tempore dedicationis, vel consecrationis, dotationis, aut fundationis pii alicujus loci, vel Ecclesiæ. *c. Eleutherius causâ* 18. *q.* 2. *c. prohibemus. & ibi* Gloss. in *V. census. & c. quantò h. t.* Hostiens. *in Summa. Eod. tit. n.* 3. Neque hoc in casu videtur necessaria authoritas Superioris, cùm hoc de jure concessum sit, & solùm videatur requiri in impositione novi censûs.

6 III. Censum imponere possunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Abbates, aliíq; ad quos pertinent Ecclesiæ; modò tamen his in casibus etiam in impositione antiqui censûs auctoritas Episcopi concurrat. Nisi fortè tales personæ Ecclesiasticæ sint, quæ jurisdictionem quasi Episcopalem ibi locorum habent, ubi Ecclesiæ, quibus censum imponunt, sunt sitæ, & hoc quoad censum perpetuum sibíque, vel aliis ab his personis quærendum: Neque enim absurdum videtur, reliquos etiam Sacerdotes, ac Ecclesiarum Rectores posse saltem ad solutionem censûs se personaliter obligare, maximè si illa obligatio trienniis renovetur, ut satisfiat *Extravag. ambitiosæ. de Reb. Eccles. non alien.* Panorm. in *c. præterea. h. t.* Barb. in *c. prohibemus. n.* 5. *Eod.* Azor. *Inst. moral. tom.* 3. *lib.* 10. *c.* 7. *q.* 5.

7 IV. Censum imponere potest Patronus tempore fundationis, sed non aliter, quàm interveniente consensu, & auctoritate Episcopi. *c.* 23. *& ibi* Panorm. *de Jure patron.*

8 V. Ecclesia Matrix Ecclesiæ filiali, ut textus est ex mente Hostiens. *cit. l. in c. præterea de Transact.*

Episcopi itaque, & jamjam enumeratæ personæ ex causis, ac sub modo, & forma prædictis censum etiam perpetuum originaliter Ecclesiis in suam quoque utilitatem imponere possunt; novum verò regulariter nunquam exigere, nec veterem sive in suam, sive aliorum utilitatem augere valent, tametsi facultates Ecclesiarum augeantur. *c. prohibemus* 7. *h. t. & ibi* Panorm. & Barb. Addidi: *regulariter*: si enim subsit rationabilis causa, puta utilitas alterius Ecclesiæ valdè pauperis, de novo Ecclesiæ valdè diviti, & abundanti censum imponere possunt. Panorm. in *d. c.* 7. adhibito tamen consensu Capituli, cùm impositio censûs sit alienatio juris Ecclesiæ. Panorm. *ad d. c.* 7. Barb. *ibid.*

§. V.

Subjectum censûs est Ecclesia, vel res, quæ 9 onere censûs legitimè gravata est. arg. *c.* 1. *de Reb. Eccles. non alien.* Non possunt autem censu gravari Monasteria *c.* 3. *h. t.* quia impositio censûs, cùm sit onus quoddam, spectat ad *Legem Diœcesanam*, à qua omnia Monasteria sunt exempta. *c. quam sit* 5. *causâ* 18. *q.* 2. *c.* 8. *causâ* 10. *q.* 3. *c.* 8. *& causâ* 16. *q.* 1. Ubi notandum est, quòd communiter *Lex Episcopalis* à DD. dividatur in *Diœcesanam*, & *Jurisdictionis* per *c.* 18. *de Offic. Ordinar.* ubi Gloss. censet *Legem Jurisdictionis* illam esse, quæ in dando consistit, id est, quæ Episcopus dare debet, sive jam sint de potestate Ordinis, ut dare confirmationem, ordines, consecrationem; sive de potestate jurisdictionis, ut conferre beneficia, tribuere curam animarum, sententias judiciales proferre &c. *Legem Diœcesanam* autem illam dici, quæ consistit in recipiendo, id est, quorum percipiendorum Episcopus jus habet; cujusmodi sunt exactio cathedratici, charitativi subsidii, pensionis alumnaticæ, quartæ mortuariorum, quartæ decimarum &c. Et ab hac lege Diœcesana Monasteria regulariter exempta sunt per *jura allegata.* adeò ut in hac parte Monasteria habeant intentionem fundatam in jure, & si ab ipsis aliqua exiguntur de Lege Dio-

Diœcesana, non opus sit, suam exemptionem exhibere, utpote quæ ex Jure communi patet, sed Episcopus subjectionem, & exemptionem ab hac regula probare debeat.

10 *Controvertitur* I. An talis exemptio ad Parochias quoque Monasteriis incorporatas extendi possit, ac debeat?

Videbitur fortassis, quòd non, juxta Gloss. *in c. inter cætera. causâ* 10. *q.* 3. *V. solutionis.* ubi dicit Monasteria quidem à lege Diœcesana esse exempta, non verò eorum capellas *per c. ult. & penult. de Capellis Monachor. & c. Monachis. de Præbend.*

Verùm ex allegatis juribus id expressè haud colligitur, atque hinc etiam in plerisque incorporationibus solet addi clausula: *salvo jure Episcopali.* Certè cit. Gloss. admittit, quòd hæc exemptio etiam in Parochiis acquiri possit, vel privilegio, aut præscriptione quadragenariâ. *c. de quarta.* 4. *& ibi DD. de Præscr.* vel contraria consuetudine. Barb. *I. E. U. lib.* 3. *c.* 19. *n.* 6. unde si quæ Parochiæ his titulis gaudent, gaudebunt exemptione à regula ordinaria. Imò idem Barb. *loc. cit. n.* 9. *&* 14. rectè docet, similem exemptionem jure extendi ad Parochias pleno jure unitas, & incorporatas, siquidem vi talis unionis parochiæ, cessant esse Parochiæ, &, ut loquitur Riccius *in Praxi unionis Benef. resol.* 319. cum aliis DD. citatis, vi unionis tolluntur omnia vincula, quæ erant penes talem Parochiam, & assumit naturam, consuetudines, & privilegia Monasterii, cui annectitur; sicque decisum sæpius esse in Rota testatur idem Riccius *ibidem.* Interim fatendum, hac in re peculiaria accordata servanda esse.

11 *Controvertitur* II. An Monasteria, & Parochiæ iisdem incorporatæ teneantur ad pensionem alumnaticam.

Equidem Trident. *sess.* 23. *c.* 18. *de Reformat.* statuit, ut in qualibet Diœcesi, prout illa ampla, vel stricta est, unum, vel plura seminaria erigantur, & sufficienter dotentur *ex fructibus Mensæ Episcopalis, Capituli, & quarumcunque dignitatum, Abbatiarum, Prioratuum cujusque Ordinis, beneficiorum quorumcunque etiam Regularium, etiamsi exempta, aut nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & aliis quibusvis piis locis etiam exemptis annexa sint.* In summa, ut Zerola in *Praxi Episcopali V. Seminarium ad* 5. & Barb. *in Collect. an. ad hoc cap.* inquiunt, omnes debent contribuere ad Seminarium, & nullus est exemptus, nisi qui nominatim excipitur in Concilio, cùm verba Textùs clara sint. Jacob. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 223.

At quia *in cit. Constit. Trident.* hæc exceptio reperitur, quòd nempe illa Collegia, in quibus Seminarium discentium, vel docentium ad commune bonum Ecclesiæ promovendum actu habetur, sint exempta ab hac contributione: & insuper Barb. *loc. cit. n.* 13. sustinet, Seminario contribuere cogi non debere Abbatem, qui in territorio, & jurisdictione prius Seminarium proprium erexerat, & provisum retinebat; concludendum est, pauca Monasteria ad hanc pensionē alumnaticam teneri, ex quo pleraque habent actu ejusmodi Seminaria. De Parochiis verò incorporatis non immeritò dubitaveris, eò quòd illæ expressè non excipiantur, quin potiùs specificè in decreto comprehenduntur. Unde Barb. *loc. cit. n.* 22. ait, quòd Seminario teneantur contribuere beneficiati beneficiorum collationis Monachorum, si intra fines Diœcesis sunt, & ita decisum esse. Nihilominùs theoricè contrarium defendi potest, cùm enim Ecclesiæ Parochiales unitæ sint veluti membra Monasterii, & cum ipso constituant simul unum corpus, & omnes reditus Parochiarum pertineant ad Monasterium, atque Parochis, seu expositis Vicariis tantùm relinquatur, quantùm necessarium est

ad

ad eorum honestam sustentationem; reliqui verò proventus applicentur ad Religiosos, & alumnos studentes in Monasterio alendos, sequitur intentionem S. Concilii Trident. per hoc jam adimpleri, adeóque Parochos, seu Vicarios nullò modò cogi posse, ut insuper aliquid contribuant, sed tanquam membra simul cum corpore esse exempta. Ad id, quod Barb. in contrarium asserit, dicendum est, esse intelligendum de illis Beneficiatis, qui integros fructus alicujus beneficii sibi collati percipiunt.

§. VI.

12 *Materia, seu Objectum* censûs sunt res, quæ pondere, numerò, & mensurâ constant, proventus & fructus rerum mobilium, & immobilium: quia non tantùm in nummis, sed etiam in frumento, vino, oleo, gallinis, pullastris, & aliis id generis census constitui potest. *c. cum Canonicis. c. ex parte h. t.* Quid autem, & qualiter solvendum sit, conventio, vel Scriptura, aut instrumentum super censu solvendo confectum inspiciendum erit, cujus sanè tenori, & formæ ad unguem standum.

§. VII.

13 *Forma* constituendi censum consistit in requisitis, quæ potissimùm quinque. *Primum* est auctoritas Episcopi. *Secundum* consensus Capituli. arg. *c. Pastoralis. & c. tua. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* *Tertium* consensus Ecclesiæ, cui imponitur census, si est collegiata. *c. 1. de Rerum permut.* *Quartus* justa causa, puta remunerationis, relevandæ paupertatis & indigentiæ, redimendæ vexæ, denique illa justa causa judicatur, quæ evidentem utilitatem affert. Gloss. & DD. *in c. nisi de Præbend.* P. Engel *h. t. n. 3. & 4.*

§. VIII.

14 *Finis* censûs variat; ob diversum siquidem finem census imponi constat ex definitione. In dubio tamen si solvatur Episcopo, vel Prælato inferiori, præsumitur solvi in signum subjectionis, admittitur tamen probatio in contrarium per *c. omnis anima.* ubi Panormit. & *c. quoniam de Privileg.* Quòdsi hæc solutio censûs fiat uni Ecclesiæ ab altera, necessariò subjectionem non arguit, cùm fundamentum præsumptionis legalis non adsit: nam æquè facilè ex alia causa præstari solutio censûs potest, quàm ex titulo subjectionis. Panormit. *in c. quantò n. 2. h. t.*

§. IX.

Effectus censûs est ipsa annua rerum censualium perceptio; quod verum, si is, cujus rebus census est impositus, solutionem injustè non remoretur, vel detrectet: si enim detrectet, est actio in factum, aut interdictum retinendæ, vel recuperandæ possessionis. Speculator *h. t.* §. 1. Interim absurdum haud videtur, quin Ordinarius loci etiam censum in signum subjectionis solvi consuetum ex rationabili & legitima causa cum consilio, & consensu sui Capituli remittere, vel imminuere possit per Text. *in c. cùm Venerabilis. h. t.* Hostiens. *in Summa Eod. tit. c. pastoralis. c. tua de his, quæ fiunt à Prælat.* Imò ut bene notat *ibid.* Hostiens. tanta evenire potest paupertas, ut eâ durante Episcopus teneatur remittere arg. *quando h. t. & c. suggestum de Decimis.* Eâ tamen paupertate cessante censum illum quandocunque volet, reducere poterit, tametsi jam longissimo tempore nulla censûs solutio facta sit, arg. *l. competit. C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.* Panormit. *in c. significavit. in fin. h. t.*

Pars II.

De Exactionibus.

SUMMARIA.

17. Exactionis diversa acceptio. 18. Definitur charitativum subsidium. 19. Qui exigere possint? 20. à quibus? 21. In quâ quantitate. & de quibus rebus? 22. Et quomodo fieri debeat exactio? 23. Finit. 24. Et effectus exactionis.

§. I.

§. I.

17 *Exactionum* nomine veniunt non tantùm tributa, atque collectæ, quæ subditis extra ordinem imponuntur, sed etiam pedagia, guidagia, aliáque similia onera. *c. penult. h.t. in 6.* Hic *pro subsidio charitativo* germanicè Bett oder Liebe Geld sumitur, &

§. II.

18 *Definitur* exactio, quòd sit pensio, quæ de redditibus Ecclesiasticis extraordinariè, & in subsidium ab Episcopo exigi potest ex justa causa expressâ simul, & manifestâ. *cap. 5. & 6. h.t.*

§. III.

19 *Causa efficiens* exactionis est is, qui petit. Non est autem dubium, exactionem, seu charitativum subsidium petere posse S. Pontificem; sicut & reliquos Prælatos Superiores, imò & Capitulum Sede vacante, Barb. *de Potest. Episcop. p. 3. alleg. 87.* Innocent. *in c. 1. de Statu Monach.* Oldrad. *in consil. 104.* Cardin. *in Clem. 1. §. 1. q. 1. de Excess. Prælat.* qui idem *in Clem. 1. §. fin. de supplend. negl. Prælat.* sentit, quòd etiam Prælati inferiores ab Ecclesiis sibi subjectis (subintellige pleno jure) charitativum subsidium petere possint.

§. IV.

20 *Subjectum* hujus exactionis sunt Clerici subditi, quibus imponitur. Laici nullo modo tenentur ad exactionem, aut charitativum subsidium. *c. quia cognovimus causâ 10. q. 3.* Item peti nequit ab Exemptis. Barb. *de allegat. 87.* Imò tametsi Monasteria absolutè exempta non sint, nihilominùs tamen ab iis charitativum subsidium peti nequit ab Episcopis, nisi fortè hoc fieret ratione Ecclesiarum & Parochiarum sibi subjectarum, quæ antequam ad Monasteria transierunt, tale subsidium solvere consueverunt. *Clem. 1. & 2. h.t.* Ratio in promptu est, quòd Monasteria exempta sint ab iis, quæ pertinent ad Ordinarium loci jure legis Diœcesanæ, ut est etiam exactio charitativi subsidii. Barb. *d. loc.* Innocent. *in c. 1. de Statu Monach.* An à Parochiis plenò jure incorporatis exigi queat? resolvi potest ex supradictis.

§. V.

21 *Materia, seu Objectum* hujus exactionis est id, quod exigitur de fructibus beneficii. Quantùm vero titulo subsidii exigi possit, taxatur *in Extravag. vas electionis. §. præmissis quoque h.t.* Notat vero Menoch. cum aliis, *de Arbitr. Jud. casu 187. à princ.* quotam ibi taxatam usu receptam non esse, adeóque illud debet & potest exigi, quod, ac quantum hucusque consuetum erat. Insuper charitativi subsidii solutio aliter fieri non debet, quàm de fructibus beneficii, deductis non solùm expensis, cùm fructus non nisi his deductis censeantur. *l. si à Domino. §. fin. ff. de Petitione hæredit*, sed etiam necessariis ad sustentationem, cùm ordinata charitas incipiat à se ipsa *per c. dilecto. de Prabend. l. præses. & ibi.* Bald. *C. de Servitut. & aqua.* Planè distributiones quotidianæ subsidio hoc onerandæ non sunt, cùm nomine fructuum non contineantur, ut demonstrat Barb. *J. E. U. c. 18. num. 8.*

§. VI.

22 *Forma* Exactionis, seu charitativi subsidii stat in modo legitimo exigendi. Ubi requiritur I. ut exigatur cum consilio Capituli, alioquin invalida erit exactio *c. novi. c. quanto. de his, quæ fiunt à Prælat.* II. ut ex justa, & legitima causa exigatur, sunt autem plures justæ, & rationabiles causæ petendi subsidium; veluti est, si Episcopus contraxit debita pro defensione suæ Ecclesiæ, eáque aliter commodè solvere nequit, si erogavit magnos sumptus, & impensas in negotia totius Diœceseos: si rem magni momenti, v. g. castrum, vel oppidum emit ad suæ Ecclesiæ conservationem: si iter suscipit ad Papam, vel Impe-

ratorem propter Ecclesiæ, vel suæ Diœceseos utilitatem: si redditus Episcopatûs impares sunt ad idoneè sustendandum Episcopum; si bellum Episcopo sine causa movetur, nec sufficiunt redditus ad expensas &c. Azor. *Instit. Moral. tom.* 3. *lib.* 9. *c.* 12. III. ut exactio sit moderata, & ab initio cum charitate petatur. *c.* 6. *h. t.* atque inde *subsidium charitativum* esse perhibetur, & aliàs *doni gratuiti* nomine insignitur. quamvis in effectu onus necessariò exsolvendum complectatur, dum rationabili causâ existente refractarii, ac renitentes etiam inviti ad solutionem compelli possunt. Innoc. Hostiens. Butr. & Panorm. *ad d. c.* 6.

§. VII.

23 *Finis* exactionis est, ut eâ promoveatur bonum commune Diœcesis, Ecclesiæ indigenti aut ipsi Episcopo inopi succurratur.

§. VIII.

24 *Effectus* exactionis est pensionis exactæ solutio, & receptio pro fructuum beneficialium quantitate, ex quibus exactio, seu charitativum subsidium exsolvendum est juxta ante dicta.

Pars III.
De Procurationibus.

SUMMARIA.

25. Procuratio quid nominis? 26. Quid rei? 27. Quam ob causam jus statuat procurationem esse dandam? 28. Quinam teneantur præstare procurationes? 29. Procuratio consistit in victualibus. 30. Quæ sit forma? 31. Quis finis? 32. Qui effectus procurationis?

§. I.

25 PRocurationis acceptio varia reperitur apud Calepinum, & Thesaurum. Hic sumitur pro sustentatione ratione visitationis debitâ; quæ aliquando *prandium*, alibi *convivium*, & nonnunquam *refectio* appellatur. Petrus de Murga *tr. de Benefic. q.* 2. *num.* 124.

§. II.

Definitur procuratio, quòd sit exhibitio sumptuum necessariorum facta illis, qui Ecclesias Diœcesi subjectas visitant. Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 3.

§. III.

Causa efficiens Procurationis est jus: nam enim officium hoc visitandi ex se satis onerosum, simul & damnosum sit Episcopis, qui ordinariè majores sumptus in itinere, quàm domi facere coguntur, jura generaliter statuerunt, ut procurationes subministrarentur ab Ecclesiis, quas visitant. *c. procurationes. h. t. conquerente. de Officio ordinarii. c. cùm ex offic. de Præscript.*

§. IV.

Subjectum Procurationis sunt Ecclesiæ: & quidem Ecclesiæ omnes, quæ oneri visitandi, oneri quoque procurandi ipsum visitantem subjectæ sunt. Hinc ad procurationes tenentur non tantùm Parochiæ Sæculares, sed & Monasteria, utut aliàs ab illis, quæ *ad Legem Diœcesanam* spectant, libera ac immunia sint. *c.* 14. *h. t.* Trid. *sess.* 24. *de Reformat. c.* 3. Excipiuntur I. Oratoria privata, etsi in iis aliquoties Missæ celebrentur. *c. fin. h. t.* II. Ecclesiæ suæ intra eandem civitatem, ubi visitans moratur, & domum, ac familiam habet saltem secundùm Trident. *cit. c.* 3. quamvis ex mente Azorii *p.* 2. *Inst. Moral. lib.* 3. *c.* 24. *q.* 4. aliud de Jure Decretalium obtinuerit. Barb. *ad d. c.* 14. *num.* 8. III. hospitalia, si titulum beneficii annexum non habeant, Xenodochia, Leprosaria, & alia similia loca pia, etiam cum authoritate Episcopi erecta, ita scilicet, ut licèt ab Episcopo visitentur, prout visitari possunt juxta *c.* 3. *de Religios. domib.* Procurationes tamen non debeant, eò quòd bona hujusmodi locorum ad alios certos usus, & sustentationem pauperum destinata sint. Riccius *in sua prax. p.* 4. *resol. int.* 151. Barb. *add. c.* 14. *n.* 11. *& de Potest.* Epi-

Episcopi p. 3. alleg. 73. n. 46. Azor. cit. lib. 3. c. 42. q. 1. Quâ ratione ex dispositione Trid. sess. 23. c. 18. neque ad Seminarium contribuere obligantur, neque ad cathedraticum, per ea, quæ notant Interpp. ad c. fin. h. t.

§. V.

29 *Materia*, seu *objectum* procurationis sunt omnis generis victualia, aut eorum pretium: quamvis enim in c. 1. & 2. h. t. in 6. cautum fuerit, ne procurationes in pecunia recipe-tentur, tametsi visitati ultrò offerant, sed præcisè in victualibus, id tamen correctum est in c. 3. Eod. tit. & lib. ubi conceditur Episcopis, aliisque Visitatoribus, ut à volentibus Ecclesiarum, & locorum visitatorum Rectoribus pecunias licitè recipere possint pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus visitationis officium personaliter exercebunt. Trid. cit. sess. 24. c. 3. Cæterùm caveat visitator, ne ipse, Notarius, Secretarius, Scriba, vel quisquam suorum famulorum, ac comitum aliquod munus, quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, recipere præsumat. Quòd si fuerit contra præsumptum, recipiens graviter peccat, & intra mensem tenetur ad restitutionem dupli. c. 1. §. procurationes. h. t. in 6. Trid. cit. sess. 24. de Reformat. c. 3. & ibi Barb. Navarr. h. t. consil. 1. Azor. loc. cit. q. 9. Quod notent Confessarii ejusmodi personarum, eas enim absolvi non posse, nisi promittant, se duplum restituturas, ait Barb. add. c. 1. h. t. in 6. n. 17. & 22.

§. VI.

30 *Forma* procurationis stat in honesta, & moderata sustentatione Episcopi, vel alterius visitantis attentis facultatibus Ecclesiarum visitandarum, & omnibus aliis circumstantiis. Procuratio itaque limitata est ad sola victualia Visitatori, ejusdem famulis, ac jumentis præstanda, ut adeò Visitator non possit imputare expensas, quas fecit in conducendis equis, minus æstimare equos, aut vestimenta attrita. Barb. de Potest. Episcop. alleg. 73. p. 3. n. 57.

§. VII.

Finis procurationis est, ne visitationes omit- 31
tantur, si visitatores suis sumptibus visitare deberent.

§. VIII.

Effectus procurationis est, obligatio præ- 32
standæ justæ sustentationis Visitatori, quoties visitationem instituerit, modò unò annò non ultra binas vices illam faciat: non enim tenentur Visitati, nisi bis unò annò, etiam pluries ex justa causa visitantem procurare. c. cum Venerabilis. h. t. Trid. sess. 24. de Reform. c. 3.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

SUMMARIA.

1. Consecrationis etymologia. 2. Quid sit consecratio Ecclesiæ, vel Altaris? 3. ejus origo. 4. Minister ordinarius est Episcopus loci. 5. 6. Extraordinarius Abbas, aut simplex sacerdos. 7. Quæ Ecclesia consecranda sit? 8. Quod altare? 9. Quæ sit consecrationis materia? 10. Quæ forma? 11. Divina in locis sacris peragenda. 12. & seqq. Quibus modis Ecclesia polluatur?

CEnsus, de quibus agimus, imponuntur in *Consecratione Ecclesiæ*, vel *Altaris*, atque ideo meritò præsens *Rubrica* subjicitur.

§. I.

Si *Etymologiam* spectes, *consecratio* nonnisi 1
interventu plurium personarum concordi animo, & actione fit. c. pudenda causâ 24. q. 1. Gloss. in c. Episc. d. n. 23. communiter tamen sicut ex *Rubr. h. t.* constat, accipitur pro quavis simplici sacratione legitimè & secundùm SS. Canones facta.

§. II.

Definitur consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, 2
quòd sit Ecclesiæ, vel altaris dedicatio facta DEO à legitimo Ministro debitâ materiâ, ac forma interveniente, cum intentione canonica.

§. III.

3 *Causa efficiens* hujus consecrationis est duplex: remota & proxima.

Remota est jus. Et quidem ritus consecrandi Ecclesias, aut altaria non tantùm è jure positivo scripto, sed etiam ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, & traditione originem trahit, ut ex *c. 2. dist. 1. de Consecrat.* apparet. Imò consecrationis usus concorditer receptus fuit tam in lege naturæ & veteri, quàm in lege gratiæ. In *lege naturæ:* nam ut habetur *Genes. 28.* Jacob erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eúmque consecravit fundens oleum desuper, & appellavit domum DEI. In *lege scripta* Moyses consecravit oleo sacro, aliisque ceremoniis tabernaculum, altare, & omnia vasa sacra. *Exod. 40. & Num. 7. c. 1. de Consecr. dist. 1.* In *lege gratiæ* receptam, & simul præceptam esse consecrationem Ecclesiarum, & altarium constat ex *c. altaria c. Ecclesias. de Consecr. dist. 1.* & aliis congestis à Bellarmin. *tom. 1. Controv. lib. 3. c. 5.*

4 *Proxima* est Minister consecrans, qui alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius.*

Ordinarius Minister hujus consecrationis est Episcopus consecratus, per *c. interdicimus. 10. causâ 16. q. 1. c. nemo. c. hic 14. c. nullus 25. dist. 1. de consecrat.* Pertinet autem consecratio Ecclesiæ ad illum Episcopum, in cujus Diœcesi sita est. *c. 1. de Religios. domib. & ibi* DD. Atque hoc extendendum est etiam ad Ecclesias, quæ sunt Ordinum Exemptorum, quatenus ab Ordinario loci consecrandæ sint, nisi fortè ejusmodi Episcopus, in cujus Diœcesi aliàs Monasteria sita sunt, bis, vel ter debitè requisitus sine legitima causa recusârit. Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. q. 7.* Et siquidem ab alieno Episcopo contrarium temerè præsumptum fuerit, consecratio quidem eatenùs tenet, ut manente suo subjecto nunquam deleri possit, sed temerè consecranti præter id, quòd interest in civilem exactionem, pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium per annum irrogatur. Trid. *sess. 6. c. 5. sess. 14. c. 2. & sess. 23. c. 8. de Reform.* Aliud est, si Episcopus loci alteri Episcopo hanc facultatem concedat, aut committat, quod potest.

Minister *extraordinarius* consecrationis 5
Ecclesiæ, vel altaris potest esse Sacerdos simplex: quoniam explorati juris est, eam fieri posse nedum per Abbates, verùm etiam à quolibet alio simplici Sacerdote, si ad hoc privilegio Apostolico fulciatur. Tambur. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 23. q. 4. sub n. 2.* Barb. *de potest. Episcop. alleg. 27. n. 25.* Et verò Abbates Cassinenses inter alia insignia privilegia, hoc quoque habent, ut Altaria fixa, pro suis tamen tantùm Ecclesiis, portatilia verò, non tantùm ad usum suorum Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum sibi subjectorum, sed etiam aliorum, à quibus ad eos ad hunc effectum deferri contigerit, consecrare possint, Ordinariorum licentiâ minimè requisitâ per *Constitutionem* Pii IV. *97. in Bullario Novo tom. 2.* quæ etsi loquatur de consecratione lapidum ad usum Altarium portatilium, nihilominùs ex interpretatione S. Congregationis Rituum locum habet etiam in Altaribus fixis, teste Jacobo Pignatell. *tom. 3. consult. 67. n. 5. & 7.* Tambur. *d. disp. 23. q. 4. sub n. 3.* Virgin. Alviset *in Murenul. sect. 3. c. 2. n. 12. & seqq.* Yso Pfaw in *collect. ar. privileg. sect. 3. §. 3.* Neque dubito, idem privilegium competere Abbatibus Monasterii Garstensis, postquam Reverendiss. & Amplissi. DD. Anselmus, Abbas Meritissimus Anno 1691. die 5. Januarii pro eodem suo Monasterio ab Alexandro VIII. Sanctissimæ memor. communicationem omnium gratiarum spiritualium, quæ Congregationi Cassinensi reperiuntur concessæ, impetravit, cum clausula derogatoria *regulæ 54. Cancellariæ de gratiis ad instar non concedendis*, siquidem similis communi-

catio

catio privilegiorum aliis competentium operatur, ac si illa fuissent in specie, ac nominatim concessa per text. in *l. omnia cum ibi notatis C. de Episcop. & Cleric.* Rota *decis. 30. n. 2. p. 4. tom. 2. recis. 337. num. 4.* & in specie hoc privilegium jure communicationis transire ad Abbates, asserit Tambur. *d. disp. 23. q. 4. sub n. 3. ℣. quo privilegio & q. 12. n. 3. tom. 1.*

In facto *quæsitum* fuit: an Abbas facultate consecrandi altaria per privilegium Pontificium ad certas Ecclesias restrictâ, ex licentia, & commissione Ordinarii in aliis quoque Ecclesiis uti possit?

Ratio dubitandi est: quia hòc ipsò quòd potestas consecrandi altaria Abbati concessa, sit restricta ad certas Ecclesias, in alias nulla est, cùm potestas limitata non contineat ea, quæ sunt extra limitationem, & per consequens Abbas sic se habeat respectu illarum, ac si potestatem non haberet, neque ex commissione Ordinarii eam obtinere aut exercere potest: quandoquidem noti juris, quòd potestas Ordinis, qualis est potestas consecrandi altaria, ab Episcopo committi nequeat aliàs de jure, & privilegio eandem potestatem non habenti. Barb. *J. E. Univ. l. c. 11. §. 2.*

Nihilominus potior est affirmativa, cui propterea subscribo: quia quamvis potestas conferendi Ordines minores juris privilegio Abbatibus indulta, tam de jure communi in *c. quoniam. dist. 69. & c. cùm contingat. de Ætate & qual. & ord. præfic.* quàm in Trid. *sess. 23. c. 10. de Reformat.* restricta sit ad proprium Monasterium, & subditos regulares, tamen Abbates rectè, & licitè conferre possunt Ordines minores in aliis locis, & non subditis, etiam sæcularibus, cum licentia, & ex speciali commissione Ordinarii, ut pluries resolutum fuit à S. Congregatione Concilii teste Fagn. in *c. 1. de Supplend. neglig. Prælat.* & in *c. aqua h. t.* quem si legisset, contra me, & P. Engel pro sua sententia non allegâsset. Eximius P. Ægydius Kibler in *Resolut. select. ex Jure Canon. resolut. 7.* Quòd si hoc in materia Sacramenti? quantò magis fieri poterit in materia Sacramentalium, quò pertinent altarium, & aliæ consecrationes.

Neque obstat ratio dubitandi: etenim potestas ordinis nullam quoad se recipit limitationem, sed restrictiones factæ tantùm respiciunt potestatem jurisdictionis. Fagn. in *d. c. 1. n. 24. & 28.* Nec S. Pontifex eam pro parte dare, aut pro parte tollere potest, sed debet respectu rei, de qua dat, aut dare totam, aut totam tollere, licèt per prohibitionem exercitii, quoad usum licitum, & ratione Jurisdictionis eam restringere possit; proinde defectus in habente limitatam potestatem consecrandi quoad ea, quæ sunt extra limitationem, est tantùm jurisdictionis, non Ordinis, & per commissionem Ordinarii proprii, in cujus favorem restrictio facta est, suppleri potest.

§. IV.

Subjectum hujus consecrationis est Ecclesia, vel altare nondum consecratum.

Ecclesia consecrari non debet sine assignatione dotis congruæ. *c. cùm sicut. h. t. c. ad audientiam de Ecclesiis ædificand.* si Episcopus Ecclesiam sine dote consecraverit, nec providerit, ut eam fundator constitueret, ipse Ecclesiam dotare obligatur juxta *c. 2. 4. & 16. de Prabend.* Quanta autem dos sit assignanda cuilibet Ecclesiæ, tradit Panormit. in *d. c. cùm sicut. h. t.* Cœterùm Ecclesia semel consecrata, quamdiu manet, consecranda non est. *c. Ecclesiis. dist. 68. c. proposuisti. & c. ligneis. h. t.* nisi simul tota, vel saltem major ejus pars destruatur, & de novo reædificetur. *c. Ecclesiis 20. dist. 2. de Consecrat.* idque tametsi ex eadem materia reædificetur: quia nihilominùs non prior, sed nova censetur Ecclesia. arg. *l. inter stipulantem. ff. de V. O.* non item si minor tantummodo aliqua pars concidat. *c. 6. h. t.* vel si Ecclesia amplietur, quo

casu pars reparata aspergi solet aquâ benedictâ aliis solennitatibus prætermissis. *c. fabrica. dist.* 1. *de Consecrat.* In dubio, an Ecclesia aliqua consecrata sit, & si non habeantur indicia consecrationis, potiùs contra Ecclesiam præsumendum est, donec contrarium probetur *c.* 18. *dist.* 1. *de Consecrat.* Azor. *Instit. moral. tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 6. *q.* 12. Mascard. *de Probat. concl.* 582. Potest autem juxta laudatos Authores consecratio probari etiam per unicum testem de auditu, aut per sculpturam, vel scripturam in lapide, aut pariete, quia ubi de nullius præjudicio agitur, sufficiunt etiam semiplenæ probationes. Panorm. in *c.* 4. *h. t.*

8 *Altare*, quod consecratur, lapideum sit, oportet. *c. altaria. de consecrat. dist.* 1. Est autem duplex altare: nempe *portatile*, & *fixum*, seu *stabile*: inter quæ hoc discrimen intercedit, quòd illud per se consecretur, hoc verò nonnisi quatenus basi affixum est. Unde sequitur, quòd altare portatile, quocunque deferatur, non amittat consecrationem; fixum verò amittat, si ab interiori structura, & basi amoveatur. *c. si motum. de Consecrat. dist.* 1. *& c. ligneis. h. t.* Illud verò utrique altari commune est, quòd notabili fractione consecrationem deperdat, quando scilicet talis est, ut in illo calix cum patena ampliùs consistere non possit. Item violatione sigilli, seu loculi, in quo reliquiæ Sanctorum conditæ sunt; Quòd quamvis aliqui negent, asserántque reliquias illas non esse absolutè necessarias, spectatâ tamen consuetudine ipsius Ecclesiæ, quæ initio missæ hanc orationem à Sacerdote ad altare ascendente, illúdque osculante recitari voluit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hìc sunt &c.* probabilius est, & in praxi tenendum, ejusmodi sigilli violatione consecrationem altaris amitti, proindéque iterum esse consecrandum. per *c.* 1. *h. t.* Angel. *V. altare.* §. 2. & alii communiter.

§. V.

Materia hujus Consecrationis est oleum, 9
aut chrisma quo *Ecclesia*, dum dedicatur, in parietibus inungitur. *c. un.* §. *ungitur de Sacra unctione. Altare* cùm consecratur, inungitur, priùs oleô simplici, & deinde chrismate in cornibus. *c.* 32. *dist.* 1. *de Consecrat.*

§. VI.

Forma hujus consecrationis est vel *essen-* 10
tialis, vel *accidentalis*. *Essentialis* stat in solenni illa verborum conceptione, quibus Episcopus, vel Præsbyter in consecrando utitur. *Accidentalis* consistit in modo, ceremoniis, & solennitatibus hujus consecrationis, quæ ex Pontificali Romano, & Ecclesiæ praxi deumi possunt.

§. VII.

Finis & *effectus* hujus consecrationis est, 11
ut ritè, ac decenter Sacrificium Missæ, & alia officia Divina celebrentur: sicut enim Divina nonnisi à personis Sacris, ita nonnisi in locis consecratis peragenda sunt. *c. sicut* 11. *c. nullus* 15. *cap. clericos.* 34. *de consecrat. dist.* 1. Hinc Consil. Trident. *sess.* 22. *Decret. de Observand. in celebr. Miss.* serio monet Episcopos: *Ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & oratoria ad Divinum tantùm cultum dicata ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda Sanctum hoc Sacrificium à Sacularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi.* circa quod

Disputant DD. utrùm Episcopus hodie licentiam celebrandi in loco non sacro super portatili concedere possit? Non posse, sæpiùs à S. Congregatione Cardinalium resolutum fuisse, refert Barb. *de Offic. & potest. Episcop. p.* 2. *allegat.* 22. *n.* 7. Ego illam sententiam veriorem judico, quæ rem distinctione componit, ut, si Episcopus ex causa necessitatis aut alia valdè urgenti pro hac licentia requiratur, eam possit concedere, ex quo Concil. Trid. loco

loc. cit. tantùm voluit abusus tollere & aliàs casus necessitatis facit licitum, quod alioquin non licet. c. 4. *de R. J.* non possit autem, si nulla causa rationabilis suppetat. Vide Barb. cum citat *ad Trid. d. loc.*

An privilegia, quibus Regulares in oratoriis, capellis, & aliis locis honestis ubilibet super altari portatili, seu viatico Missas legere, absque Episcopi approbatione, vel licentia possint. ut tradunt Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 26. Barb. *d. allegat.* 23. & Yso Pfaw *in Collectar. privil sect.* 5. *§.* 3. per dictum decretum Trid. revocata sint, in dubio relinquo.

§. VIII.

12 *Contraria* Consecrationi Ecclesiæ, vel Altaris est *pollutio, seu violatio* Ecclesiæ, quæ non uno modo accidit. Et verò

I. Polluitur Ecclesia per publicam effusionem sanguinis humani ex corpore vivo in notabili quantitate ex injuria, & intra Ecclesiam factam. *c. Ecclesiis de Consecrat. dist.* 1. *c. proposuisti h. t.* Barb. *J. E. U. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 16.

13 II. Per homicidium Ecclesiæ injuriosum, & publicum etiam citra sanguinis effusionem sive illud fiat à se ipso, sive ab alio. Gloss. & DD. *in c. proposuisti.* Neque refert, tametsi quis non moriatur in Ecclesia: sufficit namque, quod lethale vulnus, ex quo mors sequitur, intra Ecclesiam acceperit. Barb. *de Officio. & potest. Episc. p.* 2. *allegat.* 28. *n.* 23. Navarr. in *Manual. c.* 27. *n.* 12 *&* 56. ubi notat, non pollui Ecclesiam, si existens in Ecclesia, jaculo, vel glande alium existentem extra Ecclesiam ad internecionem feriat.

14 III. Polluitur Ecclesia per voluntariam, publicam, ac criminosam humani seminis effusionē cujuscunque hominis quocunque modò peccaminosò contingentem. *c. Ecclesiis de consecr. dist.* 1. *c. fin. h. t. c. un. h. t. in* 6. Sanchez *de Matr. lib.* 9. *disp.* 15. *à n.* 4. Fagundez *in* 5. *Ecclesia præcept. p.* 1. *lib.* 3. *c.* 14. *à n.* 37. ubi fusiùs explanat, an Ecclesia polluatur, si effusio seminis contingat in turri campanarum, in Choro, in sede Confessionali, in porta Ecclesiæ, in Sacristia, in Claustro, aut in cameris ad latus Ecclesiæ adhærentibus? & communiter etiam reliqui negativè respondent, modò sedes Confessionalis, & Chorus non sit vere intra ipsam Ecclesiam, nullóque aliò murò distinctus à reliquo Ecclesiæ corpore: siquidem in odiosis Ecclesia strictè accipienda est, ut hic & nunc jura accipiunt.

IV. Polluitur Ecclesia per quamcunque pu- 15
blicam, sive notoriam, etiam non voluntariam sepulturam in Ecclesia, vel cœmeterio pagani, hæretici, & excomunicati denuntiati, aut publici percussoris Clerici. *c. consuluisti h. t. c. Ecclesia* 27. *& seq. de Consec. dist.* 1. Barb. *de Offic. & potest. Episc. cit. alleg.* 28. *n.* 52. Neque tunc antea reconciliianda est Ecclesia, quàm exhumata sint ejusmodi tumulatorum corpora, atque extra Ecclesiam, vel cœmeterium projecta *c. ad hæc. de Privil. c. Sacris. de Sepultur.*

Porrò *effectus* hujusmodi pollutionis est; 16
quòd in simili Ecclesia Sacra fieri non debeant, quousque fuerit reconciliata. *c.* 4. 7. *&* 9. *h. t. c. un. Eod. in* 6. *c.* 19. *&* 20. *dist.* 1. *de Consec.* defacto tamen ibi etiam scienter missam celebrans propterea irregularitatem non incurrit, neque Ecclesia interdicto supponitur. *c. is qui de Sent. excomm. in* 6. Gonzal. *in c.* 7. *h. t. n.* 9. Quod reconciliationem attinet, si talis Ecclesia polluta priùs solenniter consecrata fuerit, ea tunc per solum Episcopum fieri. *d. c.* 4. 7. *&* 9. *h. t.* nec alteri simplici Sacerdoti demandari potest. Azor. *d p.* 2. *c.* 6. *q.* 5. si verò talis Ecclesia necdum consecrata, sed tantùm auctoritate Episcopi erecta, & deinde polluta fuerit; probabiliter etiam à simplici Sacerdote per solam aquam benedictam reconciliari poterit. arg. *cap. fin. h. t. & ibi* Panorm. Navar. *consil.* 1. *num.* 2. *Eod.* Quod ipsum de cœmeterio dixeris.

TITU-

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis officiis.

COnsecratio Ecclesiarum, ac Altarium ordinata est *ad celebrationem Missarum*, in qua *Sacramentum Eucharistiæ* conficitur, *& ad Divina officia.*

Pars I.

De Celebratione Missarum,

SUMMARIA.

1. 2. Missa quid nominis? 3. Missæ definitio. 4. utque 9. divisio. 9. Quinam Missæ sacrificium offerant. 10. 11. Quibus applicari possit? 12. Quæ sit ejus materia. 13. Quæ forma. 14. Quis finis. 15. & seqq. Quinam effectus?

§. I.

1 DE origine vocabuli *Missæ* non una omnium est sententia. Aliqui ab hebraica voce *Missah*, quæ *oblationem spontaneam* significat, derivant. Alii dictionem esse latinam existimant, *à mittendo* deductam: vel quia per illam oblationes & preces ad DEUM mittuntur: vel quia in illius fine Diaconi, aut Sacerdotis voce fit missio, seu dimissio populi. S. Th. 3. *p. q.* 83. *a.* 4. *ad* 9. Anton. de Molina *in Instruct. Sacerd. tr.* 3. *c.* 2. §. 2.

§. II.

2 *Synonymum* Missæ est *Liturgia*, quod nomen à Græcis mutuatum in suo etymo denotat *functionem publicam*. Bonacin. in *tr. de Sacram. disp.* 4. *q. ult. punct.* 1. *n.* 1. Unde hodiedum in Titulo Græcarum, & antiquissimarum Missarum inscriptum reperitur: *Liturgia S. Petri, Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, S. Ambrosii.* Clariss. P. Paul. Mezger *in Theol. Schol. tom.* 4. *tr.* 17. *disp.* 35. *a.* 1. *n.* 6.

§. III.

3 *Definitur* Missa, quòd sit sacrificium, in quo Deo Omnipotenti verum corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis & vini offertur in memoriam passionis ipsius, & Divinæ Majestatis recognitionem. Ita re omnes.

§. IV.

Dividitur Missa I. *in privatam, & solennem.* Illa est, quæ sine Ministris: hæc, quæ cum Ministris celebratur. Missa igitur, ut sit solennis, Diaconus, Subdiaconus, & Acolythi in ea ministrent, necessum est. Cantus verò non requiritur, sed tantùm adjungitur propter populum, ut excitetur ad cupiditatem ejus rei, quæ canitur. Jacob. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 37. *n.* 2.

II. *Dividitur* in Missam *principalem, & conventualem.*

Principalis, quæ vulgô *missa major* nuncupatur, est, quæ principaliter juxta rubricas eo die sive pro vivis, sive pro defunctis dici debet. Quò etiam pertinet Missa B. Virginis in Sabbatis Adventûs non impeditis Officio Vigiliæ, vel Quatuor temporum. *Rubr. gen. Miss. IV.* 2. Missa de Vigilia, & feriis quatuor Temporum, vel feria secunda rogationum, quæ celebratur infra Octavam, licèt Officium fuerit de Octava. *Rubr. gen. Miss. III.* 2. nec non Missa Vigiliæ, vel Feriæ, quatuor Temporum, Rogationum, ac Quadragesimæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis dicenda diebus festis post Missam Sancti occurrentis. *Rubr. gen. Miss. III.* 1. Item Missa votiva, quæ singulis diebus per hebdomadam assignatur, & extra ferias Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, quando non occurrit festum nec resumenda est Missa Dominicæ præcedentis, locò Missæ Conventualis dicitur. *Rubr. gen. Miss. IV.* 3. imò & Missa Defunctorum, quæ primâ die cujusque Mensis non impeditâ, exceptis Adventu, Quadragesimâ, & tempore Paschali, aliisque diebus *in Rubr. gen. Missal. V.* 1. designatis pro Sacerdotibus & Benefactoribus defunctis offertur.

Missa

6 Missa *conventualis* illa est, quæ in cathedralibus & collegiatis Ecclesiis, ubi est congregatio plurium Sacerdotum, quotidie celebrari debet. *c. cùm creatura* 11. *h. t.* ubi Gloss. Panorm. Joan. Andr. aliique Interpretes, & quidem de festo, aut de feria occurente, cùm sit pars præcipua Divini officii. Gloss. *in Clem. 1. h. t.* Navar. *de Orat. c. 2. n.* 29. nec omitti potest, etiamsi incidat aliquod anniversarium defunctorum, sed tunc cantandæ sunt duæ missæ: una pro Defunctis, altera, quæ concordet cum officio. *d. c. creatura & ibi* Fagn. *n.* 23. Zypœus *h. t. consult.* 1. An autem Missa Conventualis acceptô stipendiô pro aliis applicari, vel per eam alteri obligationi ex alio capite, puta fundationis debitæ satisfieri possit, quando non constat de speciali obligatione applicandi, sive Conventui, sive Fundatoribus, sive alicui alteri? consule Jacob Pignatell. *tom. 1. consult.* 321.

7 III. Missæ aliæ dicuntur *de die*, quæ juxta Missalis rubricas sacro penso horarum Canonicarum correspondent; aliæ *votivæ*, quæ non congruunt officio diei, sed pro voluntate ipsius Sacerdotis, vel audientium libitu dicuntur; aliquæ *de Requiem*, quæ in suffragium animarum defunctarum offeruntur. Ubi obiter noto, quòd Sacerdos, qui ex institutione Capellaniæ, vel aliô titulô tenetur Missam votivam, aut defunctorum celebrare, satisfaciat dicendo Missam currentis diei etiam feriæ, & simplicis: nam in eo casu Ecclesia disponit, corrigitque intentionem ejus, qui tales Missas ordinavit, & fructuosior erit devotionis affectus, si fuerit Ecclesiastico ritui congruus. Vide Text *in c. 2. & ibi* Interpp. *h. t.* Tambur. *de Sacrifit. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 4.*

§. V.

8 *Causa efficiens* Missæ est offerens. Sunt autem diversi offerentes. *Primus & Primarius* est ipse Christus: una enim eadémque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit. Trid *sess.* 22 *c.* 2. *Secundus* offerens est tota Ecclesia, utpote cujus Legatum agit Sacerdos, ut ipsius nomine DEO publicum cultum exhibeat. *Tertius* offerens, & Minister est Sacerdos consecrans, quippe cui per ordinationem datur potestas à Christo consecrandi corpus, & sanguinem ipsius. *Quartus* offerens cum Sacerdote concurrens, & aliquô modô cooperans sunt fideles, qui vel Sacerdoti in Missa inserviunt, vel devotè assistunt, vel pro se sacrificari petunt.

9 Porro in Sacerdote offerente Sacrificium duplex *dispositio* est necessaria: alia *animi*, alia *corporis*.

Quantùm ad *dispositionem animi* certum est Sacerdotem debere esse in statu gratiæ, adeò ut si peccati mortalis sibi conscius sit, modò moraliter copiam Confessarii alicujus approbati habere possit, confiteri debeat, neque sufficiat sola contritio. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. *& can.* 11. *de Eucharistia.* Cui succinit Poëta.

Indignus quoties sacrum legis, Aule, vocari
Non malè Sacri legus *nomine, réque potes.*

In casu verò, quô celebraturo ad delendum peccatum, ac se reponendum in statum gratiæ sola contritio sufficit, ut cùm copiam Confessarii non habet, & tamen urget necessitas celebrandi, obligatus est Sacerdos postea quàm primùm confiteri, ubi copiam Confessarii nactus est, per expressam constitutionem Trid. *cit. sess.* 13. *c.* 7. Utrùm celebraturus sub mortali peccato teneatur præmittere Matutinum cum laudibus? disputant Antiqui & Recentiores. Illi affirmant, isti negant.

10 Quantùm *ad dispositionem corporis* necessum est, Sacerdotem celebraturum jejunum esse jejunio naturali, incipiente ab hora duodecima; ita quidem ut etiam modicas cibi, vel potûs, si per modum potûs, & non potiùs salivæ descendat, solvat jejunium, faciátque indi-

indispositum Sacerdotem ad celebrandum. Gloss. *in c. ex parte h. t.*

§. VI.

11 *Subjectum* Missæ sunt illi, quibus applicatur, seu pro quibus offertur. Potest autem offerri validè & licitè pro omnibus, & quibuslibet fidelibus baptizatis non excommunicatis, sive vivis, sive defunctis in purgatorio existentibus, ut constat ex Ecclesiæ universali praxi, quæ sacrificium offerre consuevit: *pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus; & pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Pro excommunicatis, hæreticis, & similibus offerri non posse, textus est *in c. sacris. & c. à nobis. de Sent. excomm.* ita quidem ut neque liceat per collectas pro eis publicè in Ecclesia orare, cùm privati sint omni suffragio, & consortio piorum. Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 22. q. 4.* Quoad paganos & infideles negari non potest, olim in Missa catechumenorum etiam pro Regibus impiis, & infidelibus orari solitum fuisse; in Missa tamen, ut est revera sacrificium, & in ea fit consecratio, in primitiva etiam Ecclesia oblationem, & applicationem Missæ ita sumptæ factam esse expresè, & directè pro infidelibus, non constat: hoc siquidem incruentum Missæ sacrificium (aliud est de illo cruento à Christo in ara crucis oblato, quod sine dubio pro omnibus hominibus obtulit) offert Ecclesia tanquam commune totius Congregationis fidelium sacrificium, ac symbolum. Orari tamen & hodie pro infidelibus & paganis, aliisque membris Ecclesiæ mortuis posse, non negem, cùm constet ex collectis & orationibus in die Paraseeves fieri solitis, quamvis eo die revera sacrifitium non fiat, cùm Sacerdos non consecret. Vide in contrarium Bonacin. *de Sacram. disp. 4. q. ult. punct. 5.*

§. VII.

Materia, seu *Objectum*, quod principaliter per se in sacrificio Missæ offertur, est corpus & sanguis Christi, non quidem sub propria specie, cùm sic non attingantur per actionem consecrandi, sed prout existunt sub speciebus panis & vini, utpote sub quibus habent rationem hostiæ DEO oblatæ juxta Trid. *sess. 22. c. 1. & 2. de Sacrificio Miss. una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversâ.*

§. VIII.

Forma Sacrificii est vel *essentialis*, vel *accidentalis*. 13

Essentialis juxta plerósque adæquatè ipsa *consecratione*, & quidem in ea præcisè spectata, ut est positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini vi verborum. S. Th. *q. 42. art. 4. ad. 1.* Alii cum Bonacin. *loc. cit. punct. 2.* rationem Missæ constituunt in actione triplici: scilicet *in consecratione, oblatione, & sumptione*; quam disputationem ad Theologos remitto.

Ad formam accidentalem pertinet *locus*, 14 *tempus, & modus*, quô Missa celebratur.

Quoad *Locum* ex SS. Canonum præscripto Missæ sacrificium celebrari non debet, nisi in ædibus, seu Ecclesiis, ac supra altaribus consecratis, ut constat ex dictis *tit. præced.* Addo hic, Capellanum teneri celebrare præcisè in Ecclesia vel Altari, quod Fundator expresè designavit, si non excuset necessitas, vel justa admodum causa: neque sufficere Patronorum, vel hæredum consensum, ut quibus non licet intentionem Fundatoris invertere. Qua in re si sæpius absque justa causa Capellanus contravenerit, peccat mortaliter juxta Navar. *in Manual. c. 20. n. 134.*

Quoad *Tempus* observandæ sunt laudabiles consuetudines cujusvis Ecclesiæ. De jure constitutum legimus, ut persolutô officiô

Primo

Prima, & *Tertia* solenne Missæ sacrificium fiat. *c. nocte. de Consecrat. dist.* 1. diebus vero jejunii post persolutam *Sextam*, tempore quadragesimæ post *Nonam*, quod tamen non ubique observatur. Azor. *tom.* 3. *lib.* 12. *c.* 25. *q.* 1. Missas privatas nec post prandium, nec de nocte, sed tantùm ab aurora, sive diluculo usque ad meridiem celebrare licet, adeò ut etiam ex justa causa, seu impedimento non ultra primam post meridiem differri debeant secundùm Zoël. *h. t. n.* 4. quamvis Navar. *ibid. cit.* usque ad horam tertiam justa ex causa celebrari posse existimet.

Quoad *modum* attendendum est, ut in Missæ sacrificio, accuratè observentur ritus, & cæremoniæ ab Ecclesia in *Rubricis Missalis* præscriptæ.

§. IX.

15 *Finis* Missæ est cultus, & recognitio DEI spectati tanquam rerum omnium principii: tendit enim in ipsius cultum, & recognitionem supremæ Majestatis, & excellentiæ offertur.

§. X.

16 *Effectus* Sacrificii est vel *principalis*, vel *minùs principalis*.

Principalis est quadruplex: *Primus*, quòd sit sacrificium non tantùm *latreuticum*, id est, ad DEI cultum, & honorem oblatum, sed etiam *propitiatorium*, sive *expiatorium*, quatenus scilicet confert gratiam, expiat, ac delet peccata nostra, & ita DEUM nobis reconciliat, redditque propitium. Trid. *sess.* 22. *c.* 2. & *can.* 3. & *ibi* Barb *Secundus* est, quòd sit sacrificium *impetratorium*, omnis quippe generis beneficia nobis per illud impetrantur: hinc praxis Ecclesiæ obtinuit, ut hoc sacrificium Missæ pro necessitatibus tam temporalibus, quàm spiritualibus offeratur. Trid. *ubi supra.* Azor. *Instit. moral. lib.* 10. *c.* 20. *q.* 6. *Tertius* effectus est, quòd sit satisfactorium, quatenus per illud consequimur remissionem pœnæ debitæ, culpis jam antea dimissis, sicut quotidie pro vivis, & defunctis offerimus, ut à pœnis pro peccatis debitis expientur. Unde *Machab.* 12. *sancta, & salubris est cogitatio, offerre sacrificium pro defunctis, & exorare, ut à peccatis* (id est, à pœna peccatorum) *solvantur. Quartus* effectus Missæ est, quòd sit sacrificium *meritorium*, qui tamen satis in effectibus antecedentibus includitur; de his prolixè Theologi.

Minùs principalis est stipendium; quod accipi posse pro legenda Missa, docet communis cum S. Th. 2. 2. *q.* 100. *a.* 2 & 3. *in corp.* & *quodlib.* 6. *a.* 10. Idque locum habet non solùm in Clericis pauperibus, sed & divitibus, imò etiam in beneficiatis ad celebrandum adstrictis pro diebus, quibus sic adstricti sunt, dummodo non sint obligati ad applicandam Missam, sed solùm ad celebrandum pro commoditate populi, aut honore Ecclesiæ, ut ostendit praxis quotidiana. Moneo tamen, ut Sacerdotes in stipendiis, quæ pro Missis offerri solent, maximè abstineant à turpi quæstu, aut mercatu, id enim & sacrificium, & ipsos Sacerdotes magno contemptui exponit, éstque interdictum ab Urbano VIII. & Alexandro VII. SS. Pontificibus. Unde Sacerdotem transferentem onus celebrandi Missas in alium retinendo sibi partem stipendii peccare mortaliter docet Aversa. *q.* 11. *de Eucharist. sect.* 7. *ad fin.* Lugo *de Sacrã. lib.* 5. *c.* 12. *q.* 7. *n.* 77. & cum his Jacob. Pignatell *tom.* 4. *consult.* 227. *n.* 7. & *seqq.*

PARS II.

De Sacramento Eucharistæ.

SUMMARIA.

17. 18. Eucharistia definitio nominis. 19. Definitio rei. 20 Sacramentum Eucharistiæ est institutum à Christo. 21. Confitur à solo Sacerdote. 22. Quoties recipiendum. 23. Qualis panis? 24. Quale vinum sit materia Eucharistiæ? 25. Qua forma. 26. Quis finis. 27. Qui sint effectus Eucharistæ?

§. I.

17 *Eucharistia* nomen græcum, & latinè idē est, quod *bona gratia;* partim quia est memoriale omnium Divinarum gratiarum: partim quia est, instituta in gratiarum actionem perpetuam.

§. II.

18 *Synonima* Sacramenti Eucharistiæ sunt *Synaxis* hoc est, *collatio*, *communio*, *Sacramentum Domini*, *Sacramentum corporis*, *& sanguinis Christi*, *Sacramentum altaris*, *Sacramentum fidelium*, *panis vitæ*, *panis supersubstantialis*, *Hostia*, *viaticum*, *& cœna Dominica*; quo tamen nomine cautè utendum esse monent Theologi, quia eò utuntur hæretici ad denotandum, Eucharistiam nihil aliud esse, quàm cœnæ usualis figuram, mortuámque repræsentationem. Clar ss. P. Paulus Mezger in *Theol. Scholast. tr.* 16. *disp.* 29. *n.* 1

§. III.

19 *Definitur* Sacramentum Eucharistiæ, quòd sit Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animæ refectionem institutum.

§. IV.

20 *Causa efficiens* Sacramenti Eucharistiæ duplex est, *principalis*, & *instrumentalis*.

Principalis est Christus: nam, ut ait Concil. Trid. *sess.* 13. *de Eucharist. c.* 3. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suámque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.*

21 *Instrumentalss* est Minister, scilicet Sacerdos, qui solus hoc Sacramentum conficere potest, prout definivit Concil. Nicæn. *I. c.* 14. Lateranens. sub Innocent. III. *c.* 1. Trid. *sess.* 23. *c.* 1. idq; deducit ex verbis Christi *Matth.* 26. *& Luca* 22. *hoc facite in meam commemorationem;* quibus solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus hanc Eucharistiæ conficiendæ potestatem concessit. Sicut autem solus Sacerdos hoc Sacramentum conficit, ita ipse quoque administrare, seu aliis dispensare debet. *c. pervenit. de Consecrat. dist.* 2. in quo reprehenduntur Sacerdotes, qui Laicis Eucharistiam dabant ad infirmos deferendam. Trid. *sess.* 13. *c.* 8. *de Eucharist.* ubi asserit, *hunc semper in Ecclesia morem fuisse, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent.* Excipitur casus necessitatis, quò Diaconus à præleute Presbytero jussus Eucharistiam erogare posset. Concil. Carthaginens. IV. *c.* 38 & teste Clariss. P. Paulo Mezger *d. tr.* 17. *disp.* 34. *a.* 2. *n.* 4. communiis DD.

§. V.

Subjectum Eucharistiæ sunt, qui Sacramen-22 tam hoc recipiunt. Erat autem circa prima fidei cunabula frequentissima apud fideles sacratissimi Viatici susceptio, sed cùm postea paulatim tepescente charitate rariùs homines communicarent, constitutum fuit, ut saltem in anno ter Laici homines communicent (nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Paschate videlicet, Pentecoste, & Natali Domini. Text. in *c. etsi non* 16. *de Consecrat. dist.* 2. Demum refrigescente penitus Religionis ardore eò ventum est, ut semel saltem singulis annis, idque in Paschate unusquisque adultus, & sufficienti usu rationis præditus cœlestis mensæ debeat esse particeps. *c. omnis utriusq; sexûs de Pœnitent. & Remiss.* Trid. *sess.* 13. *de Eucharist. c.* 9. Ubi nomine Paschatis, non intelligitur sola dies Resurrectionis, sed totum illud tempus, quod effluit à Dominica palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, ut ab Eugenio IV. declaratū fuisse refert Clariss. P. Paulus Mezger *cit. tr.* 17. *disp.* 33. *a.* 1. *n.* 19. & hodie totum illud, quod tam ante, quàm post pascha

ab

ab Ordinariis juxta locorum exigentiam determinatur.

§. VI.

23 *Materia* Sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite, *c. firmiter de Sum. Trinit.*

Panis juxta *c. fin. h. t.* in Ecclesia Latina debet esse azymus, & in Græca fermentatus, adeò ut ne quidem summa necessitas Sacerdotem Latinum excusetur; & æger potiùs sine viatico relinquendus, quàm panis fermentatus consecrandus sit. Barb. in *d. c. fin.* Quamvis nihil referat ad essentiam Sacramenti, utrùm consecretur panis azymus, an fermentatus; nam utrumque sufficientem esse, definitum est in Florent. ubi sic habetur: *Item definimus, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotésque in alterutro ipsorum corpus Christi conficere debere, unumquemque juxta consuetudinem Ecclesiæ suæ, sive Occidentalis, sive Orientalis.*

24 *Vino* de necessitate præcepti ante consecrationem modicissima aqua sub gravi peccato admiscenda est. *c. 6. h. t. c. 1. & 2. de Consecrat. dist. 2.* Trid. *sess. 22. cap. 7. & can. 9. de Sacrific. Miss.* Cujus præcepti tres rationes afferuntur: *prima*, quòd Christus Dominus ita fecisse credatur; *altera* quia è latere ejus aqua simul cum sanguine fluxit; *tertia*, ut mystica unio cum Ecclesia repræsentetur, siquidem aquæ in *Apocalyps. Joan. c. 17.* populi dicuntur, vinum vero Christum denotat *c. 7. dist. 2. de Consecrat.* Trid. *cit. cap. 7.* Qualiter autem hæc aqua vino mixta in Christi sanguinem convertatur, immediatè, vel an omnino in sanguinem non mutetur, sed prioris vini accidentibus circumfusa permaneat? docet *cit. c. 6. h. t.* ubi Innocent. III. nil certi definit, eò quòd res ista, nec ad fidem, nec ad mores pertineat, sed omnes tres opiniones ibi latè propositas probabiles asserit, probabiliorem tamen illam, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari.

§. VII.

Forma Sacramenti Eucharistiæ propter 25
duas partiales materias duplex est; alia scilicet consecrationis panis, alia vini.

Forma panis consecrandi consistit in his, vel his substantialiter æquivalentibus verbis: *hoc est enim Corpus Meum*; ita tamen ut particula *enim* sit tantùm de necessitate præcepti; reliqua de necessitate Sacramenti, ut cum S. Th. *3. p. q. 78. a. 1.* docent Armilla, Sylvester, & Clariss. P. Paulus Mezger *cit. tr. 17. disp. 31. a. 5. n. 3.*

Forma consecrationis vini usitata continetur in illis verbis: *hic est enim calix sanguinis Mei, novi & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.* Quamvis etiam hîc non omnia verba de necessitate Sacramenti esse, probabiliter existimem, sed tantùm illa: *hic est calix sanguinis mei*, siquidem reliqua sunt potiùs explicativa fructûs, vel hujus Sacramenti effectûs.

Porro operatio verborum consecrationis tanta est, ut post consecrationem, Christus verus DEUS, & homo totus quoad substantiam, & accidentia, quantitatem scilicet, & qualitatem existat sub qualibet specie, imò etiam parte specierum, modo quodam admirabili, & Sacramentaliter. Trident. *sess. 13. de Eucharist. can. 3.* ita tamen ut sub speciebus panis *vi verborum* solùm Christi corpus, *concomitanter* autem reliqua: & sub speciebus vini *vi verborum* tantùm sanguis Christi, *concomitanter* verò corpus & reliqua ponantur; cùm id solùm *vi verborum* poni dicatur, quod primariò per verba significatur; & illud *concomitanter*, quod cum alio necessariam habet concomitantiam, & connexionem. Trid. *d. sess. 13. c. 3.*

§. VIII.

26 *Finis* Sacramenti Eucharistiæ est, ut passionis, & mortis Christi recordemur: sic enim ipsus monet: *Hoc facite in meam commemorationem.*

§. IX.

27 *Effectus* Sacramenti Eucharistiæ plures sunt.

I. Eucharistia confert gratiam, quæ datur in ipsa sumptione omnibus æqualis, sive sub una, sive sub utraque specie: sive in majori, sive minori hostia sumatur. Trid. *sess.* 21. *c.* 3. Clar. P. Paulus Mezger *cit. tr.* 17. *disp.* 34. *a.* 1. *n.* 16. Et hoc quidem quantùm est *ex opere operato*: etenim ex *opere operantis* gratiam posse esse inæqualem quoad illum, qui sub utraque communicat, ut nostro tempore Sacerdotes, ob majorem devotionem, & affectus amoris, extra dubitationis aleam est. II. confert remissionem peccatorum venialium, & præservat à mortalibus. Trid. *sess.* 13. *de Eucharist. c.* 2. compescit fomitem peccati, seu vigorem rebellis concupiscentiæ, ut habet S. Th. 3. *p. q.* 79. *a.* 1. *ad* 1. *& a.* 6. *ad* 3. causat finalem perseverantiam, & gloriæ adeptionem: S. Th. *cit. q.* 79 *a.* 2. Denique Eucharistiæ attribuitur resurrectio corporum, & vita æterna juxta illud Joan. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Igitur

O Sacramentum mare sanctum *mergar in isto*
O utinam! peream & totus amore mori.

Pars III.

De Divinis Officiis.

SUMMARIA.

28. Officii Divini diversa appellatio. 29. definitio. 30. Partes. 31. Sunt juris Divini, vel Canonici? 32. Quinam teneantur ad Divinum officium? 33. ex quibus compositum sit? 34. usq; 38. Quomodo persolvendum sit Divinum officium? 38. Quis sit finis Divini officii. 39. Qui effectus? 40. Qua assuta?

§. I.

28 *Divini officii* non una apellatio invenitur: etenim nonnunquam dicitur *officium Ecclesiasticum*: quia ab Ecclesia concinnatum; aliquando vocatur *officium Canonicum*: quia per SS. Canones institutum; sæpissimè verò *horarum Canonicarum* nomine insignitur.

§. II.

29 *Definitur* officium Divinum, quòd sit formula DEUM precandi, & laudandi mente pariter, & voce ab Ecclesiæ Antistitibus instituta, & publicè peragenda.

§. III.

30 *Dividitur* officium Divinum in septem partes, seu horas, quæ sunt *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera & Completorium. c.* 1. *h. t.* Gloss. in *Clem.* 1. *Eod.*

§. IV.

31 *Causa efficiens* Divini officii est vel *remota*, vel *proxima.*

Remota est Jus Canonicum, quò Divino officio peragendo, & horis Canonicis persolvendis certum tempus, & locus, certus quoque numerus, & modus præscribitur. Panormitanus, aliique Canonistæ, qui Juri Divino attribuunt, latiùs Jus Divinum accipiunt, existimantes Juris Divini esse, quidquid in SS. litteris habetur, aut ex iis derivatur, quod tamen revera minimè sufficit.

32 *Proxima* sunt, qui ex decreto SS. Canonum Divinum officium recitant: nempe initiati SS. Ordinibus, beneficium aliquod obtinentes, & Religiosi utriusque sexûs: est enim communior, & verior sententia, exceptis Novitiis, & Laicis Conversis, omnes Religiosos etiam in sacris non constitutos, omnesque Moniales, qui profitentur Religionem choro addictam, sub gravi peccato ad officium Canonicum quotidie vel simul, vel privatim recitandum, obligaros esse vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus recepta

est

est. Laym. *de horis Canon. c.* 4. cum aliis citatis.

§. V.

32 *Materia* Divini officii sunt Psalmi, hymni, Cantica, lectiones, responsoria, versiculi, Benedictiones, absolutiones, Capitula, invitatorium, Antiphonæ, Collectæ, seu orationes Ecclesiasticæ, Oratio Dominica, Angelica, & Symbolum fidei, ex quibus rectè ordinatis integratur, ac componitur Divinum Officium.

§. VI.

34 *Forma* Divini Officii alia est *essentialis*, alia *accidentalis*.

Essentialis consistit in publicis quibusdam, ac determinatis precibus, horis diurnis, nocturnisque ab Ecclesiasticis personis ex SS. Canonum decreto Ecclesiæ nomine ad DEUM persolvendis.

35 *Accidentalis* stat in modo recitandi Divinum officium, quem præscribit *c. dolentes. h. t.* ubi ita dicitur: *districtè præcipimus in virtute S. Obedientiæ; ut Divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantùm eis dederit DEUS, studiosè celebretur pariter, & devotè.*

36 *Studiosè* quoad officium oris, ut Gloss. interpretatur, id est, ut verba debitè proferantur, non deglutiendo, aut syncopando. Quamvis autem, si id ex inadvertentia, aut infirmitate aliqua, seu balbutie linguæ proveniat, nullum sit peccatum: si tamen ex negligentia, aut culpabili præcipitatione, erit peccatum veniale quidem, si non sit magnus excessus; mortale verò si omissio, aut syncopatio syllabarum, ad notabilem aliquam partem officii pertingat.

37 *Devotè* quoad *officium cordis*: quod quidem exigit, ut attentè, & intentè Divinum officium peragatur. *Intentio* requiritur saltem virtualis, quâ quis intendit obligationi suæ satisfacere, DEUM colere &c. *attentio*, ut attendat, quid faciat, & internus devotionis affectus adsit, & verba animet. Unde non satisfacit præcepto recitandi horas, qui vel talia agit, quæ cum attentione debita Horarum sunt incompatibilia, vel solùm materialiter verba Horarum profert sine interna attentione requisita ad orationem. Neque juvat, si prætexas, Ecclesiam nihil præcipere de internis: quamvis enim id alicubi procedat, ut in jejunio, cujus obligationi per solam naturalem abstinentiam satisfieri potest, id tamen fallit, quando exterior præcipitur actus secum involvens actum, aut dispositionem interiorem: illa enim interior actio eodem præcepto continetur, ut docui *ad tit. de Const. n.* 8.

§. VII.

38 *Finis* officii Divini est cultus, & deprecatio DEI.

§. VIII.

39 *Effectus* Divini officii est obligatio ad horas Canonicas, quæ gravis est, & sub peccato mortali ex suo genere, cùm sit ex virtute Religionis, & in Beneficiariis etiam ex virtute Justitiæ. Medina, Suarez, & alii apud Laymann *d. c.* 4. Requiritur tamen omissio materiæ notabilis, cujusmodi est integrum unius diei officium, vel integra aliqua hora. Imò Navar. *tom.* 7. *de Orat. n.* 6. docet, omissiones tertiæ partis unius parvæ horæ v. g. unius Psalmi cum hymno esse peccatum mortale, quod mihi displicet. Præterea Concilium Lateranense sub Leone X. *sess.* 9. speciali constitutione, quæ postea à Pio V. est renovata, decrevit, ut quivis beneficiarius, qui elapsis 6. mensibus à consecutione beneficii sine legitimo impedimento officium Divinum recitare omiserit, tempore illius omissionis teneatur ad fructuum restitutionem.

§. IX.

40 *Affinia* Divino officio sunt *Officium B. Mariæ*, *Defunctorum*, *Psalmi pœnitentiales*, & *graduales*: sunt enim solùm accessoria Breviarii, neque privatim legentes obligant. Ita expressè statuit Pius V. in Bulla Breviario præfixa

dum

dum dicit; *quod in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium B. MARIÆ semper Virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos pœnitentiales, & graduales dici, ac psalli oporteat: nos propter varia hujus vita negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus.* Aliud tamen censent de Lytaniis, diebûs rogationum præscriptis, quas communi consensu sentiunt, esse partem officii illorum dierum, quod & timorati observant.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus effectu.

SUMMARIA.

1. Baptismi etymologia. 2. Quid sit Baptismus? 3. Est à Christo institutus. 4. 5. 6. A quibus? 7. usque 11. Quibus conferri possit Baptismus? 11. Qua sit Baptismi materia? 12. Qua forma? 13. Quis finis? 14. Quinam effectus?

SAcramentum Eucharistiæ, quod inter cætera est maximum, excipit Sacramentum *Baptismi*, quod summè est necessarium.

§. I.

1 Baptismi vox è Græcia ad Romanos profecta, significat ablutionem, seu immersionem, quâ proinde meritò utitur Ecclesia ad denotandam ablutionem corporis exteriorem, quæ adhibitâ certâ verborum formâ interiorem animæ ablutionem designat, & operatur, in quo sensu.

§. II.

2 *Definitur* Baptismus, quòd sit Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.

§. III.

3 *Causa efficiens* Baptismi est vel *principalis, vel instrumentalis.*

Principalis est Christus, qui eum instituit, Trid. *sess. 7. can. 1. de Sacram. in genere.* ubi definit, omnia Novæ legis Sacramenta fuisse à Christo Domino instituta, Quandonam autem illum instituerit, non ita constat; probabile autem est, tunc instituisse, quando à S. Joanne in Jordane baptizatus est. *Matth. 3.* Rmus. Maurus Oberascher *p. 1. de Sacram. tr. 2. c. 1. §. 4.* cujus Antesignanus est S. Th. *3. p. q. 66. a. 2.* utut alii velint, tunc formaliter Baptismum institutum esse, quando Christus post resurrectionem discipulis dixit: *ite, docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

Instrumentalis est Minister, qui triplex: 4
unus, qui Baptismum administrat *ex officio, & solenniter:* alter, qui *ex commissione tantùm & solenniter:* Tertius, *qui non solenniter, sed tantùm ex necessitate.*

Primi generis Minister est solus Sacerdos, vel Episcopus. *c. constat dist. 4. de Consecrat.* Concil. Florent. quod in decreto Eugenii de Ministro Baptismi sic loquitur: *Minister hujus Sacramenti Ordinarius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Rmus. Maurus Oberascher *cit. tr. 2. §. 1. concl. 1.* Qui tamen, ut licitè illud officium obeat, jurisdictionem in baptizandum habere, neque alias ab Ecclesia prohibitus esse debet. *c. interdum causâ 16. q. 1.* Peccabit itaque mortaliter, qui Parocho rationabiliter renitente de ipsius Parochia aliquem baptizat, tametsi interea nullam censuram, vel irregularitatem incurrat, prout infert Rmus. Maurus Oberascher *d. §. 1. v. sequitur.* Navar. *in Manual. c. 27. num. 102.*

Secundi generis, & maximè olim, qui ex 5
commissione tantùm solenniter baptizabat, erat Diaconus. *c. constat Baptisma de Consecrat. dist. 4.* Requiritur autem ad hoc, ut Diacono committatur solennis baptismus, urgens aliqua causa, ut puta, si Parochus per infirmitatem corporis, aut alias graves, & neces-

necessarias occupationes Baptismum petenti bus nec per se, nec per alium substitutum sacerdotem conferre possit. Quòd si Diaconus sine delegatione, aut alius Clericus inferior præsumeret solenniter baptizare, irregularitatem; incurreret per Text. in *c. si quis. 1. de Clerico non ordin.* Bonacin. *de Sacram. disp. 1. q. 2. punct. 5. n. 3.*

Tertii generis, & qui tantùm tempore necessitatis, & non solenniter administrat Baptismum, est quivis homo potens, & sciens debitam formam, & materiam applicare baptizato, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. *c. firmiter de Summa Trinitat.* Concil. Florent. *in Decret. Eugenii.* sive is sit Clericus sive Laicus. *cap. 21. dist. 4. de Consecrat.* sive masculus, sive fœmina, sive fidelis, sive infidelis. *c. Romanus 23. & c. à quodam. 24. d. dist. 4. de Consec.* S. Th. *p. 3. q. 67. art. 4.* ubi observat, in casu necessitatis hunc ordinem esse servandum, ut præsente proprio Pastore, non baptizet Diaconus; præsente item Diacono non baptizet Clericus inferior, aut Laicus; & præsente Clerico inferiore, non attentet baptizare Laicus; sicut nec præsente viro mulier.

§. IV.

Subjectum Baptismi est is, qui baptizatur. Possunt autem baptizari omnes cujuscunque sexûs, conditionis, vel ætatis existant, ex quo omnes peccato originali infecti sunt. Ubi

Quæres I. Possitne infans in utero baptizari Negativa videtur probari ex *c. 114. & 115. dist. 4. de Consecrat.* ubi disponitur, quòd si mater prægnans baptizetur, fœtus non sit baptizatus, quia qui natus secundùm Adam non est, secundùm Christum regenerari non potest, nec in eum potest cadere regeneratio, quem generatio non præcessit. Hinc regula: *qui natus non est, non potest renasci.*

Verùm tamen volunt plerique Moralistæ, quòd quidem regulariter exspectanda sit to-

talis egressio infantis ex utero, si tamen periculum aliquod immineat, posse & debere fœtum illum quomodocunque & quâcunque corporis parte conspicuum baptizari, ita ut sufficiat, vel manum tantùm, aut pedem, aut digitum, aut etiam crines, & secundinam, si nulla alia pars ex utero appareat, ablui. Diana *p. 5. tr. 3. resol. 12.* Joan. Præpos. *p. 3. q. 66. a. 8. dub. 3.* Basilius Pontius *lib. 4. c. 25. n. 27.* Soto *in 4. dist. 3. q. un. §. 3.* Qui tamen consulunt, ut si deinceps fœtus editus fuerit, iterum sub conditione baptizetur. Imò sunt, qui doceant, obstetricem, vel aliam peritam fœminam teneri sub conditione aquam baptismalem in uterum maternum inspergere, si prudenter credat, eâ tactum iri infantem: siquidem infans sic constitutus est subjectum capax Baptismi, cùm sit homo non baptizatus: & potest tingi, sive aspergi aquâ, omniáque hic intervenire, quæ ad Sacramentum Baptismi requiruntur; nimirùm materia, forma, debita intentio, & subjectum Baptismi capax. Ita Suarez, Valentia, Ledesma, Gabriel, Coninck, & alii, quos citat, & sequitur Diana *p. 2. tr. 15. Resolut. 43.*

Neque obstat *c. 114. & 115. dist. 4. de Consecrat.* inprimis enim rationes Canonibus, & Decretis adjunctæ non constituunt jus. Deinde ut quis per Baptismum renasci possit, sufficit, ut ea præcedat Nativitas, quâ quis de non homine fit homo, modò possit lavari, ut patet in iis, qui tantùm manum exerunt, aut exsecantur ex utero matris mortuæ.

Quæres II. An & quando monstra baptizanda sint? hujus *quæstionis* decisio ab eo dependet, an monstrum habeat animam rationalem, nec ne? ac propterea membra principalia inspicienda: etenim si membrum principale habeat formam hominis, v. g. si capite humano sit præditum, licèt quoad alia membra videatur simile cani, vel habeat pedes caprinos, hujusmodi monstrum baptizari debet

secus autem, si pars corporis minùs principalis tantùm formam hominis præseferat, ut si pedes habeat hominis, caput autem declinet à natura hominis. Reverendiss. Maurus Oberascher *de Sacram. p. 1. tr. 2. cap. 2. §. 6.* Porro monstrum habens duo capita, si hæc diversas operationes exerceant, aut habens duo capita, & pectora simul, abluendum est duplici Baptismô absolutô, si verò habeat duo pectora, sed unum tantùm caput, vel unum tantùm pectus, & duo capita, sed quæ non exerceant diversas operationes, baptizari debet in uno absolutè, in altero verò conditionatè, dicendo v. g. *si non es baptizatus, ego te baptizo.* Layman. *in Theol. moral. lib. 5. tr. 2. c. 6. n. 13.*

10 Cæterùm homo semel baptizatus denuo rebaptizari non debet: sicut enim quis solùm semel generari potest, ita & solùm semel potest regenerari. *c. 15. de Consecrat. dist. 4.* nisi de prioris Baptismi valore prudens, ac rationabile dubium occurreret per *c. 113. eâd. dist. de Consecrat.*

§. V.

11 *Materia* Baptismi duplex est *remota*, & *proxima.*

Remota est aqua elementaris, aut naturalis. Trid. *sess. 7. de Baptismo. can. 2.* nec validitati materiæ Baptismi officit aquæ alteratio, quamdiu manet vera aqua naturalis: perinde ergo est, sive sit aqua calida, sive frigida: sive sit marina, sive fortana: sive ex nive, sive ex glacie resoluta: sive turbida, sive lympida. Reverendiss. Maurus Oberascher. *d. tr. 2. c. 1. §. 2. q. 1.*

Proxima est ablutio, quæ fit, vel per immersionem, vel per affusionem, vel per aspersionem; his enim tribus modis quis ablui dicitur, & sufficit, ut pars aliqua hominis abluatur, talis nimirùm, secundùm quam moraliter verum sit dicere hominem ablutum esse. Bonacin. *de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 3. n. 20.* Ubi tamen pro praxi notandum, quòd pueros satis crinitos Minister debeat solicitè abluere, ne aqua solùm crines tangat, non itidem & caput, cùm vel crines non sint pars hominis, vel saltem de eo sit fundatum dubium.

§. VI.

12 *Forma* Baptismi est vel *essentialis, vel accidentalis.*

Essentialis in Ecclesia Romana hæc usitata est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen. c. 1. h. t.* Trid. *sess. 7. can. 4. de Baptismo.* Concil. Florent. *in Decreto Eugenii.* In Ecclesia autem Græca hæc: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Hæc forma, si ex balbutie, aut imperitia linguæ ad Grammatices amussim non pronuncietur, non ideo invalidum erit Sacramentum, aut reiterari debebit, modò servetur sensus, & significatio juxta communem intelligentiam verborum. Quare *in c. retulerunt. 68. de Consec. dist. 4.* validus declaratur Baptismus hâc formâ collatus: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta.*

§. VII.

13 *Forma accidentalis* respicit locum, & modum, quô confertur Baptismus.

Locus, quô conferri debet Baptismus, est Ecclesia; extra quam si quis Baptismum conferat, opinione Navar. *in manual. c. 22. n. 7.* peccat mortaliter *per Clem. un. h. t.* ubi duo tantùm casus excipiuntur. *Primus* est, si liberi sint Regum, aut Principum, quorum nomine probabiliter etiam veniunt Comites, & Barones obtinentes jurisdictionem temporalem in locis suarum ditionum. Riccius *decis.* 427. apud Gobat. *tr. 2. de Sacram. n. 492.* Aliis verò pro libitu hoc privilegium *Clementinæ* Ordinarium concedere non posse, tradit Barb. *de Offic. Parochi. p. 1. c. 2. n. 8.* *Alter* casus est, si necessitas infantem ad Ecclesiam deferre prohibeat. Sufficit autem non solùm quodcunque probabile periculum, sed etiam quiscunque prudens timor, præsumptio,

ptio, & conjectura periculi, ne infans decedat sine Baptismo, vel etiam, ne contrahat morbum, si ad Ecclesiam deferatur. Gobat. *loc. cit. n.* 498.

Modus consistit in ceremoniis, & solennitatibus Baptismi secundùm consuetudinem cujusvis Ecclesiæ, quæ tametsi de substantia non sint, sine peccato tamen mortali non possunt omitti, debéntque omissæ suppleri, si baptizatus supervivat. Armilla *V. Baptismus n.* 30. Panormit. in *c. 5. h. t.* & alii communiter.

§. VIII.

13 *Finis* Baptismi est, ut per ablutionem corporis sub certa verborum forma baptizatus regeneretur, & ab originali peccato mundetur.

§. IX.

14 *Effectus* Baptismi quinque recensentur. *Primus* est gratia sanctificans simul cum donis Spiritûs Sancti, & virtutibus infusis, ac supernaturalibus, quæ illam comitantur. Reverendiss. Maurus Oberascher *de Sacram. p. 1. tr. 2. c. 3. §. 3. Secundus* est remissio omnis culpæ & originalis, & actualis quoad adultos suscipientes. Concil. Florent. in *Decreto Eugenii* & Trid. *sess. 5. can. 5. Tertius* remissio totius pœnæ peccatis debitæ. Trident. *sess. 6. c. 14. de Justificat.* ubi asserit, in Sacramento Pœnitentiæ temporalem pœnam non totam semper, *ut in baptismo fit*, dimitti. *Quartus* est characteris indelebilis in anima impressio, ut definit idem Trident. *sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* ubi unà declarat, hoc Sacramentum propterea reiterari non posse. *Quintus* est subjectio sub potestate Ecclesiæ, ad quam Baptismus quasi janua introducit.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

A Deffectus *Baptismi* referri potest, quòd Baptizatum reddat capacem aliorum cramentorum, quorum propterea janua dicitur per text. in *c. 3. h. t.* Hinc presbyter sive bonâ, sive malâ fide ordinatus ante baptismum ante omnia baptizandus, & postea denuo ordinandus erit per *d. c. 1. & 3. h. t.* Ut tamen Sacerdos ordinari possit, necessum non est, ut doceat, se baptizatum esse, sed hòc ipso, quòd inter fideles conversatus, & à parentibus Christianis notoriè natus sit, tam violenter præsumitur baptizatus esse, ut hæc præsumptio pro certitudine habeatur, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. *d. c. 3. h. t.*

TITULUS XLIV.

De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

HOc *titulo* præcipitur omnibus Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus, ut sacram Eucharistiam, sacrum Chrisma, aliáque olea consecrata in Ecclesiis Parochialibus fideliter asservent, & in loco decenti custodiant pro futuris infirmorum, aut aliorum necessitatibus, ne impia manus ad ea extendatur, & ad artes nefandas auferat; quam custodiam si neglexerint, tribus mensibus ab officio suspendi jubentur, gravius puniendi, si per eorum incuriam aliquid nefandum contigerit: si enim absurdum est negligentiam committere in profanis, quantò magis in sacris

Text. in *c. 1. c. 2. h. t. & ibi.*
Interpp.

TITULUS XLV.
De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

IN *c.* 1. *&* 2. *h. t.* propter fraudes, & illusiones Dæmonis prohibemur, aliquem tanquam Sanctum venerari, aut ejus reliquias publicè colere, tametsi miracula operetur, nisi authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, qui solus aliquem pro Sancto, vel Beato declarare potest. Quod in tantum amplio, ut licèt Episcopi approbare, ac examinare miracula sancti etiam nondum canonizati posse videantur juxta Barb. *de Potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 97. *num.* 1. Reliquias tamen noviter inventas hominis nondum canonizati approbare nequeant, per textus luculentos in *cit. c.* 1. *&* 2. Neque obstat, quòd in Trid. *sess.* 25. *de Invocatione, Venerat. & Reliquiis SS.* dicatur, neque nova miracula, neque novas reliquias esse recipiendas, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, consequenter, quòd sicut Episcopus nova miracula Sancti etiam non canonizati approbare potest, ita & possit reliquias; siquidem diversa ratio est: cùm enim in *cit. c.* 2. *h. t.* Episcopis expressè prohibitum sit, reliquias noviter inventas (hominum scilicet nondum canonizatorum) publicæ venerationi sine Sedis Apostolicæ approbatione exponere, non tamen interdictum sit nova miracula hominum necdum canonizatorum examinare, ac approbare, ideò verba Trid. quatenùs sonant de novis miraculis, etiam de miraculis hominis nondum canonizati ampliativè interpretari licet; quatenus autem verba ejusdem Trid innuunt, novas reliquias approbante Episcopo posse venerationi exponi, restringere oportet ad novas reliquias hominum jam ante canonizatorum, vel saltem pro talibus publicè, & communi consensu Ecclesiæ habitorum: ex quo Trid. Constitutioni Conciliari in *d. c.* 2. *h. t.* contentæ expressè non derogavit, juxta doctrinam Barb. de *Potest. Episcop. p.* 5. *alleg.* 33.

TITULUS XLVI.
De observatione jejuniorum.

SUMMARIA.

1. Quid sit jejunium? 2. Aliud est naturale, aliud Ecclesiasticum. 3. Est introductum jure Ecclesiastico. 4. usque 11. Quinam teneantur præcepto jejunii? 12. 13. à quibus cibis abstinendum. 14. usque 17. Quæ sint requisita jejunii? 17. Quis finis, & effectus?

§. I.

1 DEfinitur jejunium, quòd sit parsimonia victûs, & abstinentia ciborum certis temporibus ab Ecclesia institutis servanda.

§. II.

2 *Dividitur* jejunium in *naturale*, & *Ecclesiasticum*. Illud est abstinentia ab omni, tum cibo, tum potu in stomachum transmisso; quale à tempore noctis mediæ requiritur ad dignam sumptionem Euchatistiæ. *Ecclesiasticum* est abstinentia, quâ ex præcepto Ecclesiæ quis à carnibus abstinet, & unicâ refectione à media nocte usque ad mediam noctem futuram contentus esse debet; de quo in præsenti.

§. III.

3 *Causa efficiens* hujus jejunii est jus Ecclesiasticum: quippe nullum jejunium, ne quidem quadragesimale de jure Divino propriè loquendo præceptum est, sed hoc ipsum ex sola traditione, & Apostolica sanctione in Ecclesia inolevit. *can.* 68. *Apost.* Covarr. *var. resolut. lib.* 4. *c.* 20. *n.* 4. *& seqq.*

§. IV.

4 *Subjectum* jejunii sunt illi, qui ad ejus observationem adstringuntur. Adstringuntur autem præcepto jejunii omnes Christiani, qui ob justam causam non excusantur. Sunt verò causæ excusantes plures.

Prin

Primus eſt ætatis imbecillitas, quâ ab abſtinentia à ſecunda, & ulteriore refectione excuſantur juvenes usque ad annum 21. inclusivè, prout habet communis uſus, & praxis Eccleſiæ, eò quòd tales indigeant multo nutrimento propter neceſſitatem augmenti, quod fit de reſiduo alimenti. Bonacin. *tom.* 2. *diſp. ult. punct.* 6. *n.* 1. Quidquid in contrarium dicat Reginaldus *lib.* 3. *c.* 12. *num.* 206. illud exploratum eſt, tales teneri in diebus jejuniorum à carnibus ſtatim, quando uſum rationis adepti ſunt, quod fermè circa ſeptennium accidit, abſtinere; infantibus autem, & perpetuò amentibus etiam diebus prohibitis carnes porrigere licitum eſſe, tradidit *ſupra de Conſtit. n.* 13.

Secunda eſt *ætas ſexagenaria*, ſenes enim in ea ætate, licèt viribus polleant, certò, & infallibiliter à lege jejunii excuſari, docet cum aliis octo Authoribus Diana 1. *p. tr.* 9 *reſolut.* 20. vocans hanc ſententiam probabiliſſimam propterea; quia etſi aliqui ſexagenarii validi & fortes videantur, hoc tamen exiſtimatum eorum robur non eſt firmum, & conſtans, ſed medium quid inter morbum, & perfectam ſanitatem, eorúmque natura ſemper ad interitum declinat, atque adeò adminiculo cibi frequentiùs ſumpti indiget, ut non tam præſenti ſtatui, quàm futuro conſulatur.

Tertia eſt *corporis infirmitas*, quâ à jejunio excuſantur non ſolùm infirmi, ſed etiam reconvaleſcentes, qui priſtinas vires per morbum præcedentem deperditas necdum recuperárunt: valetudinarii, qui non habent quidem aliquem actualem morbum, ſunt tamen complexionis malè affectæ: arg. *c.* 2. *h. t.* quibus accenſeri poſſunt fœminæ prægnantes, aut lactantes, ut quæ non tantùm ſe ipſas, ſed etiam prolem ſuſtentare debent. Imò tales, ſi eſſent tenerioris complexionis, peccarent mortaliter, ſi jejunare vellent, eò quòd ſe exponerent periculo valdè probabili, ne inde notabile damnum proli ſequatur.

Quarta eſt *paupertas*, quâ excuſantur 7
mendici oſtiatim legentes cibos, qui ſumere debent, prout occurit, ita, ut plenam refectionem ſimul ſumere non poſſint, imò vix per partes. Atque his licitus quoque eſſet uſus carnium, ſi alium cibum invenire non poſſent. Planè ſi pro aliquo die haberent congruam ſuſtentationem, ad jejunium obligarentur, quandoquidem ceſſante causâ ſolvente præcepti obligationem, incipit ligare præceptum.

Quinta eſt *Labor*, quô excuſantur agricolæ, Fabri ferrarii, vel lignarii, Cæmentarii, 8
Textores, Piſtores, Sutores, Molitores, Laniones, Coriarii, Curſores, Itinerantes, & ſimiles: Item Magiſtri & Profeſſores litterarum: quia horum labor præſtantiorem corporis ſubſtantiam, nimirum ſpiritus vitales abſumit. An verò liceat eo die, quô præceptum jejunii incidit, laborem non neceſſarium, vel peregrinationem, quæ talem aliàs ex ſua natura excuſant, ſuſcipere, & utrùm ideò ejusmodi laborantes, vel peregrinantes à jejunio excuſentur? diſſentiunt DD. Negat Navarr. in *Manual. c.* 21. *n.* 18. Affirmat Bonacin. *tom.* 2. *diſp. ult.* Cujus ſententiam ob declarationem Eugenii IV. probabiliorem & ad ſedandos ſcrupulos, pacandámque conſcientiam expeditiorem judico.

Sexta cauſa eſt *pietas*, quâ à jejunio excu- 9
ſantur Confeſſarii, qui totâ die confeſſionibus excipiendis expoſiti: Concionatores, qui in diebus Quadrageſimæ quotidie, aut ter, vel quater in hebdomade concionantur; ſecus illi, qui ſolùm diebus feſtis per annum concionem agunt, quos nonniſi pridie ante concionem, & in ipſo die concionis à jejunio excuſaverim.

Porro ſi cauſa excuſans à jejunio eſt certa 10
& liquida, per ſe loquendo non eſt petenda licentia, aut diſpenſatio: ſi dubitetur, an cauſa ſit ſufficiens, nec ne? opus eſt diſpenſatione,

quam non solùm S. Pontifex, sed etiam Episcopus suis Diœcesanis, Superiores Regularium suis Religiosis, & Parochus suis Parochianis saltem de consuetudine concedere potest. Azor. *Instit. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 18. *q.* 3. Reginald. *lib.* 4. *c.* 12. *n.* 224. & 228. Certè, quòd Parochus nullâ adminiculante consuetudine ipso jure communi, maximè pro foro pœnitentiali, an causa sit justa & sufficiens, cur quis jejunare non debeat, declarare possit, cùm hoc ipsum suo modo Medico, aut Confessario concedatur, docent Sylvest. *V. jejunium. q.* 7. Angelus *num.* 10. & alii citati apud Azor. & Reginald. 3

11 Connexa *quæstio* est: an Episcopus possit transferre jejunium ab una die in aliam? Laymann in *Theol. moral. de Jejun. c.* 3. *n.* 9. existimat, si Vigilia S. Matthiæ incidat in feriam secundam, vel tertiam quinquagesimæ, ubi Bacchanalia celebrantur, justam fore causam, ut Episcopus tale jejunium in præcedens Sabbathum transferat, si animadvertat homines illius loci ita comparatos esse, ut plurimi jejunium violaturi sint, etiam cum esu carnium non sine scandalo: nam, ut idem author notat, ad Episcopum pertinet ob specialem causam pro una vice in lege jejunii universalis dispensare, cùm ejus officium sit spirituali subditorum saluti invigilare, atque scandala infirmorum tollere. Scio tamen, tribus ab hinc annis, nempe 1694. Celsissimum, ac Reverendissimum Principem, & Archi-Episcopum Salisburgensem &c. &c. non attentis his rationibus noluisse in translatione dispensare; neque enim malitia, & intemperantia populi, vel subditorum videtur justa causa, cur propterea præceptum Ecclesiæ relaxari debeat; nec tantopere ejusmodi scandala attendenda sunt, quæ aliquando neque caveri possunt, utut Superior omni diligentiâ eò collimet: præcipuè cùm talis lex semel legitimè, & rationabiliter lata nullò modò causa scandali dici valeat, & facilè prævidere potuerunt Legislatores, fore, ut ejusmodi vigilia, ac jejunium in dies Bacchanaliorum aliquando incideret, neque tamen exceptionem à communi regula faciendo dispensare voluerunt; ergo neque nos debemus. confer. Jacob. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 15.

§. V.

Materia jejunii est caro, cujus abstinentia 12 omnibus jejuniorum diebus præcipitur, ita ut toties quis peccet mortaliter, quoties in ejusmodi die carnes comedit, nisi parvitas materiæ excuset. Dian. 1. *part. tr.* 9. *resolutione* 43. Carnis autem nomine juxta communem Christianorum usum illa intelligitur, quæ à piscibus contradistinguitur, cum quibus, quia volucres eandem naturam non habent, ideo inter carnes die jejunii prohibitas reputantur. Quamvis verò de jure communi abstinendum foret ab ovis, caseo, & ejusmodi lacticiniis, eò quòd ex carne originem trahant, multumque nutriant, ea tamen in nostris partibus consuetudo permittit.

Hic *scrupulus* incidit: an in Germania li- 13 ceat uti lardo, & pinguedine porcinâ? Diana *p.* 1. *tr.* 9. *resolut.* 21. octo Authores recenset, qui sustinent, in illis locis, ubi licitè comeduntur ova, & lacticinia, posse etiam licitè sumi sagimen porcinum, vel pinguedinem anserum, eò quòd talis pinguedo revera non sit caro, licèt ex carne originem trahat. Attamen Laymann in *Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *num.* 5. & alii censent, hanc opinionem non facilè ad praxin esse deducendam, ne homines hanc licentiam paulatim etiam ad farcimina, & jusculum ex carnibus extendant, magnô scandalô, & jejunii Ecclesiastici detrimentô.

§. IV.

Forma jejunii consistit in requisitis. Re- 14 quiritur autem.

I. Abstinentia voluntaria à comestione car-

nis,

nit, quæ ſi ſervetur, jejunium non violatur, quamvis aliquis toto die plenis naribus etiam cum delectatione capiat odorem ex carnibus coctis.

15 II. Requiritur abſtinentia plurium refectionum: ſive unica, & non repetita corporis refectio. Verùm ex communi Eccleſiæ conſuetudine admittitur *collatiuncula veſpertina* (quæ etiam *collatio*, & *cænula* appellatur) ſciente, & permittente Eccleſiâ, ne vires hominum nimiùm deficiant. Quantum autem in tali collatione ſumere liceat? non una eſt ſententia. Ego opinor propter diverſiſſimas locorum, & perſonarum qualitates non tam ad rationes, & authoritates DD. *tertiam*, *quartam*, *vel quintam partem* cœnæ ordinariæ plerumque determinantium, quàm potiùs ad conſuetudinem cujusque loci attendendum eſſe, ab hac namque tota collationis ſumendæ facultas dependet: hinc in praxi menſura & regula rectè deſumitur ab eo, quod proportionaliter homines alioquin conſcientioſi in tali loco facere, & obſervare conſueverunt circa præſentem materiam. Quamvis diſſimulare nolim, noſtra Germanorum jejunia paſſim apud exteros ſugillari. Unde & Auſtriacos Poëta pungit, dum pangit:

Auſtriacos *fertur* paſchales *nomine dici*?
Paſchata *quòd celebrent ſemper*, jejunia *nunquam*.

16 III. Requiritur certa refectionis hora, quæ olim erat Nona, id eſt, Tertia poſt meridiem: hodie ex recepta conſuetudine circa meridiem. Non tamen erit peccatum mortale, etiamſi hæc conſueta hora notabiliter, & ſine legitima cauſa anticipetur: quia jejunium Eccleſiaſticum durat per ſpatium viginti quatuor horarum, videlicet, à media nocte in mediam noctem, quô tempore permiſſa eſt unica refectio, parùm autem refert, quacunque hora hæc refectio ſumatur: neque graviter obſtat fini jejunii anticipatio conſuetæ horæ. Ferdinand. de Caſtropalao *p. 7. de Juſtit. diſt. 3. punct. 2. §. 3.*

§. VII.

17 *Finis & effectus* jejunii eſt humilitas, continentia, & caſtitas: *quia* ut D. Auguſt. *ſerm. de jejun.* ait: *jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum.*

TITULUS XLVII.

De Purificatione poſt partum.

LEge Moſaica mulier poſt partum judicabatur immunda, adeóque pariens maſculum per *quadraginta*, pariens autem fœminam per *octoginta dies* ab ingreſſu templi arcebatur. *Levit.* 12. Verùm hæc lex Antiqui Teſtamenti, quia ceremonialis tantùm fuit, in novo teſtamento non obligat ſub culpa. Unde hodie ſtatim poſt partum, ſi vires permittant, licitè Eccleſiam ingredi, & Sacramenta frequentare poteſt: de conſilio tamen & communiter receptô more rectè aliquamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ ex decentia quadam abſtinet. *c. un. h. t. & ibi* DD.

TITULUS XLVIII.

De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

SUMMARIA.

1. Eccleſia diverſa acceptio. 2. Definitio. 3. Diviſio. 4. Quâ ratione? 5. Quorum ſumptibus Eccleſia ædificanda, aut reparanda? 6. Quæ ſit materia? 7. Qua forma? 8. Quis finis? 9. Qui effectus Eccleſiæ?

AD officia Eccleſiaſtica, puta adminiſtrationem Euchariſtiæ, Baptiſmi, aliáque pietatis opera peragenda, de quibus hactenus, neceſſaria eſt *Eccleſia*.

§. I.

§. I.

1 Nomine *Ecclesiæ* hìc non intelligimus fidelium, seu credentium omnium ubique existentium Cætum, sed locum, seu ædificium Divinum cultui exercendo deputatum, in quo sensu.

§. II.

2 *Definitur* Ecclesia, quòd sit locus publicus Episcopali authoritate constitutus, & consecratus, ad quem fideles conveniunt ad percipienda fidei Sacramenta. Lezana *Quæst. regul. tom.* 3. *V. Ecclesia. n.* 1.

§. III.

3 *Dividitur* Ecclesia, quòd alia sit *Episcopalis*, sive *Cathedralis*, alia *Collegiata*, alia *Matrix*, alia *Parochialis*, alia *Baptismalis*, prout tradit P. Engel *h. t. n.* 2. ubi singularum descriptionem exhibet. Addo tamen sæpe unam speciem pro alia sumi, & nomine *Matricis* venire *Cathedralem*: nomine verò *Baptismalis Parochialem*, etsi strictè loquendo inter se differant, teste Tusch. *in conclus. pract. V. Ecclesia conclus.* 18. ubi benè notat, nomine Ecclesiæ in odiosis non venire Capellas, aut oratoria, & per consequens, licèt Ecclesiæ construi sine obligatione dotis nequeant, adeò ut Ecclesia erecta pro constitutione dotis omnia bona ædificantis hypothecata habeat, posse tamen sine ea construi Capellas, vel oratoria.

§. IV.

4 *Causa efficiens* Ecclesiæ sunt, qui pro ejus ædificatione, aut reparatione sumptus, & expensas suppeditant. *Ædificationi* non antea manus admovenda, quàm Episcopus Diœcesanus locum assignaverit, crucem fixerit, primúmque lapidem vel per se, vel per alium ad hoc delegatum posuerit. *c. nemo c. placuit. de Consecrat. dist.* 1. *c. ad hæc. de Religios. domib.* Zerol. *in praxi Episcop. V. Ecclesia. p.* 1. Azor. *Instit. moral. tom.* 2. *lib.* 9. *c.* 30. *q.* 4. Barb. *de Offic. & potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 26. *Reparationem* Ecclesiarum ruinosarum quod attinet, ea fieri debet sine cujuspiam præjudicio, præcipuè familiarum nobilium, quæ ibidem insignia sua, vel sepulturam obtinent, quod enim in pietatem conceditur, in injuriam redundare non debet. *c.* 2. *h. t.*

Frequens in foro *controversia* est: quis Ecclesiam reædificare, aut restaurare teneatur? quam sequenti casuum distinctione aliquò modò componam. *Primò* tenebuntur illi, qui ex conventione, vel consuetudine in specie ad hoc sunt obligati *c. decrevimus. causâ* 10. *q.* 1. aut si in Ecclesiæ fundatione certa pecunia pro fabricæ conservatione destinata sit, ex illa refectio, ac reædificatio fieri debet. *Secundo* loco ipsa succurrit Ecclesia ex fructibus, & proventibus suis quibuscunque & quomodolibet ad se spectantibus; qui si sufficientes non fuerint, *Tertio loco* Rectores, Beneficiati, Patroni, & omnes, qui ex Ecclesia fructus, ac commodum percipiunt, simul ad contributionem vocantur, juxta proportionem commodi, & redditus, quos ex tali Ecclesia percipiunt, arbitrio Episcopi taxandam, relicta tamen semper Clericis ad minimùm sustentatione congrua. Quòd si nec isti sumptus pro reparatione Ecclesiæ necessarios facere valeant, tunc *Quarto loco* omnes Parochiani contribuere, & Ecclesiam suam conservare obligantur, ad quod etiam appellatione remotâ opportunis remediis cogi possunt, etsi nullo speciali pacto, vel consuetudine ad id se obligatos agnoscant, nec fructus speciales percipiant; sufficit enim, quòd commune, & generale ex Ecclesia commodum sentiant. Denique si omnes supradicti tantâ egestate laborent, ut Ecclesiam reparare nequeant, nec aliunde spes affulgeat futuræ cum tempore reparationis, tunc omnino destrui potest, vel in Ecclesiam Matricem, si filialis sit, vel aliam vicinam unà cum dote, & aliis juribus reliquis transferri, ibidem erecto, vel designato altari sub

sub illius Sancti patrocinio, cujus erat Ecclesia destructa. Vid. Trid. *sess.* 21. *c.* 7. juncto *c.* 1. & 4. *h. t. & ibi* DD.

§. V.

5 *Materia* Ecclesiæ sunt lapides, cæmenta, ligna, & similes res ædificiis exstruendis, & conficiendis necessariæ.

§. VI.

6 *Forma* Ecclesiæ est vel *interna vel externa.*

Ad formam internam pertinet, ut Ecclesia exstruatur cum consensu Ordinarii, ejúsque auctoritate: ut exstructa precibus ad DEUM fusis initietur: ut certi sacrarum, quæ in Ecclesia peraguntur, functionum Ministri pro modo facultatum, quas Ecclesia habet, constituantur; ut certis, statisque temporibus actus fiant, & alia, quæ ad regimen Ecclesiasticum pertinent, ordine, ac decenter peragantur. *l.* 4. *C. de SS. Eccles.* & Novell. 3. *in Præfat.*

Forma externa consistit in ipsa structura, quam *fabricam* vulgò appellant. Hæc ex antiqua traditione oblonga esse consuevit, indicans Naviculam Petri: & si commodè fieri possit, exigit, ut Altare principale versus orientem erigatur, eò quòd Christus dicatur ad Orientem ascendisse. *Psal.* 67. ℣ 34. ibi: *Psallite DEO, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* P. Engl. *h. t. n.* 7.

§. VII.

7 *Finis*, ob quem exstruitur Ecclesia, est, ut in ea Sacramenta administrentur, verbum DEI prædicetur, & audiatur, Laudes, & preces DEO offerantur, ac Divina officia ritè celebrentur.

§. VIII.

8 *Ad Effectum* Ecclesiæ pertinet, quòd locus ille, in quo Ecclesia ædificatur, sit Sacrosanctus: *Sacer* quidem, quia DEO dicatus, & sacratus. *l.* 2. §. 2 *ff. de Rer. divis. Sanctus:* quia sanctionibus Imperatorum ab injuriis hominum eximitur, & defenditur. *l. sanctum cum l. seq. ff. de Rer. divis. l.* 1. *& seq. ff. Ne quid in loco sacro.*

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

IMmunitas, de qua in, & sub hac *Rubrica* agitur, est vel *immunitas Ecclesiarum, ac cæmeterii*, quam *localem* vocant, *vel immunitas rerum ad eas pertinentium*, quam *realem* appellant.

Pars I.

De Immunitate Ecclesiarum, ac Cœmeterii.

SUMMARIA.

1. Immunitas localis quid? 2. Quæ ejus origo. 3. usque 10. Quibus locis competat? 10. 11. Quos reos securos reddat? 12. Quæ sit forma immunitatis localis? 13. Quis finis. 14. & seqq. Qui effectus?

§. I.

PEr *immunitatem Ecclesiarum, ac cæmeterii* 1
hic jus asyli, seu illud privilegium potissimùm intelligitur, quod reis ad Ecclesiam aut cæmeterium confugientibus securitatem præstat, ne vi inde extrahi possint. Germanicè dicitur eine Freyheit/ oder Freyung.

§. II.

Causa efficiens hujus immunitatis est jus. 2
Sed quale? Aliqui eam constitutam putant jure naturali, quos refert Thomas Del bene *de Immunitat. & Jurisdict. Eccles. c.* 16. *dub.* 2. *n.* 2. Plures existimant, eam fuisse introductam jure Divino per Trid *sess.* 25. *de Reformat. c.* 20. ubi asserit: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione, & Canonicis sanctionibus* constitutam. Sed verius est, hanc immunitatem originem

traxisse ex jure solùm humano tam Civili, quàm Canonico: Civili *tot. tit. C. de his, qui ad Eccles. confug. & Novell.* 17. *c.* 7. Canonico *c.* 6. 9. *& fin. h. t.* & passim alibi. Ratio capitalis est: quia licèt jus naturæ, ac Divinum DEI cultum præcipiat, non tamen dictat, reos ad templa, ac cæmeteria confugientes vi inde non abstrahendos: neque extractio rei, ut promeritas pœnas luat, in DEI, vel sacri loci contemptum cedit, sed insuper referri potest ad finem honestum, ac bonum Reipublicæ, cujus interest, ne delicta maneant impunita. Decretum Trid. quod in contrarium allegatum est, non de immunitate *locali*, sed *personali*, aut *reali* intelligendum est. Vide Covarr. *Var. resolut. lib.* 2. *c.* 20. *num.* 1.

§. III.

3 *Subjectum* hujus immunitatis sunt Ecclesiæ aliáve loca sacra, ac religiosa, quibus concessa est, ac competit. Competit autem

I. *Ecclesiis consecratis*, imò etiam *non consecratis*, in quibus *Divina Mysteria celebrantur. c.* 9. *h. t. c. omnes Basilicæ.* 2. *c. de fabrica.* 23. *de Consecrat. dist.* 1. An etiam iis, in quibus hactenus Divina Mysteria nunquam sunt celebrata? Negant Gloss. in *cit. c.* 9. *V. celebrantur. h. t.* Anton. de Butr. *ibid. n.* 3. Decian. *in tr. crimin. lib.* 6. *c.* 24. *n.* 24. moti argumento à sensu contrario ex *cit. c.* 9. deducto. Sed rectiùs affirmant Covar. *d. c.* 20. *n.* 4. & Clarus *in pract. crimin. §. fin. q.* 30. *n.* 4. quia ratio illis concessæ immunitatis non est celebratio actualis Missarum, sed quia auctoritate Episcopi Divinis obsequiis destinata est, ut patet *ex cit. c.* 9. *& c. ad hæc. de Religios. domib.* Hinc etiam Ecclesiam nondum constructam, positô tamen primô lapide, & loco Altaris cruce designato, gaudere immunitate, docent Ancharanus *in d. c.* 9. *n.* 1. Panormit. *ibid. n.* 5. Eximius P. Corbinian. Kham *de Censuris in specie. c.* 8. *n.* 589.

II. Hæc immunitas competit *Monasteriis, domibus, ac Conventibus Religiosorum*; cùm sint loca Divino cultui deputata. *c. quisquis. causâ* 16. *q.* 4. *l. omnia privilegia. C. de Episcop & Cleric.* ubi Orphanotrophiis, sive Alcteriis, aut Prochotrophiis, seu Xenodochiis, vel Monasteriis privilegia conceduntur ad instar majoris venerabilis Ecclesiæ inclytæ urbis. Barb. *J. E. U. lib.* 2. *de Immunit. p.* 2. *c.* 3. *n.* 72. Sylvester *V. immunitas. n.* 1. Fagn. *ad c. Ecclesiæ* 9. *h. t. n.* 28. Quæ immunitas extenditur etiam ad hortos, areas, domos familiarum, stabula animalium, & quæcunque loca contenta intra septa Monasteriorum, arg. *c. frater. c. si quis in atrio. c. si quis contumax. causâ* 17. *q.* 4. *l. patent. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Constitut. Gregor. XIV. quæ incipit: *Cum aliàs.* Fagn. *loc. cit. in fin.* Ægidius Rambeck. *disp.* 4. *Panoplia c.* 4. *n.* 19.

III. Immunitas competit *cæmeteriis Ecclesia contiguis, ac unitis, c. fin. h. t.* ibi: *in Ecclesiis, vel earum cæmeteriis.* Tuschus *V. Ecclesia concl.* 10. *n.* 3. Farinacius *in append. t.* 17. *n.* 262. An etiam cæmeteriis ab Ecclesia separatis? Affirmo cum Navarr. *in Manual. c.* 25. *v. cæmeterium* Farinac. *cit. c.* 17. *n.* 264. & communi aliorum: quia Ecclesiæ & cæmeteria, utut separata, gaudent eodem privilegio per *c.* 5. *h. t.* Corbinia n. Kham, *cit. c.* 8. *n.* 592. ubi cum Fagn. infert, immunitatem violaturum, qui reum in tali cæmeterio stantem per partem pallii extra ipsum pendentem extraheret.

IV. Competit *Oratoriis* auctoritate Epi- 6
scopi erectis, & cultui Divino perpetuò destinatis: quia quamvis benedicta, aut consecrata non sint, sunt tamen loca Religiosa arg. *c. ad hæc. de Religios. domib.* & super eorum subjectione, ac visitatione Episcopus jure communi fundatam habet intentionem. *c.* 6. *Eod. c.* 1. *§. deinde liceat. de Censib. in* 6. Aliud obti-

obtinet in Oratoriis privatâ auctoritate erectis; ut sunt multæ Capellæ in ædibus privatorum, & aliquando Oratoria Confraternitatū: talia enim, quantumvis ibidem ex licentia Episcopi quotidie Missæ legantur, quia tamen nec loca sacra, id est, DEO specialiter consecrata, nec etiam Religiosa sunt propriè loquendo, sed merè profana, ac privata, ita ut pro arbitrio Domini, quod hodie est oratorium, cras possit esse Camera, ideo immunitate non gaudent, prout S. Congregatio Immunitatis in *una Perusina 9. Decemb.* 1631. declaravit, docétque Panorm. in *c. Ecclesiæ. h. t. & in c. ult. de Cens.* Suarez. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 18.

V. Hæc immunitas competit etiam *hospitalibus* authoritate Episcopi erectis cum altari ad celebrandum: siquidem & hæc sunt loca Religiosa, nec ad usus profanos converti possunt: *c. ad hæc de Religios. domib.* & privilegia concessa Ecclesiis se quoque extendunt ad hospitalia. *l. omnia C. de Episc. & Cleric.* Fagn. in *c. Ecclesia h. t. n.* 27. Archidiacon. in *c. definivit. causâ* 17. *q.* 4. *n.* 1.

VI. Hæc immunitas attribuitur Palatio, sive domui Episcopi. Panorm. in *c. Ecclesiis. h. t.* Guido Papæ *q.* 121. *n.* 4. Tuschus *litt. I. concl.* 89. *n.* 24. propter text. in *c. id constituimus.* 36. *causâ* 17. *q.* 4. ubi disertè habetur, reos criminum ab atriis Ecclesiæ, vel domo Episcopi abstrahere non licere. Interim aliqui volunt, hunc textum tantùm procedere, si Episcopus in sua domo Capellam consecratam habeat. Alii probabiliùs eundem textum interpretantur, quando domus Episcopi juxta Ecclesiam intra quadraginta passus sita est, prout in *c. penult. dist.* 41. Episcopus non longè ab Ecclesia hospitium suum habere jubetur. Hanc sententiam vel ex eo comprobavero, quòd S. Pontifex in *cit. c.* 36. nihil novi se constituere, sed duntaxat decreta Canonum repetere asserat. Cum ergo SS. Canones immunitatem Ecclesiarum majorum tantùm ad quadraginta; Capellarum verò, & Ecclesiarum minorum ad triginta duntaxat passus ultra Ecclesiam porrigant, nullibi autem specialis immunitas Palatio Episcopi concessa reperiatur, imò in eodem textu non obscurè atrium Ecclesiæ, & domus Episcopi conjungantur, meritò hæc explicatio admittenda videtur cum Gloss. in *cit. c.* 36. Innocent. in *c. inter alia. h. t.* & Zerolla in *prax. Episcopal. V. immunitas. p.* 1. §. 2. eámque sententiam in praxi receptam esse, testatur Clarus *cit. §. fin. q.* 30. *n.* 3.

VII. Plures hanc immunitatem extendunt 9
ad tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, vel ad Sacerdotem Evcharistiam portantem, eò quòd etiam de Jure Civili immunitas concedatur iis, qui ad statuas Principis confugiunt. *l. un. C. de His, qui ad statuas confug.* imò olim Episcopi, vel etiam Presbyteri & Monachi, eos, qui ad supplicium ducebantur, absolutè eripere, & servare potuerint per *l.* 6. *C. de Episcop. audient.* Cur non igitur hoc privilegium potiùs ipsi Christo Domino concedatur, maximè cùm ipsismet Ecclesiis potissimùm propter sacram Evcharistiam, & celebrationem Divinorum Mysteriorum competat? Ita Laymann. in *Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 4. Lezana *V. immunitas. num.* 2. Tuschus *V. Eccles. concl.* 10. *num.* 33. Corbinian. Kham *de censur. in specie. c.* 8. *num.* 598. Verùm quia hoc nuspiam in SS. Canonibus expressum reperitur, & aliunde hæc immunitas extendenda non est, ex quo in quantum ex una parte favet Ecclesiis & Religioni, in tantum ex altera derogat Justitiæ, & incolumitati Reipublicæ, ideò non immeritò hanc communem sententiam in dubium vocat Covarruv. *variar. resolution. c.* 20. *numer.* 6. cum Gloss. in *c. quæsitum. causa* 13. *q.* 2. proinde rectissimè in facti contingentia ad consuetudinem,

nem, quæ optima legum interpres est, recurritur.

§. IV.

10 *Objectum* immunitatis Ecclesiarum, ac cæmeterii sunt rei, quos contra vim securos reddit. Reddit autem securos omnes, qui specialiter in Sacris Canonibus non excipiuntur. *c. inter alia 6. & c. fin. h. t.* Constitut. Gregor. XIV. quæ incipit: *Cùm alias.* in quibus excipiuntur I. Publici latrones. II. Viarum grassatores. III. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis committere non verentur. IV. Qui proditoriè proximum suum occiderunt, simulatâ amicitiâ, vel inimicitiâ dissimulatâ. V. Assasini, qui acceptâ, vel promissâ pecuniâ ex pacto hominem occidunt. VI. Hæretici, eorúmque receptatores, defensores, auxiliatores. VII. Rei læsæ Majestatis, si crimen hoc in ipsam Principis personam admissum fuerit. Confer. Del bene *p. 2. de Immunit. Eccles. c. 16. dub. 13. & seqq.* Extra hos cæteri delinquentes omnes, quanquam graviora delicta commiserint, immunitate gaudent.

11 De Clericis, & Religiosis *dubitatur:* an extra casus exceptos etiam illi immunitate defendantur contra proprios suos Judices Ecclesiasticos?

Negant Panorm. in *d. c. inter alia 6. h. t. n. 13.* Azor. *Institit. moral. p. 2. lib. 8. c. 9. q. 9.* Bonacin. *tom. 2. disp. 3. q. 7 p. 5. n. 5.* ideo: quia Clerici & Religiosi vi sui statûs magis à gravioribus saltem delictis abstinere tenentur quàm Laici, & ita favor immunitatis Laicis nominatim in jure, præsertim in *Constitutione Gregoriana,* concessus ad Ecclesiasticos non videtur extendendus.

Affirmant Tuschus *pract. concl. V. Ecclesia concl. 9. n. 17. & concl. 11. n. 27.* Clarus in *pract. crimin. §. fin. q. 39.* Diana *p. 1. tr. 1. resolut. 24.* Fagn. in *c. inter alia h. t. n. 78.* Quorum sententiam tum maximè amplectendam censeo, si præter pœnam canonicam alia corporalis per modum vindictæ imponenda veniat, ut si Clericus crimen degradatione dignum commiserit, ob quod aliàs curiæ sæculari tradi solet ad inferendam mortem vel membrorum mutilationem: ne enim tunc ad eum finem è loco immunitatis invitus extrahatur, plures rationes suadent. *Prima* est: quia non tantùm à Laicis, sed etiam & quidem multò magis ab Ecclesiasticis Judicibus violentia in Ecclesia exerceri non debet. *Secunda:* quia conveniens est, ut æquè Clerici, ac Laici ab Ecclesia defendantur, utpote, qui eidem speciali servitio mancipati sunt. *Tertia:* quia propter assumptum Clericatum non debent esse deterioris conditionis, & minùs ab Ecclesia defendi, quàm si Laici manssissent. Accedit, quòd istud privilegium principaliter sit concessum loco, personis verò non nisi propter reverentiam illius. Ergo quibuslibet in Ecclesia repertis suffragatur, nisi specificè reperiantur excepti, quorum numero Clerici non continentur.

Ad argumentum oppositum respondetur, ex eo, quòd Clerici & Religiosi ad vitam perfectiorem obligati sint, malè concludi, quòd immunitate locali propterea privandi sint, sed rectiùs inferri, quòd ea immunitate gaudere debeant. Neque verò extensione opus est à Laicis ad Clericos, cùm plurimi Canones de immunitate locali generaliter & indefinitè loquantur, non distinguendo inter Clericos, & Laicos, veluti *c. 9. 19. 35. & 36. causâ 17. q. 4.* item *c. fin. h. t.*

§. V.

Forma immunitatis Ecclesiarum, & cæmeterii consistit in privilegio, quô Rei eò confugientes defenduntur, ne inde extrahi queant. 12

§. VI.

Finis hujus immunitatis est favor Religionis, fideique Christianæ, & honor DEI, Sanctorúmque cultus. 13

§. VII.

§. VII.

14 *Effectus* immunitatis Ecclesiarum, cæmeterii, sicut & aliorum Sacrorum, aut Religiosorum locorum plures, ac insignes se offerunt.

Primus est, quòd confugæ in illis sint recipiendi: neque inde repelli possint, vel excludi. *c. reum c. definivit. causâ* 17. *q.* 4. *c. inter alia* 6. *h. t.* ubi, dum Rectores Ecclesiarum, ut *pacem, vitam, & membra obtineant*, *fundere* jubentur, perspicuè confugientibus ad Ecclesias suas aditum præcludere, eósque repellere prohibentur.

15 *Secundus*, quòd criminis non excepti rei quicunque sacris asylis recepti illic capi, ac compedibus, vel vinculis constringi nequeant *c.* 35. *causâ* 17. *q.* 4. *l.* 6. *C. de His, qui ad Eccles. confug.* Canis. *n.* 22. *h. t.* Guido Papæ *decis.* 121. *num.* 2. *&* 3. Vigiles tamen, & lictores in vicinia Ecclesiæ constituere, qui reum è loco immuni forsitan ultrò prodeuntem apprehendant, contra immunitatem Ecclesiasticam non esse, verius est, tametsi obsidio circum circa Ecclesiam ponatur, & omnis elabendi occasio fugitivo præcludatur, ut Farinac. in *Appendic. c.* 19. *num.* 299. & communis praxis ostendit; dummodò alimenta necessaria ipsi non intercipiantur, nec ostium Ecclesiæ occludatur, atque ita quasi carcer efficiatur: optima ratione, quia immunitas Ecclesiæ non prohibet Judices pro suo arbitrio delinquentibus insidiari, nec reum, qui ad Ecclesiam confugit, omnino à pœna liberat, sed tantùm à violentia defendit, quàm diu in Ecclesia existit.

16 *Tertius*, quòd Rei in loco immunitatis recepti inde inviti extrahi nequeant, & contra eos, quàm diu ibi existunt, sententia mortis, aut alia pœna corporalis statui non possit. *d. c. inter alia* 6. *h. t.* Sylvester *V. immunitas* 3. *q.* 4. Suarez. *lib.* 3. *de Relig. c.* 12. *n.* 5. qui addit: nec pœnam servitutis, exilii, aut tremium in illos decerni posse, cùm sint admodum graves, & corporalibus, si non graviores, saltem pares. Quòd si fortè insuper habitô dictô Juris privilegiô reus per vim abstractus, & condemnatus fuerit, totus processus post talem violentiam institutus ipso jure, & facto nullus erit, ex quo fundamentum, sive captura, per quam quasi possessio in ipsum reum acquiritur, injusta fuit. Layman. *in Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n. ult.* Planè existentes in asylô pœnâ pecuniariâ affici posse, colligitur ex *d. c. inter alia*, ibi: *super hoc tamen, quòd iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus.*

17 *Quartus*, & præcedenti proximus *effectus* hujus immunitatis est, quòd criminis non excepti rei Ecclesiæ, Monasterio, vel loco immuni, è quo violenter extracti sunt, cum bonis inde abstractis illæsi restitui debeant. *c. miror. c. sicut causâ* 17. *q.* 4. Panorm. *in c. inter alia. n.* 26. *h. t.* Fagn. *ibidem n.* 10. Et hoc adeò verum est, ut non tantùm ipse reus injustè extractus possit agere, quò pristinæ libertati restituatur, Canis. *num.* 25. *h. t.* sed ipsi quoque Ecclesiæ contra extrahentem ratione spolii actio competat, quatenus per excommunicationem compellatur extractum restituere. *c.* 8. *causâ* 17. *q.* 4. Porrò si reus rogatus à Judice, aut promissionibus illectus sponte egrederetur, non violaretur immunitas Ecclesiæ per ejus apprehensionem, siquidem tunc vis nulla loco sacro infertur. Secus foret, si dolo à Judice eductus postea caperetur, quia dolus hac in parte violentiæ æquiparatur, ut ex communi notavit Navarr. in *Manual. c.* 25. *n.* 21. Suarez. *de Relig. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 2. *&* 17.

18 *Quintus* effectus spectatur in pœnis statutis in sacrilegos violatores immunitatis Ecclesiasticæ, quæ alia de Jure Civili, alia de Jure Canonico. De Jure Civili dictata est pœna ultimi supplicii. *l.* 6. *C. de His, qui ad Eccles. confug.* Jure Canonico præter excommuni-

nicationem violatores immunitatis jubentur Ecclesiæ violatæ solvere nongentos solidos. *c.* 20. *& seq. causâ* 17. *q.* 4. Verùm hujus mulctæ jus hodie per non usum ab Ecclesia amissum esse, notat Gloss. in *c. cùm multa.* 3. *causâ* 15. *q.* 8. pœna autem excommunicationis etiamnum hodie obtinet, & quidem ipso facto incurrendæ, ubi Bulla Greg. XIV. *Cùm aliàs.* publicata est; secus ubi publicata, aut recepta non fuit: quandoquidem textus allegati, & præmonitionem requirunt, & simpliciter excommunicationem comminantur, nec satis exprimunt, an ipso facto incurratur. Zerol. in *prax. Episc. V. immunitat. §.* 3.

Pars II.

De Immunitate rerum ad Ecclesias pertinentium.

SUMMARIA.

19. Quid sit immunitas realis? 20. Quo jure prodita? 21. Competit bonis Ecclesiarum, & Clericorum etiam patrimonialibus. 22. 23. 24. Quid & quotuplex sit munus? 25. usque 32. A quibus muneribus Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ eæ sint exemptæ? 33. Quæ sit forma? 34. Quis fructus. 35. Qui effectus hujus immunitatis?

§. I.

19 IMmunitatem rerum, seu realem *definio*, quòd sit privilegium, quò Ecclesiarum, & Clericorum bona à vectigalibus, tributis, aliisque civilibus muneribus Magistratui, aut Principi sæculari pendendis sunt immunia, & exempta. arg. *c.* 4. *& 7. h. t.*

§. II.

20 *Causa efficiens* hujus immunitatis est jus. Et quamvis non conveniant inter se DD. Catholici, quò jure introducta sit, crebrior tamen gravissimorum Interpretum sententia est, eam originem trahere ex jure Divino per *c.* 30. *de Jure jurand. c.* 4 *de Censib. in* 6. Trid. *sess.* 25. *de Reformat. c.* 20. Gloss. in *c. si Imperator. dist.* 96. Panormit. in *c.* 10. *de Constitut. n.* 6. Fagnan. *ibidem n.* 10. Innocent. in *c.* 2. *de Majoritat. & Obed.* & alii innumeri.

§. III.

21 *Subjectum* hujus immunitatis sunt bona Ecclesiarum, & Clericorum, quæ per illam ab oneribus, & muneribus civilibus exempta sunt. *d. c.* 4. *& 7. h. t. c.* 4. *de Censib. in* 6. *c. similiter* 58. *causâ* 16. *q.* 1. Bulla Cœnæ Domini *casu* 13. *l.* 1. *& auth. item nulla. C. de Episc. & Cleric.* Neque id solùm videtur intelligendum de iis bonis, quæ propriè sunt Ecclesiastica, id est, ipsarum Ecclesiarum, & beneficiorum, sive prout pertinent ad Clericos titulo aliquo Clericali, sed etiam de iis, quæ sunt patrimonialia, & pertinent ad illos titulo aliquo merè Laicali, ut usque ad nauseam passim DD. inculcant per *jura* statim *citata.*

§. IV.

22 *Objectum* hujus immunitatis sunt munera civilia, à quibus bona Ecclesiarum, & Clericorum eximit. Ut autem scias, à quibus muneribus eximat.

Præmitto I. Nomine muneris in proposito, & quatenus inde derivatur immunitas, venire onus necessariò subeundum à lege, consuetudine, vel à Superiore impositum. *l. munus propriè* 214. *ff. de V. S.*

23 *Præmitto* II. Munera esse in triplici differentia. Quædam sunt *personalia*, quædam *merè realia*, quædam *mixta. l.* 18. *pr. ff. de Muner. & honorib.*

Personalia aliqua solùm consistunt in labore personæ sine sumptu pecuniæ, velut *tela & cura. d. l.* 18. *§.* 1. aliqua verò in solutione certæ alicujus pecuniæ, non ratione bonorum, sed ratione solius personæ: ut cùm in singula capita certus census constituitur. v. g. ita: *quilibet existens in territorio quotannis teneatur für sein Person/ oder Leib solvere medium florenum.* Qui census propriè Capita-

gitatio germanicè Kopf- oder Leibs-Steur nuncupatur. *l. ataxem* 3. *ff. de Cenſib.* Alex. Sperell. *dec.* 36. *n.* 16.

Munera *merè realia* ſunt, quæ ſine reſpectu ad perſonam, ejúsque qualitatem præcisè ipſis rebus, ſeu bonis, ſive bonis propter bona imponuntur; ut cùm ſingulis prædiis, aut domibus ſecundùm ſe certa penſio pecuniaria taxatur v. g. ita: *Quodlibet prædium, vel domus teneatur annuatim aureum pendere.* Quæ penſio propriiſſimè *tributum* appellatur. Jaſon *in l. placet. C. de SS. Eccleſ. n.* 6. Cæſar de Panimoll. *dec.* 100 *adnot.* 1. *n.* 33.

Munera *mixta* bifariam ſic dicuntur I. Ea, quæ tam corporis miniſterio, quàm gerentis ſumptu ſuſtinentur; ut ire ad bellum propriis ſumptibus, tributà ſuo ſumptu exigere, & alia, quæ recenſentur *in d. l.* 18. §. *mixta* 26. *ff. de Munerib. & honor.* II. Illa, quæ nec perſonis ut ſic, nec rebus ſecundùm ſe, ſed perſonis ſubditis propter res, & ſecundùm proportionem patrimonii indicuntur, ſic ut impoſitio, & obligatio in perſonam dirigatur, licet cauſa finalis ſit ipſa res v. g. ita: *quilibet, qui in bonis annuis habet centum florenos, ſolvat ſingulis annis quinque. l.* 6. §. *fin. & l. ult.* §. *mixta. ff. de Munerib. & honor.* Alex. Sperel. *d. dec.* 36. *n.* 15. Beſold. *p.* 4. *conſil.* 153. *n.* 31. Quæ onera *collectæ* indigitari ſolent vernaculâ Steur/ Schatzung/ Hülf/ oder Anlag. Cæſar de Panimoll. *d. adnot.* 1. *num.* 36. Caſpar Klock *de Contrib. c.* 2. *n.* 81. & 86.

24 *Præmitto* III. Onera rursùs ſubdiſtingui, aliqua enim ſunt ordinaria, quæ ſcilicet à ſummo Principe certâ lege, & in perpetuum conſtituta, certisque rebus, aut perſonis impoſita ſunt, uti tributa, & Steuræ, alia verò extraordinaria, quæ tantùm in caſu extraordinariæ neceſſitatis imponuntur, nec certam formam habent, & communi nomine contributionum, exactionum, collectarum, vel talionum ſignificantur. His præmiſſis.

Dico I. Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſti- 25
cas exemptas eſſe à muneribus perſonalibus. *l.* 1. *C. de Epiſc. & Cleric.* Itaque non tenentur ad angarias, id eſt, operas perſonales ſumptibus imponendis præſtandas, germanicè Scharwerck/ Robaſten: ad perangarias, id eſt, ad operas, quæ à laborantibus propriis ſumptibus expediendæ ſunt. Item ad tributa Capitationis: quia hujusmodi munera perſonalia præcisè fundantur in ſubjectione perſonarum, & ſpeciem ſervitutis præſeferunt.

Dico II. Eccleſias, & perſonas Eccleſia- 26
ſticas eſſe immunes à collectis, & ſteuris extraordinariis, aliisque oneribus, quæ urgente neceſſitate perſonis cum reſpectu ad facultates, aut poſſeſſiones imponuntur: quia etiam iſtæ exactiones, quamvis cum reſpectu ad res imponantur, directè tamen imponuntur perſonis, conſequenter nonniſi ſubditis imponi poſſunt; quales non ſunt Eccleſiæ, & Clerici reſpectu Magiſtratûs Laici: *l.* 5. *C. de SS. Eccleſ. l.* 2. §. 2. *C. de Epiſc. & Cleric.* in quibus nihil extraordinarium ab Eccleſiis exigendum præcipitur. *Auth. item nulla.* juncta Gloſſ. *C. Eod.* ubi ſub pœna tripli, & Banni imperialis prohibetur, ne communitas quæcunque, vel perſona publica, aut privata collectas, exactiones, angarias, vel perangarias Eccleſiis, vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere præſumat. Quibus conſonant *c.* 4. & 7. *h. t. c.* 1. *Eod. in* 6. *c.* 4. *de Cenſib. in* 6. & *Clem.* 3. *eod.* Bulla Cœnæ Domini *caſu* 18. & Bulla Urbani VIII. *de Anno* 1641. *die* 23. *Sept.* Quæ incipit *Romanus Pontifex*, & etiam ſpontaneam contributionem ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ in validam declarat, non obſtante tempore immemoriali, aut prætextu privilegii Apoſtolici,

vel

vel tolerantia inferiorum Prælatorum, nec prætextu non factæ publicationis, aut receptionis Bullarum, & constitutionum Apostolicarum.

27 *Dico* III. Ecclesias, & personas Ecclesiasticas per se loquendo, immunes non esse à tributis, & oneribus merè realibus, sive rebus ipsis impositis: quia onera ordinaria, quæ rebus ipsis stabiliter imposita erant, antequam ad Ecclesias devenirent, etiam ex postfacto solvenda sunt, eò quòd res cum onere transeat. arg. *c. 5. de Pignorib. c. 28. de Decimis. c. 22. & seq. causâ 23. q. 8. l. 67. ff. de Contrah. empt.* Intellige de tributis certis, & actualiter impositis, antequam bona ad Ecclesias, vel Clericos transirent, non verò de incertis, vel reservatis, & pro re nata primùm imponendis. Canonistæ *in c. 1. h. t.* Suarez. *in tr. de defens. fid. lib. 4. c. 21. & 25.* Prout nec sufficit, res tales, cùm adhuc à Laicis possiderentur, fuisse descriptas ad eum finem, ut proportionaliter in casu necessitatis collectari possent, nisi saltem de facto certa quantitas in perpetuum à tota Provincia, vel territorio solvenda, à Principe determinata fuerit. Sylvest. V. *immunitas n.* 19. Felin. *consil.* 46. *n.* 18. Fagn. *in c. 4. h. t. n.* 10.

28 *Dico* IV. Principes, & Magistratus sæculares, neque quoad bona Ecclesiastica de novo acquirenda, statuta condere posse, ut Ecclesiastici, vel instar Laicorum onera communia supportent, vel talia bona rursus intra certum tempus Laicis vendere, ac alienare teneantur *per c. 1. h. t. in 6.* Qui textus uti omnes Canones, ac constitutiones in favorem Ecclesiasticæ immunitatis, & contra ejusdem violatores editæ innovantur in Trid. *Sess. 25. de Reform. c. 20.* & quotannis in Bulla Cœnæ Domini *casu* 18. Sine dubio ideo: quia statuta sæcularium, quæ personarum, vel bonorum Ecclesiasticorum mentionem faciunt, ipso jure nulla dicuntur. *c. 10. de Constit.*

c. fin. de Reb. Eccles. Tusch. *lit. S. concl.* 609. *n.* 2. cum Baldo, Felino, & aliis.

Dico V. Posse Principes & Dominos secu- 29
lares Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis collectas, & contributiones imponere. *Primò* si speciale privilegium, & expressam licentiam S. Pontificis obtinuerint. *c. 7. & ibi* Barb. *n. 3. h. t. Secundò* si bona Ecclesiastica ab Ecclesiis habeantur in feudum. Gail. *lib. 1. observat.* 30. Layman. *in Theol. moral. lib. 4. tr. 9. c. 5. num. 2. Tertiò* si Princeps aliquis sæcularis in prima fundatione, & donatione bonorum immobilium alicui Ecclesiæ facta per expressum pactum collectas, & tributa, vel jurisdictionem in illis bonis sibi reservaverit arg. *c. 4. de Condit. appos. & c. 2. de Jure patronat.* Molin. *tr. 5. de J. & J. disp. 6. n. 6.* Layman. *d. c. 5. n. 4. & c. 6. num. 2.*

Connexa *quæstio* est: utrùm ex bonis Cle- 30
ricorum emigrantium, & hæreditatibus, legatis, aut donationibus, quæ ad Clericos, Ecclesias, aut causas pias perveniunt, ac extra territorium transportantur, certam quotam v. g. partem decimam, quæ vulgò Abzug/ Nachsteur/ Abfahrt/ Abschoß/ Nachschoß dicitur, detrahere liceat?

Affirmativam commendat praxis, & praxim ratio: si enim consuetudine, aut statuto induci potest, ut de vino, carne, ac rebus id genus aliis, gabella etiam tunc solvatur, cùm memoratæ res venduntur personis Ecclesiasticis, ut docet Sylvest. *V. immunitas. 1. q. 6. in fin.* Ludovic. Molin. *de J. & J. disp. 663. n. 5.* quid prohibet, consuetudine aut statuto induci, ut de hæreditatibus, aut legatis gabella detractionis solvatur etiam tunc, cùm Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis obveniunt?

Sed vereor, ne in puncto juris verior sit sententia opposita. Etenim I. Decima detractionis est onus mixtum, quod ab Ecclesiasticis pro bonis de novo acquisitis exigi non potest, juxta doctrinam Barthol. *in consil. 180. lib. 1.*

lib. 1. n. 4. Panorm. *consil.* 13. *n.* 2. *lib.* 2. Matth. *de Jurisd. p.* 4. *cent.* 1. *cas.* 11. *n.* 37. II. Quia ut bona transeant ad Ecclesiasticos cum suis oneribus, necesse est, ut eadem onera non sint realia, sed etiam, ut sint certa, perpetua, & invariabilia, ac in fixo pro rebus, non autem pro personis, ut magistraliter firmat Rota *in Brundusina Gabellæ coram Penia. decis.* 1079. *in Alben. Gabellæ, seu onerum coram Merlino decis.* 902. *in Hydruntina exemptionis.* 5. *Julii.* 1660. *coram Merlino.* & sequitur Sperell. *dec.* 35. *num.* 2. *& seqq. & dec.* 36. *à num.* 10. at verò decima emigrationis, & detractionis inprimis non est onus merè reale, sed mixtum. Nec etiam est ordinarium, sed extraordinarium, cùm omnia onera per statutum inferiorum indicta sint munera extraordinaria, ut declarat Bald. *consil.* 112. *num.* 6. quem refert, & sequitur Fagn. in *c. licèt. num.* 30. *in fin. de Censib.* III. Quia bona Clericorum, & ea bona, quæ hæreditate, legato, donatione, emptione, aut alio titulo è manibus Laicorum perveniunt ad Ecclesias, aut personas Ecclesiasticas, non subjacent steuræ, si remanent in territorio, cùm steura sit onus mixtum, à quo liberi sunt Clerici, & Ecclesiæ, ergo neque subjacent detractioni, si è territorio transferuntur: quia detractio in illius locum subrogata assumit eandem naturam juxta Natt. *consil.* 157. *sub num.* 4. *&* 5. Socin. sen. *consil.* 129. *num.* 8. *ad med. v. tertiò principaliter. lib.* 1. Bald. *in l.* 1. *§. quodsi nemo. sub num.* 4. *v. sed quando collecta. ff. Quod cujusque universit. nom. & in l. etiam* 5. *n.* 18. *C. de Exec. rei judic.* IV. Quia Ecclesiæ, & Clerici non tenentur ad onera etiam realia, certa & invariabilia, si bona, antequam pervenerint ad eorum manus, tali onere non reperiebantur affecta, ut sæpe rescripsit SS. Congregatio boni regiminis teste Cæsare de Paulmol. *decis.* 100. *n.* 9. *&* 10. ergo nec tenentur ad gabellam, seu onus emigrationis, aut detractionis, si vel bona sua, vel sibi relicta legata, aut donata extra territorium transferant, siquidem hoc onus omninò novum est, nec bonis, dum penes Laicos essent, impositum, sed tantummodo lex lata, aut introducta consuetudo de imponendo, & dum imponituri bona immunia sunt, & exempta. Sperell. *lib.* 1. *decis.* 35. *num.* 36. cum Bald. & Felin.

Quod attinet oppositum argumentum à pari, præterquam, quòd in moralibus juxta alibi dicta elumbe sit, disparitas est, quòd ubi de rebus, quæ usu absumuntur ex statuto, aut consuetudine Gabella exigitur, ea non imponatur ipsis Clericis, aut eorum bonis, sed carnibus, aut vino vendendis à Laicis in certo loco, econtra decima detractionis Clericis, vel Ecclesiis, aut eorum bonis imponatur; siquidem tributum, & onus non dicitur imponi, quando per legem, vel consuetudinem illius solutio demandatur, sed quando fit actualis contributio.

Cæterùm nec in casu publicæ utilitatis, aut 31
evidentis necessitatis, vel pietatis: ut si bellum defensivum, aut pro Religione suscipitur, personæ Ecclesiasticæ ad contribuendum per Principes sæculares cogi possunt, sed si tanta fuerit necessitas, ut Laicorum facultates eidem sublevandæ non sufficiant, personæ autem Ecclesiasticæ sine detrimento suæ Ecclesiæ, & cultûs Divini juvare valeant, tunc consulto priùs S. Pontifice, per suos Superiores, & Judices Ecclesiasticos compellendi sunt. *c.* 4. *c.* 7. *& ibi* Panorm. *num.* 6. *&* 19. *h. t.* Sylvester *v. immunitas. num.* 20.

§. V.

Forma immunitatis realis, seu rerum ad Ec- 32
clesias pertinentium consistit in exemptione, quâ res ejusmodi à muneribus personalibus, realibus, & mixtis immunes sunt.

§. VI.

33 *Finis* hujus immunitatis est, ut Ecclesiæ, ejúsque Ministrorum dignitas illæsa conservetur.

§. VII.

34 *Effectus* immunitatis realis est, quòd bona Ecclesiarum, & Clericorum à vectigalibus, steuris, tributis, aliísque civilibus exactionibus sæculari Principi solvendis eximat, *c. 4. & 7. h. t. l. 5. C. de SS. Ecclesiis.* ita quidem, ut potestas sæcularis nec per consuetudinem excusari possit, si collectas, aut contributiones Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis imponat: ex quo hæc immunitas ex jure Divino prodiit, contra quod nulla consuetudo prævalere potest, *c. 4. de Censib. in 5.* juncto *c. fin. de Consuetud.*

§. VIII.

35 *Affinis* immunitati reali est *immunitas personalis*, cujus præcipuæ partes sunt exemptio à jurisdictione sæculari, quæ *privilegium fori* dicitur; & *privilegium Canonis* ab Innocent. II. Papa editi, quod refertur *in c. si quis. 29. causâ 17. q. 4.* de quibus alibi passim.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

SUMMARIA.

1. Quæ hic veniant nomine negotiorum sæcularium? 2. Quo jure sint prohibita? 3. Quibus? 4. usque 10. Quæ negotia Clericis ac Monachis sint prohibita? 10. Forma. 11. Finis, ob quem prohibentur. 12. Quæ sit pœna Clericorum, ac Monachorum negotiis sæcularibus se immiscentium.

ULtimus hic titulus primo correspondet, cùm quàm maximè ad vitam, & honestatem Clericorum, Monachorúmque pertineat, *à sæcularibus negotiis* abstinere.

§. I.

Nomine *negotiorum sæcularium*, quibus 1
Clerici, vel Monachi se immiscere prohibentur, ea veniunt, quæ à Divinis notabiliter abstrahere solent, vel contemptum generare.

§. II.

Causa efficiens horum prohibitorum negotiorum est jus, unde acceperunt prohibitionem, id quod habetur *in c. decrevit. 1. c. Episcopus. 3. dist. 88. c. duo sunt. 7. causâ 12. q. 1. c. credo. 2. c. placuit. 3. causâ 21. q. 3. Clem 1. de Vita & hon. Cleric. & toto hoc titulo X. & in 6.* 2

§. III.

Subjectum sunt Clerici & Monachi, etiam 3
Canonici, Prælati, & Episcopi, quibus indignum, ac indecorum est, sæcularibus se negotiis immiscere: enimverò *nemo*, ut inquit Apostolus 2. *ad Timoth. 7. militans DEO implicat se negotiis sæcularibus.* Et sanè quæ Clericis non conveniunt, multò magis Episcopos, & Prælatos dedecent: eorum siquidem, qui aliis præsunt, minimi defectus vulgo videntur maximi, & parva vitia elucent magis, quò præstantiores debent esse illi, quibus adhærent.

§. IV.

Materia, sive Objectum constituunt ipsa 4
negotia sæcularia, quæ Clericis, & Monachis sunt prohibita. Eorum

I. *In c. 1. h. t.* plura, & si exactè separentur quatuordecim recensentur, quæ vel Laicis quoque, vel Clericis tantùm sunt interdicta, prout legenti patebit.

II. *In c. 2. & 4. Eod.* ad illa refertur, quod Clerici non debeant esse Procuratores, administratores, aut officiales Principum, ac Dominorum temporalium. Si contra fecerint, & in suo officio, ac administratione deliquis-

se

le deprehendantur, Ecclesia ipsis non succurrit. *d. cap.* 2. ex quo Farinac. *in Prax. crim. p.* 1. *q.* 8. *num.* 98. cum pluribus aliis docet, quòd Clericus, qui Principis sæcularis officialis est, hòc ipsò privilegium fori amittat, & à Laicis puniri possit pro excessibus in officio commissis. Alii tamen probabiliùs Text. *in* 2. *cum c.* 4. *h. t.* concordant, quòd scilicet Clericus tum demum, si ter monitus non desistat, deponendus, & privilegiis Clericorum privandus sit, ab initio autem, & ante depositionem, cùm non minùs Princeps, vel Dominus sæcularis, qui Clericum ad Officium sæculare assumit, quàm ipse Clericus assumptus delinquat, non debet ex eo jus & jurisdictionem in Clericum acquirere. Ita Hostiens. *in Summa n.* 4. Panormit. & plures allegati à Barb. in *d. c.* 2. *n.* 4.

III. *In c.* 3. *& fin. h. t.* Clericis, & Monachis inhibetur, ne legibus, seu juri Civili operam dent, idque sub pœna excommunicationis incurrendæ, nisi admoniti intra duos menses destiterint. Videntur enim, ut innuit Pontifex, *in cit. c. fin.* per additionem completo, ex pedisequa, & ancilla dominam fatere Clerici, qui relicto tanctiore Theologiæ, & SS. Canonum studiò ad leges sæculares incumbunt. Quamobrem nihil erit contra Pontificis mentem, nec ullis pœnis obnoxium, sed laude potiùs, & commendatione dignum, si iis quibus cæteroquin legum studium prohibetur, eas non principaliter, sed pro facilicte, & pleniore intellectu juris Pontificii, atque ipsius Theologiæ, non solum domi, & privatim, sed etiam publicè audiant, & addiscant, & cùm gradum Doctoratûs in jure Pontificio susceperuri sunt, in consequentiam quoque, & accessionis locò gradum in jure civili capessant; neque enim sic pedisequa Dominæ præfertur, sed ei, ut debet, ancillatur. Boëtius Epo *in c.* 3. *h. t. n.* 16. & 17. P. Engel. *h. t. n.* 6.

IV. *In c.* 5. *& 9. h. t.* Clerici jubentur abstinere ab iis negotiis, quæ eos ad exequenda officia sacri Ordinis ineptos, & irregulares efficiunt: qualia sunt exercere chirurgiam per adustionem, vel incisionem: ferre sententiam sanguinis per semetipsum; aut agere in causa sanguinis publicum Ministrum assistendo Judici, advocando, testando, exercendo officium Notarii: quippe similia abhorrent à Christi mansuetudine, lenitate, quam moribus suis Clericos speciatim exprimere convenit. Unde etiam supplicia facinorosorum spectare, & ubi sanguinis vindicta exercetur, interesse Clericis interdicitur in *cit. c.* 9. *h. t.* 7

V. *In c.* 6. *h. t.* inhibetur Clericis, & Monachis mercatura, seu negotiatio: hæc enim præterquam, quòd Clericum, aut Monachum ab officiis Divinis, & spirituali animarum per orationes, aliásque sacras functiones DEO, & cœlo asserendarum quæstu retraheret, vilem eum, & contemptibilem redderet, & Clericalem, ac Religiosum decorem, dignitatémque prostitueret: quantumvis enim Laico probrosum non sit per negotiationes lucra temporalia sectari, Clerico tamen aut Monacho, cui aliunde de necessariis providetur, ignominiosum id est, utpote avaritiam, ac temporalis lucri cupiditatem redolens. Unde sub pœna anathematis vetatur *d. c.* 6. Intelligitur autem nomine negotiationis Clerico inhibitæ quilibet contractus, quo res comparatur, ut cariùs postea vendatur, & distrahatur. Sed nec alienas possessiones lucri causâ Clericis conducere conceditur. *cap.* 1. *Eod. c.* 1. *dist.* 88. 8

VI *In c.* 8. *h. t.* Clerici prohibentur exercere officium tabellionatûs, sive notariatûs, sub pœna privationis beneficiorum suorum; Interim si quis contra hanc prohibitionem faciat, modò aliàs officium notariatûs legitimè consecutus sit, valebunt actus, & instrumenta 9

ab eodem confecta, quia prohibitio tantùm personam afficit, nec extendenda est in præjudicium aliorum, maximè cùm aliàs multa prohibeantur fieri, quæ tamen, cùm facta fuerint, obtinent firmitatem. *c. 16. de Regular.* Hostiens. *in Summa h. t. n. 5.* P. Engel. *Eod. n. 5,*

§. V.

10 *Forma* hujusmodi prohibitorum negotiorum, à quibus Clerici, & Monachi abstinere debent, stat in inconvenientia, ob quam repugnat statui, ac officio Clericali, & Religioso.

§. VI.

11 *Finis*, ob quem Clerici, ac Monachi se negotiis sæcularibus immiscere prohibentur, est, ne à cultu Divino avocentur, ac in diversa, eorum vitæ aut professioni dissentanea, distrahantur.

§. VII.

12 *Effectus* sæcularium negotiorum Clericis, ac Monachis prohibitorum, est pœna in contra facientes statuta, eáque varia pro varietate negotii, cui Clericus, vel Monachus incumbit; veluti excommunicatio in Clerico vel Religioso professo leges, vel medicinam audiente, si redire ad claustrum detrectet. *c. 3. & fin. h. t.* Depositio ab Officio, & beneficio in Clerico Procuratore, vel vice Principis sæcularis judicante, vel judicium sanguinis agitante, munúsve Tabellionis exercente, *c. 2. 4. 5. 8. & 9. h. t.* Privilegii immunitatis ammissio, & excommunicatio in Clerico negotiatore, si tertiò monitus non destiterit. *c. 6. h. t. c. 4. de Consuet. in 6. Clem. fin. Eod.* irregularitas in Clerico sacris initiato medente per abscissionem, aut adustionem membri alicujus.

d. c. 9. h. t.

OMNIA AD MAJOREM DEI GLORIAM.



INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM,

In hoc III. Libro Decret. contentorum, ubi prior numerus paginam, alter numerum marginalem denotat.

Abbatia quid? p. 54. n. 41.

Alienatio rerum Ecclesiasticarum.

Alienationis diversa acceptio. p. 111. n. 1. quid sit alienatio rerum Ecclesiasticarum, n. 2. quæ jura prohibeant. p. 112. n. 3. quinam possint alienare. n. 4. Quæ res dicantur Ecclesiæ. n. 5. quæ res vocentur immobiles, n. 6. & p. 113. n. 7. n. 9. & seqq. quæ mobiles, & quid juris circa earum alienationem? p. 114. n. 13. & seqq. Quæ causa? p. 117. n. 20. quæ solennitas? p. 118. n. 21. Quis finis: p. 120 n. 27. quis effectus alienationis, & quatenus ea sit irrita? n. 28. & seqq. malè alienantes diversis pœnis compescuntur. p. 121. n. 31.

Altaris consecratio, vide Consecratio.

Archi-Diaconatus, Archi-Presbyteratus quid? p. 54. n. 39.

Archi-Episcopatus quid? p. 53. num. 37.

Baptismus.

Baptismi Etymologia. p. 320. n. 1. quid sit? n. 2. causa principalis est Christus, n. 3. Instrumentalis, Minister, qui triplex est, primi generis, n. 4. secundi generis. n. 5. tertii. p. 321. n. 6. quibus conferri possit. n. 7. an infanti in utero, n. 8. an & quando monstro. n. 9. an reiterari possit, p. 322. n. 10. quæ sit materia Baptismi, n. 11. quæ forma, n. 12. quis finis, p. 323. n. 13. quis effectus? n. 14.

Beneficium.

Cui conferendum? p. 74. n. 12. ut conferri possit, debet esse vacans. n. 13. & seqq. p. 76. num. 16. non reservatum vel affectum. n. 17. & 18. p. 77. n. 19. 20. p. 78. n. 21. p. 79. n. 22. n. 23. p. 80. n. 24. p. 81. n. 25. p. 82. n. 26.

Vide Collatio Prabenda.

Vide Unio Beneficiorum.

Beneficiorum Dismembratio, vide Ditmembratio.

Beneficiorum Divisio, vide Divisio.

Beneficiorum Oneris impositio, vide Impositio.

Beneficiorum Pensio, vide Pensio.

Beneficiorum Suppressio, vide Suppressio.

Beneficiorum Unio, vide Unio.

Cæmeterii Immunitas, vide Immunitas.

Canonici Regulares, vide Status Monachorum.

Capella Monachorum, & aliorum Religiosorum.

Unde dicantur? p. 292. n. 1. quid sint? n. 2. ex quibus causis pertineant ad Regulares? p. 293. n. 3. Monachis licet in Capellis Divina facere. n. 4.

Capitulum.

Quid nominis? p. 94. n. 1. quid rei? n. 2. quis possit convocare Capitulum? p. 95. n. 3. Quinam sint Capitulares? n. 4. an etiam absentes vocari debeant. n. 5. quæ dicantur negotia Capitularia, p. 96. n. 6. Quæ conditiones requirantur, ut gesta per Capi-

Capitulum valeant? n. 7. & seqq. cur congregetur Capitulum, p. 97. n. 11. Quid juris circa ea, quæ fiunt à majore parte Capituli? n. 12.

Cardinalatus quid? p. 53. n. 35.

Cautio.

Cautionis genera sunt varia, alia simplicia, alia juratoria, alia idonea, p. 205.

Celebratio Missarum, vide Missa.

Census.

Homonymia. p. 301. n. 1. Definitio, n. 2. dividitur in novum & antiquum, n. 3. quis possit imponere? I. Summus Pontifex, n. 4. II. Episcopus, n. 5. III. Archi-Diaconi, Archi-Presbyteri, Abbates &c. p. 302. num. 6. IV. Patronus, n. 7. Ecclesia matrix Ecclesiæ filiali, n. 8. an & quatenus census possit exigi à Monasteriis aut Parochiis incorporatis, n. 9. an exemptio ad Parochias Monasteriorum, ad Parochias incorporatas extendi possit? p. 303. n. 10. an Monasteria & Parochiæ iisdem incorporatæ teneantur ad pensionem alumnaticam, n. 11. in quibus rebus census constitui possit? p. 304. n. 12. Requisita ad censum imponendum, n. 13. finis censûs est varius, n. 14. an census remitti possit? n. 15.

Chrismatis custodia, vide Custodia.

Clerici, Clericatus.

Clerici qui, & unde dicti? p. 2. num. 4. recensentur Clerici ordinum minorum, n. 5. & 6. & majorum n. 7. & seqq. Num Religiosi veniant nomine Clericorum p. 3. n. 9. an & qualiter probandus Clericatus? num. 10. Cui competat Clericatûs cognitio? p. 4. n. 11. & seqq. quænam specialiter in Clericis requiratur morum probitas? p. 6. n. 16. quæ ipsis negotia, & officia prohibita? num. 17. Quam honestatem servare debeant in habitu & vestitu? p. 7. n. 18. & seqq. In quo differat vita Clericorum à vita Laicorum? p. 9. n. 21. Quis sit finis vitæ Clericorum? num. 26. quis effectus ibid. n. 27.

Clerici majorum Ordinum nullô modô possunt contrahere matrimonium, p. 14. n. 5. & seqq. quid juris, si contrahant matrimonium Clerici in minoribus constituti? p. 15. num. 8.

Clerici non residentes.

Residentia quid sit, quæ vera, quæ ficta? p. 19. n. 1. 2. quo Jure introducta residendi obligatio ibid. n. 3. 4. Quatenus ad personalem residentiam teneantur Episcopi. p. 20. n. 5. Abbates. n. 6. Parochi & alii Curati, n. 7. & seqq. Canonici. pag 22. num. 14. & seqq. Beneficiati simplices? p. 25. n. 19.

Residentia exigit præsentiam in loco beneficii n. 20. ex quibus causis absens fungatur præsens? p. 26. n. 21. & seqq. exigitur, ut beneficiatus personaliter jungatur officio pag. 28. num. 27. & 28. & ut Canonicus Divinis intersit; p. 28. n. 29. sunt tamen justæ causæ, ex quibus ad lucrandas distributiones interesse censentur, p. 29. n. 30. & seqq.

Quis finis residentiæ, pag. 31. n. 35. qui fructus residentium, n. 36. & seq. quæ pœnæ non residentium? p. 33. n. 38. & seqq.

Coadjutoria.

Quid sit? p. 57. n. 1. alia temporalis, alia perpetua, n. 2. quo jure sit introducta? n. 3. & à quo p. 58. n. 4. 5. 6. Cui detur Coadjutor, p. 59. n. 7. 8. in quibus Coadjutor coadjuti vices supplere debeat? p. 60. n. 9. ex quibus causis n. 10. cur Coadjutor constituatur? n. 11. Quæ Coadjutoris potestas, n. 12. Qui fructus, p. 61. n. 13. 14. Quæ Præcedentia & Prærogativa? p. 62. n. 15. & seqq.

Cœlibatus.

Quid sit? pag. 13. n. 1. Quo Jure injunctus ut Clericis? pag. 14. n. 2. 3. Quis finis, quis

quis effectus Cœlibatûs? pag. 18. n. 14. & seqq.

Cohabitatio.

Clericorum & mulierum cohabitatio prohibetur per canones, pag. 10. num. 1. 2. an consuetudine sit permissa? ibid. n. 3. quas mulieres in domo sua retinere liceat? n. 4. Qui in diversis ædibus habitant, non dicuntur cohabitare, p. 11. n. 5. Cur Clericis & fœminis suspectis interdicta cohabitatio? n. 6. & seq. Quæ sint pœnæ Clericorum cohabitantium? ibid. num. 8. & seqq. vide *Cœlibatus.*

Collatio Prabendæ & Ecclesiæ non vacantis.

Collatio quid? p. 70. n. 1. Potestas conferendi unde & à quo jure descendat. n. 2. quatenus competat S. Pontifici? n. 3. & seq. Legatis? p. 71. n. 5. 6. Episcopis & Capitulis? pag. 72. n. 7. 8. aliis Prælatis? p. 73. n. 9. 10. Laicis? n. 11. assignantur collationis requisita, p. 82. n. 27. p. 83. n. 28. p. 84. n. 29. Ejusdem finis, p. 85. n. 30. Effectus ibid. n. 31.

Commodatum.

Quid nominis? pag. 129. n. 1. & n. 2. quid rei? n. 3. quæ origo? n. 4. quinam commodare, n. 5. quinam commodatum accipere possint? n. 6. quæ res possint commodari? pag. 130. n. 7. 8. & n. 9 quomodo commodatum differat ab aliis contractibus n. 10. & p. 131. n. 12. 13. 14. quis finis sit commodati? n. 15. quæ sit obligatio commodantis, n. 16. 17. p. 132. n. 18. quæ obligatio commodatarii, p. 133. n. 19. n. 20. & pag. 134. num. 21. & seqq. quæ actio ex commodato competat? pag. 136. n. 24.

Concessio Prabendæ, vide Collatio Prabendæ.

Conductio, vide Locatio.

Consecratio Ecclesiæ vel Altaris.

Consecrationis etymologia, p. 307. n. 1. quid sit? n. 2. ejus origo, p 308. n. 3. Minister ordinarius est Episcopus loci, n. 4. extraordinarius Abbas, aut simplex Sacerdos, n. 5. & 6. Quæ Ecclesia consecranda sit, p. 309. n. 7. quod Altare? p. 310. n. 8. quæ Consecrationis materia? n. 9. forma est essentialis vel accidentalis, n. 10. Divina in locis sacris peragenda, n. 11. quibus modis Ecclesia polluatur? n. 12.

Consensus Capituli.

Quid sit? p. 92. n. 1. in quo differat à consilio n. 2. quo jure sit necessarius? n. 3. Sufficit consensus majoris partis, n. 4. In quibus negotiis opus sit consensu? n. 5. in quibus consilio? p. 93. n. 6. Quomodo consensus Capitularis interponatur? n. 7. ob quem finem, n. 8. quomodo probetur? n. 9.

Conversio Conjugum.

Definitio, p. 279. n. 1. divisio, n. 2. origo, n. 3. quatenus conjugibus liceat profiteri religionem, n. 4. utrùm uxor intra bimestre deliberandi contra voluntatem cognita, invito conjuge religionem possit ingredi? n. 5. an post commissum adulterium innocens invito adultero possit religionem ingredi? p. 280. n. 6. objectum hujus conversionis est vita regularis, n. 7. Requiritur autem, ut post matrimonium ratum tantùm conjunx volens se convertere intra bimestre religionem ingrediatur, n. 8. finis hujus conversionis, p. 281. n. 9. Effectus conversionis legitimæ, n. 10. conversionis illegitimæ. n. 11.

Conversio infidelium.

Ejusdem definitio, p. 282. n. 1. Est domum DEI n. 2. quinam veniant nomine infidelium, n. 3. quanta necessitas fidei? n. 4. Requiritur I. gratia DEI, n. 5. II. actus voluntaris. III. ut infidelis baptizetur, ibid. finis conversionis, n. 6. ejusdem effectus principalis, n. 7. minùs principalis, p. 283. n. 8.

Custo-

Custodia Eucharistiæ, Chrysmatis, & aliorum Sacramentum.

Tit. 44. per tot.

Decima.

Decimarum definitio nominalis. p. 267. n. 1. definitio realis. p. 268. n. 2. dividuntur in prædiales & personales, n. 3. an dentur decimæ mixtæ, n. 4. quo jure sint introductæ? n. 5. quinam teneantur solvere decimas, qui non? I. Laici, p. 269. n. 6. II. Clerici & Parochi, qui prædia habent in aliena parochia, n. 7. Monachi & Religiosi tam exempti, quàm non exempti de prædiis, quæ ab aliis conducta habent. n. 8.

Exemptio à solvendis decimis acquiritur I. privilegio, p. 269. n. 8. II. præscriptione quadragenariâ cum titulo. p. 270. n. 9. III. gratuitâ cessione aut compositione. n. 10. quibus solvendæ sint decimæ? p. 271. n. 11. & 12. cui debeantur decimæ Novalium, n. 13. Quomodo Ecclesia contra Ecclesiam jus decimandi acquirat, n. 14. quorum proventuum decimæ præstandæ sint? p. 272. n. 15. 16. quomodo solvendæ sint. n. 17. p. 273. n. 18. 19. quis finis decimarum. n. 20. quis effectus? n. 21.

Depositum.

Depositi Onomatologia, p. 137. n. 1. 2. n. 3. Definitio, n. 4. dividitur in depositum in specie & sequestrum, n. 5. Subdividitur I. in voluntarium & necessarium, n. 6. in regulare & irregulare, n. 7. in depositum juris & depositum facti p. 138. n. 8. quæ origo, n. 9. Quinam possint deponere & depositum suscipere? n. 10. quæ res deponi possit? n. 11. an etiam immobiles? p. 139. n. 12. Quid juris circa necessaria depositi? n. 13. quid circa res inclusas cistæ depositi? p. 140. n. 14. Quæ sint requisita depositi? n. 15. p. 141. n. 16. & n. 17. Quis finis, n. 18. quæ obligatio deponentis? n. 19. quæ depositarii? n. 20. 21. 22. p. 142. n. 23. p. 143. n. 24. 25. quæ inde actio competat? n. 26.

Dignitates.

Dignitatis diversa acceptio? p. 52. n. 32. definitio ibid. n. 33. multiplex divisio: Papatus, n. 34. Cardinalatus, p. 53. n. 35. Patriarchatus, n. 36. Archi-Episcopatus, n. 37. Episcopatus, n. 38. quò spectent Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Vicariatus generales &c. p. 54. n. 39. Quò etiam Personatus & officia Ecclesiastica? n. 40. Inter dignitates Regulares primum locum obtinent Abbatiæ & Præpositura Regulares, n. 41. Secundum locum habent Prioratus Conventuales, n. 42. Tertium locum Prioratus Claustrales, p. 55. n. 43. origo & causa dignitatum efficiens, n. 44. & 45. subjectum dignitatis Ecclesiasticæ, n. 46. Materia seu objectum, p. 56. n. 47. forma. n. 48. Finis, n. 49. Effectus ac Emolumenta, n. 50.

Dismembratio Beneficiorum.

Quid sit? p. 103. n. 22. quis possit dismembrare, n. 23. quæ beneficia admittant dismembrationem, p. 104. n. 24. quæ causa? n. 25. quæ solennitas, num. 26. quis finis? n. 27. quis effectus? p. 105. n. 28.

Divinum officium, vide officium Divinum.

Divisio Beneficiorum.

Quid sit? p. 102. n. 15. quis possit facere? n. 16. in quibus fieri possit? n. 17. ex qua causa, p. 103. n. 18. qualiter fieri possit. n. 19. quis finis? n. 20. qualis effectus? n. 21.

Donatio.

Donationis etymologia, p. 219. n. 1. definitio. n. 2. dividitur in perfectam seu realem, & imperfectam seu verbalem, n. 3. in gratuitam & remuneratoriam, n. 4. donationem inter vivos, & mortis causâ, p. 220. n. 5. ejus origo, n. 6. potest donare omnis, n. 7. Jure Civili non potest Pater donare filio quem

quem in potestate sua habet, n. 8. prohibetur donatio inter conjuges, n. 9. Miles nihil potest donare suæ concubinæ, n. 10. nec tutores seu curatores, p. 221. n. 10. de jure Canonico prohibentur Prælatis immoderatæ donationes, n. 11. non tamen donationes remuneratoriæ, n. 12. & seq. possunt regulariter donari res omnes humano commercio obnoxiæ, p. 222. n. 14. & seq. quæ ex parte donantis requirantur? p. 223. n. 19. quæ ex parte donatarii? n. 20. an ut valeat donatio Ecclesiæ vel ad pias causas facta, administratorum Ecclesiarum acceptatio requiratur? p. 224. n. 21. Modus donandi, n. 22. Insinuatio donationis. n. 23. & seq. finis donationis, p. 225. n. 25. effectus alius donationis realis, alius verbalis. n. 26. 27. & seq.

Revocatio donationis, p. 226. num. 29. & 30. quando & ex quibus causis fieri possit? n. 31. & seq.

Ecclesiarum ædificatio vel reparatio.

Ecclesiæ diversa acceptio, p. 328. n. 1. definitio, n. 2. divisio, n. 3. qua ratione, n. 4 quibus sumptibus Ecclesiæ ædificandæ vel reparandæ? n. 5. quæ sit materia, p. 329. n. 6. quæ forma, n. 7. quis finis, n. 8. quis effectus? n. 9.

Ecclesia Consecratio, vide Consecratio.

Ecclesiarum Immunitas, vide Immunitas.

Emphyteusis.

Etymologia, p. 174. n. 26. Homonymia, n. 27. definitio, n. 28 Divisio, n. 29. 30 & 31. Origo, p. 175. n. 32. Quinam concedere, quinam accipere possint Emphyteusin? n. 33. & seq. in quibus rebus constitui debeat? p. 176. n. 36. 37. An scriptura sit de substantia Emphyteusis? n. 38. quis sit ejus finis? p. 177. n. 39. quisnam effectus, n. 40. & seqq. quibus modis finiatur? p. 178. n. 47. & seq.

Emptio & Venditio.

Quid nominis? p. 144. n. 1. & 2. quid rei? n. 3. Quæ origo? n. 4. Quinam emere vendere prohibeantur, n. 5. 6. 7. p. 145. n. 8. Quibus casibus quis vendere cogatur? n. 9. Quale debeat esse pretium? p. 146. n. 10. 11. & seqq. quæ res sint vendibiles? p. 148. n. 15. p. 149. n. 16. an debita liquida sive chirographa minori pretio? n. 17. 18. Sunt tamen res plures, quæ emptionem venditionem effugiunt, p. 150. n. 19. an officia publica? n. 20. cum quibus conditionibus census annui? p. 151. n. 21. & seq. Qualis consensus ad constituendam emptionem venditionem requiratur? p. 154. n. 23. 24. 25. & 26. Emptio venditio contrahi potest vel purè vel sub conditione, p. 155. n. 27. 28. 29. p. 156. n. 30. Finis emptionis venditionis. p. 157. n. 31. quæ sit obligatio emptoris? n. 32. 33. & seqq. quæ venditoris? p. 158. n. 36. & seqq. quæ his competat actio; p. 160. n. 40. quibus modis emptio venditio rescindatur? n. 41. & seq.

Episcopatus quid? p. 53. n. 38.

Eucharistia.

Definitio nominis. p. 316. n. 17. Synonymia n. 18. definitio rei. n. 19. Sacramentum Eucharistiæ est institutum à Christo, n. 20. conficitur à solo Sacerdote, n. 21. quoties recipiendum, n. 22. qualis panis, p. 317. n. 23. quale vinum sit materia Eucharistiæ n. 24. quæ forma, n. 25. quis finis p. 318. n. 26. qui sint effectus? n. 27. Eucharistiæ Custodia, vide *Custodia.*

Exactio.

Diversa ejusdem acceptio, p. 305. n. 17. definitur charitativum subsidium, n. 18. qui exigere possint, n. 19. à quibus, n. 20. in qua quantitate & de quibus rebus, n. 21. quomodo fieri debeat exactio? n. 22. finis exactionis, n. 23. effectus exactionis, n. 24.

Feudum.

Feudi Etymologia, p. 184. n. 1. Synonymia, n. 2. Homonymia, n. 3. Definitio, p. 185. n. 4. Dividitur in proprium seu rectum, & in improprium seu non rectum vel obliquum, n. 5. feudum proprium ex persona Domini dividitur in nobile & ignobile, n. 6. Nobile subdividitur in regale & non regale, n. 7. ex persona vasalli acquirentis in novum & vetus, p. 186. n. 8. ratione materiæ in Ecclesiasticum & sæculare, n. 9. ratione formæ in ligium & non ligium, n. 10. ab effectu in feudum familiæ seu ex pacto & providentia, & in feudum hæreditarium seu patrimoniale, p. 187. n. 11. Improprii feudi species variæ; prima feudum fœmineum, n. 12. altera Francum, p. 188. n. 13. tertia Empititium, n. 14. quarta Pignoratitium, n. 15. quinta Hæreditarium, n. 16. sexta de Camera & de Cavena, n. 17. septima Soldatæ, & postrema Guardiæ & Gastaldiæ? p. 189. n. 18. Feudi origo, n. 19. quam authoritatem libri feudales in Imperio obtineant? n. 20. Inter personas Ecclesiasticas Feudum dare & constituere possunt I. Summus Pontifex. p. 190. n. 21. II. Inferiores Prælati & Clerici, n. 22. Inter Personas sæculares Imperator, n. 23. Principes, Marchiones, Comites & Barones, item Civitates Imperiales, p. 191. n. 24. quæ personæ accipere possint, n. 25. 26. 27. 28. utrùm etiam Clerici & Religiosi, n. 29. 30. qui specialiter feudum accipere prohibeantur? p. 192. n. 32. quibus modis acquiratur feudum, n. 33. Investitura quid sit? n. 34. & n. 35. & seq. de præscriptione Investituræ, p. 193. n. 37. de Successione in feudo, num. 38. n. 39. 40. 41. 42. quibus modis acquiratur feudum? p. 194. n. 43. Forma Feudi stat in petitione Investituræ, pag. 195. n. 44. in ejus solennitate, n. 45. & Juramento fidelitatis. n. 46. quis sit finis feudi? n. 47. quinam effectus? p. 196. n. 48. n. 49. & 50. quibus modis feudum amittatur? p. 197. num. 5. & seq.

Fidejussor.

Etymologia Fidejussionis, p. 206 n. 1. definitio, n. 2. Dividitur in necessariam & voluntariam, n. 3. in judicialem & extrajudicialem, n. 4. in principalem & succedaneam, n. 5. in simplicem & indemnitatis, n. 6. in idoneam, & non idoneam, num. 7. ejusdem origo, p. 207. n. 8. & 9. fidejubere prohibentur Clerici, n. 10. Religiosi, n. 11. Milites, n. 12. mulieres, n. 13. cui obligationi accedere possit fidejussor? p. 208. n. 14. n. 15. 16. ad fidejussionem requiritur stipulatio, p. 209. n. 17. Conventualis cum debito principali, n. 18. 19. & ut debitum principale remaneat, n. 20. finis fidejussionis, p. 210. n. 21. Quinam effectus? n. 22. & seq.

Honestas Clericorum, vide Clerici.

Hospitalia, vide Religiosa Domus.

Hypotheca.

Quomodo contrahatur? p. 189. n. 5. quomodo differat à pignore? n. 6. quid sit hypotheca generalis? n. 7. Hyporheca specialis, p. 199. n. 8. an tam hypotheca generalis omnium bonorum, quàm specialis certæ rei prohibita sit? p. 201. n. 20.

Vide Cautio, Pactum, Pignus.

Jejunium.

Quid sit? p. 324. n. 1. aliud est naturale, aliud Ecclesiasticum, n. 2. est introductum jure Ecclesiastico, n. 3. quinam adstringantur? num. 4. excusat ætatis imbecillitas, ibid. ætas sexagenaria, pag. 224. num. 5. corporis infirmitas, n. 6. Paupertas, n. 7. Labor, n. 8. Pietas, n. 9. quando petenda licentia? n. 10. an Episcopus possit transferre jejunium ab uno die in alium? p. 326. n. 11. à quibus cibis abstinendum, n. 12. & 13.

& 13. quæ sint requisita jejunii, n. 14. & seqq. quis finis & effectus? p. 327. n. 17.

Immunitas Ecclesiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Immunitas *localis* quid? p 329. n. 1. quæ ejus origo, n. 2. quibus locis competat? I. Ecclesiis consecratis, p. 330. n. 3. II. Monasteriis, domibus, ac Conventibus Religiosorum, n. 4. III. cæmeteriis Ecclesiæ contiguis ac unitis, n. 5. IV. Oratoriis auctoritate Episcopi erectis, & cultui divino perpetuò destinatis, n. 6. V. etiam hospitalibus, p. 331. n. 7. VI. Palatio vel domui Episcopi, n. 8. VII. extenditur hæc immunitas ad tabernaculum Sanctissimi, vel ad Sacerdotem Eucharistiam portantem, n. 9. quos reos securos reddat, pag. 332. n. 10. qualiter dubitetur de Clericis & Religiosis? n. 11. quæ forma immunitatis localis, n. 12. quis finis? n. 13. Effectus I. p. 333. n. 14. II. n. 15. III. n. 16. IV. n. 17. V. n. 18.

Quid sit immunitas *realis?* p. 334. n. 19. quo jure prodita? n. 20. competit bonis Ecclesiarum & Clericorum etiam patrimonialibus, n. 21. Quid sit munus vel munera civilia? n. 22. sunt personalia, realia, & mixta, n. 23. sunt etiam ordinaria & extraordinaria, p. 335. n. 24. à muneribus personalibus sunt Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ exemptæ, n. 25. non tamen à tributis & oneribus merè realibus, n. 27. qualia statuta Principes sæculares circa bona Ecclesiastica condere possint? p. 336. n. 28. an Clericis emigrantibus partem decimam detrahere liceat? n. 29. & seqq. quæ sit forma? p. 337. n. 32. quis finis? n. 33. quis effectus hujus immunitatis? n. 34.

Quid sit immunitas *personalis?* p. 338. n 35.

Impositio oneris in Beneficiis.

Quid sit? pag. 111.

Institutio.

Quid sit? p. 62. n. 1. & 2. quæ origo, p. 63. n. 3. Quis possit instituere, n. 4. n. 5. & 6. Quis institui? p. 64. n. 7. & qualiter? n. 8. intra quale tempus? p. 65. n. 9. requiritur, ut instituendus sit dignus, n. 10. utrùm dignior necessariò debeat institui? p. 66. n. 11. requiritur etiam, ut præsentatus personaliter se sistat coram Ordinario. p. 67. n. 12. Materia seu objectum institutionis, p. 68. n. 14. Quæ sint requisita institutionis, n. 15. & 16. Quis finis? p. 69. n. 17. Quis effectus? n. 18. Quid intelligatur nomine Institutionis authorizabilis? n. 19. Quid intelligatur nomine Institutionis corporalis? n. 20.

Jus Patronatûs.

Ejusdem Onomatologia, p. 293. n. 1. definitio, num. 2. Dividitur I. in Ecclesiasticum, n. 4. sæculare, p. 294. n. 5. Mixtum, n. 6. II. in hæreditarium & gentilitium, n. 7. III. in personale & reale, n. 8. IV. in activum & passivum, p. 295. n. 9. Ejusdem origo, n. 10. constituitur tribus modis, fundatione, Constructione & Dotatione, n. 11. quis dicatur fundare? n. 12. quis construere, n. 13. quis dotare, n. 14. quibus modis transferatur Jus patronatûs? p. 296. 15. tribus modis transfertur in alios, Successione, n. 16. Donatione, n. 17. Permutatione, p. 297. n. 18. Venditione, n. 19. quinam sint capaces Juris Patronatûs? n. 20. & seqq. excluduntur Judæi, Pagani, Hæretici. p. 298. n. 24. in quibus Ecclesiis locus sit juri patronatûs? n. 25. Ejusdem forma alia generalis, alia specialis, p. 299. n. 26. in quo differant jus Patronatûs Ecclesiasticum, & sæculare? n. 27. quis sit finis? n. 28. Effectus. I. est honor, n. 29. II. onus, p. 300. n. 30. III. utilitas redundans in Patronũ, n. 31 facultas præsentandi Clericum n. 32. quibus modis Jus Patronatûs amittatur? I. propter

defectum fundamenti, n. 33. II. propter delictum, n. 34. III. propter non usum. p. 301. n. 35.

Legata.

Inter quod tempus solvenda? p. 250. n. 59. quâ ratione solvenda in genere pauperibus vel incertæ piæ causæ relicta? n. 60. quid juris, si dispositio ad pias causas non possit adimpleri? n. 61.

Locatio Conductio.

Locationis definitio nominalis, p. 162. n. 1. definitio realis, p. 163. n. 2. divisio, n. 3. n. 4. 5. Origo, n. 6. Qui possint, & qui non possint inire hunc contractum? p. 164. n. 7. quæ res locari queant, à n. 8. usque 13. quæ non? p. 166. n. 14. Qualis debeat esse merx? n. 15. & 16. requisita locationis conductionis. p. 167. n. 17. Finis hujus contractûs. p. 168. n. 18. quæ sit obligatio locatoris? n. 19. & seqq. quæ conductoris? p. 170. n. 21. & seqq. quæ inde competat actio? p. 173. n. 24. quibus modis rescindatur hic contractus? n. 25.

Matrimonium Clericorum, vide Clerici, Clericatus.

Missa.

Quid nominis? p. 312. n. 1. Missa est Liturgia, n. 2. Missa est Sacrificium, n. 3. dividitur in privatam & solennem, n. 4. in principalem, n. 5. & conventualem, p. 313. n. 6. aliæ dicuntur de die, aliæ votivæ, n. 7. quinam Missæ Sacrificium offerant? n. 8. Sacerdotis offerentis duplex dispositio animi, n. 9. corporis, n. 10 quibus applicari possit, p. 314. n. 11. quæ ejus materia? n. 12. quæ forma, n. 13. & 14 quis finis, p. 315. n. 15. quinam effectus? n. 16. & 17.

Novalium Decimæ, vide Decimæ.

Oblationes, vide Primitiæ.

Officium Divinum.

Ejusdem appellatio, p. 318. n. 28. definitio, n. 29. Partes, n. 30. utrum Juris Divini vel Canonici? n. 31. quinam teneantur ad Divinum officium, n. 32. ex quibus compositum sit, p. 319. n. 33. quomodo persolvendum? n. 34. & 35. studiosè, n. 36. devotè n. 37 quis finis, n. 38. quis effectus? n. 39. affinia sunt officium B M.V. Defunctorum, Psalmi pœnitentiales & graduales, n. 40.

Oratorium, vide Religiosa Domus.

Pactum.

Pactum Commissorium, p. 202. n. 23. Pactum antichreseos. p. 203. n. 24. & an licitum? ibid.

Vide Cautio, Hypotheca, Pignus.

Papatus quid? p. 52. n. 34.

Parochus & Parochiani.

Parochia dicitur quasi partitio curæ, p. 264. n. 1. Parochiæ acceptio duplex, n. 2. definitio Parochiæ, n. 3. Origo, n. 4. quis possit constituere Parochiam, p. 265. n. 5. quinam dicantur Parochiani proprii aut alieni? n. 6. requisita ad constituendam Parochiam I. Authoritas Episcopi, n. 7. II. Locus certis limitibus constitutus, n. 8. III. Potestas fori pœnitentialis. p. 266. n. 9. IV. Ut habeat proprium Rectorem, n. 10. & seq. Finis Parochiæ, n. 12. Effectus spectatur in Juribus Parochialibus, n. 13.

Patriarchatus quid? p. 53. n. 36.

Peculium Clericorum.

Quid sit? p. 227. n. 1. quotuplex, n. 2. quo jure concessum, p. 228. n. 3. quæres peculio Patrimoniali, quasi Patrimoniali, aut Ecclesiastico accensenda? n. 4. 5. p. 229. n. 6. 7. quæ forma? n. 8. quis finis, n. 9. quale Jus, & quæ disponendi potestas competat Clericis circa peculium? n. 10. & seq.

Pensio beneficiorum.

Quid sit? p. 106. n. 36. Ejusdem divisio, n. 37. quis beneficiis pensionem imponere possit? p. 107. n. 38. potest imponi vel beneficio vel beneficiato, n. 39. an Successor teneatur solvere pensiones nõ solutas? n. 40.

Pensio debet consistere in quantitate, n. 41. debet esse moderata, p. 108. n. 42. & ex justa causa imponi, n. 43. Ejusdem finis, p. 109. n. 44. Effectus, n. 45. Pensionarius tenetur pro rata ad subsidium charitativum p. 110. n. 46. quomodo extinguatur? n. 47.

Permutatio rerum, vide rerum permutatio.

Personatus & officia Ecclesiastica quid? p. 54. n. 40.

Pia Causa, vide Legatum.

Pignora & alia Cautiones.

Pignus quid nominis? p. 198. n. 1, 2. & 3. quid rei? n. 4. Pignus in specie quid sit? n. 5. quomodo differat ab hypotheca? n. 6. quid sit Pignus generale? num. 7. Pignus speciale, p. 199. n. 8. Tacitum Pignus? n. 9. Conventionale? n. 10. Legale? n. 11. Voluntarium? p. 200. n. 12. quæ origo? n. 13. à quibus? n. 14. & seq. oppignorati possunt omnes res mobiles sive immobiles. p. 201. n. 16. quæ res excipiantur? n. 17. 18. & 19. propter rei conditionem invalida est oppignoratio rei alienæ, p. 202. n. 21. forma pignoris essentialis, n. 22. accidentalis, n. 23. pactum Antichreseos, n. 24. finis Pignoris, p. 203. n. 25. quæ ex Pignore oriatur obligatio? ibid. quæ actio? n. 27. quæ remedia petitoria, n. 28. quæ possessoria? p. 204. n. 29. de Jure pignus retinendi, n. 30. & distrahendi, n. 31. quinam potiore pignores, n. 32. quibus modis pignus solvatur? p. 205. n. 33. & seq.

Vide Cautiones, Hypotheca, Pactum, Pollutio Ecclesiæ, vide Consecratio.

Præbenda.

Præbendæ Etymologia, p. 35. n. 1. Homonymia, n. 2. Definitio, n. 3. multiplex divisio n. 4. & seq. Origo, p. 40. n. 12. A quo Præbendæ ac Beneficia instituendæ? p. 41. n. 13. Quibus conferendæ? p. 43. n. 17. & p. 44. n. 18. assignatur eorum objectum, p. 46. n. 19. Requisita necessaria ad earum constitutionem, n. 20. & seq.

An Capellania, Præbenda, Commenda, Præstimonium, & Pensio nomine beneficiorum veniant, p. 48. n. 26. & seq. Quis finis sit Præbendæ vel beneficii? p. 50. n. 29. de Fructibus beneficiorum eorúmque perceptione, n. 30. & 31.

Vide Dignitates.

Præpositura Regulares quid? p. 54. num. 41.

Præstimonium, vide Præbenda.

Precarium.

Quid nominis? p. 125. n. 16. quid rei? n. 18. An sit verus contractus, n. 19. quotuplex, p. 126. n. 20. Cujus Juris, n. 21. Quinam concedere, quinam accipere possint? p. 127. n. 22. Constituitur in re qualibet, n. 23. assignantur requisita Precarii, n. 24. 25. & seq. ejus finis, p. 127. n. 28. Effectus n. 29. concedenti Precarium competit Jus revocandi. ibid. & interdictum de Precario, p. 128. n. 30. accipienti potestas utendi, n. 31. & possessio naturalis, n. 32. cum obligatione tamen restituendi, n. 33.

Precaria.

Precariarum Onomatologia, p. 122. n. 1. & 2. definitio, n. 3. Origo, n. 4. Quinam concedere, & quinam accipere possint precarias? p. 123. n. 5. Precariæ nonnisi in rebus soli constituuntur. ibid. Quæ causa? n. 7. quæ solennitas, n. 8. quatenus opus quinquennali renovatione, n. 9. an gratis concedenda, n. 10. Quis finis precariæ, p. 124. n. 11. quæ obligatio concedentis, n. 12. quæ accipientis? n. 13. 14. Qualis sit actio inde orta? n. 15.

Presbyter non baptizatus.

Tit. 43. per tot.

Primitiæ & Oblationes.

Primitiæ sunt certa pars primorum fructuum, p. 273. n. 22.

Oblationes sunt largitiones, quas fideles pro peccatis in Ecclesia, vel ad Altare offerunt num. 23.

Prioratus Conventuales, & Claustrales quid? p. 54. n. 41. & 42.

Professio, Professus, vide Religiosi.

Procuratio.

Quid nominis? p. 306. n. 25. quid rei? n. 26. quam ob causam jus statuat procurationem esse dandam? n. 27. quinam teneantur præstare? n. 28. Procuratio consistit in victualibus, p. 307. n. 29. & in honesta ac moderata sustentatione visitantis, n. 30. finis procurationis, n. 31. ejusdem effectus, n. 32.

Purificatio post partum.

Tit. 47. per tot.

Regulares & transeuntes ad Religionem, vide Religiosi.

Religiosi.

Quid sit Professio Religiosi? p. 274. n. 1. quotuplex? n. 2. Voti solenitas inventa est lege Ecclesiastica, n. 3. quinam capaces, ut religionem profiteantur, qui non? I. furiosus, n. 4. II. Impubes. p. 275. n. 5. III. filius, si parentes ipsius operâ indigeant, n. 6. IV. Servus n. 7. V. obligatus ad ratiocinia, n. 8. VI. Episcopus, n. 9. qui laborat caduco vel alio gravi morbo, n. 10. quinam capaces, ut religionem profiteantur, qui non? p. 276. n. 11. in qua religione emittatur professio? n. 12. in Religione ab Ecclesia approbata emittitur Professio, n. 13. Requisita Professionis, I. ut novitius stet in probatione per annum, n. 14. II. ut Professio spontaneâ & liberâ voluntate sit emissa, p. 277. n. 15. III. ut Professio fiat cum consensu ejus, cujus est incorporare religioni, n. 16. an sede vacante Conventus novitium ad Professionem possit admittere? n. 17. finis Professionis, p. 278. n. 18. ejusdem effectus, I. quòd professum faciat religiosum, n. 19. II. quòd inducat obligationem indissolubilem, n. 20. incorrigibilis potest ejici. n. 21. religiosus ab una religione potest transire ad aliam strictiorem, n. 22. effectus III. Professio religiosa extinguit omnia vota personalia, n. 23. IV. liberat à potestate patria, n. 25.

Vide Conversio Conjugum.

Religiosa Domus, ut Episcopo sint subjecta.

Quid sit domus religiosa? p. 291. n. 1. quotuplex? n. 2. qua intentione fundetur? n. 3. quæ ejus materia? n. 4. quæ requisita? n. 5. & 6. quis finis? n. 7. effectus I. Subjectio in ordine ad Episcopum, n. 8. Domus ac loca tum sacra tum religiosa in specie subjecta sunt jurisdictioni spirituali Episcopi, ibid. Hospitalia autem non, p. 292. n. 9. II. effectus religiosæ domus est, quod exinde non fieri possit locus profanus, n. 10.

Reliquiæ Sanctorum & eorundem Veneratio.

Tit. 45. per tot.

Rerum ad Ecclesias pertinentium Immunitas, vide Immunitas.

Rerum permutatio.

Permutationis diversa acceptio, p. 180. n. 1. definitio, n. 2. origo, n. 3. quinam permutare possint? n. 4. quæ res permutari possint? n. 5. & seq. requisita permutationis, p. 183. n. 10. & seqq. quis ejusdem finis. p. 184. n. 12. Quinam effectus? n. 13. & seq.

Residentia Clericorum, vide Clerici non residentes.

Sacramentorum Custodia, vide Custodia.

Sæcularia negotia.

Quæ sint negotia sæcularia, quibus Clerici, vel Monachi se immiscere prohibeantur, p. 338. n. 1. quo jure sint prohibita, n. 2. quibus? n. 3. quæ negotia Clericis ac Monachis sint prohibita? n. 4. prohibentur esse Procuratores, administratores aut officiales Principum ac Dominorum temporalium. n. 5. ne legibus seu Juri Civili operam dent, n. 6. jubentur abstinere à negotiis, quæ eos irregulares efficiunt, p. 339. n. 7. inhibe-

ipſis mercatura ſeu negotiatio, n. 8. Item officium tabellionatûs ſive notariatûs, n. 9. quæ forma prohibitorum negotiorum, n. 10. quis finis, p. 340. n. 11. quis effectus & quæ pœnæ? n. 12.

Sanctorum Veneratio, vide Reliquiæ.

Sedes vacans.

Quid ſit? p. 86. n. 1. ex quibus cauſis inducatur, n. 2. quæ dignitas dicatur ſedes vacans, n. 3. quibus modis ſedes vacet, n. 4. quid Capitulum ſede vacante poſſit circa proviſionem beneficiorum, n. 5. & ſeq. circa jurisdictionis Epiſcopalis adminiſtrationem, p. 88. n. 9. circa diſpenſationem & abſolutionem à caſibus reſervatis, n. 10. p. 89. n. 11. circa adminiſtrationem rerum temporalium? n. 12. 13. & ſeq. usque ad fin.

Sepultura.

Diverſa acceptio. p. 261. n. 1. eſt locus religioſus, n. 2. Origo & cauſa impulſiva, n. 3. Cœmeteria conſtituere pertinet ad Epiſcopum, n. 4. quibus Eccleſiis competat jus ſepulturæ, n. 5. & n. 6. ubi quis ſepeliri debeat, p. 262. n. 7. 8. quinam excludantur à ſepultura ſacra, n. 9. qui ritus funerum, p. 263. n. 11. quis finis ſepulturæ? n. 12. effectus ſepulturæ eſt perceptio funeralium, n. 13. & ſeq.

Solutio.

Solutionis homonymia, p. 212. n. 1. definitio, n. 2. quo jure facienda, n. 3. quinam ſolvere poſſint, aut teneantur? n. 4. tam Laici quàm Clerici, p. 213. n. 7. & ſeqq. quibus ſolvi poſſit? p. 214. n. 10. & ſeq. Requiſita ſolutionis, p. 215. & ſeq. Exceptio ſolutionis, p. 216. n. 22. quæ ſit forma ſolutionis, n. 23. & 24. Quo modo ſolutio fieri debeat ratione temporis? p. 217. n. 25. 26. p. 218. n. 27. quis finis, n. 28. quis effectus? n. 29. & ſeq.

Status Monachorum & Canonicorum Regularium.

Status quid nominis? p. 288. n. 1. quid ſit ſtatus Religioſus, n. 2. in quo differat ſtatus Monachorum à ſtatu Regularium? n. 3. eſt inſtitutus à Chriſto in nova lege, p. 289. n. 4. & per SS. Patriarchas & fundatores Ordinum, n. 5. Subjectum ſunt Religioſi & Canonici Regulares, n. 6. Requiſita ſtatûs Religioſi. I. tria vota ſubſtantialia, n. 7. II. ut Religio ſit ab Eccleſia approbata, n. 8. III. ſtabilitas, n. 9. finis ſtatûs Religioſi, n. 10. quæ obligatio hujus ſtatûs? n. 11.

Succeſſio ab inteſtato.

Proles legitima appellatur, p. 253. n. 1. definitur, n. 2. dividitur in ſtirpes & capita, n. 3. eſt partim jur. naturalis, partim civilis, n. 4. ſubjectum hujus ſucceſſionis ſunt hæredes à lege vocati, p. 254. n. 5. Primò vocantur deſcendentes, ſive liberi tam naſcituri, quàm nati, n. 6. ſive ſint legitimi & naturales ſimul, ſive ſint legitimati per ſubſequens matrimonium, ſive arrogati vel adoptati, n. 7. de reliquis ut de legitimatis diverſum jus eſt, n. 8. quomodo liberi; ex diverſis nuptiis parentibus ſuccedant? p. 255. n. 9 In II. ordine deficientibus liberis primi ordinis ſucceſſoribus vocantur ad ſucceſſionem aſcendentes & cum fratribus vel ſororibus germanis defunctis concurrunt, p. 256. n. 11. & ſeq. affirmativa & negativa ſententia declaratur, n. 12. & n. 13.

In tertio ordine veniunt collaterales, p. 257. n. 14. utrùm fratrum filii in bonis patrui ſuccedant in capita vel in ſtirpes? n. 15. Fratribus utrinque conjunctis non extantibus nec filii eorum vocantur conſanguinei vel uterini, n. 16. & ſeq. denique poſt illos vocantur promiſcuè reliqui collaterales, p. 258. n. 18. quarto loco ſuccedit conjunx conjugi, n. 19. ultimum locũ ſibi vendicat Fiſcus, p. 259. n. 20. quomodo ſucceſſio fiat in bonis Clericorum 21. n. 21.

Materia ſucceſſionis ab inteſtato eſt legitima hæreditas ibid. n. 22. tria requiſita ad ſucceſſionem ab inteſtato n. 23. 24. 25. finis, p. 260. n. 26. effectus. n. 27.

Suppreſſio beneficiorum.

Quid ſit? p. 105. n. 29. quis ſupprimere poſſit? n. 30. quæ beneficia ſupprimenda? n. 31. quæ cauſa? n. 32. quæve ſolennia? p. 106. n. 33. quis finis? n. 34. quis effectus? n. 35.

Teſtamentum.

Eſt teſtatio mentis. p. 231. n. 1. Teſtamenti homonymia n. 2. definitio, n. 3. teſtamentorum varia genera, n. 4. Publicum & privatum, n. 5. inſertum & oblatum, ib. an requiratur oblatio perſonalis? p. 232. n. 6. Teſtamentum privatum quid ſit? n. 7. quid ſolenne, ib. ſcriptum & nuncupativum. ib. non ſolenne? p. 233. n. 8. Teſtamentum parentum inter liberos, n. 9. ad pias cauſas, n. 10. Teſtamentum ruſtici, p. 234. n. 11. Teſtamentum factum tempore peſtis, n. 12. quo jure introducta ſit teſtandi facultas? n. 13. Quinam teſtari poſſint? p. 235. n. 14. Qui naturâ impediantur, n. 15. qui ob defectum corporis, p. 136. n. 16. qui legibus, ut jure gentium, n. 17. Qui jure civili, ut ob defectum ætatis, n. 18. ob defectum integri ſtatûs, p. 237. n. 19. & ſeq. ob vitium morum, n. 21. & ſeq. qui Jure Canonico prohibeantur, ut ob defectũ conditionis ſtatûs, ſicut Religioſi Profeſſi, p. 238. n. 26. Epiſcopi & Clerici Sæculares, p. 239. n. 27. utrùm Clerici per conſuetudinẽ de redditibus Eccleſiaſticis ad uſus profanos liberè teſtari poſſint? n. 28.

In pœnam delicti Jus Canonicum facultatem teſtandi adimit Hæredicis & hæreticorum receptatoribus, defenſoribus, fautoribus, n. 29. eoncta omnes alii teſta-

testari possint, mares & fœminæ, cujuscunque ætatis, p. 240. n. 30.
Institui hæredes possunt omnes, qui non prohibentur, n. 31. sicut servi, damnati ad ultimum supplicium. Hæretici, Apostatæ, Hostes Cardinalium, Liberi Perduellium & rebellium. ibid. neque Minores de observantia & Capucini, p. 241. n. 32. neque Professi Societatis JESU, n. 33. Reliqui tamen Ordines ac Communitates, n. 34.
Institui hæredes debent. I. Liberi, p. 241. n. 36. II. Liberis non existentibus parentes, p. 242. n. 37. quomodo fratres & sorores? n. 38.
Materia & objectum testamenti Primarium est hæreditas, p. 243. n. 39. Secundarium I. donatio mortis causâ, n. 40. II. Legatum, n. 41. huc refertur fideicommissum, n. 42. & seq. huc spectant codicilli, p. 244. n. 43.
Forma testamenti generalis consistit in directa hæredis institutione, p. 145. n. 44. an non in alienum arbitrium committi possit? ibid. an valeat institutio hæredis à moribundo ad interrogationem alterius? p. 246. n. 45. quomodo valeat testamentum nuncupativum ad interrogationem alterius? ibid.
Forma specialis testamenti solennis I. est continuitas actûs, p. 247. n. 46. II. testium numerus. ibid. III. ut hæres ab ipso testatore, vel ejus jussu ab alio scribatur, ibid. quid in testamento nuncupativo requiratur? ibid. n. 49. & seq.
Finis testamenti p. 248. n. 54. Effectus I. est aditio hæreditatis ibid. n. 55. II. parata executio p. 249. n. 56. III. in actionibus, quæ ex testamento competunt, n. 57. IV. hæreditatis transmissio. ibid. V. obligatio hæredis. n. 58.

Vide Legatum.

Rumpitur testamentum I. agnitione sui hæredis, p. 251. n. 62. II. mutatione seu revocatione. n. 63. Irritum redditur per capitis diminutionem, pag. 251. n. 64. destitui dicitur, si nemo ex eo hæres existat. n. 65. denique propositâ querelâ inofficiosi testamenti. p. 253. n. 66.

Veneratio Sanctorum, vide Reliquiæ.
Vicarii Generales quid sint? p. 54. n. 39.
Vitæ.

Vitæ homonymia p. 1. n. 1.
Descriptio Vitæ Clericorum, p. 1. n. 2.
Hujus Vitæ author est DEUS, p. 1. n. 3.

Ultimæ Voluntates, vide Testamentum.
Unio Beneficiorum.

Quid nominis? p. 98. n. 1. quid rei? n. 2. quotuplex? n. 3. quinam possint unire beneficia? n. 4. Quæ beneficia uniri possint? n. 5. & seq. Quæ causa? p. 100. n. 8. quæ solennitates requirantur ad unionem? n. 9. quis sit finis, p. 101. n. 10. quis effectus? n. 11. & seq.

Votum & Voti redemptio.

Voti diversa acceptio, p. 283. num. 1. Definitio, num. 2. Dividitur, I. in Simplex & solenne, num. 3. II. in personale, reale & mixtum. n. 4. Votum est meritorium, num. 5. vovere non possunt furiosi, amentes, infantes, num. 6. minores, pag. 284. num. 7. impuberes, num. 8. Conjuges, num. 9. Religiosi, n. 10. Episcopi, p. 285. n. 11. quæ opera voto promitti possint, n. 12. quæ non possint? n. 13. & seqq. Opus voto promissum debet esse de bono meliori, p. 286. n. 16. Voti requisita I. promissio seria, p. 287. n. 17. voluntaria & deliberata, n. 18. ut votum fiat DEO, n. 19. finis voti est gloria Divina, n. 20. effectus, num. 21. quibus modis cesset voti obligatio? n. 23. quo modo irritetur, num. 23. quo modo commutetur? p. 288. num. 24.



LIBER IV. DECRETALIUM.

Gregorii IX. Pontificis M.

TITULUS I.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

UBerrimam, & si nescis, oppidò difficilem, ac usu, non minùs Principes inter, quàm privatos, frequentem materiam Matrimonialem pro instituti nostri ratione carptim tractaturi, *hoc titulo* generalia de *Sponsalibus*, & *Matrimoniis* prælibabimus.

PARS I.

De Sponsalibus.

SUMMARIA.

1. *Sponsalium Etymologia.* 2. *Synonymia.* 3. *& homonymia.*
4. *Qui veniant nomine sponsorum, aut conjugum?*
5. *Quid sint Sponsalia?* 6. *An necessariò Matrimonio præmittenda?*
7. *Quinam possint contrahere Sponsalia?* 8. 9. *An infantes, vel eorum nomine Parentes, aut agnati?* 10. 11. *An amentes, rudes, vel melancholici?* 12. *An ebrii?* 13. *An sensibus destituti?* 14. 15. *An persona indeterminata?* 16. 17. *An impediti impedimento, seu dirimente, seu impediente.* 18. *usque* 21. *An Parentes, aut Tutores locò liberorum, vel pupillorum?* 22. 23. *An & qualiter absentes per Procuratorem?*
24. *Objectum Sponsalium est matrimonium futurum.* 25. 26. 27. *quod licitè* 28. *& validè contrahi potest.*
29. *Ut Sponsalia subsistant requiritur promissio.* 30. 31. *& quidem vera.* 32. 33. *libera, & deliberata.* 34. *usque* 41. *Exterius literis, verbis, aut aliis signis certis manifesta.* 41. 42. 43. *ab altera parte acceptata.* 44. 45. *& mutua.* 46. 47. *Annè quoque consensus eorum, in quorum potestate sunt contrahentes?*
48. *Finis Sponsalium quis?*
49. 50. 51. *An & qualis obligatio, ac actio ex Sponsalibus oriatur?* 52. *Quo tempore sint implenda Sponsalia?* 53. *Num Sponsi ad contrahendum matrimoninm censuris cogi possint?* 54. *Indirecta obligatio Sponsalium quæ?* 55. 56. 57. *Quinam effectus eorum speciales?*
58. *Sponsalia ex multis causis dissolvuntur.* 59. 60. *Nimirum mutuo consensu.* 61. 62. *Matrimonio cum alia contracto.* 63. *usque* 67. *Professione Religionis.* 67. 68. *Impedimento dirimente superveniente.* 69. *Lapsu temporis præfinito ad matrimonium contrahendum.* 70. *Propter discessum Sponsi in terras remotas.* 71. *Propter dolum.* 72. 73. 74. *Propter fornicationem subsequentem.* 75. *usque* 80. *Propter supervenientem notabilem mutationem.* 80. *An Sponsi privata auctoritate possint resilire?*

§. I.

1 Tritum jam satis est, *Sponsalia à spondendo* duci, dicique: nàm moris fuit Veteribus, ut uxorem ducturus, eam ab eo, sub cujus cura, & potestate erat, in matrimonium datum iri stipularetur, & nuptum daturus sponderet, id est, sponte promitteret. *l. 2. ff. h.t.* A. Gellius *lib. 4. noct. Attic. c. 4.* Hinc quæ spondebatur, *Sponsa;* cui spondebatur, *Sponsus;* qui spondebat, *Sponsor;* & dies, quo spondebatur, *Sponsalis* appellabatur. *l. 3. ff. h. t. l. Sponsio 7. ff. de Verb. signific.*

§. II.

2 *Synonyma* Sponsalium plura occurrunt: quandoque vocantur *fides pactionis. c. 1. de Sponsa duor.* nonnunquam *spes nuptiarum, seu matrimonii. l. 6. ff. h.t. l. 13. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de adult.* alicubi *nuptiæ sperata*, atque inde ipse Sponsus & Sponsa *sperati conjuges. l. 5. C. h.t. l. 16. C. de Episc. audient.* Alberic. Gentil. *lib. 2. de nupt. c. 21.* alibi *conditiones*, veluti *in l. ult. ff. h. t. l. ult. ff. de Proxenet.* propterea, quòd in sponsalibus de dote, donatione propter nuptias, lucro, & damno stante matrimonio obvenientibus, aliisve conditionibus conveniatur. Hottoman. *de Cast. nupt. c. 1. circa fin.* aliquando *Sacramentalia Matrimonii*, non quia præviam quandam præseferunt sanctitatem ad matrimonium, sicut præsefert exorcismus ad Baptismum, sed quia ad illud diriguntur, in quo tanquam in Sacramento viget peculiaris ratio sanctitatis. D. Th. *in 4. dist. 27 q. 2. a. 1.* Crebriùs autem sponsalia nuncupantur *præambulum*, aut *prævia dispositio matrimonii.* Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsal. p. 1. §. 1. n. 2.* Germanicè Verlöbnüß/ Ehegelübt/ Versprechen.

§. III.

3 Non una quoque *Sponsalium* significatio est. I. Et minùs usitatè signant munera à Sponso Sponsæ collata, juxta *l. 1. C. Si nupt. ex rescript. pet.* quo sensu usurpavit etiam S. Scriptura *1. Reg. 18. v. 25.* ibi: *Non habet Rex sponsalia nec esse.* II. Et frequentiùs, adhuc tamen minùs propriè, sponsalia sumuntur pro ipso matrimonio de præsenti contracto, quatenus ex se futuram corporum actualem traditionem connotat, & mulier quoad effectum matrimonii adhuc promissa remanet. *c. 13. de Præsumpt. c. 22. & 31. h. t. c. 2. c. fin. de sponsa duor.* Et inde Matrimonium ratum passim *Sponsalia de præsenti* dicimus. III. communiter, & propriè accipiuntur sponsalia pro futuri matrimonii deliberata, mutua, & expressa promissione; quam proinde vulgò *Sponsalia de futuro* indigitamus. Gonzal. in *c. 2. n. 4. & 5. h.t.* Reverendiss. Maurus Oberascher *de Sacram. p. 2. tr. 2. c. 1. concl. 1.*

Ex his inferre est, similiter nomine *Sponsi*, 4 & *Sponsa* propriè intelligi eos, qui celebrârunt sponsalia de futuro; impropriè, qui jam contraxerunt matrimonium, copulâ tamen carnali nondum secutâ. Quod addo: illi enim, qui defacto matrimonium consummârunt, nomine *Uxoris, Mariti*, aut *Conjugum* propriissimè veniunt. *arg. c. 7. de Convers. conjug.* Covarr. *1. p. de Sponsal. c. 1. n. 3.* Quamvis nonnunquam quoque Sponsi de præsenti uxor, maritus, sive vir, aut conjuges salutentur. *c. 5. 6. 9. & 35. causâ 27. q. 2.* imò etiam Sponsa de futuro aliquando in Jure impropriè uxor vocetur *arg. cap. 45. §. ex his. d. causâ 27. q. 2. l. 5. C. de Bonis, quæ liberis.*

Porro, si in Jure, statutis, legatis, pactis dotalibus, aliisve dispositionibus de *Sponsalibus*, & *Sponsis*, aut de *Matrimonio, Maritis* & *uxoribus* in genere fiat mentio, pro Regula traditur, quod in materia favorabili nomen *Matrimonii Sponsalia* tam *de præsenti*, quàm *de futuro:* & nomen *Uxoris, Mariti*, vel *Conjugum Sponsos* quoque, aut *Sponsus*, & viceversâ comprehendat; non item in materia odiosa per *d. l. 5.* & *c. odia. 15. de R. I. in 6.* Ego ab hac regula vix recesserim, nisi aliud

aliud vel ipsa lex exprimat: vel communis, aut frequens usus loquendi suadeat: vel ratio legis, & mens legislatoris, aut disponentium intendat. Sic etenim licèt in favorem matrimonii introductum sit, quòd conjux conjugi irrevocabiliter nihil donare valeat per *l. 1. & 2. ff. de donat. inter vir. & ux.* id tamen in Sponsis non obtinet. *l. cùm hic status. 22. §. pen. ff. Eod.* Similiter quamvis uxor, domicilium, simúlque honores, & dignitatem viri sortiatur, hoc tamen ad sponsam de futuro porrigi nequit *l. 32. ff. ad Municip.* Econtra in materia odiosa pœnæ infamiæ, quâ notantur illi, qui simul duas uxores habent, extenditur ad habentes duas sponsas. *l. 1. ff. de his, quinot. infam.* Item pœnæ parricidii extenduntur ad illos, qui Sponsam, vel parentes Sponsæ suæ occidunt, etsi Lex Pompeja solùm de uxore, aut marito, socero, aut genero loquatur. *l. 3. & 4. ff. ad Leg. Pompejam de parricid.* Confer nostrum Panorm. *in c. 13. de Præsumpt.* Sanchez *de Matr. lib. 1. disp. 1. an. 3.* Gutierrez *eod. tr. c. 1. n. 9. & seqq.* qui exemplis doctrinam hanc explanant.

§. IV.

5 *Definiuntur* Sponsalia de futuro, quòd *sint mentio* (id est stipulatio) *& repromissio* (id est reciproca promissio) *nuptiarum futurarum.* Ita Florentinus *in l. 1. ff. h. t.* Quem secutus est Nicolaus Pontifex *in c. nostrates. 3. causa 30. q. 5.* Expeditiùs definies, si dixeris, Sponsalia esse promissionem mutuam futuri matrimonii. S. Th. *in Supplem. q. 43. art. 1.*

§. V.

6 *Causa efficiens* Sponsalium est duplex. Remota, & proxima.

Remota est Jus. Quo autem jure Sponsalia sint constituta, declarat Bald. *in Novella tr. de dote in 3. princip. quæst.* ubi inquit, quòd sponsaliorum contractus de futuro est de jure gentium, cùm perficiatur solo consensu. *l. 4. ff. h. t.* & quòd antiquitus etiam apud populum Israël, ac in primitiva Ecclesia, imò apud saniores Ethnicos sponsalia aliquantisper matrimonium præcesserint, colligitur ex *Deuteron. 20. ℣. 7. Jud. 14. ℣. 8. Matth. 1. ℣. 19. c. 34. §. apparet. c. 39. causâ. 27. q. 2. c. 3. causâ. 30. q. 5. l. quæsitum. 9. ff. h. t.* Congruâ sanè ratione, ne conjuges effræni impetu in matrimonium quasi irruisse videantur; & si fortassis aliquid subsit, quod conjunctionem impediat, id tempestivè removeatur, aut, si removeri nequeat, matrimonium inhibeatur. Atque hac de causa trinæ quoque denuntiationes præmittuntur, quæ ex more nonnisi propter Sponsos de futuro fiunt. Gobat. *in Theolog. Experiment. tr. 10. n. 8.*

Ea tamen juris necessitas non est, ut sponsalia præcisè ad substantiam matrimonii desiderentur, sed Sponsa statim in domum deduci potest. *c. 9. h. t. d. l. quæsitum.* ibi: *si verò Sponsalia non præcesserint ff. Eod. Novell. 74. c. 5.* Ita hodie Magnates, & milites quidam solent statim copulationem petere, seu, ut dicitur, lassen sich gleich in der ersten Hitze zusammen geben. Item concubinarius in extremo agone constitutus, illicò, & absque sponsalibus ducit concubinam, ut legitimetur proles. Gobat *loc. cit.* Olim quoque Alexander M. absque ullo sufflamine, & omissis sponsalium ambagibus inter ipsas funeantes convivii patinas sibi Virginem Roxanen matrimonio junxit. Q. Curtius *lib. 8. histor. c. 4.* Dissentit Zypræus *de Jure connub. p. 1. cap. 1. §. 3.*

7 *Causa efficiens proxima* sponsalium est, vel principalis, vel instrumentalis.

Principalis sunt personæ, quæ nomine proprio contrahunt sponsalia. Ut autem legitimè contrahant, etiam in personis Illustribus sequentes conditiones requiruntur.

Prima est, ut deliberationis, & interioris consensûs sint capaces: quia sponsalia

nequeunt consistere sine plena deliberatione, & consensu. *c. 26. h. t. l. 4. l. 11. ff. Eod.* Hinc

8 I. Pro infectis habentur, nec publicæ honestatis impedimentum producunt sponsalia inter infantes contracta, vel à majori cum infante, tametsi (quod inter Principes, & Magnates usitatum) Parentes, aut Agnati eos sponderint; nisi post septennium per consensum expressum, vel tacitum rata habeantur. *c. un. causâ 30. q. 2. c. un. in princ. de Despons. impub. in 6. c. 4. & 5. X. Eod.* Ratio est: quòd infantes nequeant præstare consensum, sive per se, sive per alium, cùm sint expertes judicii, & rationis. *l. 26. C. de Donat.* & quod agunt, ignorent. *l. 14. ff. h. t.*

9 Hìc illustris *controversia* incidit, an si Pater Illustris defacto filium, aut filiam in cunis desponsavit, is pubes factus sponsalia adimplere teneatur?

Teneri filium, ac filiam in conscientia ratihabere matrimonium à Parentibus promissum, nisi extraordinariam, & gravem causam contradicendi habeat, docuerunt Navarr. Soto, & plures alii apud Gutierrez *de Matrim. cap. 79. n. 14.* imò etiam in foro externo ad id compelli posse, indicat *l. sed quæ patris. 12. ff. h. t.* ubi IC. *tunc autem solùm dissentiendi à Patre licentia filiæ conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater eligat.* Quæ lex saltem quoad impuberes per SS. Canones non est abrogata, sed potiùs canonizata in *c. 1. de Desp. impub.* ubi S. Pontifex Hormisda rescripsit: *Potest filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) pater, cui vult, matrimonio tradere, & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.* Sine dubio ideo: quia non est liberorum, præcipuè fœminarum, sub cura Parentum existentium quærere nuptias, sed id ad munus parentum pertinet. *c. aliter 1. causâ 30. q. 5. c. honorantur. 13. causâ 32. q. 2.*

Attamen magis est, ut censeam, filios indistinctè non ligari sponsalibus à Parentibus contractis, adeò ut, etiamsi specialem causam non habeant, sed ex eo solùm, quia nondum placet matrimonium inire, vel quia melior conditio nuptiarum offertur, contra promissionem Parentum venire possint. *Primò* propter text. in *d. c. un. causâ 30. q. 2. ibi: ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & è converso, nihil faciunt, nisi utrumque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat, etiamsi pater & mater hoc voluerint, & fecerint. Secundo* propter *cit. c. un. §. fin. de Despons. impub. in 6.* dum enim statuit, filios absentes & ignorantes obligari ex sponsalibus Parentum, si pòst scientes eadem ratificaverint & non obligari, si non ratificaverint, non obscurè innuit, iis, postquam sciverint, liberum esse, ea ratificare, vel non ratificare, adeóque non teneri iisdem ex necessitate stare. Quæ dispositio si procedit, quando liberi sunt majores septennio, procedit quoque, quando sponsalia inita sunt, ipsis inhabilibus ad contrahendum, & consentiendum. *Tertiò* quia, ut inquit S. Thom. *2. 2. q. 104. art. 5. in C.* in iis, quæ ad propriè corporis sustentationem, prolisque generationem attinent, omnes homines sunt pares, nec filii subjiciuntur parentibus. Aliunde etiam abrogatis legibus civilibus liberis omnimoda libertas in contrahendo matrimonio, & deligendo vitæ statu concessa est. *c. 12. de Regularibus.* Trident. *sess. 23. de reform. c. 1.*

Et hæ rationes æquè in personis Illustribus ac privatis militant, cùm quoad ea, quæ perfectum consensum requirunt, ac à natura proveniunt, inter personas illas nullum discrimen habendum sit. Nicol. Myler. ab Ehrenb. in *Gamol. Princip. c. 4. n. 56.* qui *n. 51.* scribit, ejusmodi immatura sponsalia taniores Politi-

cos

cos fere omnes dissuadere, utpote invalida, & ut plurimùm fluctuosa.

In contrarium allata veri speciem majorem, quàm vim habent. Ecquidem *l.* 12. *ff. h.t.* tanquam libertati matrimonii inimica, per Jus Canonicum correcta est, quo tam ad sponsalia, quàm matrimonia naturalis, & verus consensus ipsorummet contrahentium essentialiter exigitur. Gutierrez *d. c.* 79. *n.* 3. Textum c. 1. *de Despons. impub.* Gloss. Panormit. & Fagnan. *ibid.* accipiunt de debito honestatis tantùm, non necessitatis. Quæ interpretatio difficultate non caret, tum propter verba illa, *omninò debet*, quæ præcisam necessitatem important. Barb. *in axiomat. dict.* 206. *n.* 3. tum quòd ibi fiat discrimen inter filium adultum, & non adultum, cùm tamen etiam adultus, nisi habeat rationabilem causam reclamandi, ex debito honestatis suo Parenti consentire teneatur. Meliùs explicat Barbos. *add. c.* 1. *n.* 6. *in fin.* quòd licèt sponsalia (quæ ibi nomine matrimonii veniunt) à Parente pro filio infante contracta non valeant, necessariò tamen filius debeat adimplere, si post septennium cohabitando cum Sponsa usque ad annos 14. completos, aut aliàs verbô, vel factô factum Patris ratificaverit. Nec obstat, quòd munus proprium parentum sit filiis de nuptiis providere: hoc namque intelligendum est, annuentibus eisdem filiis, prout annuere debent ex quadam convenientia, & honestate, non autem ipsis dissentientibus.

Interim inficias non ierim, filium, aut filiam Illustrem ex virtute pietatis teneri parentibus obedire, & sponsalibus ab iis celebratis stare, si Parentum specialiter intersit, filium hoc, non aliud matrimonium contrahere, aut si filiæ ex causis momentosis certum Sponsum eligant; veluti pro sedandis gravibus inimicitiis, redintegrandis commerciis, firmandis fœderibus, stabiliendis Regnis, pace, aut salute Reipublicæ conservanda; cujusmodi considerationes inter Principes, eorúmque conjunctiones ordinariè intercedunt. Navarr. *in Man. cap.* 14. *n.* 15. Sanchez *de Matrim. lib.* 4. *Disp.* 23. *n.* 4. & post Cardinal. Alex. de Nœvo, & Præpositus. Fagnan. *in d. c.* 1. *n.* 15.

II. Invalidè sponsalia ineunt furiosi, insa- 10
ni, amentes, ac mente capti, durante furore, insaniâ, seu dementiâ, sive ipsi inter se, sive cum aliis ratione utentibus contrahant. *l.* 8. *ff. h.t. c. dilectus* 24. *Eod. c. neque furiosus. causâ* 32. *q.* 7. Secus est, si grossi, stolidi, substupidi, & simplices (die alber/ und einfältig/ oder blödes Verstands seyn) ineant: etsi enim non habeant defœcatum mentis vigorem, & intellectum, nec sint ita perspicaces, sicut alii, habent tamen judicium, & intelligunt, quid agunt, súntque planè medii inter prudentes, & amentes, atque ideo etiam meriti, & demeriti capaces. Decius *in l. furiosi ff. de R. J.* Cephal. *consil.* 546. *n.* 49. *lib.* 4.

Sed quid dicendum de illis, qui solùm in 11
speciali aliqua materia delirant, in reliquis verò sapiunt? In hac *quæstione;* ut simplicissimè mentem meam aperiam, dico, discriminanda esse objecta delirii. Quædam enim sunt in se possibilia, circa quæ prædominans melancholia potest ita occupare phantasiam, ut in reliquis maneat plenus usus rationis, ut siquis sibi persuasum habeat, se esse creatum cardinalem, regem, principem: quædam autem sunt omninò impossibilia, & ab omni prorsus ratione aliena; ut si quis sibi firmissimè imaginetur, se esse cereum, vitreum, acephalum, gallum gallinaceum, leonem, vel personam è SS. Trinitate. Qui primo modo delirant, validè ineunt sponsalia, modò non circa hæc ipsa desipiant: quia tunc nihil deest, quod officere possit eorundem validitati, hoc ipsò, quòd usus rationis quoad ea non deficiat. Qui verò secundo modo delirant, eos censeo pro simpliciter fatuis habendos esse, nec proinde contrahere posse sponsalia, non obstante, quòd

videantur in aliis sapere, eò quòd de omnibus cohærenter, & sine admixtione stultitiæ loquantur: hoc quippe provenit ex radicatis speciebus intentionalibus circa alia objecta. Videatur Sanchez *de Matr. lib.* 1. *disp* 8. *n.* 22. *& seqq.*

12 III. Nullius quoque valoris sunt sponsalia, quæ celebrant ebrii tempore ebrietatis, quamvis antecedenter ea celebrare decreverint: quandoquidem necesse, ut, qui non per procuratores, sed per se ipsos contrahunt, dum contrahunt, eliciant consensum circa sponsalia, quo ebrii destituuntur per *c. sanè. causâ* 15. *q.* 1. *c. unusquisque causâ* 22. *q.* 4. Latè Rmus Maurus Oberascher *d. tr.* 2 *de Sacram. c.* 1. *concl.* 1. *¥. dixi* 4. Quod verum, si ebrietas sit completa, & perfecta; qualis est, quæ privat omni usu rationis, ac, ut Pontifex loquitur *in c.* 14. *de Vita, & honest. Cleric.* mentis exilium inducit. Quòd si tantùm incompleta ebrietas sit, quæ non adimit usum rationis, sed solùm inducit capiti aliquam gravedinem, aut vertiginem, utique sponsalia in ea contracta subsistunt; debet autem allegans, se tempore contractûs sponsalitii perfectè ebrium fuisse, id probare per idoneos testes, de verbis, sermone, aliisque actibus, ut ingressu, gestibus & gesticulationibus ejus deponentes, vel saltem pro ratione circumstantiarum per juramentum purgatorium: cùm habeat præsumptionem contra se, quòd non fuerit plenè ebrius, siquidem ea præsumi solent, quæ à natura, & communiter adesse solent, non etiam, quæ rarò accidunt, ut plena ebrietas homini. Cypræus *de Jure connub p.* 1. *c.* 13. §. 62.

13 *Secunda conditio* est, ut Sponsi externo aliquo signo internum suum consensum patefacere, & alienum acceptare possint appositè ad finem matrimonialem. Unde excluduntur illi, qui simul muti, surdi, & cœci sunt. Item qui simul tantùm surdi & cœci à natura: cùm isti nec verbis, nec signis instrui valeant de juribus, & qualitatibus sponsalium, aut matrimonii, nec alterius consensum sufficienter percipere, & acceptare. Gutierrez *de Matrim. c.* 8. *n.* 4. contra Joan. Andr. Card. Panorm. & Tabien. Aliud statuendum de illis, qui cœci, vel muti, vel surdi tantùm, aut muti, & surdi simul sunt: quoniam hi signis edoceri, consensum exprimere, & acceptare promissionem possunt, cùm etiam confiteri, & sacramentaliter absolvi queant. *c. cùm apud* 23. *& ibi* Joan. Andr. *n.* 15. Card. *n.* 5. Panorm. *in fin. h. t.* Neque contrariam sententiam juvat, quòd in *d. cap.* interrogatio concepta sit in plurali? *an mutus & surdus possint alicui matrimonialiter conjungi?* consequenter intelligi debeat respectu duorum, quorum unus surdus, alter mutus est, & ita non de surdo, & muto simul. Nam licèt interrogatio facta fuerit in plurali, resolùtio tamen, & responsio à Pontifice data est in singulari, cui potiùs standum, maximè quia in surdo, & muto simul locum habet ratio, & decisio finalis ejusdem *cap.* ibi: *cùm quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Deinde mutus ordinariè quoque surdus esse solet, ideóque implicitè idem statuitur de muto & surdo simul, quod de muto tantùm. Taceo, quòd multi DD. testentur, ibi interrogationem in singulari numero factam, & per Librariorum errorem pluralem positum fuisse.

14 *Tertia conditio* est: ut personæ desponsandæ sint in specie determinatæ: sicut enim matrimonium nequit consistere, nisi cum persona certa, ita nec sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium. Clariss. D. D. Gletle *in methodico compendio instit. ad lib.* 1. *tit.* 10. *n.* 4. Quare si quis tribus puellis simul matrimonium promittat dicens: *unam ex vobis ducam*; & illæ promissionem acceptent, ac repromittant, obligatio quidem mutua servandi promissiones nascitur, sponsalia tamen propriè dicta nondum erunt, nec inde resultabit impedimen-

rentum publicæ honestatis, donec unam ex illis verbis, vel signis eligat, atque sic præcedens indeterminata promissio per sequentem electionem determinetur, & sponsalium vim ex postfacto nanciscatur. *c. un. h. t. in* 6. Coninck. *de Sacram. tom.* 2. *disp.* 21. *dub.* 2. *n.* 12. Bonacin. *de Matrimon. q.* 1. *puncto* 3. Quòd si prædictæ promissioni fuerit adjecta conditio, v. g. *si quæ certum beneficium præstiterit*, hæcq; conditio à duabus impleatur, illa determinata censebitur, quæ priùs conditionem implevit juxta tritam juris regulam: *qui prior est tempore, potior est jure. c.* 54. *de R. I. in* 6. Sin autem ambæ simul implevissent, non desunt, qui cum Theologis San Gallensibus *tom.* 10. *tr.* 4. *de Matrim q.* 1. *dub.* 1. sorte putent unam determinandam, eò quòd iis per conditionis impletionem æqualiter jus videatur quæsitum. Verùm, quia neutri adhuc in specie, & absolutè jus quæsitum est, sed tantùm indeterminatè, quamvis exclusâ tertiâ, quæ conditionem non posuit, ac consequenter determinatio etiamnum ab illo dependet, penes quem antecedenter erat, crediderim, promissori liberum esse, unam ex duabus, conditionem simul implentibus, eligere: cùm in omni promissione alternativa electio ad promissorem pertineat. c. 70. *de R. I. in* 6. *l. plerumque* 10. *in fin. ff. de jure dotium.*

15 Quid autem, si Pater aliquis ex duabus suis filiabus alterutram Titio repromittenti promittat, ad quid, & quomodo tenebitur? Ex dictis claret, necdum esse sponsalia, sed fore statim atque una tradita fuerit. Interim in optione Patris erit, quam dare velit: & si unam obtulerit, eámque Titius rejecerit, ab obligatione liberatur: satis quippe est, in alternativis alterum adimpleri. *d. c.* 70. *de R. I. in* 6. & *ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. l.* 110. *§.* 2. *ff. Eod.* Si tamen è duabus promissis unica consenserit, & antè duabus consentientibus altera fuerit mortua, parens consentientem, aut superstitem tradere cogitur, quia aliter datam fidem exsolvere nequit. arg. *l. si in emptione.* 34. *§.* 6. *ff. de contrah. empt. & l. cum is.* 32. *in pr. ff. de Condict. indeb.* Goffredus, D. Antonius, Angelus, Sylvester, Tabiena, & Sanchez apud Joan. de Dicastillo *de Sacram. tom.* 3. *tr.* 10. *disp.* 1. *dubit.* 18. *n.* 226. Quòd si factâ hâc incertâ promissione Patris Titius alterutram carnaliter cognoverit, Pater post receptum Tridentinum neutram dare obligabitur; non integram: quia cum ea Titius per fornicariam copulam impedimentum affinitatis contraxit: non corruptam: quia vi sponsionis Pater eligere, ac alterutram dare poterat, nec delictum alterius eum potuit hâc facultate privare. Bonacina *d. punct.* 3. *n.* 5. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 26. *n.* 4. & alii. Diversum obtinet in loco, ubi Tridentinum quoad reformationem matrimonii receptum non est: ibi enim sponsio patris, quam filiæ ratam habuerunt, per copulam maritali affectu habitam (qualis hîc à jure prælumeretur) transiret in matrimonium propter expressum consensum de præsenti ipso facto, juxta *c.* 3. *&* 6. *de Condit. apposit.* Coninck *de Sacram. tom.* 2. *disp.* 22. *dub.* 8. *n.* 55. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 1. *n.* 13. Panorm. *in c.* 10. *num.* 7. *h. t.*

16 *Quarta* conditio, quæ in Sponsis necessaria est, ut nullo impedimento perpetuo, seu dirimente, seu impediente matrimonii laborent. Non dirimente: quia sponsalia sunt promissio futuri matrimonii, consequenter, si inter aliquos ob impedimentum dirimens non posset stare matrimonium, absoluta ejus promissio esset rei impossibilis promissio. *l.* 15. *&* 16. *ff. h. t. l.* 60. *§.* 5. *ff. de Ritu nupt.* Non etiam impediente tantùm: quia alioquin sponsalia essent promissio de re illicita, nempe de ma-

matrimonio futuro illicito, ac proinde invalida, per *c. fin. de Pactis.* Aliud est, si impedimentum respectu matrimonii duntaxat sit temporale, & promissio matrimonii respiciat illud tempus, pro quo non erit tale impedimentum. Quamobrē licèt is, qui ad unum v.g. annum voto castitatis obstrictus est, non possit eo tempore licitè matrimonium inire, ita tamen potest eodē tempore validè & licitè spondere, modò non det fidem matrimonio statim contrahendo. arg. *l. non solet. 10. ff. de his, qui not. infam.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 47. art. 15. dub. 2.* Clar. P. Wex *de Sponsal. q. 1. §. 3. n. 6.*

Lacinio sa *quæstio* est: An, & ad quid obligent sponsalia inter personas perpetuò impeditas sub conditione: *si Papa in impedimento dispensaverit*, contracta?

17 Joannes Andr. Innocent. & Panorm. in *c. super eo. n. 8. de Condit. appos.* cum citatis à Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 3. in fin.* sustinent, talia sponsalia, etiam jurata, omnino non obligare, adeò ut utriq; contrahenti ante & post obtentam dispensationē altero invito resilire liceat, donec novus consensus, aut ratificatio accedat. Potissimum fundamentum collocant in *l. 83. §. sacram. ff. de Verb. oblig.* ubi reprobatur illa stipulatio: *illum* libertum hominem, *cùm servus esse caperit, dare spondes? Item eum locum, cùm ex sacro, religioséve profanus esse cœperit, dari? qua nec præsentis temporis obligationem recipere potest: & ea duntaxat, quæ naturâ sui possibilia sunt, deducuntur in obligationem.* Et in *l. 137. §. 6. ff. Eod.* in qua dicitur: *ubi omnino conditio jure impleri non potest, & si velit facere, ei non liceat, nullius momenti fore stipulationem; perinde ac si ea conditio, quæ naturâ impossibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinet, quòd jus mutari potest, & id, quod nunc impossibile est, postea possibile fieri: non enim secundùm futuri temporis jus, sed secundùm præsentis æstimari debet stipulatio.* Item in *l. 39. §. fin. ff. de Legat. 1.* ubi habetur, quòd non valeat legatum rerum ad Principem pertinentium, ex ea ratione: *quoniam commercium earum, nisi jussu Principis, non fit: cùm distrahi non soleant.* Et per consequens infertur, impossibile reputari, quòd à voluntate Principis dependet. Ergo similiter discurrendum erit de hujusmodi sponsalibus conditionatis, utpote cùm eis jus in principio resistat, adjectáque conditio, tanquam dependens à voluntate Principis, impossibilis sit.

Econtra Adrian. *in 4. sent. tr. de Sponsal. dub. 10.* Basil. Pontius *de Matrim. lib. 3. c. 15. n. 5.* Coninck *de Sacram. disp. 29. dub. 1. concluf. 5. n. 18.* cum aliis docent, talia sponsalia inducere veram obligationem sub conditione, quam proinde pars utraque exspectare, eâque eveniente, id est, impetratâ dispensatione, nuptias contrahere tenetur, non exspectato ulteriori consensu. Quia hæc conditio: *si Papa in impedimento dispensaverit:* est honesta, & nihil in ea contra legem fit: cùm lex non prohibeat contrahere impeditos sub illa conditione, sed absolutè: ergo suspendit sponsalia, eáque eventu conditionis secuto statim absolutè obligant, sicut obligant, si apponantur aliæ conditiones honestæ per *l. 16. ff. de Condict. indeb. l. 26. ff. de Condit. instit. l. 213. ff. de Verb. signif.* Nec impedit, quòd conditio illa à voluntate Principis dependeat: quoniam cùm valeat institutio spurii sub conditione: *si Princeps eum legitimaverit;* venditio rei feudalis, seu majoratûs sub conditione: *si dominus feudi, aut princeps voluerit;* item conventio de resignatione beneficii cum pensione sub conditione: *si Pontifex approbaverit;* tametsi hæ conditiones pendeant à Principis arbitrio, sponsalia quoque sub ejusmodi conditione celebrata rata sint, oportet, quousque Pontifex dispensare noluerit. Imò Layman *d. c. 7. n. 4.* autumat, illū qui sub prædicta conditione papalis dispensationis fecit

fidem

fidem matrimonij, teneri ad procurandam dispensationem, si subsit justa causa. Cui opinioni tum accedit Gobat *in Theol. experim. tr.* 10. *n.* 164. si sponsa velit facere dimidiam partem sumptuum.

At rectiùs plerique RR. distinguunt, & sub distinctione utramque sententiam approbant. *Primam*, si non subsit rationabilis causa petendi dispensationem, aut S. Pontifex in ejusmodi impedimento dispensare non soleat; veluti est impedimentum Ordinis sacri, aut affinitatis in primo gradu: quia tali casu conditio adjecta, aut turpis, aut jure impossibilis censetur. *Alteram*, si obnoxij impedimento habeant justam causam petendi dispensationem, & S. Pontifex in eo, urgente causâ legitimâ, facilè, & frequenter dispenset; quale impedimentum est impedimentum consanguinitatis in tertio, aut quarto gradu: quia tunc conditio dispensationis honesta est, & simul possibilis, arg. *d. l.* 39. §. *fin.* ibi: *cùm distrahi non soleant. ff. de Legat.* 1. Confer. Clariss. P. Jacob. Wextr. *de Sponsal. p.* 2. *controvers.* 3. *per tot.*

18 Circa *causam efficientem instrumentalem* considerandæ veniunt personæ, quæ nomine alieno sponsalia contrahunt: scilicet Parentes, & Procuratores, seu Internuntij.

Parentes filios despondere posse sine speciali mandato, nec prærequisita eorum voluntate, ita ut, si tempore sponsalium præsentes fuerint, & non contradixerint; vel absentes, aut ignorantes, eadem ex postfacto scientes tacitè, vel expressè ratificaverint, perinde obligentur, ac si ipsi expressis verbis sponsalia contraxissent, textus est in *c. un.* §. *fin. de Despons. impub. in* 6. ubi juxta receptam interpretationem Parentum nomen non patrem solùm, sed & matrem: & nomen filiorū quoscunque liberos legitimos & illegitimos complectitur. Dian. *Resol. moral p.* 3. *tr.* 4. *de Sacram. resol.* 270 *in fin.* Bossius *de matrim. c.* 3. §. 38. *n.* 160.

Quæres 1. Utrùm ad valorem sponsalium à 19
Parentibus nomine filiorum contractorum sufficiat, filios præsentes esse, & non contradicere?

Non sufficere solam taciturnitatem, nisi alia signa interni consensûs in filiis accedant, sentiunt quidam neotericiAuthores apud Gutierez *de Matrim. c.* 13. *n.* 1. *in fin.* tum quia tacens non censetur consentire, cùm de obligatione suæ personæ, & gravi præjudicio agitur juxta Bartol. in *l. quæ dotis. n.* 31. *ff. Soluto matrim.* tum quia essentia sponsalium consistit in vero, & naturali consensu ipsorum contrahentium. *l.* 4. *&* 11. *ff. h. t.* consensus verò ex taciturnitate non est verus, & naturalis, sed præsumptus præsumptione juris tantùm, ut cum communiori tradit P. Engel *h. t.* §. 2. *n.* 8.

Verùm contraria sententia, quòd sufficiat tacitus consensus liberorum, & ex eo solùm præsumptus, quòd præsentes Patri, vel Matri sponsalia contrahenti non contradixerint, satis clarè decisa est in *d. cap. un.* §. *fin.* Bossius *cit.* §. 38. *n.* 156. Navarr. *in Man. c.* 22. *n.* 21. Et verò cùm Parentes ex officio, ac naturali affectu optimè liberis consulere velint, nec in ipsorum præjudicium, vel incommodum, sed in utilitatem agere, & contrahere intendant per *l.* 22. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de adult.* & liberi saltem de honestate consentire, vel mox contradicere teneantur. arg. *c. honorantur.* 13. *causâ* 32. *q.* 2. non immeritò ex interpretatione juris verba Parentum sufficienter filiorum silentium explicare, internúmque illorum consensum significare, ac exprimere censentur, nisi è vestigio reclament.

Neque urgent argumenta opposita: nam quod *primum* attinet, etsi agatur de obligatione liberorum, tamen ex intentione Parentum non tam de præjudicio, quàm de utilitate tacentis agitur; liquidem paternus amor nihil in illis sinistri admittet. Ad *secundum* conce-

dendum omnino est, non fore sponsalia, si liberi, quorum nomine contrahuntur, reverà non consensissent, & solùm tacuissent ex verecundia, aut propter timorem Parentum; quemadmodum fieret, si propriis, & expressis verbis, sed fictè, ac simulatè contraxissent. Felin. in *c. nonne. 5. de Præsumpt. num. 8.* Interim tam in uno, quàm in altero casu in foro externo absolutè judicabitur, & præsumetur, consensum adfuisse, adeóque sponsalia re ipsa, & valida celebrata esse.

Planè ne filius, aut filia non contradicendò Parentibus despondentibus consensisse videatur, consultum est, ut dissensum, si non coram illis, saltem coram aliis, vel pòst statim manifestet; quanquam, si hoc non fecerit, putaverim, quòd juramentò propriò dissensum suum probare possit, dummodo ex aliis circumstantiis consensisse non convincatur: quandoquidem juramentum est modus probandi animum, & ea, quæ in animo consistunt, teste Mascardo *vol. 1. de Prob. concl. 94. n. 6. & 7.* Nec impedit, quòd hoc limitari soleat, quando præsumptio juris non est in contrarium, uti hìc, maximè cùm S. Pontifex in *d. c. un. §. fin.* rescribat: *si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur*: nam præsumptio ista non est tanta, & tam efficax, quin non facilè aliis præsumptionibùs in contrarium everti possit.

80. *Quæres* II. Anne etiam sponsalia à Parentibus pro filio absente, vel ignorante contracta sola ejusdem taciturnitate, postquam innotuerunt, confirmentur?

Prima sententia id, quod hactenus dictum est, de contractu sponsalitio Patris, vel Matris pro filio præsente, & tacente, extendit ad filios absentes, dicítque similiter sufficere illorum taciturnitatem, postquam venerunt in notitiam contractûs paterni, ex quo in præsenti videtur militare ratio curæ, dilectionis, & obedientiæ paternæ; ut proinde sicut filii tacitè consentire præsumuntur, quando sunt præsentes ex eo præcisè, quòd taceant, & non reclament, ita tacitè intelligantur ratificare, quando redduntur certiores de hujusmodi contractu, & possunt contradicere, nec contradicunt. In quam sententiam inclinat S. Thom. *in 4. dist. 27. art. 2. ad. 1.* & Paludan. *ibid. q. 1. concl. 1. n. 4.*

Altera sententia contendit, in absentibus filiis præter taciturnitatem alia signa esse necessaria, quibûs ratificatio sufficienter manifestetur; eò quòd sæpè *cit. cap. un. §. fin. de Desponsat. impub. in 6.* (in quo unicum, & totum hujus singularitatis fundamentũ est, sine quo nemo unquam pro altero sponsalia posset contrahere) perspicuè distinguat inter filios præsentes, & absentes, atque in illis solam taciturnitatem sufficere asserat, in absentibus verò insuper expressè exposcat ratificationem tacitã vel expressam, postquam de Parentum contractu notitiam adepti sunt. In hac sententia residet Diana *Resol. moral. p. 3. tr. 4. de Sacram. resol. 271. in fin.* Rationem differentiæ assignat Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 23. n. 17.* Quia dum filius præsens est, & intelligit, quid nomine suo à Parentibus agatur, magis præsumitur reclamaturus, si internè non consentiat, quàm dum est absens, ubi ordinariè non ita apertè advertit suum versari præjudicium, seu obligationem, & facilè credit, se adhuc reclamare posse, ubi ad sponsã, vel illius amicos pervenerit. Idque obtinere nonnulli arbitrantur, etsi filius à Patre per literas de contractu facto fuerit certificatus: licèt enim alias acceptans literas, & illis non contradicens consentire censeatur per *l. si filius familias. ff. Ad SCtum. Maced.* in proposito tamen, cùm filius ob reverentiam teneretur, si potuit, saltem ex honestate Patri respondere, mentemq; suã declarare, si id prætermittat, & taceat, videtur, aut velle deliberare (cùm res magni momenti sit nubere) aut omninò invitus esse.

Tertia

Tertia Sententia distinctionis fœdere has opiniones conciliat docens, quòd, si ab ipsis Parentibus proponantur, & manifestentur contracta sponsalia, & filii taceant, censeantur consentire, ac tacitè ratificare, cùm urgeat eadem ratio ad effectum, ut sibi locum vendicet dispositio textûs in *d. c. un. §. fin.* Secus verò si ab extraneis proponantur: tunc namque requiritur consensus vel expressus, vel tacitus, seu aliquod signum, ex quo consensus eliciatur, & demonstretur. Ratio discriminis est: quia filii creduntur confidere in Parentibus, quòd æqualem, & dignam sua conditione sponsam elegerint; quæ confidentia non consideratur in extraneis; & consequenter, si isti sponsalia notificent, ultra taciturnitatem exigitur aliquod signum consensûs expressivum. Coninck *de Sacram. disp.* 21. *dub.* 3. *n.* 29. Quam sententiam etiam probabilem asserit Diana *Resolut. moral p.* 3. *tr.* 4. *de Sacram. resol.* 271. *in fin.* & Nos cum illo.

Quæres III. Num similiter obligent sponsalia, quæ Tutor pro pupillo, frater pro sorore, aut cognati pro cognato præsente, & non contradicente ineunt?

Affirmativam, ob paritatem rationis cum Parentibus, sequitur Gloss. in *d. c. un. §. fin. V. Sponsalia* cum Hostiens. in *c.* 1. *de Matrim. contract. contra inter d. Eccles.* Eandem saltem in foro interno procedere, ita scilicet, ut si quis, dum suo nomine à consanguineis, vel extraneis contrahuntur sponsalia, re ipsa dissensum non habuit, sed potiùs complacentiam, quamvis nullô signô externô eandem explicaverit, hoc ipso vera sponsalia contrahantur, tenent quam plures Theologi apud Sanchez *l.* 1. *de matrim. disp.* 23. *n.* 6.

Nihilominùs negativa, ut communior, ita probabilior est: enimverò repugnat, ut dispositio sæpiùs *cit. c. un.* tanquam ad Parentes restricta, extendatur ad Tutores, ac alios in quibus ratio boni consilii, ac paternæ obedientiæ deficit; quippe præsumptio consensûs orta ex taciturnitate non fundatur in generali tantùm regula, quòd, qui tacet, consentire videatur, sed in speciali, quâ liberi consentire censentur parentibus, eò quòd hi vicissim omni meliori modô ex pietate paternâ iis prospicere credantur. Barbos. in *d. c. un. n. ult.* Tuschus *lit. S. concl.* 400. Sanchez *ubi supra n.* 7. Hinc licèt fortassis pupillus, aut soror re ipsâ complacentiam, & internum consensum sponsalia contrahendi, séque obligandi habeat dum tutor, vel frater ejus nomine contrahit, attamen neque in vim pacti, aut naturaliter, & in conscientia obligatur: cùm enim ex juris dispositione verba Tutoris, fratris, vel alterius (exceptis solis Parentibûs) non significent, aut exprimant consensum internum pupilli, vel sororis. utut intenderit, vel approbaverit, matrimonium tamen non promisit; vel certè, si quis contendat, quòd internè promiserit, hæc promissio, cùm à Sponso, aut sponsa acceptari non potuerit, antequam signo sensibili ab ipso promittente expressa sit, obligatoria non est arg. *l. absenti.* 10. *ff. de Donationib.* P. Engl *ad tit. de Despons. impub. num.* 5.

Per *Procuratores*, seu *internuntios* (quos 22
Conciliatores, & Proxenetas, vulgò Freywerber appellitant) sponsalia confici posse, colligitur ex *l. in sponsalib.* 18. *ff. h. t.* morémque hunc despondendi inter Principes & Magnates hactenus frequentatum fuisse, & inter eos etiamnum tota die per Legatos sponsalia celebrari, passim historiæ attestantur. Et verò, cùm quod quis per alium facit, per se ipsum facere censeatur, & non solùm de Jure civili omnes fermè alii contractus, sed de Jure Canonico ipsum quoque matrimonium per Procuratores, ac Internuntios iniri valeat *c. fin. de Procurat. in* 6. quis dubitet idem asserere de sponsalibus?

23 Ut autem per legatum, Internuntium, vel Procuratorem sponsalia ritè contrahantur, non sufficit mandatum generale ad negotia, etiamsi datum sit cum plenissima facultate, & administratione, sed requiritur mandatum peculiare ad contrahendum, & quidem non indefinitè cum qualibet, sed cum certa persona ore, vel literis designata. arg. *d. c. fin. de Procurat. in 6. l. generali 3 4. ff. de Ritu nupt.* Camill. Borell. *decis.* 66. *n.* 162. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 11. *n.* 3. Ratio est: quia sponsalia censentur longè majores casus, quàm ut in generali mandato soleant comprehendi, aut Procuratoribus generaliter tantùm committi.

Præterea ejusmodi Procurator, ac Internuntius per se ipsum mandatum exequi debet, nec alium potest substituere, nisi hoc ei specialiter fuerit commissum, quia ob negotij gravitatem personæ industria censetur electa. *§. 3. Instit. Jur. Can. h. t. d. c. fin. & ibi* Passerin. *n.* 16. Observandum etiam, nullius momenti existere sponsalia, si Procurator, aut Internuntius, antequam contraxerit, à Domino revocatus fuerit, licet tam ipse, quàm ea, cum qua post revocationem contraxit, revocationem illam penitus ignoraverit. §. 16. *Instit. Juris. Can. de Procuratorib.* Ut maximè aliàs revocatio Procuratoris actum non invalidet, nisi Procurator, vel is, cujus interest, certior factus sit. *c.* 13. *de Procuratorib. Clem. un. de Renunt. l.* 15. *ff. Mandati.* Ratio specialitatis est: quia ad sponsalia exigitur consensus verus, & naturalis, non solùm juris subtilitate effictus, ut cæteris in negotiis. Barb. *ad. d. c. in fin.*

Denique necessum est, ut personæ, de quarum desponsatione agitur, sibi invicem, si non de facie, saltem famâ, vel alio quocunq; modo sint notæ: in eam enim, quam prorsus ignoramus, consentire non possumus. Gloss. in *c. illud.* 8. *Vxor causâ* 30. *q.* 5. &, ut habet decantatum dicterium, ignoti nulla cupido est. Hinc falsè ridet Juvenalis cæcum Catullum Messalinum Aulicum.

Quòd nunquam visæ flagraret amore puellæ,
Grande, & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Cæcus adulator, dirúsque à Ponte Satelles.

Interea Reges, & Principes sæpe penicillo Apellis contenti sunt, & mentem picturæ pascunt.

§. VI.

24 *Materia*, seu *objectum* sponsalium est matrimonium, quod promittitur: videlicet matrimonium futurum, licitum, & validum.

Dixi I. *Matrimonium futurum*: quoniam promissio sponsalitia directè, & immediatè super matrimonium futurum cadat, oportet. Unde promissio de sponsalibus contrahendis, ut si vir, & fœmina conveniat de celebrandis sponsalibus: vel si vir promittat, aliquam in sponsam accipere, desponsare, aut subtrahere: quamvis obliget ad sponsalia contrahenda, & videatur esse promissio matrimonij saltem mediatè, nomen tamen sponsalium haud meretur, & ideo nec publicam honestatem, aliósque effectus sponsalium proprios parit, sicut promissio venditionis venditio non est, neque titulum in alium transfert. Card. Tusch. *lit. S. concl.* 402. *n.* 3. Covar. *lib.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *in princ.* cum citatis.

Dixi II *Licitum*: enimverò validè promitti nequit matrimonium, nisi per se licitè contrahi possit: *nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit.* Textus in *c. fin. de Pactis.* Ex quo.

25 *Deduces* I. non tenere sponsalia inter Catholicum, & hæreticam, vel inter hæreticum, & Catholicam: quia inter eos propter scandalum aliorum, & periculum fidei imminens conjugi Catholico, ac prolí, connubia sunt illicita, & ab Ecclesia prohibita in *c. cave.* & *c. non oportet. causâ* 28. *q.* 1. in *c. decrevit. de Hæretic. in* 6.

Illud

illud hic *quæri* potest: an saltem in partibus Germaniæ, Galliæ, aut Poloniæ, ubi hæretici cum Catholicis mixtim habitant, & ex recepta consuetudine inter se matrimonia celebrant, licita sint, ac valida inter eos sponsalia?

Negativam suadet, quòd hæc consuetudo non videatur officere posse præcitatis juribus expressè obsistentibus, & ejusmodi matrimonia prohibentibus, cùm commixtio illa Religionis non tollat aliorum scandalum, & periculum perversionis, ut tradunt Tannerus *tom. 4. disp. 8 q. 4. n. 89.* Jacob. Marchant. *in Candelab. tr. 8. lect. 15.* Gobat. *in exper. Theol. tr. 9. casu 11. n. 218.* cum aliis, qui propterea talia matrimonia omninò improbant.

Verumtamen affirmativæ si insteteris, à veritate non aberraveris: quia enim in iis locis, ubi viget hæc consuetudo, matrimonium Catholicæ cum hæretico quà validum, quà licitum esse, docent Azor. *Instit. moral. p. 1. lib. 8. c. 11. q. 5.* Sanchez *de Matr. lib. 7. disp. 72. n. 5.* Gutier. *eod. tr. c. 104. n. 7.* & Rmus Maurus Oberascher *de Sacram. part. 2. tr. 2. 14. §. 8. conl. 1. ¥. quæres.* consequens est, sponsalia quòque esse licita & valida: cùm à matrimonio ad sponsalia fortissimum sit argumentum per *l. 15. & 16. ff. h. t.* Consuetudo etiam recepta, & tolerata vim habet abrogandi quodcunque jus in contrarium per *c. fin. de Consuet. & l. 32. ff. de Legib.* Et sicut impedimentū criminis simpliciter impedientis contraria consuetudine abolitum dicitur, quantumvis fuerit à jure introductum, ita non est, quare in aliquibus Religionibus eâdem consuetudine non potuerit aboleri jus prohibens matrimonium inter Catholicam, & hæreticum, aut inter hæreticam, & Catholicum.

Hanc sententiam tum præsertim comprobavero, si alia justa causa matrimonij contrahendi intervenerit; puta spes convertendi conjugem ad fidem, sopiendi graves discordias, promovendi commune pacis bonum, conservandi tranquillitatē statûs Catholicorum, aut, ut Lessius *in auctario V. Hæreticorum cum Catholicis conversatio casu 23.* suggerit, si puella nequeat inter Catholicos reperire conjugem paris conditionis. Limito tamen: modò conjux Catholicus, sive vir, sive mulier cum hæretico matrimonium contrahens suâ sponte omnino, ac tutò fidem, religionémve Catholicam profiteri in omnibus permittatur, & similiter servetur, quod Ecclesia constituit in *c. 10. causâ 28. q. 1.* & *in c. 2. de Conver. infid.* ut ex alterutro parente Catholico susceptа proles catholicè educetur. Alioquin fides, & bonum religionis cuicunque causæ, juri, & consuetudini contrariæ prævalere debet.

Deducet II. non posse validè sponsalia con- 26
trahere obstrictum votô vel religionis ingrediendæ, aut assumendi Sacros Ordines, vel castitatis perpetuæ, aut etiam temporalis, si fides detur de matrimonio eo tempore contrahendo, quô subest voti obligatio. *c. rursus. 6. Qui Clerici, vel voventes.* idque ideo: quia ejusmodi sponsalia sunt contra fidem DEO præstitam, & continent promissionem matrimonij illiciti.

Non levis *contentio* est: utrùm, qui emissô votô religionis, aut castitatis virginem defloravit sub promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum?

Prima Sententia asserit, defloratorem teneri ad matrimonium, & ad differendam executionem voti. Ita cum Sanchez, Azorio, Gutierrez, Reginaldo, & Filliucio Bonacina *de Sponsalib. q. 1. punct. 5. n. 7. Primò* quia juxta receptam doctrinam votum non obligat rebus notabiliter mutatis; hic autem notabilis advenit mutatio, cùm vinculum justitiæ arctissimum superveniat, & gravissimum proximi damnum, si votum statim impleatur, & matrimonium non contrahatur. *Secundò* quia vinculum justitiæ fortius est vinculô

charitatis; sed propter vinculum charitatis superveniens cogitur quis suspendere votum præcedens religionis, v. g. ut succurrat Parentibus graviter indigentibus; ergo à fortiori propter vinculum justitiæ, quali in præsenti defloratur erga defloratam obstringitur. *Tertiò* quia ære alieno gravatus non potest ingredi religionem, quam antea voverat, si spes sit satisfaciendi creditoribus, si ingressum in religionem differat. Ergo neque in nostro casu ob vinculum justitiæ sponsalium sponsus potest ingredi religionem. Id tamen eò restringunt, si defiorata voti ignara fuit: quia si conscia fuisset, nulla erit obligatio eam ducendi, imò, ut alii volunt, nec resarciendi ei damnum illatum, eò quòd ipsa tunc seipsam deceperit, & mala fide permiserit damnum illud sibi inferri.

Altera Sententia contendit, defloratorem teneri votum sequi, nec posse defloratam sub spe, & promissione matrimonii ducere. Ita Navarr. Rodriquez, Vivaldus, & Perez, quos refert, ac sequitur Dicastillo *tr.* 10. *de Matrim. disp.* 1. *dub.* 32. *n.* 446. *Primò*, quòd DEO per votum jus quæsitum sit, nec possit illud vovens culpâ suâ, & perversa voluntate adimere majorem cum defiorata obligationem contrahendô; aut statum voto contrarium suscipiendô: quia alioquin esset in potestate volentis vota eludere. Neque verò putandum est, delicto subsequente ad contrahendum reddi habilem, qui antecedenter erat inhabilis. *Secundò*, quòd defiorator ad matrimonium contrahendum nec teneatur ratione promissionis, ut quæ irrita, & nulla fuit, tanquam de re illicita contra votum; neque etiam ratione damni: cùm violans Virginem nuptiis non promissis non teneatur eam ducere, sed aliter satisfacere; perinde autem est, non adesse promissionem, vel eam esse nullam. *Tertiò*, quia si quis uni bona sua temporalia obligaverit, & deinde alii obliget, ipsúmque sub tali prætextu lædat, non habet hic jus ad bona priùs obligata: ergo etiam si quis bona sui corporis per votum DEO obligaverit, quantumvis postea eadem fœminæ obliget cum læsione ejusdem, non habebit hæc jus ad bona corporis priùs DEO promissa. Nec primæ sententiæ argumenta probant, sed supponunt, ejusmodi promissionem sponsalitiam inducere obligationem justitiæ.

Veriorem illorum opinionem judico, qui distinctione rem componunt, ut si defiorator grave damnum violatæ virginitatis, aut famæ aliter resarcire possit vel per dotem, vel per aliquid aliud, teneatur ad votum, non ad matrimonium: quia cùm possit alia ratione compensare, non tenetur defloratam ducere titulô justitiæ; sed neque titulô promissionis, utpote de re illicita factæ; sin verò imminentè infamiam, difficultatem alii nubendi, aliáve incommoda defloratæ aliter impedire nequeat, quàm eam ducendo, teneatur ad matrimonium contrahendum: quia votum non obligat, nec DEO placet executio voti cum damno notabili debiti alteri, ex justitia. Atque in hoc casu potest à S. Pontifice relaxationem voti petere, vel si sine tali relaxatione voti contraxerit, non potest unquam petere debitum conjugale, si votum est castitatis, & mortuâ uxore debet abstinere à nuptiis; si autem votum religionis fuit, post obitum conjugis tenetur ingredi religionem, nisi quid aliud excuset. arg. *c. placet. 12. de Convers. conjug.* Layman. *in Theolog. mor. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 5.*

Deduces III. post sponsalia etiam simpliciter, aut sub conditione inita cum una, invalidè contrahi sponsalia cum alia, tã simplicia, quàm jurata: res namque uni efficaciter, & validè obligata invalidè promittitur alii: & cùm matrimonium cum secunda sit illicitum, & contra fidem primæ datam, ejus promissio nullô juramentô firmari potest. *c. sicut. 22. h. t.* 27

h. t. c. 18. 22. & 28. *de Jurejur.* Quamobrem sponsalia posteriora adimplenda sunt, etsi priora postea dissolvantur; quod enim ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit. *c. non firmatur. de R. I. in 6. l. quod ab initio. ff. Eodem* Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 50. *n.* 6. contra Covarr. 4. *Decret.* 1. *p. c.* 4. §. 1. *n.* 10.

In facto sæpiùs *disputatum* est: si quis post prima sponsalia alia contrahat cum secunda priorum ignara, & sub spe matrimonii ab ea obtineat copulam, quam ducere teneatur, si utraque nubere cupiat?

Quamplures primam postponunt secundæ, & hanc ducendam esse probant *primo*: quia in solutionibus, cui res tradita fuit, præfertur illi, cui tantùm promissa est per *l. quotiens.* 15. *C. de Rei vindic.* sed in nostra hypothesi quoad prima sponsalia corpus promittentis est nudè promissum, quoad secunda, seu posteriora est traditum per defloration em secundæ sponsæ. ergo hæc primæ præferri debet. *Secundò*: quia quando duo contendunt, unus de lucro captando, alter de damno vitando, huic potiùs favendum est, quàm primo; atqui secunda damnum passa est, & id agit, ut damnum evitet, prior verò ut lucrum captet. ergo huic damnum passæ favendum potiùs, quàm alteri, quæ nullum, aut leve damnum patitur. Unde etiam *tertiò* Sanchez *de Matrim. l.* 1. *disp.* 49. *n.* 5. docet, si damnum, quod passa est secunda sponsa, grave sit, tunc deceptorem illum posse à Judice cogi, ut hanc ducat; quod sine dubio fieri non posset, si sponsus teneretur priorem ducere: cùm Judex eam invitam suo jure privare nec debeat, nec possit. Et in hanc sententiam inclinat Basil. Pontius. *de Matrim. lib.* 12. *c.* 14. *n.* 4. Coninck *de Sacram. disp.* 23. *dub.* 4. *concl.* 4. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. punct.* 22. *n.* 6.

Alii primam sponsam præferunt secundæ, & sponsalia priora adimplenda esse opinantur ea adducti ratione, quòd ex una parte posteriora sponsalia, ceu promissio matrimonii illiciti, non subsistant; ex altera subsecuta copula, postquam Tridentinum matrimonia clandestina annullavit, merè fornicaria sit, consequenter nullum jus transferat in secundam, nec obligationem, aut jus alteri per priora sponsalia legitimè quæsitum auferat. Et quamvis secunda sponsa ex tali defloratione patiatur notabile damnum, & honoris jacturam, propterea tamen prima non tenetur, neque cogi potest ad cedendum suo juri: cùm illi datio hujus damni nullâ ratione imputari queat, sed potiùs secunda suæ debeat facilitati adscribere, præcipuè quòd admittendò copulam dederit operam rei illicitæ, sicque ex culpa sua damnum quantumcunque grave meritò sustineat. Interim si prior sponsa ultrò cedere velit, & suum interesse fortè non adeò magnum alterius maximæ utilitati, & gravissimo damno reparando postponere, sponsus compelli poterit ad secundam ducendam, non quidem ex vi sponsalium, quæ respectu secundæ nulla fuerunt, & nec in ratione promissionis valida, sed ratione damni illati per defloration em subsecutam, quod juxta possibilitatẽ resarcire obligatur. Hujus opinionis sunt Zoësius *h. t. n.* 6. Pirrhing *Eod. n.* 57. Adam Burghaber *Casuum conscientia. cent.* 1. *casu.* 57.

Forsitan media via non incongruè tentari posset, & dici, quòd sponsus teneatur ducere sponsam posteriorem, si jacturam violatæ virginitatis, ac famæ sine matrimonio reparare, aut impedire nequeat: eò quòd ista ratione hujus damni acquisiverit jus fortius illo, quod prior sponsa per sola sponsalia nacta est; priorem verò, si sponsus damno illi constitutione dotis, aut aliâ viâ satisfacere possit: hoc ipso enim, quòd injuria secundæ illata, aliter resarciatur, nullúmve damnũ sequatur,

nihil

nihil est quod obligationem priorum sponsalium, & jus primæ jam perfectè quæsitum vel perimat, vel suspendat.

28 Dixi III. *Et validum:* quia si matrimonium, quatenus substat sponsalibus, à jure directè sit irritatum, hoc ipso saltem indirectè sunt irritata sponsalia tendentia in tale matrimonium irritum: cùm promissio rei invalidæ valida esse nequeat, neque possit quis obligari ad actum, seu contractum penitus invalidum, sive dein à jure naturæ, sive à jure positivo ea invaliditas profluat.

§. VII.

29 *Forma* sponsalium stat in promissione vera, libera, ac deliberata, signo aliquo exteriore expressa, acceptata, & mutua futuri matrimonij. Plura itaque ad sponsalia constituenda concurrere debent.

I *Promissio.* Propositum, vel simplex tractatus de matrimonio ineundo non sufficit: cùm neque hic, neque illud obligationem inducat, & multa tractentur, quæ non perficiantur, unde qui dicit fœminæ: *volo te accipere, habere,* aut *ducere in uxorem;* præcisè non contrahit sponsalia, ut cum Bonacina contra Sanchez, Gutierrez, & Menochium sentit Cæsar de Panimoll. *decis.* 23. *n.* 6. eò quòd verba illa promissionem non efferant, sed propositum promissionis. Possunt tamen tales circumstantiæ concurrere, ut prædicta verba sufficiant ad sponsalia, vel etiam ad matrimonium, si proferens intendat verè promittere, vel contrahere matrimonium, & alter similia verba adjungat cognoscens intentionem primi proferentis, veluti si præcesserit alterius interogatio: *vis me habere,* vel *ducere in uxorem?* & alter respondeat: *volo te habere.* Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 2. *cent.* 5. *casu* 496. *n.* 23. *&* 29. Gutierrez *qq. can. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 26. Planè stipulatione solenni hodie opus non esse, sed nuda conventione, quacunque forma, aut ratione fiat, sponsalia contrahi, ostendunt. *c.* 23. *c.* 25. *h. t.* & sponsalia inter absentes, quibus non lingua, sed literæ in hoc negotio famulantur. Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagm. jur. Civil. lib.* 8. *c.* 2. *n.* 5.

II. Requiritur, ut *vera* sit promissio, non simulata: quia cùm sponsalia sint veri nominis conventio, essentialiter pendent à consensu naturali interno, & solus consensus vocalis, sed figura verborum satis non est per *c. ina.* 26. *h. t. l. simultate.* 30. *ff. de Ritu nupt. l. non figurà* 38. *ff. de Oblig & act.*

Hinc sua sponte fluit, eum, qui jocò verba matrimonij promissionem continentia protulit, aut positivè animum se obligandi excluserit, non contraxisse sponsalia, nec vi horum in foro conscientiæ ad ineundum matrimonium obligatum esse. *In foro,* inquam, *conscientiæ,* nam in foro externo censeretur verè promisisse, & ut stet promissis, cogi posset: siquidem *nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit. l.* 7. *§.* 2. *ff. de Supell. leg.* Et *nimis indignum videtur, quod sua quisque vocabula dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, proprióque testimonio resistere. l. generaliter.* 13. *C. de non num. pec.* Less. *lib.* 2. *de J. & J. c.* 40. Rmus. Maurus Oberaschet *de Sacrám. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 1. §. 1. *concl.* 1. *v. Dixi* 3. Quibus subscribo, si simulator in præsentia honestorum virorum matrimonium promisit, vel si promissionem ex intervallo repetiit, vel si personam ut sponsam habuit, vel si ad jocationem concubitus accessit, aut si ex aliis circumstantiis probari possit, exceptionem de simulatione confictam esse. Secus si jocus ac simulatio ex verbis, vel circumstantiis sat clarè emicet. Sic si mas, & fœmina, dum chartis ludunt, pactum faciunt, ut is, qui victus fuerit, alteri esset conjux, & dum masculus aliquoties vicit, fœminæ dicit: *tu mea es,* illaque respondet, ita esse; quis non videt, verba hæc non seriò, sed jocò prolata, nec per ea sponsalia facta esse? Cypræus *de Sponsalib.*

c. 4.

t. 4. §. 16. n. 3. Quòdsi circumstantiæ, ac verba perplexa, & ambigua sint, ut dubitetur, jocóne, an seriò res acta sit, tum is, qui seriò locutus videtur, juramento se purgabit, sibi non fuisse intentionem promittendi conjugium: in ambiguis enim locutionibus recurritur ad mentem ejus, qui eas protulit, ejúsque juramento statur per text. in *c. cùm in tua. §. finali. Qui matrim. accus. poss. c. personalis in fin. de Except.* Felin. *in c. quosdam num. 6. de Præsumpt.* Gail. *obs. 48. n. 24. & seqq.*

11 *Frequens* in foro *disputatio* est: an impostor, qui spe fictæ promissionis virginem defloravit, eam ducere teneatur?

Aliqui negant eum teneri, præsertim si sit disparis conditionis, & excellat nobilitate, vel divitiis: quia qui ita fictè promisit, non tenetur ducere defloratam ex promissione ipsa, utpote destitutâ animô se obligandi, sine quo promissio est nux sine nucleo, neque ratione damni illati: quia vi hujus non obligatur nisi ad compensationem, & supplendum defectum defforationis, constituendo dotem, vel aliter. Ita Anton. 3. *part. tit. 1. c. 3.* Bart. Ledesma *de Matrim. dub. 19.*

Alii distinguunt, & volunt, ob rationem adductam impostorem quidem non obligari ex justitia ad ducendam defloratam, sed ex fidelitate: eò quòd promissio quamvis solùm vocalis, sit vera promissio respectu hominis, neque in ullius potestate sit, externis verbis quid promittere, & nolle se obligare ex fidelitatis virtute ad promissa exequenda; sicut nemini conceditur, verba exterius proferre, quin obligetur ad veritatem dicendam. Hurtadus *disp. 1. difficult. 12.* & quidam alii cum ipso.

Plerique absolutè affirmant, defloratorem ex justitia obligatum esse ad pangendum matrimonium cum defforata, nec satisfacere offerendo congruam dotem, nisi decepta sponte accepret. S. Th. *in 4. dist. 28. q. un. art. 2. ad 4.* Dicastill. *de Sacram. tr. 10. disp. 1. dub. 9. n. 155.* Reverendiss. Maurus Oberascher *ubi supra.* Pro qua sententia stat textus, & ratio. Textus quidem in *c. 1. de Adult. & stupr.* quod desumptum est ex *Exod. c. 23.* ubi hæc verba leguntur: *Si quis seduxerit virginem, dormierítque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem.* Ratio verò: quia talis promissio habet rationem contractûs innominati, per quem puella pro matrimonio sibi promisso copiam facit sui corporis cum detrimento virginitatis: ergo si puella contractum ex sua parte impleverit, altera pars contrahens obligatur ex justitia implere illum etiam ex sua parte, contrahendo matrimonium, ne aliud pro alio invito creditori obtrudatur contra justitiam commutativam, & *l. 2. §. 1. ff. de Reb. credit.*

Reperias tamen casus, quibus deceptor ad matrimonium non obligatur. *Primus* est, si fictè promittens positus sit in statu longè eminentiori: tunc enim puella hujus eminentiæ conscia non potest allegare, se esse deceptam: cùm facilè odorari potuerit, virum adeò disparem fictè sibi polliceri matrimonium. Dicastill. *d disp. 1. dub. 10. per tot.*

Secundus, si asserenti se virginem nuptias promisit, quam non esse virginem postea deprehendit: tunc quippe interveniente utriusque partis dolo, mutua dabitur compensatio. Imò licèt ipsa non decipiat, si promittens fictè matrimonium existimaret eam virginem, & postea comperiat non esse, non tenebitur eam ducere: quia hæc vera causa dissolvendi sponsalia vera, ergo & ficta. Quæ ratio etiam probat, non teneri fictè promittentem ducere, si fœmina defforata postea cum alio fornicetur. Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 10. n. 22.*

Tertius casus est, si puella ex verbis aut aliis circumstantiis conjicere potuit, non seriò hìc agi: sibi namque tunc imputare debet, videturque voluntariè fraudi consensisse. Reverend. Maurus Oberascher *loc. cit.*

Quartus, si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus metuendi sint; puta odia capitalia inter contrahentes, aut graves rixæ inter eorum Parèntes, ac consanguineos: quandoquidem virtus justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest, contrahere autem matrimonium cum tali scandalo est culpa mortalis, cùm graviter lædat charitatem proximi, & parentum pietatem, ac cognatorum amicitiam dissolvat. Unde Pontifex in *c. cùm in tua. h. t.* jubet, judicem in tali casu debere interdicere matrimonium. DD. laudati *citatis locis.*

32 III. Promissio sponsalitia debet esse *libera*, & *deliberata*, id est, profecta à principio intrinseco cum cognitione ejus, quod fit, & ad quod obligatur: est enim hæc promissio actus maximè humanus, & sub peccato mortali obligat, atque ideo maximè à voluntatis libertate, & prævia deliberatione pendet. Præsumitur autem in dubio adfuisse deliberatio, tanquam qualitas naturaliter homini inhærens, & ea de causa pro sponsalibus judicandum esse, tradit Panorm. in *c. dudum* 8. *de Conv. conjug.*

Dubitatur I. An valeant sponsalia, quæ Nobilis à fratre suo, futuro legitimo alioquin hærede, offensus in calore iracundiæ contraxit?

Sunt, qui hujusmodi sponsalia simpliciter nulla, & invalida pronuntient, eò quòd irâ incitatus furioso magis, quàm viro ratione utenti similis sit juxta illud Flacci: *ira furor brevis est*: & secundùm effatum Euripidis: *nemo cum ira quicquam rectè deliberat.* hinc quidquid in calore iracundiæ ab irato committitur, ratum esse nequit, nisi postquam ad sanam rediit mentem, factum, vel dictum confirmet per *l.* 48. & ibi Bartol. *ff. de Reg. jur. l.* 3. *ff. de Divortiis. c. si quis iratus. causâ* 2. *q.* 3. *&* ibi Glossa.

Ego rem distinctione expediri posse video: quòd nempe irrita sint sponsalia in iracundia celebrata, si hæc tanta fuit, ut mentis quasi alienationem induxerit, ac deliberationem ad peccatum mortale necessariam impediverit; qualis se externis prodit indiciis, nimirum, quando oculi torvùm vident, pallet facies, trux vultus quosvis terret, os spumat, dentes frendent, &c. Valeant autem, & obligent similia sponsalia, si ira tanta non sit, ut (quod plerumque contingit) rationis usum, ac judicium absorbeat, sed iratus sciens volens, licèt sine matura, & perfecta deliberatione, alicui matrimonium præsentibus testibus promiserit: etenim quòd ad sponsalia, ut valeant, etiam voluntas inconsulta, & non plenè deliberata sufficiat, exindè patescit, quòd ætate quoque minores, imò statim post infantiam contrahere possint Sponsalia *c.* 4. *c.* 5. *c.* 13. *de Desponsat. impub.* in quos tamen perfecta, & matura consultatio moraliter vix cadit. Gutierrez *de Matrim. c.* 7. *n.* 5. Sanchez *eod. tr. lib.* 1. *disp.* 8. *num.* 5. Ang. Bossi. *de Matrim. contr. c.* 14. *n.* 17. *&* 18.

Dubitatur II. Utrùm firma & rata sint 33 sponsalia ex impuro, ac cæco amore inita?

Negat Gothofred *in Novel.* 74. *c.* 4. Aloys. Ricc. *tom.* 2. *Decis. p.* 2. *decis.* 15. & 155. *Curiæ Neapolitanæ.* Quoniam amoris ejusmodi tanta est vehementia, ut omnem prorsus excludat rationem, & ad insaniam, atque furorem homines plerumque adigat: hinc in *Novell.* 74. *c.* 4. dicitur *nihil esse furore amoris vehementius.* Cui Poëta accinit:

Vix amens & amans bina hæc vocabula distant:
Horum sed distant significata minùs.

Et:

Cur sit amans brevis, est amens sit longa priori?
Scilicet huic furor est longus, ei brevis est.

Quidni ergo concludi possit, sponsalia ex impetuoso amore contracta, æquè ac in furore, seu amentia celebrata nulla esse, & invalida: cùm de similibus idem sit judicium per *l.* non possunt.

sent. ff. de Legib. atque ita Curiam Neapolitanam judicâsse refert Riccius *d. decis.* 15.

Verùm opposita sententia in praxi & Curiis Germaniæ triumphat. Licèt enim æstus amoris amanti oculos perstringat, ejúsque mentem obnubilet, ut, quid deceat, & honestum sit, non ita clarè perspiciat, non omnem tamen ei adimit intellectum, neque consensum ejus prorsus excludit, quandoquidem plerique se, dum perdito amore æstuant, graviter peccare agnoscunt, quod ad validitatem sponsalium omnino sufficit. Jason in *l. Titia.* 134. *n.* 8. *ff. de Verb. oblig.* Felin. *consil.* 26. *n.* 2. Angel. Bossi. *de Matrim. contr.* c. 14. *num.* 2. Gobat. in *Theol. experim. tr.* 10. *de Sponsalib. n.* 25. *& seqq.*

Opinor ab hac sententia recedendum non esse, non obstante ratione ex adverso propositâ: nam quando amor furor & amans amens dicitur, talis dicitur per quandam analogiam, quatenus scilicet amor nimius quoquo modo conturbat animum, & lædit libertatem sub ea ratione, quâ non sinit comprehendere objectum contrarium eidem amori; non secundum proprietatem, quasi auferat perfectam libertatem, & deliberationem requisitam ad peccatum mortale, adeóque etiam ad constituenda sponsalia: cùm vix unquam exuberantia impuri amoris tanta sit, ac præsumi possit, quæ rationis usum penitus intervertat.

34 IV. Signo sensibili sponsalitia promissio expressa sit, oportet: cùm intentio in mente retenta nihil operetur in humanis contractibus. *l. cùm in plures.* 60. §. *locator. ff. Locati.* & homo homini non obligetur, nisi per modum sibi connaturalem, & humanum, qui in literis, verbis, aut aliis signis externis consistit. Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsal. p.* 1. §. 2. *n.* 10.

Per *literas* sponsalia celebrari posse, diserè statuitur in *l. fin. ff. h. t.* ubi ita Ulpianus: *in sponsalibus contrahendis parvi refert, per se & coram, an per internuntium, vel per epistolam, an per alium hoc factum sit.* Et hoc apud Veteres usitatum fuisse docet Historia Machabæorum *lib.* 1. *c.* 10. *v.* 54. ubi Alexander Ptolomæi filiam epistolâ ad patrem datâ sibi uxorem expetiit. Ita Imperator Antoninus Regis Parthorum Artabani filiam per literas à patre postulavit. Herodianus *lib.* 4. *c.* 10. Ita etiam inter Maximilianum I. Cæsarem, & Mariam filiam Caroli Ducis Burgundiæ sponsalia per literas fuêre contracta, referente Cominæo *lib.* 8. *de reb. gest. Ludovici XI. circa fin.* Duo autem requirunt DD. ut sponsalia per epistolam celebrata censeantur: nempe, ut qui literis promisit matrimonium, non pœniteat, usque quò illa, ad quam literæ missæ sunt, consentiat: si enim ante acceptationem literarum à proposito recesserit, & protestatus fuerit, se pœnituisse, nihil ageretur ex defectu consensûs in scribente. Nicol. de Passerib. *de Scripturâ privatâ lib.* 3. *q.* 30. Deinde ut persona, quæ literas accepit, statim absque ulla mora, interjecto commodo temporis spatio pro ratione loci & distantiæ, vel rescribendo, vel coram aliis ad eam rem convocatis, suum quoque animum, ac consensum reciprocum declaret, ne videatur scribentem contemnere, & consensus interrumpatur; quamvis de cætero consensu simultaneo opus non sit, sed sufficiat eum, qui prius consensit, in sua adhuc voluntate moraliter perseverare, usquedum alter consentiat per *c.* 5. *de Despons. impub. l.* 1. §. 1. *ff. de Verb. Oblig. l.* 1. §. *fin. ff. de Contr. empt.* P. Engel. *h. t.* §. 2. *n.* 4.

Porro per epistolam confessatam, cùm ea 35
contra scribentem plenam fidem faciat, sine dubio plenè probantur sponsalia per *l.* 26. §. *fin. ff. Depositi* tametsi careat die, loco, consule, inscriptione, & subscriptione. Rota *dec.* 772. *n.* 9. *p.* 2. *Rec.* Quin imò quidam id extendunt etiam ad literas amatorias Buhler Brieff/ si quis in his puellam blandâ oratione sponsam salutaverit, argumento à simili ducto

quòd Dominus, si apud acta servum filium nominaverit, eum liberum faciat. *l. un.* §. 10. *C. de Lat. libert. toll.* Nicol. de Passerib. de *script. privat. lib.* 3. *q.* 48. *n.* 7. Verùm meo judicio hujusmodi literæ quidem gignunt aliquam præsumptionem, si personæ fuerint æquales *c. dicat. causâ* 32. *q.* 4. & coadjuvant probationem sponsalium, ac matrimonii. Rota *d. decis.* 772. *n.* 8. nudæ crudæ tamen leviores sunt, quàm ut in re tam gravi plenam probationem inducant: & sicut si litteris ad ancillam datis eam sororem quispiam appellaverit, inde non efficitur, eam revera sororem ipsius esse. *l.* 15. *C. de Probat.* ita nec fit sponsa illa, quam procus talem per literas salutavit. Neque moror *d. l. un.* §. 10. quia in illa non dicitur servum, filium nuncupatum, hoc modo filium fieri, quod esset contra §. *fin. Instit. de Adopt.* sed libertatem consequi, quod ob singularem libertatis favorem constitutum est. Harprecht *ad princ. Instit. de Nupt. n.* 17.

36 *Verborum*, quæ in constituendis sponsalibus intercedunt, accurata ratio habenda est: quippe aliqua nativo sensu, vel consuetudine loquendi indicant sponsalia de futuro: quædam sponsalia de præsenti: alia flexiloqua sunt & ambigua.

37 Sponsalia de futuro indicant verba, quæ significant consensum inchoatum de præsenti, perficiendum tamen per alium actum de futuro, sive addatur verbum *promitto*, ut *promitto, me ducturum Petronillam*; sive simpliciter proferantur, ut: *ducam, vel accipiam Petronillam. c. si inter.* 31. *h. t.* D. Th. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *in C.* Et hoc ita, licèt aliàs verba sonent de præsenti, & tantùm significent de futuro propter aliquod additum, ut si dicam: *accipio te in crastinum*: quia verba, *in crastinum*, suspendunt consensum matrimonialem in diem sequentem, & qui ita contrahit, tantùm promittit, se accepturum die crastino. Sanchez *de Matr. l.* 1. *disp.* 18. *n.* 11. Basil. *sed. tract. lib.* 2. *c.* 8.

Sponsalia de præsenti, seu matrimonium 38 important verba, quæ significant consensum perfectum & consummatum de præsenti, ut si dico: *accipio te in meam, habeo, teneo te in uxorem. d. cap. si inter.* 31. *h. t.* & ibi Hostiens. Covarr. 4. *Decret. p.* 2. *cap.* 4. §. 1. *num.* 1. Et hoc ita, licèt verba ejusmodi sonent de futuro, & solùm significent de præsenti ratione additi, modò quod additum est, contineat verba importantia executionem, ut si dicam: *ex nunc, & semper*, vel *omnibus diebus vitæ meæ*, vel *ab hoc tempore habebo te in uxorem, providebo tibi ut uxori, tractabo te ut uxorem, eris mea uxor. c. ex parte.* 9. *& ibi* DD. *h. t.* Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 4.

Si verba, quibus concipitur contractus, sunt 39 ambigua, nec potiùs significant sponsalia de futuro, quàm de præsenti, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illa constet, quia verba debent inservire intentioni, non intentio verbis. *c. intelligentia.* 6. *de V. S.* Gutierrez *de Matrim. c.* 3. *n.* 15. *& seqq.* At verò in foro externo inspiciendum est, quid verisimiliter inter partes actum sit, quod colligitur ex antecedentibus, & consequentibus, ex usu & consuetudine loquendi, ex qualitate, & conditione loquentium, ex eo, quod tunc inter partes agebatur; si enim priùs agebatur de matrimonio, sequentia etiam ad illum finem dicta censentur, si de sponsalibus, eò pertinebunt. *c. ex literis.* 7. *h. t.* Sanch. *d. disp.* 18. *n.* 4. Panormit. *consil.* 78. Deficiente verisimilitudine inclinandum potiùs est in favorem valoris matrimonii, si is dubius, & matrimonium jam contractum sit: & hoc ideo, ut evitetur scandalum separationis post diuturnam cohabitationem per *c. ex literis* 3. *de Probat. c. fin. de Sent. & re jud.* ubi DD communiter.

Specialis *difficultas* est circa illa verba negativa: *nullam aliam ducam, nisi te, præter te,* 40

quam

quàm te: vel *non volo aliam in uxorem, nisi te;* an per hæc constituantur sponsalia, ac matrimonium?

Affirmativam aliquando tenuit Rota *dec.* 772. *n.* 7. *sub pr. p.* 1. *Rec.* Panorm. in *c. ex parte.* 9. *n.* 8. *h. t.* Navarr. *lib.* 4. *h. t. consil.* 7. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 3. *n.* 8. Ex ratione, quòd dictiones *nisi, præterquam, extra, præter,* quando sequuntur negationem, importent affirmationem, & in proposito sensum facere videantur: *te ducam. & nullam aliam;* sicut cùm Judæi dixerunt: *non habemus regem, nisi Cæsarem.* sensus erat, *Cæsar est noster Rex, & nullus alius.*

Plures econtra apud Sanchez *lib.* 1. *disp.* 19. *n.* 4. defendunt particulas, seu voculas illas, *nisi, præterquam, extra, præter,* sensum exceptivum parere, & tantùm promissionem conditionalem, videlicet, ut promittens tum demum illam in uxorem ducere, vel habere teneatur, cui ita promisit, si uxorem ducere, vel habere voluerit, non autem si nunquam uxorem ducere, aut habere intenderit: etenim hoc sensu ex communi loquendi modo ordinariè accipi solent, cùm de obligatione, vel promissione agitur; ut si quis dicat: *nulli domum meam vendam, nisi tibi:* nec de facto tecum contrahit venditionem, nec obligatur ad eandem contrahendam, sed solùm sub conditione, si vendere velit. *l. si sterilis.* 21. §. 5. *ff. de Action. empt.* Ratio est: quia per simili verba necdum aliquis se obligat, & determinat ad statum conjugalem, utpote per verba merè negativa, sed promittit tantùm virtualiter electionem certæ personæ, ex suppositio, quòd prædictum statum sit electurus: interim libertatem sibi non adimit, quo minùs relicto statu conjugali in cœlibatu permanere possit absque violatione dictæ promissionis, utpote, quæ nihilominùs propriè verificatur. Et hanc sententiam veriorem dixit Rota *decis.* 556. *n.* 4. *p.* 4. *tom.* 3. *recent.*

Mihi videtur ex conjecturis judicandum esse, vel pro sponsalibus, si verba tempus futurum indicent; vel pro matrimonio, si eadem verba significent tempus præsens: quia quando verba sunt dubia, & ad plures sensus accommodari possunt, non est fortior ratio restrictiva, & declarativa eorundem, quàm mens proferentis sensibiliter adminiculata conjecturis per *c. secundò.* 41. *de Appell.* P. Engel. *h. t.* §. 2. *n.* 11. Covarr. *de Matrim. p.* 2. *c.* 4. §. 1. *n.* 8. Ubi verò ex circumstantiis partium intentio non relucet, præsumerem pro sola promissione conditionali non pro sponsalibus, vel matrimonio.

Quod attinet *signa,* quæ sponsalia contracta indicant, Basil. Pontius *lib.* 2. *de Matr. c.* 11. *num.* 2 tradit regulam generalem: quotiescunque, ait, signum aliquod juxta consuetudinem loci, vel communem intelligendi modum est signum manifestativum consensûs & amoris, efficit matrimonium, si adhibeatur, vel sponsalia juxta id, quod ex parte alterius præcessit, de præsenti, vel de futuro. Unde abstrahendo à loci consuetudine neque subarrhatio, seu immissio annuli in digitum, neque missio, aut acceptatio munerum, vel jocalium, neque manûs porrectio, aliúdve simile signum per se sufficiens est ad constituenda sponsalia sive de futuro, sive de præsenti: quoniam hæc ex variis aliis causis, & non solùm ob finem sponsalium fieri possunt; nisi fortè ex circumstantiis determinentur ad exprimendum hic & nunc consensum in sponsalia, veluti si quis offerat, aut petat annulum in signum hujusmodi consensûs, & pars altera acceptet, aut etiam vicissim offerat: si habito tractatu inter consanguineos de matrimonio pangendo sponsus transmittat munera, & sponsa conscia prævii tractatûs illa recipiat, aut invicem sponte dextras jungant: tunc enim matrimonii promissionem præsumi, notant Panormit. *in c. fin. num. ult. de Desponsat.*

impub. & Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 2. *n.* 1.

41 V. Requiritur, ut promissio sponsalitia ab eo, cui facta est, acceptetur, siquidem cujuslibet promissionis vis, & obligatio ab alterius partis acceptatione tanquam à forma procedit. Laym. in *Theol. moral. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 1. neque illa promissio absenti facta obligat ante acceptationem: imò nec promissio dicitur, sed tantùm pollicitatio *l. absenti.* 10. *ff. de Donat.*

42 Altioris *inquisitionis* est: si quis ultrò aliis audientibus se resolvat, & polliceatur, Titiam accipere in uxorem, num per hoc sponsalia contrahat, & ex sua saltem parte ad matrimonium contrahendum obligetur?

Qui affirmant, moventur hâc ratione, quòd hæc subtilitas juris Civilis non videatur habere locum in contractu sponsalitio, ut qui non secundùm leges, sed ad normam SS. Canonum dijudicari debet; de jure autem Canonico promissionem à promissario nondum acceptatam obligare, exinde patet: quia si Episcopus Clerico absenti, aut ignoranti conferat beneficium, non potest resilire, donec Clericus vel acceptet, vel recuset. *c. si tibi absenti.* 17. *de Præbendis in* 6. Deinde quia universim in promissionibus, & donationibus piis, nemine acceptante, obligatio nascitur, ut cum communi Canonistarum docet Felin in *cap.* 1. *de Pactis.* nemo verò est, qui nesciat, matrimonium esse rem piam, religiosam, & sacram.

Verùm hæc tam prægnantia non sunt, ut à communi regula, qua promissiones in quocunque genere ad hoc, ut obligent, & irrevocabiles sint, debent ab ipsis promissariis acceptari, recedam: ex quo enim Jus Civile in SS. Canonibus abrogatum non reperitur, etiam in foro, & materia canonica observandum est, maximè cùm distinctio inter promissionem, & pollicitationem non in sola juris subtilitate, sed in jure quoque naturali fundetur. Molina, Soto, Sanchez, Lugo, Pontius, & alii, quos refert, & sequitur Palao *de Sponsalib. disp.* 1. *p.* 3. *n.* 2.

43 Quin imò, ut promissio matrimonii absenti facta inviolabiliter teneat, non sufficit, quòd alii præsentes eam acceptaverint, nisi fuerint speciali mandato instructi. *l.* 126. *§.* 2. *ff. de V. O.* ubi dicitur, per liberam personam nullam nobis obligationem acquiri; aut quòd alius quistunque eandem promissionem absenti notificaverit, isque acceptaverit, sed requiritur, ut fiat ab ipso promittente, vel saltem cum ipsius præscitu nuntius, aut epistola absenti mittatur: cùm ad omne pactum, ac conventionem necessum sit, ut contrahentes conveniant, & in idem placitum consentiant, consequenter unus in alterum intentionem suam dirigat, eique voluntatem, & consensum suum significet, quod non erit, si alius motu proprio præter intentionem promittentis absentem de promissione certiorem reddat. Barthol. in *d. l. absenti. n.* 1. *de Donat.* Jul. Clarus §. *donatio. q.* 6. *num.* 2. Guido Pap. *decis.* 222. *n.* 2.

Neque adverto, quomodo hæc ipsa assertio labefactari possit per *c. si tibi absenti. de Præb. in* 6. collatio namque beneficii non est promissio nec donatio simpliciter, sed executio ejus, quod Episcopus de jure facere tenetur: quamobrem meritò constitutum, ut, postquam Episcopus semel determinavit Clericum, non possit mutare voluntatem, sicut electores publicato scrutinio nequeunt resilire, quantumvis electus nondum acceptaverit electionem. Covar. in *c. quamvis de Pact. in* 6. *p.* 2. *§.* 4. *n.* 15. Minùs probat alterum argumentum: etenim, quòd aliæ donationes, & promissiones piæ obligent etiam nemine acceptante, non improbabiliter negat Bartol. in *l. illud. n.* 6. *C. de SS. Eccles.* Bald. *ibid. n.* 2. Jul. Clar. *d. q.* 12. *in fin.* Supposito tamen, quòd statim stringant, id inde provenit, quòd se habeant per modum voti, & principa-

aliter ipsi DEO fieri censeantur, qui etiam eadem tanquam opus bonum, & rem sibi gratam statim acceptat, quod in proposito non contingit: etsi enim matrimonium res honesta, pia, & sacra sit, non tamen est gratius DEO, quàm continentia, neque minùs DEO gratum est, sive cum illa quis sive cum hac, sive cum illa quis matrimonium ineat. P. Engel *ad tit. de Pact.* §. 1. *n.* 4.

VI. Ex parte alterius necessaria est *repromissio* vel expressa, vel saltem tacita: per *l.* 1. *ff. h. t.* Tacita autem repromissio facta intelligitur, quando aut verba consensum in sponsalia significantia exprimuntur interrogante sponso: *visne mihi nubere?* sponsa respondet? *volo*: aut quando talis actus concurrit, qui affectum repromittendi in altero ex contrahentibus more humano exprimit: qualis actus est, si post præhabitum tractatum de matrimonio facta à sponso promissione, sponsa manum porrexerit, aut annulum ab illo receperit. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 22. *n.* 2. *& seq.* Cæsar de Panimoll. *dec.* 33. *adnot.* 1. *n.* 12. *&* 13.

Controvertitur I. Anne tacita repromissio alterius inducatur per solam taciturnitatem ejus, cui promissio facta est?

Ratio dubitandi est, quòd licèt ad constituenda sponsalia desideretur mutua obligatio, & promissio matrimonij futuri, hòc ipsò tamen, quòd fœmina ad sponsionem viri taceat, nec contradicat, cùm facilè posset, etiam ipsa in futurum matrimonium consentire, & reciprocè se obligare videtur juxta *Reg. juris.* 43. *in* 6. ibi: *qui tacet, consentire videtur.*

Sed negativam communibus calculis approbatam invenio, & meritò: quia taciturnitas secundùm se consensum concludenter non probat, ac manifestat: est enim quid medium inter expressionem consensûs, & dissensûs, & juxta *Reg. juris* 44. *in* 6. *qui tacet, non fatetur, sed neque utique negare videtur*; multò minùs verò taciturnitas inducit repromissionem ad sponsalia requisitam.

Regulam: qui tacet, communiter accipiunt DD. de casu, quo actus, qui geritur in præsentia tacentis, cedit in ipsius favorem, ut puta, liberationem, vel in leve duntaxat præjudicium *per l. qui patitur.* 18. *ff. Mandati. l. si absentis.* 4. *C. Si certum petatur.* non item si de tacentis præjudicio gravi, vel propriæ personæ obligatione agitur, arg. *l. filiusfam.* 8. *§. invitus. ff. de Procurat. l. in eo.* 54. *§. deinde. ff. de Ritu nupt.* Gutierrez *de Matrim. cap.* 5. *n.* 2. P. Engel. *h. t.* §. 2. *n.* 8. Expeditior responsio est, quòd nempe tacens videatur consentire in id, quod tunc agitur, ac dicitur, non autem in alia non necessariò connexa: adeóque in casu nostro is, cui promissio matrimonii facta est, censetur consentire, & acceptare hanc promissionem, utpote quam audit, & tacet; in reciprocam verò sui obligationem non videtur tacendo consentire, cùm de ea ex hypothesi nulla mentio habita, neque eadem cum promissione alterius necessariò connexa sit: non enim repugnat, unum alteri se obligare absque eo, quòd eundem reciprocè sibi obligatum habeat.

Controvertitur II. An tacita censeatur inesse repromissio, si puella Viri promissionem expresè acceptet dicendo: *accepto, placet, quod mihi offertur, ago gratias pro benevolo in me amore?*

Pontius, Vasquez, & alii apud Patritium Sporer *de Matrim. cap.* 1. *n.* 135. affirmant: *primò*: quia promissio viri tacitam involvit conditionem, si puella repromittat, & velit esse sponsa. Ergo si puella consentit in promissionem, consentit quoque in conditionem, & quod consequitur, tacitè repromittit. *Secundo*: quia si vir expresè puellæ dicat: *ego tibi promitto matrimonium, si tu vicissim me habere velis*: & illa acceptet, censebitur repromittere: ergo idem erit, si dictam conditionem

non

non exprimat, cùm censeatur tacitè inesse, taciti autem, & expressi est eadem virtus. Text. & Gloss. in *l. 3. ff. de Rebus cred. Tertiò*: si vir dicat: *accipio te in uxorem*, & puella respondeat: *placet*, vel *accepto*, concurrentibus cæteris requisitis est verum matrimonium, & ex utraque parte obligat, ut docent Canonistæ in *c. si inter h. t.* ergo similiter, si per verba de futuro dicat: *accipiam te*, & illa respondeat, *placet*, vel *accepto* erunt vera sponsalia.

At quidquid sit, negativa præplacet: tum quia acceptatio promissionis factæ ab alio non est formaliter repromissio, neque cum ea necessariò connexa: & sicut donatarius, qui acceptat donationem, donatori non ideo redonat, ita qui acceptat promissionem alterius, ideo promittenti non repromittit. Tum quia, in dubio magis præsumitur pro libertate, quàm pro obligatione *l. Arianus. 47. ff. de Oblig. & act.* & maximè, si potest capi alia conjectura, quam obligationis arduæ, & gravis; potest autem in nostro casu: quandoquidem acceptans promissionem matrimonii potest censeri acceptâsse tantùm, quatenus in sui favorem est, ut alterum sibi habeat obligatum. & ipse interim possit deliberare, an se vicissim velit obligare, non verò quatenus est in sui præjudicium, & ut ipse obligetur promissori. Amicus *tom. 9. tr. 10. disp. 35. dub. 2. n. 42.* Trullenc. *Prax. Sacram. lib. 6. cap. 1. dub. 2. n. 4.* P Engel. *h. t. §. 2. n. 8. ℣. R. 2.* ubi id limitat, si circumstantiæ aliud innuant; ut si actum fuerit de sponsalibus hîc, & nunc contrahendis.

Ad argumenta contraria facilis est solutio: ad *primum*, quod promissio matrimonii habeat quidem tacitam conditionem, sed non simpliciter relatam ad tempus præsens, proinde fieri potest, ut de præsenti acceptetur promissio, & non acceptetur conditio, atque ita pars acceptans censeatur sibi reservare spatium deliberandi. Ad *secundum* disparitas est, quòd conditio expressa intelligatur restricta ad tempus præsens ipsius promissionis, secus ac conditio tacita: quapropter conditio tacita non inest eodem modo, quo inest expressa, & per consequens tunc non est virtus eadem taciti, & expressi, ut advertit Menoch. *lib. 6. de Præsumpt. præsumpt. 40. n. 8.* Ad *tertium* hanc disparitatem assignat Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 5. n. 6.* quia matrimonium nullo modo claudicare potest, nec potest fieri, ut sponsa acceptet verba sponsi, accipientis ipsam in suam de præsenti, nisi velit esse sua; at sponsalia, licèt in ratione sponsalium claudicare non possint, possunt tamen claudicare in ratione promissionis; quæ potest fieri sine alterius repromissione, & inferre obligationem de præsenti ex parte unius tantùm.

Controvertitur III. An simplex promissio matrimonii, facta ab uno, & acceptata ab altero, ex parte promittentis obligationem pariat?

Prima sententia docet, promittentem saltem obligari vi simplicis pacti, ac promissionis: quia licèt sponsalia in ratione sponsalium non possint claudicare, sed vel uterque debeat esse obligatus, vel neuter, potest tamen talis conventio valere in vim simplicis promissionis, ita ut solus promissor obligetur ad matrimonium contrahendum, altero existente immuni ab hac obligatione, ut solet contingere, cum aliquid liberaliter promittitur. Ita Navarr. *in Manual. c. 22. num. 25.* & post alios Gutierrez *de Matrim. c. 5. n. 3.*

Secunda sententia contendit, simplici hâc promissione nec promittentem, nec promissarium obligari. Ratio duplex est; prima: quia promissio matrimonii est onerosa, & semper habet conditionem subintellectam; *si alter quoque se obliget.* ergo altero se non obligante, nec ille obligabitur, qui prior promisit, sed poterit liberè, & licitè resilire. Altera: quia in matrimonio una pars per simplicem promissionem obligari non potest

altera

alterâ liberâ. Ergo & in sponsalibus, quando pars una non obligatur, nec altera obligari potest: cùm sponsalia æquè ac matrimonium sint contractus essentialiter reciprocus, seu utrinque obligatorius. Ita Vasquez *disp. 4 de Matrim. c. 3. n. 33.* Molin. *de J. & J. tom. 2. disp. 263. n. 13.*

Sub distinctione, ut reor, utraque opinio vera est: prior, si promissio matrimonii sit gratuita, & facta per modum liberalis promissionis, vel remunerationis, sine conditione repromissionis; posterior, si promissio illa sit respectiva, & facta per modum contractûs conditionalis, exspectantis alterius repromissionem, & reobligationem. Erit autem qualis promissionis ex circumstantiis ac conjecturis dijudicanda; & quidem si inter partes de matrimonio contrahendo antecedenter tractatum fuerit, palam est, promissionem gratuitam non esse; sin verò absque ullo prævio ejusmodi tractatu promissio fiat ob acceptum aliquod beneficium, veluti si vir fœminæ promittat, se illam ducturum, eò quòd ægrotanti fideliter adstiterit, censetur promissio ex gratitudine, & benevolentia, non per modum contractûs reciproci facta; ideóque promissor alterius declarationem, & determinationem exspectare tenebitur; quæ tamen obligatio remissa præsumitur, si ipsa repromissionem diutiùs sine justa causa distulerit, utpote ad quam velut complementum ex natura sua collimat. Interim necessarium non est, ut ante omnem extranei actûs interpositionem se resolvat, sicut in contractu stipulationis, tanquam stricti juris communiter requiritur, propter *l. continuus. 137. in principio ff. de Verborum oblig.* sed sufficit moraliter promissionem remissam non esse. In dubio, si ex circumstantiis intentio promittentis non appareat, judicandum, promissionem factam fuisse juxta sponsaliorum naturam, nimirum respectivè. Layman in *Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 1.* Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 5. n. 15.* qui *n. 14. in fine* monet, promissori, se consensum ante repromissionem revocâsse affirmanti, in utroque foro credendum esse.

Denique ad sponsalia præter consensum 46
contrahentium requiritur etiam consensus saltem tacitus eorum, in quorum potestate sunt. *In sponsalibus*, inquit Paulus JC. in *l. 7. §. 1. ff. h. t. etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Nuptiæ autem*, ait idem *l. 2. ff. de Ritu nupt. consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt, quorúmque in potestate sunt.* Consonant *l. 5. 12. 18. & 20. C. de Nuptiis.*

Hinc *scrupulus* enascitur: utrùm sponsalia 47
insciis Parentibus contracta sint valida?

Dixeris esse invalida; partim quia sunt contra jus, & leges allegatas: partim quia naturaliter illicitum videtur, sine consensu, consilio, & judicio parentum matrimonium contrahere, *pr. Instit. de Nupt.* nec aliter legitimum dicitur matrimonium, quàm si etiam parentes consentiant. *c. 1. 3. & 4. causâ 30. q. 5. c. 12. & 13. causâ 32. q. 2.* Non autem possunt consistere sponsalia, ceu promissio matrimonii, si id licitè, ac legitimè contrahi nequeat, cùm promissio illicita, contra pietatem, ac bonos mores non teneat per *c. in malis. causâ 22. q. 4. c. 18. & 69. de R. I. in 6.*

Verùm sponsalia Parentibus insciis celebrata per se esse valida, evincit praxis Ecclesiæ, & docent Rmus Maurus Oberascher *de Sacram. p. 2. tr. 2. c. 1. §. 2. in fin.* Layman. *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14.* eò quòd nullibi ad valorem sponsalium de jure exigatur consensus, & præscitus parentum. Fateor tamen, liberos sub gravi peccato obstringi, ut ad matrimonium, ita ad sponsalia ineunda requirere parentum consilium, qualescunque tandem illi sint, sive illustres, sive plebei, naturâ ipsâ dictante, ut sub quorum cura sunt,

eorum in re tam ardua consilium non negligant; quamvis eorum consilium, vel justum sequi necessariò non semper teneantur, nisi aliunde accedat circumstantia, illicitum faciens contractum, ut quia nubunt personæ indignæ, cum præjudicio familiæ, cum gravi aliorum scandalo &c. cùm alioquin in contrahendo matrimonio sui juris ac libertatis existant. S. Thom. 2 2. q. 104. art. 5. in C. Sanchez lib. 4. de Matrim. disp. 23. n. 10.

Nec in contrarium movet, quod ingeritur, sponsalia sine præscitu parentum contracta esse contra jus Civile, quod etiam matrimonium taliter contractum irritum voluit: quia in hac parte corrigitur per Jus Canonicum in c. sufficiat. causâ 27. q. 2. c. veniens. 13. de Sponsal. & expressiùs per Trident. sess. 24 de Refor. Matr. c. 1. Alii textus juris Canonici allegati ex recepta interpretatione non plùs probant, quàm de honestate, non de necessitate desiderari consensum parentum. Nec refert, quòd saltem illicita sint, & peccaminosa talia sponsalia; promissio autem illicita sit etiam invalida: nam hoc pronuntiatum tunc procedit, quando promissio est de re illicita, non si fiat modo illicito: in promissione verò matrimonii insciis parentibus, ipsum matrimonium promissum res licita, & solus modus promissionis est illicitus.

§. VIII.

48 *Finis* sponsalium est, ut matrimonium, seu nuptiæ, reciprocè vel ab ipsis sponsis, & aliis eorum nomine promissæ, ex aliquo temporis intervallo subsequantur. Wesenbec. in Parat. de Sponsal. n. 5.

§. IX.

49 *Effectus* sponsalium est vel generalis, seu sponsalibus & aliis contractibus communis; & specialis, seu sponsalibus proprius.

Generalis effectus sponsalium est obligatio justitiæ ex sponsalibus nata; quæ iterum alia est directa, alia indirecta. *Directa* tendit & obligat sponsos ad contrahendum suò tempore matrimonium, & quidem sub peccato sive promissio matrimonii sit reciproca, adeóque propriè contractus sponsalium, sive tantùm unilateralis, quâ unus alteri gratuitò matrimonium promisit, & alter sine repromissione acceptavit: quia materia, seu res promissa per se gravis, & magni momenti est. D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 1. & 2. Covar. 4. Decret. p. 1. c. 4. n. 2. Gutierrez de Juram. 1. p. c. 51. n. 5. Frustra igitur est, quod ait Henriquez, qui lib. 11. de Matrim. c. 11. n. 2. putat, promissionem gratuitam matrimonii non ex justitia, sed ex virtute fidelitatis solùm leviter obligare. Sed hic

Disceptatur I. An sponsalia etiam in foro externo actionem pariant, præsertim si nudò pactò sine forma stipulationis contracta sunt. 51

Pro negativa facit imprimis, quòd ex nudo pacto non detur actio, neque ex jure Civili. l. jurisgentium. 7. ff. de Pactis. neque jure Canonico, ut *suprà eod. tit. n.* 54. probavimus. Præterea: quia de jure Codicis & Digestorum liberum est à sponsalibus resilire, & alii desponsata renuntiare conditioni, aliisque nubere non prohibetur. Text. in l. 1. C. h. t. l. Titia. 134. ff. de Verb. oblig.

At hæc sententia passim exploditur, & ex sponsalibus etiam simplici conventione contrahentium celebratis obligationem naturalem, & civilem, consequenter & actionem in foro externo dari, ostendit quotidianus usus tribunalium Ecclesiasticorum. Ratio est: quia sponsalia, etsi nulla stipulatio intervenerit, non sunt pactum nudum, sed verus contractus nominatus ob nomen speciale, aut certè pactum legitimum ob specialem assistentiam SS. Canonum in c. 46. 47. & 50. causâ 27. q. 2. cap. 10. & 17. h. t.

Nec huic opinioni quicquam derogat, quòd de jure civili sponsum, aut sponsam liberè repudiare liceat: hoc namque per jus Canoni-

cum

cum mutatum est, quod sponsalium conventiones arctis vinculis adstrinxit, sancivitque, ut ratæ, fixæ, firmæque essent. Imò & antiquo Romanorum jure ex sponsalibus obligationem civilem natam, & actionem, quæ *ex sponsu* dicebatur, contra eum, per quem factum esset, quò minùs nuptiæ sequerentur, in id quod alterius intererat, datam fuisse, solúmque per abusum, perditis Romanæ Civitatis moribus, repudiorum libertatem irrepsisse, testatur Hothomanus *de Castis, & incest. nupt. p. 3. c. 4.*

Disceptatur II. Quando sponsi teneantur exequi obligationem & matrimonium contrahere, si in contractu dies, aut terminus adjectus non sit?

Ferdinandus de Castropal. *disp. 1. de sponsal. punct. 2.* Coninck. *disp. 22. n. 2.* Pontius *lib. 12. c. 6* & alii statuunt, confestim, & primâ quaque occasione promissionem absolutam matrimonii adimplendam, nuptiásque celebrandas esse. *Primò* ob auctoritatem *l. in omnibus. 14. ff. de R. I.* ibi: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti die debetur:* & *l. cum qui. 41. §. quoties ff. de Verb. oblig.* ibi: *quoties in obligationibus dies non ponitur, præsenti die pecunia debetur. Secundò* ob paritatem desumptam à voto, quod obligat pro prima opportunitate, nisi fuerit certus terminus præfixus, juxta illud *Deuter. 23. v. 21. cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Verumtamen cùm commune sit omni debito, cujus solutioni non est certa dies præfixa, ut debitor non teneatur illud solvere, nisi creditor interpellet per *l. debitores præsentes. 10. C. de pignoribus.* ideò Sanchez cum nonnullis, quos ipse refert, & sequitur *lib. 1. disp. 28.* censet, sponsalia quoque, si nullus in his terminus adjicitur, solum obligare, quando alteruter contrahentium exigit promissionis adimplementum, & matrimonii celebrationem; nisi fortè propter pudorem, vel timorem petere non auderet, ut contingere solet in fœminis naturâ verecundis: tunc enim quamvis sponsa actu non petat, petit tamen interpretativè, & sponsus in mora constituitur.

Jura in contrarium allata loquuntur de eo casu, quo creditor debitorem interpellat, vel si non interpellet, id facit invitus v. g. ob metum. Neque concludit paritas: cùm enim DEUS per se ipsum voti adimpletionem non petat, nec sit major ratio, cur modò potiùs, quàm alio tempore vovens illud adimpleat, ad illud implendum omni tempore tenetur: at verò cùm sponsi sponsalium adimpletionem per se ipsos postulare possint, eorum obligatio non urget, donec pars altera interpellet. Monendi tamen sunt sponsi, ut factis sponsalibus quamprimùm contrahant matrimonium, cùm procrastinatio matrimonii inter sponsos præbeat occasionem efficacem infinitarum turpitudinum, teste Gobat in *Theol. exper. tr. 10. n. 124.*

Disceptatur III. An sponsi, si præfractè sine justa causa vel plùs æquò differre, vel prorsus omittere nuptias decreverint, à Judice Ecclesiastico compellendi sint ad promissionem implendam. 13

Prima sententia est, ex sponsalibus etiam juratis in foro contentioso neminem compelli posse ad contrahendum matrimonium, propter *c. 17. h. t.* ubi mulier se nupturam juramento firmaverat: respondit autem Lucius III. quòd *cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quàm cogenda: cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Atque ita pronuntiâsse videtur Alexander VI. Pontifex in causa & lite, quæ inter Ladislaum Hungariæ Regem, & Beatricem Reginam mota fuit; utpote quam ille, dum-

monitis Urſini Legati Apoſtolici flecti non poſſet, Pontificis veniâ repudiavit, & Annam Principis cujusdam de Gandale filiam duxit, de qua Bonfinius *Decad. 5. lib. 2. 3. 5.*

Secunda ſententia aſſerit, ex ſponſalibus juratis tantùm dari actionem, & coactionem in foro externo, non autem ex ſponſalibus ſimpliciter contractis propter *c. 10. h. t.* ubi S. Pontifex reſcribit, compellendum eſſe promiſſorem matrimonii per cenſuram Eccleſiaſticam, ſi promiſſionem juramentô firmaverit: *quia periculoſum eſt contra ſuum juramentum venire.* Atque ita rectè Caroli Ducis Burgundiæ filia Duci Clivenſi, qui matrimonium inter illam, & Maximilianum diſſolvere conabatur, reſpondit, ſe juratam fidem dediſſe Maximiliano, & contra promiſſum nihil agere poſſe. Cominæus *lib. 8. de Reb. geſt. Ludovici XI.*

Tertia ſententia eſt, quòd refractarius, ſive ſponſalia ſimpliciter contracta, ſive juramento firmata ſint, ab initio monendus ſit, contemptis autem admonitionibus poſtea velut contumax ad inſtantiam alterius per Eccleſiaſticum judicem tam minis, quàm cenſuris ad implendam promiſſionem compelli poſſit: Cujus ratio eſt: quia Judex tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique, quod ſuum eſt, maximè parte petente. *c. 1. & 3. de Pactis.* ſed contrahens ſponſalia tenetur ex juſtitia, & ſub peccato gravi ſervare fidem ſponſalium, ſive eam juramentô firmaverit, ſive non: ergo. Et hanc ſententiam praxi totius orbis probatam eſſe ait Joan. Gutierrez *Can. qq. lib. 1, c. 18. n. 10.* Ita ſcilicet, niſi cauſa aliqua probabilis ſubſit, quæ judicem moveat, ut ea re ſuperſedendum exiſtimet; quid enim ſi inter ſponſum & ſponſam tantæ exarſerint inimicitiæ, ut alter alterius vultum ferre nequeat, & periculum ſit, ne inter eos perpetuum exiſtat odium, atque diſſidium? quid ſi obſtinatè repugnet alteruter, ita ut nullô pactô, neque minis, neque cenſuris permoveri poſſit, aut flecti. Certè tunc judex ad triſtes exitus, & majora mala præcavenda à cenſuris abſtinere, & potiùs ſponſalia diſſolvere, vel à cenſura jam inflicta etiam non petentem abſolvere tenebitur, injunctâ tamen parti nocenti pœnâ, & ſatisfactione debitâ. Gloſſ. in *c. 2. V. interpoſitione h. t.* Felin. *in. 1. de Pact. n. 12.* Covarr. *4. Decret. 1. p. c. 4. n. 3.* Menoch. *conſil. 386. n. 1. vol. 4.*

Quibus prælibatis expedita eſt conciliatio *cap. 10. & 17. h. t.* ſupra pro prima, & ſecunda ſententia adductorum: poſtremum namque dum dicit mulierem poſt jurata ſponſalia nubere renuentem, monendam potiùs eſſe, quàm cogendam, accipiendum eſt de caſu, quo judex prævidet graviora mala, vel excommunicationem nihil profuturam; quid autem faciendum ſit, ſi judex ejusmodi mala non timeat (prout ordinariè metuenda non ſunt) ſed potiùs emendationis, ac futuræ cum tempore affectionis ſpes affulgeat, in illo *cap. 17.* non diſponitur, ſed ſupponitur ex præcedente *cap. 10.* ubi expreſsè dicitur, ſponſum poſt monitionem cogendum eſſe, & datâ operâ additur: *niſi rationabilis cauſa obſtiterit;* qualis ſunt prævia graviora mala, & pericula. Licèt verò *in cod. cap. 10.* ſermo ſit de ſponſalibus juratis idem tamen juris eſt etiam in non juratis: quia textus procedit ſecundùm facti contingentiam, & ſponſus refractarius cogendus eſt, non ob juramentum ſolùm, ſed & propter injuſtitiam. Pirhing. *h. t. §. 3. n. 18.*

Obligatio *indirecta* ſponſalium ſponſos obſtringit ad omittenda illa, quibus impediri, aut ultra terminum differri, vel aliter lædi poſſet ſperatum matrimonium; veluti ne interim aliquid fiat contra fidem datam, vel ad ſponſalium diſſolutionem tendens: idque ideo, quia contractus omnis obligat non tantùm ad præſtandum id, quod promiſſum eſt, ſed etiam

etiam ad abstinendum ab eo, quod executioni promissionis adversatur. Excipitur ingressus religionis, quē sponsalia haud impediunt, sicut nec ipsum matrimonium ratum propter specialem religiosi statûs favorem: de quo alibi.

15 Effectus *speciales* sponsalium sunt: *primò* quòd ex iis nascatur publica honestas, vel justitia publicæ honestatis, quæ inter sponsum, & sponsæ consanguineas, & inter sponsam, & sponsi consanguineos matrimonium contrahi non permittit, de qua sunt textus in *c. 3. & 4. h. t.* Item *c. 4. & 5. de Desponsat. impub.* Nos verò de ea agemus infra in *tit. 4. p. 3.*

16 *Alter* est, quòd sponsalia vivô, & invitô priore sponsô iterari nequeant, & iterans Jure Civili notetur infamiâ. *l. 1. l. 13. §. 2. ff. de his, quinot. infam.* Ut verò hæc pœna ob iterata sponsalia irrogetur, necesse est I. Ut quis sponsalia eodem tempore iteraverit, id est, ita ut concurrant eodem tempore, licèt diversis temporibus contracta. *d. l. 1. l. 13. §. 2. & ibi* Brunneman. *n. 5.* II. Ut iteraverit proprio nomine: unde si quis bina sponsalia alieno nomine contraxerit, non incurrit infamiam, nisi illam personam in potestate habuerit. Brunneman. *d. l. n. 4.* ubi tamen opinionem ejus, qui consultor fuit binorum sponsalium, apud honestos viros gravari asserit.

17 *Tertius* effectus specialis sponsalium dicitur, quòd in sponsa aliena adulterium committitur, ac vindicetur, prout rescripserunt Divi Impp. Severus, & Antoninus *l. 13. §. 3. ff. Ad Leg. Jul. de Adult.* additâ ratione eleganti, quòd neque spem matrimonii violare permittatur; An autem concubitus cum sponsa alterius de futuro propriè sit adulterium, & quo genere pœnæ vindicetur, non satis liquet, & exponemus ad *tit. de Adult. & stupr.*

18 §. X.

Contrarii sponsalium de futuro sunt modi, seu causæ, ex quibus dissolvuntur: sunt autem duorum generum: ex quibusdam enim sponsalia dissolvuntur ipso jure, & ex parte utriusque: ex aliis tantùm datur facultas illa rescindendi, vel recedendi ab illis, etiam alterâ parte invitâ. §. *dissolvuntur. & seqq. Instit. Juris Canon. h. t.*

Ipsô jure itaque dissolvuntur sponsalia *pri* 59
mò mutuo puberum consensu, seu potiùs dissensu, quamvis nulla alia causa interveniat: quia *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem & dissolvitur. c. 1. de R. I.* & *nihil tam naturale est, quàm eo genere quidpiam dissolvi, quo colligatum l. nihil 35. ff. Eod.* Et hoc sponsalia commune habent cum aliis contractibus, qui ex natura sua, & institutione Divina non sunt indissolubiles, ut matrimonium.

An autem sponsi etiam à sponsalibus jura- 60
tis mutuo consensu licitè absque speciali causa recedere possint? inter DD. non constat.

Negotium facessit text. in *c. 2. h. t.* ubi ex communi Interpretum consensu agitur de casu, quo ambo sponsi mutuo consensu resilire volebant, & tamen S. Pontifex dicit, eos commonendos, & modis omnibus inducendos, ut præstitam fidem servent, & si persuaderi nequeant, solùm propter metum majoris mali in patientia tolerari posse, ut fidem sibi remittant. Ex quo textu sponsalia jurata liberè & licitè dissolvi non posse, docet Gloss. *ibid. V. tolerari.* Joan. Andr. & nonnulli alii: non enim jure fit [illegible] à jure tantùm toleratur propter periculum majoris mali.

Sed ab eorum sententia hic recedere non dubito: juramentum namque sequitur naturam actûs, cui apponitur. *c. quemadmodum, 25. de Jurejur.* igitur sicut contractus sponsalitius est actus ex natura sua revocabilis, ita & juramentum adjectum. Deinde juramentum adjectum sponsalibus, etiam casu, quô juramentum principaliter in DEUM re-

relatum, & matrimonium intuitu pietatis personæ pauperi, aut periculo incontinentiæ expositæ promissum est, respicit mutuum favorem partium. Ergo ab illis remitti potest, cùm promissioni juratæ insit conditio: *si is in cujus favorem præstitum est juramentum, voluerit illud servari.* ut cum communi DD. tradidi *ad tit. de Jurejur. n.* 38.

Ad oppositum textum *c.* 2. *h. t.* aliqui respondent, contrahentes inducendos, & commonendos esse propter erroneam opinionem vulgi, qui fortè juramenti religionem in aliis casibus contemnet, si in hoc impunè contraveniri videat. Barbosa ad *d. c.* 2. *num.* 6. dicit omne juramentum servandum esse, quod servari potest, non ex natura quidem juramenti, sed ex præcepto positivo. Rectiùs tamen dixeris, S. Pontificem se fundare in particularibus circumstantiis, aut validâ præsumptione, quòd non uterque contrahentium libero & simultaneo consensu à sponsalibus recedat, sed, ut plerumque accidit, ab initio unus tantùm pœniteat, & fidem datam, ac juratam retractare conetur, alter verò non absolutè, & liberè, sed in consequentiam, eò quòd nolit pœnitentem urgere, ac cum invito matrimonium contrahere, in dissolutionem consentiat.

61 *Secundò* ipso jure dissolvuntur sponsalia tam jurata, quàm simplicia per matrimonium cum alia actu validè quamvis injustè contractum. *c. sicut* 22. *c. si inter* 31. *h. t. c.* 1. *de Sponsa duorum.* Ratio est: quia fortius est vinculum matrimonii, etiam rati tantùm, quàm sponsalium; quoties autem duo vincula concurrunt, quorum nequit utrumque servari, fortius prævalet, nullâ habitâ ratione prioritatis alterius per *l. quoties.* 15. *C. de rei vindic.* Debet tamen matrimonium cum illa validè esse contractum: alioquin ex quocunque capite invalidum fuerit, nullam vim habebit ad priora sponsalia ex parte contravenientis dirimenda: *non* enim *præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum c.* 52. *de R. J. in* 6.

Inter partes dissidentes hæret: an per matrimonium subsequens ita solvantur priora sponsalia, ut nec matrimonio per mortem, aut professionem religionis rescisso, ulla maneat illorum obligatio?

Omnino dissolvi, Præpos. in *d. c. sicut. n.* 8. *h. t.* Ancharan. *ibid. n.* 6. Layman. *in Theol. mor. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 22. & alii cum Pirrhing *h. t. n.* 59. probant duplici potissimùm ratione: *prima* est: quia obligatio semel extincta non reviviscit. *l. qui res.* 98. *§. aream ff. de Solut.* obligatio autem sponsalium præcedentium per matrimonium subsecutum non tantùm suspensa, sed penitùs extincta fuit, cùm ob indissolubilitatem vinculi præsentis cum matrimonio sit incompossibilis. *Secunda:* quia votum strictioris religionis omnino extinguitur per professionem secutam in ordine laxiori juxta *c.* 5. *de Regul. l. in* 6. idque ideo, quòd sint obligationes ejusdem rationis, una tamen fortior alterâ. Ergo cùm obligationes sponsalium & matrimonii sint ejusdem rationis, & una fortior alterâ, si superveniat illa matrimonii, utpote fortior, extinguet omnino illam priorem sponsalium.

Ferdinandus de Castropal. *disp. 1. de Sponsal. punct.* 11. Basil. Pont. *lib.* 12. *c.* 16. & cum his Clariss. P. Jacob Wex *de Sponsal. p. 1. §. 7. n.* 13. rectiùs docent priorum sponsalium obligationem, durante matrimonio cum alia tantùm suspendi, & matrimoniô solutô illius efficaciam redire: cùm jam tempore sponsalium alteri acquisitum sit jus exspectandi illud tempus pro petenda impletione sponsalium, quo ab altera parte moraliter loquendo impleri potest: nec in ejus, qui fidem fregit, potestate, aut arbitrio sit, injusto suo facto ab obligatione se eximere. Præterea si prior obligatio sponsalitia per matrimonium subsequens omnino extingueretur, tunc extingueretur, vel ex na-

natura rei, vel ex dispositione juris positivi: Non ex natura rei: quia obligatio illa potest consistere cum matrimonio contracto cum alia, saltem ut maneat in suspenso, & demum matrimonio soluto executioni mandetur. Non ex dispositione juris positivi: cùm textus, qui in oppositum adduci solent id non statuant, sed illum decidant, contrahentem matrimonium cum alia, debere manere cum illa. Ad hæc, si quis emisit votum ingrediendæ religionis, non solvitur omnino ab obligatione sua per contractum postea matrimonium, sed tenetur uxore mortuâ religionem ingredi: ergo etiam qui contraxit sponsalia cum una, non omnino solvitur ab obligatione sua per contractum postea cum alia matrimonium, sed tenebitur uxore mortuâ cum sponsa priore matrimonium contrahere; quemadmodum enim matrimonium consummatum post votum ingrediendi religionem non est incompossibile cum obligatione voti, quamvis ejus impletionem impediat, ita nec matrimonium contractum cum secunda est impossibile cum obligatione sponsalium respectu primæ, tamen, quamdiu durat, impediat impletionem illius. Et parum refert, obligationem esse ejusdem, vel diversæ rationis.

His ita positis fundamentis non obstat *prima* ratio: quoniam obligatio parti innocenti ex sponsalibus quæsita per alterius matrimonium injuriosè contractum totaliter sublata non fuit, quò minùs retinuerit jus expectandi tempus implendæ promissioni aptum: quippe jus hoc auferri non potuit injusto alterius facto, & vinculum matrimonii non est incompossibile cum eo, prout refertur ad tempus, quo vinculum ipsum cessabit. Nec valet assumpta paritas de voto ingrediendi religionem strictiorem, & ratio, quòd obligatio fortior elidat debiliorem ejusdem rationis: ad summum namque concludit, ubi utraque obligatio uni, & eidem est quæsita, ut puta DEO per votum simplex, ac solenne; non item si obligatio respiciat diversas personas, ut impræsentiarum: tunc enim utraque sustineri potest, & debet ita dictante naturali æquitate. Ferdinand. de Castropal. *ubi supra num.* 5.

63 *Tertiò* ipso jure solvuntur sponsalia etiam jurata per actualem professionem in religione approbata emissam, cùm & ipsum matrimonium ratum seu sponsalia de præsenti per eam solvantur. *c. ex publico 7. de Convers. conjug.* Trident. *sess. 24. de Sacramen. Matrimon. can. 6.* Propterea: quia sponsalibus ex dispositione juris inest tacita conditio: *nisi contrahens statum religiosum elegerit.*

64 *Dubitatur* I. Num ante matrimonium contractum liceat ingredi, & profiteri religionem, si sponsalia juramentô firmata sint?

Sententiæ negativæ favere videtur *c. commissum. 16. h. t.* ubi Alexander III. rescripsit ob reverentiam juramenti priùs contrahendum esse matrimonium, & ante ejus consummationem intrandam religionem per illa verba: *tutiùs est ei, religione juramenti servatâ priùs contrahere, & postea, si elegerit, ad religionem migrare.* Accedit: quia juramentum servandum est, quoties potest licitè adimpleri sine impedimento majoris perfectionis spiritualis & salubrioris statûs, potest autem in nostra hypothesi: cùm statim post adimpletum juramentum religionem ingredi concessum sit.

Sed firmiores, majorisque ponderis rationes occurrunt pro affirmativa: *prima* & primaria est, quòd juramentum sequatur naturam actûs, cui apponitur, consequenter conditio tacitè inclusa in actu censetur similiter inclusa in juramento; ergo conditio: *nisi promittens statum religiosum elegerit;* quæ tacitè inest promissioni matrimonii, inerit quoque juramento. *Secunda:* quia non videtur infringere juramentum, qui illud in melius com-

commutat. *c. pervenit. de Jurejur. c. Scriptura. de Voto, & Voti redempt.* utique autem meliùs est, religionem ingredi, quàm nubere? *c. nuptiarum. 41. causâ 27. q. 1. Tertia* est: quia sic contrahendo graviter luderetur pars altera, ut quæ contrà fidem sibi datam cogeretur innupta remanere, & expectare usque ad professionem ingredientis, & non profitenti, ac postea egredienti non sine probro adhærere. Vide post alios Rmum Maurum Oberascher *de Sacram. p. 2. tr. 2. c. 1. §. 2. ¥. II. dissolvuntur.* qui cum Bonacina, & Sanchez hanc sententiam limitat, ut sponsus ante matrimonium contractum nequeat ingredi religionem, si sponsam post sponsalia sub spe matrimonii defloràsset, vel si ea ob habitam familiaritatem famæ notabilem jacturam pateretur: siquidem tunc moraliter loquendo injuriam violatæ virginitatis, aut famæ aliter resarcire non potest, ad quod tamen ex justitia obligatur.

Ad *cap. commissum. 16. h. t.* respondetur, quòd in illo Pontifex non imponat præceptum, sed consilium, cùm solummodò dicat: *rutiùs est*, per quod tacitè subinnuit, saltem tutum esse, matrimonio non contracto ingredi religionem. Deinde, quòd loquatur de eo, qui necdum decreverat religionem intrare, sed tantùm à longè deliberabat: si enim voluisset seriò, & statim id facere, dixisset ei: *Amice & tu intra*, ut inquit Hostiensis. Id, quod adjicitur, juramentum servandum esse, quoties licitè servari potest, procedit, quando juramentum non involvit conditionem, quæ non adimpletur, vel quando non mutatur in melius.

65 *Dubitatur* II. Utrùm sponsalia solvantur per solum ingressum in religionem, seu novitiatum professione non subsecutâ?

In hoc dubio resolvendo triplex laborat sententia. *Prima* absolutè negat per ingressum religionis ex parte alicujus sponsalia dissolvi: eò quòd ingrediens religionem non hòc ipsò videatur statim cedere jure suo, neque ullus sit textus, qui vel ingredientem religionem, vel manentem in sæculo liberet ab obligatione sponsalium. Ita Richardus, Paludanus, Durandus, & alii antiquiores Thomistæ apud Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 42. n. 1.*

Secunda sententia affirmat, per ingressum religionis bonâ fide factum dissolvi sponsalia tam ex parte manentis in sæculo, quàm ex parte ingredientis religionem, idque probat *primò*: sicut se habet professio ad matrimonium ratum, ita se habet ingressus religionis ad sponsalia; atqui professio dissolvit matrimonium ratum ex parte utriusque: ergo etiam ingressus religionis dirimit sponsalia ex parte utriusque. *Secundò*: obligatio voti religionis dissolvitur per ingressum in religionem, bonâ fide, id est, animo perseverandi in illa, ita ut si vovens egrediatur, expertus, eum statum sibi non convenire, liber maneat ab obligatione voti. Ergo etiam per ingressum religionis penitùs dissolvitur obligatio orta ex sponsalibus, nec redit per egressum ex illa. Ita Sylvester *V. Sponsal. q. 10. cas. 2.* & Bonacin. *tom. 1. q. 1. de Sponsalib. punct. 5. n. 2.* cum aliis.

Tertia, & verior sententia docet, ingressu religionis dissolvi sponsalia ex parte manentis in sæculo, non etiam ex parte religionem ingredientis: ratio primæ partis est, tum quia religionem ingressus satis declarat, se sponsalibus renuntiare, & sic absolvere alterum à fide data: tum quia ex parte illius notabilis fit mutatio, & parti remanenti in sæculo grave nimis foret, si per annum integrum novitiatûs non sine incontinentiæ periculo expectare deberet, vel probrosum, si teneretur religionem deferentem in maritum aut uxorem recipere. Ratio secundæ partis est: quòd, esto ingrediens in religionem per hoc suo juri quoad spon-

sponsalia cedat, non cesserit tamen juri suo persona in sæculo remanens, ideóque ingrediens ei adhuc manebit obligatus ad matrimonium, ubi egressus fuerit è religione, cum ipsa contrahendum. Neque privilegium, ex quo professio religiosa liberat à promissione, seu fide antecedenter data in sponsalibus, vel matrimonio rato, ad novitiatum seu ingressum in religionem extendi potest, cùm sit odiosum, & præjudicet juri remanentis in sæculo. Ita D. Thom Henriquez, Coninck, Hurtad. Pontius & Villalobos relati à Trulenc. *Praxi Sacram. lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 1. Laymann *d.tr.* 10. *c.* 2. *n.* 2.

Ex his expedita est solutio ad fundamentum primæ sententiæ & facilè respondetur ad fundamenta secundæ: nam, quod *primum* attinet, non est par proportio professionis ad matrimonium, & ingressûs in religionem, seu novitiatûs ad sponsalia: enimverò professio est mors quædam spiritualis, & inducit statum perpetuum, matrimonii incapacem, non item novitiatus, qui præcisè deliberandi causâ introductus est citra ullam obligationem, quæ repugnet obligationi sponsalitiæ legitimè contractæ. Ut taceam, quòd vis, ac privilegium solvendi sponsalia ex parte religionem ingressi novitiatui nullibi datum sit, & tanquam odiosum à professione ad eum ob paritatem rationis ampliari nequeat. Ad *secundum* disparitas est: quia per religionis ingressum, & ejus experientiam in anno probationis impletur votum religionis, cessâque ejus obligatio, tametsi non sequatur professio, si vovens bonâ fide, & sine fraude ingressus sit, at ingressus in religionem non est impletio sponsalium, nec mutatio in melius ante secutam professionem.

Dubitatur III. An non tantùm per professionem religiosam, sed etiam per susceptionem SS. Ordinum sponsalia dissolvi possint? Videbitur primâ fronte, quòd non, quia quòd per professionem religiosam dissolvantur sponsalia, inde conficitur, quòd per eam matrimonium quoque ratum dissolvatur, ergo à contrario, cùm expressè constitutum sit in *Extravag. antiqua, apud Joan. XXII. de Voto & vot. redempt.* per susceptionem SS. Ordinum non dissolvi matrimonium ratum, concludendum est, per eam nec dissolvi posse sponsalia. Neque verò putandum, sponsalibus ex natura rei, vel jure positivo inesse conditionem: *nisi sponsus SS. Ordines susceperit.*

Sanè ex hâc ratione Ferdinand. de Castropal. *saped. disp.* 1. *de Sponsalib. punct.* 19. *n.* 2. & P. Engel *ad Tit. de Obligat. ad ratiocin.* rectè inferunt, sponsum sponsâ invitâ ad SS. Ordines licitè ascendere, & admitti non posse, consequenter, si defacto ordinetur, obligatum esse ad expensas resarciendas, quas sponsa fortè fecit sub spe futurarum nuptiarum. Nihilominus sponsalia per susceptos SS. Ordines in consequentiam ex utraque parte rescindi, eorúmque obligationem inefficacem reddi, ita ut matrimonium ampliùs contrahi non possit, extra dubitationis aleam est, cum Ordines sacri impedimentum dirimens, uti Professio religiosa, secum trahant, & ordinatum perpetuò reddant inhabilem ad implenda sponsalia *d. Extravag. antiqua.* Clariss. P. Jacob Wex *de Sponsalib. p.* 1. §. 7. *n.* 11.

Cæterùm votum quoque castitatis, ingrediendæ religionis, suscipiendi Ordines sacros, imò & cælibatûs, si priùs emissum sit, quàm sponsalia contracta, ea dirimit juxta deducta *sup. à n.* 6. num verò subsequens eadem dissolvat? dicemus *infra in tit.* 17. *n.* 8. *& 9.*

Quarò ipso jure solvuntur sponsalia, si 67
quodcunque impedimentum dirimens, ut puta affinitas, cognatio spiritualis, &c. superveniat, aut detegatur, Ratio est: quia superveniente, aut detecto ejusmodi impedimento non potest contrahi matrimonium, ergo nec sponsalia ad id obligare. Sanchez *lib.* 1. *de*

Matrim. disp. 56. num. 1. Gutierrez *eod. tr. cap. 31. num. 1.* Quod ampliatur, ut ad dissolutionem sponsalium simplicium sufficiat, si de impedimento dirimente solùm sit fama publica. *c. super eo. 2. de Consang. & affinit.* aut si unus testis de eo deponat, licèt alleget propriam turpitudinem *c. præterea 12. h. t.* imò licèt fuerit persona vilis: si quidem in causis ad evitanda peccata admittuntur testes quoque inhabiles, quando alia probatio non suppetit. Quidquid reclamitent Panormit. in *d. c. præterea. in fin.* Sanchez *l. cit. n. 12.*

68 De eo *altercari* DD. video: an etiam sponsalia juramento firmata propter famam impedimenti dirimentis, aut unius testis dictum dissolvi possint?

Sententia negativa præcipuè fundatur in *d. c. præterea 12. h. t.* ubi S. Pontifex propter affinitatem assertione solius complicis probatam sponsalia dissolvi, & matrimonium prohiberi decernit, *nisi juramentum interveniisset.* Ex quo Panormit. Butrius, Ancharan. & cum his Gonzal. *n. 5.* arguunt, casu quo juramentum intercessit, propter unius testis depositionem, aut aliam semiplenam probationem sponsalia rescindenda non esse. Cujus rationem reddunt: quia quòd aliàs imperfectæ probationes recipiantur, fit ad evitandum periculum peccati, ne scilicet tales sponsi, si ad matrimonium procedant, vivant in perpetuo adulterio, aut incestu, at si sponsalia jurata sunt, non potest evitari periculum peccati, etenim, dum Judex dissolvendo sponsalia periculum incestûs vult evitare ac præcavere, sponsos exponet periculo perjurii. Unde cùm certus sit de juramento, & consequenter de perjurio secuturo, si sponsalia dissolvat, e contra de impedimento, & causa dissolvendi incertus, utpote tantùm semiplenè probata, potiùs peccatum perjurii præcavere, & sponsos ad observanda sponsalia jurata compellere debet.

Verùm neque textus, neque ratio allata evincit, quò minùs sustineas, etiam sponsalia jurata propter impedimentum dirimens per famam, per unum testem, aut aliam probationem semiplenam probatam dissolvenda esse, motus præsertim textu *d. c. super eo. 2. de Consang. & affinit.* ubi statuitur, juvenem, qui *fide interposita* (id est juramento intercedente, ut interpretatur Glos. & DD.) puellam desponsaverat, ab impetitione, & matrimonio promisso esse absolvendum, si fama loci habeat, quòd postea consanguineam illius cognoverit, sicque affinitatem cum sponsa contraxerit, etsi hoc manifestum non sit, unde patet, solam famam satis probare. Si autem fama satis probat, cur non testis unus, vel alia semiplena probatio? Certè juramentum sponsalibus secundùm se nihil adjicit, & juxta eorum normam, validitatem, vel invaliditatem regulatur; ergo si aliunde sufficiens probatio inducitur, quâ sponsalia ex dispositione juris invalida censentur, non proderit, quòd juramento sint firmata, cùm probatio non juramentum, sed sponsalia afficiat.

Ego, ut jura juribus concordentur, existimem, omninò propter juramentum sponsalibus appositum non omnem probationem recipiendam, quæ aliàs recipienda foret, juramento non appositio, v. g assertionem complicis propriam turpitudinem allegantis, vel testis aliàs suspecti; cùm saltem in ordine ad ipsos contrahentes validiùs ligent sponsalia jurata, quàm simpliciter contracta, consequenter non tam facilè sint dissolvenda juxta *cit. c. præterea. 12. h. t.* quòd autem plena probatio requiratur, ex illo erui non potest, sed testem idoneum, vel famam, aut aliam semiplenam probationem impedimenti sufficere, probat. *d. c. super eo. 2. de Consang. & affinit.* Ad rationem contrariam respondetur, non esse tantum periculum perjurii, quantum est incestûs: nam licèt nullum subsit à parte rei impe-

impedimentum, sponsi tamen non committent perjurium, si cum authoritate judicis Ecclesiastici à sponsalibus recedant, cùm juramentum sub tacita conditione emissum censeatur, nisi improvisa mutatio, vel causa superveniat: neque ligat sponsos ad contrahendum matrimonium contra prohibitionem judicis, aut cum probabili periculo peccati. Econtra si re ipsâ subsit affinitas, vel aliud impedimentum, utut Judex caveat, & authoritatem suam interponat, cùm dispensare nequeat, vel saltem non intendat, ex hypothesi, à parte rei nullum matrimonium, sed status fornicationis, vel incestûs erit. Georg. Rosignol. *contr.* 14. *de Sponsal. II. prænot.* 8. *n.* 7.

Planè si impedimentum dirimens, v. g. affinitas post contracta jam legitimè sponsalia subsecutum sit ex culpa alterius, ut fieri solet, per fornicationem à sponso cum sorore sponsæ commissam, is tenetur vel damnum per pecuniariam compensationem resarcire, vel si velit sponsa, procurare dispensationem; ne aliàs ex sua iniquitate lucrum reportet, qui potiùs jure naturæ videtur obligatus, ut impedimentum malitiosè positum circa rem alteri promissam pro viribus removeat, præsertim, si secuta fuerit sponsæ defloratio, aut magna jactura innocenti immineat. P. Engel *ad tit. de eo qui cognovit consanguineam uxoris sua. num.* 10. Coninck *disp.* 23. *de Matrim. dub.* 5. *n.* 37. Bonacin. *eod. tr. q.* 1. *punct.* 7. *n.* 8.

§ *Quintò*: ipso Jure dissolvuntur sponsalia lapsu temporis, ad finiendam eorum obligationem conventione sponsorum expressè adjecti. *c. sicut* 22. *h. t.* Ratio est: quia promissio non obligat ultra intentionem promittentium; ergo si sponsi futurum matrimonium ita promittant, ut obligari velint ad terminum præfixum, & non ultrà, eo termino transacto desinit obligare illa promissio.

Dixi autem: *ad finiendam obligationem*; secus est, si terminus sit appositus tantùm ad exequendam obligationem sponsalium: hinc si dies, seu certum tempus, intra quod contrahi debeat matrimonium, v. g. ante proximam quadragesimam, sit adjectum, hoc tempore elapso non statim exspirat obligatio, cùm per diem adjectum contrahentes effectum obligationis solùm accelerare voluerint, ut communiter fieri solet, per text in *c. cùm dilecti 6. §. præterea. de Dolo & contum.* & ibi Panorm. *n.* 73. Imò casu, quo terminus expressim ad finiendam obligationem, & tanquam conditio præfixus est, refert, num intra illum terminum matrimonium promissum secutum non fuerit ex culpa alterutrius sponsorum, an verò utriusque, vel neutrius? Si ex unius tantùm culpa, altero ad contrahendum parato, non simpliciter desinit obligatio sponsalium, sed ex parte illius duntaxat, qui sine culpa est, per text. *in d. c. sicut.* ibi: *nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit.* Quòdsi per utrumque stetit, utrinque solvetur: quia terminus sponsalibus adjectus est ad hunc præcisè finem, ut si intra illum non perficiantur, nullum penitus habeant effectum. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 53. *n.* 3. *&* 6. Gutierrez *eod. tr. c.* 24. *n.* 10. Demum si per neutrum stetit, sed uterque ex legitimo impedimento intra terminum præfinitum non potuerit sponsalia adimplere, eadem ex parte neutrius dissolvi docet Sanchez *l. cit. n.* 8. & Bonacin. *de Matrim. q.* 1. *punct.* 6. *n.* 6. Quibus tamen meritò contradicit Layman *in Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2, eò quòd contractus ex conventione legem accipiant. Neque obstat regula *c. cùm non stat* 66. *de R. J. in* 6. quâ dicitur: *cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset*: quia hæc regula in contractibus rarò locum habet, ut notat etiam Sanchez *lib.* 1. *disp.* 33. *n.* 21.

70 *Facultas recedendi à sponsalibus*, altero etiam invito, datur variis ex causis. *Primò* ex causa absentiæ; si nimirum sponsus, aut sponsa se transfert in partes remotas: quippe tunc absens censetur sponsalibus renuntiare, & esse in mora alteri periculosa juxta *c. de illis. 5. h. t.* ubi tamen requirunt Interpp. ut discessus fiat sine alterius partis desponsatæ consensu, sine justa causa, & cum nulla aut tenui spe proximi reditûs.

Oportet igitur, ut sponsus, vel sponsa sine voluntate alterius discedat. Quòdsi sponsus sciente, ac consentiente sponsâ, vel hæc sciente, ac volente sponso peregrè abiverit, intra tempus absentiæ, de quo inter eos conventum, sponsalia rescindi non possunt. Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 54. n. 13.* Quin imò, si certum tempus reditûs præfixum non sit, & remanenti parti longinquitas itineris, ac difficultas expeditionis perspecta fuerit, exspectandus est reditus sponsi, vel sponsæ. licèt absentia aliquando diuturnior sit, cùm discessus animô redeundi factus tacitam sponsalium renunciationem non inducat, nec vota sua diutiùs eludi jure conqueri possit pars remanens, quæ peregrinationi consensit. Canit. in *Comment. ad c. de illis.*

Rursus, ut sponsa ob absentiam sponsi ab obligatione sponsalium liberetur, necessum est, ut discesserit sine justa, & necessaria causa. Nam si sponsus in militiam, patriæ defendendæ causâ, ad jussum Principis & Superioris proficiscatur, si ab hostibus in captivitatem sit deductus, si morbo detentus, si prædonum metu deterritus, si Principis & Reipub. Legatus, si ob mortem parentum, aut accusationes criminum capitalium amicis, vel conjunctis personis intentatas impeditus, intra breve spatium reverti, & sponsalia perficere non possit, sponsa tantisper & non solùm per annum, vel biennium, sed etiam triennium, quadriennium, & ulteriùs, pro arbitrio judicis, exspectare tenetur, donec vel impedimentum cesset, & sponsus revertatur, vel de eius morte certum nuntium allatum sit. *l. sæpe 17. ff. h. t.* Hostiens. *in Summa. eod. n. 3.* Joan. Andr. *in d. c. de illis. num. 6.* Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 2. cent. 5. cas. 455. n. 7.* Perpendet autem Judex circa definitionem temporis absentiæ moram, & sponsæ ætatem, qualitatem, ac mores, ne aut illi opportunum tempus nubendi pereat, aut incidat in periculum incontinentiæ: non enim quævis Penelopæ similis, quæ Ulyssem peregrinantem per 20. annos exspectavit.

Ad hæc, si sponsus, aut sponsa sine alterius præscitu ex causa voluntaria discesserit, ut propterea sponsalia rescindi possint, opus est, ut non sit spes proximi reditûs, puta, ut sponsus deserat sponsam, & non constet, ubi terrarum degat, vel utrùm superstes sit, item an animum revertendi, & matrimonium contrahendi habeat. Quòdsi constet, ubi gentium moretur, & speretur brevi rediturus, exspectandus est, vel requirendus, ut intra certum tempus redeat, contractúmque perficiat: quia tunc ex parte ipsius sponsi cessat præsumptio, quòd recedens renuntiaverit sponsalibus prius celebratis, & ex parte sponsæ periculum incontinentiæ. D. Thom. in 4. *dist. 27. quæst. 2. a. 3. ad 2.* Bonacin. *de Matrim. q. 1 punct. 6. n. 8.* Coninck. *disp 23. n. 51.*

Variant autem & Jura, & Jurium periti, quanto tempore sponsa sponsum, aut hic sponsam absentem exspectare teneatur, ut à sua obligatione liberetur?

Jure Canonico verbis generalibus constituitur casu, quo sponsi insciis sponsis dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, liberum esse mulieribus ad alia vota se transferre. *d. c. de illis. 5. h. t.* Econtra de Jure Civili plures distinctiones, & exceptiones speciales traduntur: nam, ut paulò antè dictum, si sponsus ex causa necessaria absit, exspectandus

dus est, donec necessitas, & causa illa cesset. *l. sæpè* 17. *ff. Eod.* Si absit ex causa voluntaria & extra provinciam commoretur, triennio. *l. liberum.* 2. *C. de Repudiis.* si in eadem provincia, biennio. *l. si is. qui.* 2. *C. h. t.* ad eum scilicet effectum, ut arrhæ, & donationes ante nuptias repeti, aut retineri possint: alioquin enim de Jure Civili statim à sponsalibus recedere licet juxta *l.* 1. *C. Eod.*

Easdem distinctiones etiam hodie, & in foro Ecclesiastico observandas esse, & jus Civile non corrigi per Jus Canonicum, docent Gloss. in *d. c. de illis. v. liberum.* Sylvester *V. sponsalia. q* 10. *cas.* 4. & Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 5. *casu.* 415. *n.* 7. eò quòd in sæpe *cit. c. de illis.* nullum sit verbum, quod restringat tempus legale. Econtrà sine omni distinctione, sponso discedente, statim liberam esse sponsam, contendunt Panormit. Decius, & quàm plures alii relati à Covarr. *de Sponsal. t.* 5. *in princ. num.* 7. cùm in *c. de illis.* absolutè decernatur, liberum fore sponsæ ejus, qui se transtulit ad alias partes cum alio contraheret; non foret autem id ei liberum, si biennium, triennium, aut quinquennium exspectandum esset.

Sed ne facilè correctionem inter jus Canonicum, & Civile admittamus, dici potest, quòd, si sponsus ad exteras provincias se contulit, intentione vel nunquam, vel nonnisi post multos annos redeundi, sponsa nec eundem sequi, nec per biennium, vel aliud certum tempus exspectare teneatur, sed liberè, & statim ad alia vota transire possit juxta *d. c. de illis.* 5. quòdsi verò spes sit, eundem intra biennium, vel citiùs rediturum, aut si sciatur ubi, & quòd in partibus non admodùm remotis commoretur, sponsa non liberetur, sed sponsum vel exspectare debeat per tempus à Jure Civili præscriptum, vel requirere, ut intra certum tempus contrahat matrimonium, aut obligationem remittat; idque colligitur ex illo ipso *c. de illis.* ubi Pontifex non propter quamcunque sponsi absentiam sponsam liberam pronuntiat, sed tunc demum, *si dimittat terram, ad partes alias se transferens*, non dicitur autem dimittere terram, qui intentionem brevi redeundi habet, neque ad partes alias se transferre censetur, qui in vicinia, quamvis extra provinciam, commoratur, præsertim cùm simus in materia correctoria, ac propterea strictæ interpretationis.

Secundo recedi potest à sponsalibus ex causa doli, seu deceptionis, tametsi error non intervenerit circa substantiam contractûs, aut personam, per *l.* 1. *in pr. &* §. 1. *ff. de Dolo malo.* Sed hoc ita, si dolus accidentalis dederit causam contractui; ut si quis se divitem finxerit, aut claro genere prognatum, cùm sit inops, aut ære alieno obrutus, aut ex incestu natus, aut alia infamis persona, & vice versâ, si sponsa hisce utatur technis; aut si sanum se prædicet alteruter ex desponsatis, cùm leprâ, perpetuâ scabie, morbo comitiali, gallico, alióve contagioso laboret; aut si parentes tenuioris fortunæ filiam indotatâ locupleti locare cupiant, & fallaciis adolescentem ad dandam fidem de conjugio inducant, aut si lenæ puellam omnium lectissimam & castissimam deprædicârint, quæ tamen passim malè audit; his enim & similibus casibus à sponso, vel sponsa, cognitô dolô, ac compertâ fallaciâ, sponsalia, quamvis jurata sint, vel etiam coitu confirmata, retractari queunt, non verò ipso jure nulla sunt, juxta dicta ad *tit. de Dolo & contum. n.* 15. Coninch. *de Matrim. disp.* 23. *n.* 73. Martin. Perez *disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 3. Quòdsi dolus accidentalis contractui causam non dederit, sed fuerit tantùm incidens; ut si Narcissus duxisset Floram, licèt sciviisset ipsam esse pauperem, quæ tamen jactavit, se esse divitem, ex ea solummodò causa sponsalia rescindi non posse, docet Sanchez *lib.* 1. *de* 71

Matrim. disp. 65. *n.* 2. Dicastillo *tod. tr.* 10. *disp.* 1. *dubio.* 23. *n.* 339.

72 *Tertiò* ex parte sponsi rescindi possunt sponsalia, etiam jurata, propter supervenientem fornicationem sponsæ, per textum in *c. quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* ubi duplex ratio redditur, nimirum: *quia in illo juramento,* ac contractu, *talis debet conditio subintelligi: si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* Et quia, *si post contractum conjugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere, longè fortiùs ante conjugium celebratum propter eandem causam sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam: quia turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.* Accedit, quòd per fornicationem subsequentem res notabiliter mutata, & ignominiosum sit viro, ducere fœminam corruptam. Sed hìc nonnulla dubia occurrunt.

Primum est: An stuprum violentum, & si sponsa vi oppressa, ac cognita sit, sufficientem causam præbeat, ut contracta sponsalia rescindantur?

Rationem dubitandi suggerit *d. c. quemadmodum de Jurejur.* cujus rationes in hypothesi cessant: ex quo sponsa per vim constuprata non potest dici fidem fregisse sponso, ac deliquisse, cùm vis illata, ut non ponit consensum, ita crimen secum ferre nequeat, per *c.* 2. *&* 4. *causâ* 32 *q.* 5. *l.* 1. *§.* 5. *ff. de Postulando.* Neque similis fornicatio involuntaria tribuit jus innocenti se separandi à conjuge quoad thorum post contractum conjugium, sicque nec videtur jus tribuere separandi sponsum à vinculo sponsalium post eadem jam legitimè contracta. Ita Tabiena *V. sponsalia. q.* 9. *n.* 10. *casu* 6. & Armilla *cod. Verbo. num.* 12. & alii freti textu *c.* 46. *causâ* 27. *q.* 2.

At rectiùs alii contrarium defendunt, & ad instantiam sponsi reconciliationem, & contractum matrimonii renuentis etiam ob vitium vi sponsæ illatum à Judice dissolutionem sponsalium de futuro permittendam esse, statuunt per *c.* 33. *causa* 27. *q.* 2. Licèt namque, si animus vitiatæ consideretur, illa crimine vacet, attamen cùm in corpus ejus quid commissum sit, quod merito abhorret vir gravis, & honestus, nulla ratio suadet, cur ei tam iniqua conditio, citra culpam suam, facto alterius inferri possit: certè enim in magnum sponsi dedecus redundat, habere uxorem ab alio, quamvis invita fuerit, cognitam. Facit etiam, quòd omnibus actibus, ac conventionibus hæc tacita insit conditio, illáque sub ista clausula intelligatur: *rebus sic stantibus, seu in eodem statu,* quo fuerunt tempore contractus, *permanentibus;* secundùm *l.* 38. *ff. de Solut.* Gail. *lib.* 2. *observ.* 23. *n.* 9. Atque ita sentiunt Panorm. in *d. c. quemadmodum.* Covarr. 4. *Decret.* 1. *p. c.* 5. *n.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 55. *n.* 7.

Neque obstat, quòd deficiant rationes, quibus cit. *c. quemadmodum* innititur: quoniam in illo non est facta adæquata enumeratio omnium rationum, ex quibus sponsalia ob fornicationem subsequentem dissolvi possunt, sed aliquarum duntaxat, quibus addenda notabilis mutatio ex parte sponsæ, quæ ex copula etiam coacta nascitur, dum sponsus sponsam sine nota infamiæ ducere nequit, periculóve exponitur, alienam prolem pro sua alendi. Sed nec quempiam terreat text. in *c.* 46. *causâ* 27. *quæst.* 2. ut qui agit de puellis de præsenti desponsatis, prout Gloss. *ibid.* advertit.

Alterum *dubium* est: utrùm sponsus possit resilire à sponsalibus ob fornicationem sponsæ cum alio commissam ante sponsalia contracta, si primùm postea innotescat?

Paludanus, & qui cum eo negant, id deducunt ex cit. *c. quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* ubi expressè dicitur: *si quis juraverit, se du-*

ctu-

stuprum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem. Et hanc sententiam Sylvester *V. Sponsalia. q. 10. casu 7.* & D. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 16.* admittere videntur, casu quo sponsus nôrat, sponsam, cui matrimonium promisit, esse viduam, sed ignorabat fornicationem ejus præcedentem, ac esse viduam inhonestam.

Affirmativam propugnat Gutierrez *de Matrimon. c. 34. num. 2.* Sanchez *lib. 1. disp. 63. n. 2.* & Coninck *disp. 23. de Sponsal. dub. 7. n. 57.* sub quorum vexillo & ego merebor: quia sponsus ab initio sub tacita conditione contraxisse censetur; nisi aliqua mutatio considerabilis, sive physica, sive moralis supervenerit, aut detegatur: & sponsa pro virgine, aut honesta vidua se venditans dolum detestandum, & intolerabilem committit, ob quem sponsalia rescindi posse, constat ex dictis. Accedit, quòd paria sint in jure aliquid supervenire, & præcedere ignoranter; res etenim dicitur fieri, quando primò innotescit, arg. *c. pastoralis. de Except. & l. in lege. 77. ff. de Contrah. empt.* ergo sicut sponsus potest recedere à sponsalibus ob fornicationem subsequentem sponsæ, ita potest recedere ob fornicationem præcedentem, si fuerit antecedenter ignorata.

Textus ex *d. c. quemadmodum.* recitatus procedit, quando sponsus tempore sponsalium habuit notitiam fornicationis, vel quando postea ejusdem conscius factus ante contractum matrimonium sponsam carnaliter cognovit, tunc enim eandem ulteriùs sponsæ obiicere non potest, & quod semel placuit, ampliùs displicere non debet; arg. *l 13. §. ult.* ibi: *sero enim accusat mores, quos uxorem ducendo probavit. & l. 40. ff. ad Leg. Jul. de adult.* Displicet etiam proposita opinio Sylvestri, & Antonini, tenétque communior, quòd sponsus nequaquam teneatur ducere viduam inhonestam, tametsi sciverit esse viduam, dummodò ignoraverit ejus fornicationem præcedentem: quia & vidua ratione fornicationis, præsertim iteratæ, reddita est vilis, ac impudica, quam ducere sponso est dedecori. Navarr. *in Summa. c. 22. n. 17.* Coninck. *cit. num. 58. in fin.* Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 63. n. 5.*

Dubium tertium est: An etiam propter fornicationem, aut stuprum à sponso ante sponsalia commissum, & postea cognitum, sponsæ jus resiliendi competat? 73

Ita quidem probari videtur: quia in jure paria sunt, nunc sciri, & nunc esse, arg. *d. c. pastoralis. de Except. & l. in lege. ff. de Contrah. empt.* Atqui si fornicatio sponsi commissa est post sponsalia, sponsæ competit, jus resiliendi juxta communem, ergo etiam, dum post sponsalia innotescit quemadmodum eam ob causam jus hoc competere sponso evictum est, & comprobatum. Huc inclinat Navarrus teste Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 63. n. 7.*

Sanè non diffiteor, quòd sponsa propter fornicationem à sponso post sponsalia commissam resilire possit: licèt enim *c. quemadmodum cit.* solum loquatur de fornicatione sponsæ, rationes tamen ibidem allatæ quoque in fornicatione sponsi locum habent, ut facilè quisque exputabit; haud tamen idem jus sponsæ concedendum reor, si sponsus ante sponsalia lapsus fuit: siquidem sponsus per fornicationem præcedentem nec fidem frangit sponsalium, cùm tunc fides data nondum fuerit; nec grave dedecus ingerit sponsæ, cùm non æquè ignominiosum sit fœminæ nubere viro, qui aliam cognovit, ac probrosum est viro, ducere corruptam. Ita Bonacin. *de Matrim. q. 1. punct. 8. num. 1.* & Coninck *disp. 23. dub. 7. n. 62.* hâc additâ limitatione nisi sponsus frequentiùs lapsus sit, & se libidini planè mancipaverit: id enim redderet eum infamem, & magnopere suspectum de futura incontinentia.

Ad argumentum oppositum respondetur: majo-

majorem veram esse, quando eadem est ratio impedimenti, idémque inconveniens, sive illud præcedat, sive sequatur, ut contingit in lepra, morbo gallico, at in fornicatione sponsi antecedente sponsalia non est idem inconveniens, quod in subsequente: quia præcedens non est contra fidem sponsæ ratione sponsalium debitam, & non reddit sponsum suspectum de servanda matrimonii fide, ut subsequens; neque redundat in notabilem infamiam sponsæ, sicut hujus fornicatio præcedens in notabilem infamiam sponsi.

Dubium quartum est: num quoque à sponsalibus sponso, aut sponsæ resilire liceat, si uterque post contracta sponsalia fornicationem commisit?

Neutrum posse in tali casu à sponsalibus resilire, tenent Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *n.* 17. & Bonacin. *de Matrim. p.* 1. *punct.* 8. *n.* 6. *Primò:* quia delictum fornicationis unius compensatur cum delicto alterius. *cit. c. intelleximus.* 6. *de Adulteriis.* & periniquum esse videtur, ut pudicitiam vir ab uxore, vel sponsa exigat, quam ipse non exhibet. *l. si uxor* 13. §. 5. *ff. Ad Leg. Jul. de Adult. Secundò:* quia quando uterque conjunx post contractum matrimonium comisit adulterium, neuter potest facere divortium. *d. c. intelleximus.* ergo etiam, quando uterque sponsus post contracta sponsalia commisit fornicationem, neuter potest à sponsalibus resilire. *Tertiò:* quia sponsæ tali casu non licet resilire propter subsequentem fornicationem sponsi ergo idem nec licebit sponso ob naturam correlativorum, ob quam vir & fœmina quoad fornicationem subsequentem non judicantur ad imparia, & æquale utriusque jus est, *c.* 20. *causâ* 32. *q.* 5. *cap.* 1. *&* 2. *ead. causâ* 32. *q.* 6. *&* 9. 7. *c.* 3.

Reverend. Maurus Oberascher *de Sacram. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 1. §. 5. Gutierrez *de Matrim. c.* 31. *n.* 4. & Sanchez *lib.* 1. *disp.* 55. *n.* 9. asserunt, tali casu posse quidem resilire sponsum, non vero sponsam. Quibus accedo: tum quia detestabilior est libido sponsæ, quàm sponsi. & ideo quoque oscula amplexus, aut tactus impudici ex parte sponsæ, non vero ex parte sponsi admissi, jus resiliendi tribuunt. Diana *p.* 3. *Resol.* 283. cum aliis: tum quia ex fornicatione sponsæ grave damnum sponso imminet propter partûs suppositionem, & longè major ignominia est ducere defloratam, quàm fornicatori nubere.

Nec argumenta contraria hanc sententiam infringunt Nam, quod primum attinet, negatur, compensari posse fornicationem sponsæ cum fornicatione sponsi: quamvis enim fornicationes istæ ex se, & ex genere suo sint delicta paria, ex circumstantiis tamen sunt planè disparia, & plus mali ac infamiæ secum trahit fornicatio sponsæ, quàm sponsi; inter delicta autem imparia non est locus compensationi. Neque quòd ex *secundo* inferri posset, obstat, quòd inter conjuges adulteros fiat delictorum compensatio, & vir adulter nequeat dimittere uxorem adulteram, etsi ejus adulterium sit gravius, quàm viri: quoniam non eadem ratio est adulterii, & fornicationis à sponso commissæ, quandoquidem in adulterio, si ob id divortium decernitur, spectatur fides conjugalis, quæ æquè à viro, atque ab uxore violatur, cùm uterque per matrimonium ad eandem servandam æquè se adstrinxerit: in fornicatione autem sponsorum *in ordine* ad dissolutionem sponsalium non solùm spectatur fidei sponsalitiæ violatio, sed & infamia, aliáve damna, quæ ex ea sponsis resultant. Unde patet quoque solutio ad *tertium:* non enim potest in hypothesi sponsis competere jus æquale ad dissolvenda sponsalia, ex quo major in sponsa, quàm in sponso est fornicationis turpitudo, quæ quandoque sola, citra violationem fidei datæ, sufficit ad hanc dissolutionem, ut quando fornicatio sponsæ præcessit sponsalia; & ideò non admittit compensationem

post

post sponsalia, sicut eam non admittit ante sponsalia.

74 *Dubium* quintum est: quænam, & qualis probatio stupri, seu fornicationis requiratur ad hoc, ut ob eam sponsalia resolvi possint?

Sufficere probationem semiplenam, argues ex c. *dixit Dominus.* 2. *causâ* 32. *q.* 1. ibi: *ubicunque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur;* etenim si ob suspicionem uxor dimitti potest, multò magis potest non admitti: quia turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes. *d. c. quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* Et ex *c. præterea.* 12. *h. t.* ubi affinitas ad rescindenda sponsalia satis probatur per confessionem consanguinei, se cum sponsa peccâsse confitentis; si enim per unum testem, & quidem complicem, satis probatur affinitas illegitima, cur non etiam fornicatio?

Existimarem tamen, vix aliter ad dissolutionem sponsalium procedi posse, quàm si de stupro, seu fornicatione constet vel ex indubitatis indiciis, puta deprehensione in rebus veneris, uteri gestatione, & partûs exclusione, vel per ipsius vitiatæ propriam confessionem, vel per testes fide dignos, aliásve plenas probationes. arg. *l. fin. C. de Prob.* sponsam namque fuisse & esse virginem præsumitur, donec contrarium plenè probetur. Panorm. in *c.* 1. *de Adult.* Zypæus *de Sponsal. c.* 13. §. 50. & 51. Schneidewin. *ad instit. de Nupt. p.* 4. *n.* 61. Limita: nisi fama, vel infamatio communis de fornicatione per se gravem mutationem secumtrahat; tunc quippe citra plenam probationem sponsalia dissolvi posse, notat Zypæus *h. t. consult.* 1. adjecto salubri monito, ne Judex rumores & detractiones malitiosè matrimonium impedire volentium pro fama, & infamia recipiat.

Jura opposita parùm stringunt: enimverò *c. dixit Dominus.* 2. *causâ* 32. *q.* 1. procedit, si præsumptio tam violenta est, ut pro veritate habeatur, interprete Glossâ *ibid. V. suspicio.* quam allegat, & sequitur Sanchez *de Matr. lib.* 10. *disput.* 12. *n.* 41. *C. præterea.* 12. *h. t.* solummodò obtinet, quando agitur de impedimento dirimente: tunc enim, quia agitur de peccato, & salute animæ, nec est in potestate contrahentium cum tali impedimento matrimonium contrahere, esto velint, meritò tutior via incedenda, & semiplena probatio recipienda est. Secus est, si sponsus sponsam propter fornicationis suspicionem repudiare velit, tunc enim, quia non agitur de peccato, nec de valore Sacramenti, sed tantùm de jure privatorum hominum, more solito asserenti incumbet probatio, & si is intentionem suam sufficienter, ac plenè probare nequeat, pro eo præsumetur, & judicabitur.

Quartò demum universim à sponsalibus 75
recedi potest, quando ex parte alterius notabilis mutatio supervenit, aut saltem ex postfacto talis rerum status detegitur, ut si res tempore contractûs sponsalium ita fuisset, aut si jam fuerit, ita cognita fuisset, sponsus non fuisset contracturus, licèt nullus dolus, sed sola ignorantia intervenerit. Ratio punctualis est: quia sponsalibus tacita inesse censetur conditio: *si res in tali statu maneant, aut ita sint, uti apparent*, prout communiter tradunt DD.

In specie verò mutationes ejusmodi notabiles, ob quas à sponsalibus recedere licet, plures sunt, & contingunt vel in bonis animi, vel in bonis corporis, vel in bonis fortunæ.

Ob mutationem *in bonis animi* sponsalia 76
rescindi possunt: I. Si alterutra persona desponsata post celebrata sponsalia à religione catholica desciscat in hæresim aut perversam aliquam sectam: quia matrimonium cum tali vix sine gravibus difficultatibus rixarum, & aliorum malorum periculis iniretur. Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsal. p.* 1. §. 7. *num.* 25. II. Si sponsus, aut sponsa crimen læsæ majestatis,

jestatis, veneficium, lattocinium, homicidium, adulterium, falsum, rapinam, furtum, & aliud id genus crimen, ac flagitium committat, ex quo infamia juris, aut facti irrogatur: cùm innocens sibi integræ famæ sponsum, vel sponsam desponderit, eáque intentione fidem dederit, ut honesto, aut honestæ conjungeretur. *l.* 5. *C. de Sponsal. l.* 8. *§.* 2. *C. de Repud.* Gutierrez *de Matrim. cap.* 32. *num.* 3. III. Si sponsus ex sobrio ebriosus, ex homine rem familiarem rectè curante prodigus, aleator, aliisque vitiis deditus evadat, ita ut metuenda sit contracto jam matrimonio indubia dilapidatio facultatum sponsæ, & exinde secutura inopia. *l.* 5. *§.* 1. *C. h. t.* Sanchez *lib.* 1. *de Matr. disp.* 63. *in fin.* Coninck. *disp.* 23. *dub.* 8. *n.* 67. IV. Si sponsus asper moribus, & admodum severus appareat: absurdum enim videtur, ut illi compellantur ad ineundum matrimonium, qui post consummationem ejus divortium quoad torum, & mensam petere non prohibentur. *c. literas. in fin. de Restit. spoliat.* Nec obstat, quòd in *c. veniens. 5. Qui Clerici, vel voventes*, dicitur, mulierem, quæ plura audierat de sponsi sævitia, ideóque ei noluit copulari, *fidem violasse*: nam ibi supponitur, mulierem id non certò cognovisse, & nimis leviter crèdidisse. Panormit. in *d. c. veniens. num.* 2. V. Si inter sponsos implacabile odium, vel graves inimicitiæ post sponsalia vel inter parentes, aut propinquos sponsorum subortæ sint, ita ut verisimile sit, nuptias illas materiam cædibus, vel adulteriis daturas, & perpetuas rixas, ac jurgia excitaturas tam inter futuros conjuges, quàm ipsorum parentes, ac consanguineos: tunc enim melius est, in tempore occurrere, & sponsalia rescindere, quàm sponsos cum magno suo damno ad ineundum matrimonium adigere per *c.* 2. *&* 17. *h. t.* adhibitâ tamen diligenri circumspectione: quia sæpe, ut inquit Sanchez *d. l.* 1. *disp.* 14. *num.* 3. *circa fin.* variæ minæ jactantur, terrorésque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ experientiâ teste, ubi deferbuit ille impetus, & matrimonium celebratur, in nihil recidunt, facilé. que animi conciliantur, & sedatur omnis tempestas.

Mutatio *in bonis corporis* pro justa causa77 dissolvendi sponsalia habetur. I. Si sponsa, aut sponsus post sponsalia reperiatur correptus leprâ, paralysi, epilepsiâ, lue gallicâ, pthysi, phrenesi, alióve morbô contagiosô, & incurabili per *c. quod proposuisti.* 18. *causâ* 32. *q.* 7. *c. fin. de Conjug. leprof.* D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 3. Navarr. *in Sum. c.* 22. *num.* 27. *casu.* 8. Idem dixerim de hydrope, ut quæ de Medicorum sententia insanabilis est; & de graveolentia oris, seu halitûs fœtore, quando ex aliqua humorum intemperie accidit, & arte medicâ illi subveniri non potest. Patrit. Sporer *de Matrim. num.* 217. Secus, si quis quartanâ, vel alio morbo laboret, quamvis periculoso, dummodo sanabilis sit, & non contagiosus, ut ostendit praxis quotidiana. II. Si alteruter ex sponsis incidat in vitium corporis, quod deformitatem insignem affert, ut si cui nasus præcidatur, aut oculus eruatur; vel impedimento est laboribus, & operis, quibus victus & amictus emparandus, ut si quis claudus, surdus, vel cæcus fiat, aut alteram manum, vel pedem amittat, per *c. quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* Patrit. Sporer *d. n.* 217. non obstante *c.* 18. *causâ* 32. *q.* 5. quia in illo agitur de dissolvendo matrimonio, hic verò de sponsalibus, quæ sunt tantùm aditus ad matrimonium, & ideo facilius dissolvuntur re adhuc integrâ. III. Si sponsa tempore sponsalium pulcherrima, postea notabiliter deformis evadat, præsertim casu, quo sponsæ mediocris, ac plebeiæ conditionis formosa facies in sponso divite, aut illustri, vel nobili

bili similitâ prognato sola amoris causa extitit, & alias extra hunc respectum sponsalia contracta non fuissent Sanchez *lib. 1. de Matrimon. disput.* 27. *n.* 4. Ferdinand. de Castropalao *disput. 2. de Sponsal. punct. 27. num. 5.* Quibus contradicit Novarr. *lib. 4. Decretal. p. 1. c. 5. n. 6.* Gutierrez *de Matrim. c. 32. num. 5.* Certè in sponso corporis pulchritudo non adeò curatur, sed animi prudentia, & compositi ad virtutem mores spectantur. Dicastillo *tr. 10. de Matrim. disp. 1. dub. 40. num. 592.*

78 Ob mutationem *in bonis fortunæ* dissolutio sponsalium locum invenit, quando sponsa, aut parentes ejus ob paupertatem subsecutam, vel ob grande æs alienum contractum, promissam dotem præstare nequeunt: quippe promissio dotis est veluti conditio, quâ deficiente etiam circa sponsæ culpam cessat sponsalium obligatio. Laymann in *Theol. mor. lib. 5. tr. 10. c. 2. n. 18.* Menoch. *de Arbitr. lib. 5. casu 455. num. 6.* Quod multò magis procedit, quando expressis verbis conditio hæc adjecta fuit, si tantùm, vel tot aureos mihi in dotem dederis. *cap. de illis, 3. de Condit. appos.* Imò idem dicendum, quando dos nulla constituta est, vel quando sponsus sive suo vitio, sive infortunio facultatibus deficit, vel quando uterque in paupertatem incidit: cùm in promissione matrimonii ex parte utriusque maximè attendatur ad patrimonium alterius, an amplum sit, vel exiguum, ac sufficiens ad onera matrimonii sustentanda, ac perinde promissio illa sub illo statu divitiarum facta intelligatur. Panormit. in *c. quemadmodum de Jurejur. n. 10.* Basil. Pont. *lib. 12. c. 17. num. 8.* Quòdli, altero ex sponsis in eodem statu permanente, alteri ingentes divitiæ, ac honores, & dignitates accrescant, verius est, sponsalia dissolvi non posse: eò quòd auctis divitiis, & honoribus non varietur respectus in celebratione sponsalium ad alterum habitis, ut qui in eodem statu perseverat, nec ulla prorsus ratione mutatur. Ferdinand. de Castropal. *d. disp. 2. punct. 29. n. 6.* Bonacin. *de Matr. q. 1. punct. 8. n. 13.* Coninck *disp. 23. dub. 7. num. 69.*

Ea tamen, quæ diximus, unanimi DD. sen- 79
su eò restringuntur, nisi post talem causam supervenientem, vel de novo cognitam, sponsalia, antea valida, expressis verbis, aut ipso facto, præsertim copulâ carnali, sint ratificata. Quare si sponsus, cognitâ causâ recedendi, sponsam carnaliter cognoverit, audiendus non est, si postmodum resilire velit: censetur enim jus rescindendi sponsalia remisisse. arg. *l. si uxor. 13. ff. Ad Leg. Jul. de Adult.* Patrit. Sporer *de Matrim. n. 219.* Gutierrez *c. 33. n. 9.* Laymann *d. c. 2. n. 20.*

Pro colophone adhuc venit decidenda *quæ-* 80
stio: num ad dissolvenda sponsalia ob causas hactenus recensitas Judicis Ecclesiastici sententia accedere debeat, vel an desponsati propriâ auctoritate à se invicem discedere possint?

Videbitur fortassis ad dissolvenda sponsalia Judicis Ecclesiastici auctoritatem omnino esse necessariam. *Primò:* quia in *c. de illis 7. de Desponsat. impub.* cautum est, ut impuberes, qui adveniente pubertate reclamant, judicio Ecclesiæ ab invicem separentur. *Secundò* propter dispositionem *c. duo pueri. 12. Eod.* ubi cuidam ad tempus pœnitentia imponitur, qui pro sua opinione, judicio Ecclesiæ irrequisito, à sponsalibus recessit. *Tertiò:* quia absque judicio Ecclesiæ etiam propter causam notoriam, v. g. affinitatem non licet dimittere uxorem. *c. porro. 3. de Divortiis.* ergo neque sponsam. Ita Innocent. in *d. c. de illis.* & cum limitatione: *nisi fortius vinculum superveniat, nempe matrimonium cum alio, vel votum solenne.* Glos. *ibid. V. judicio Ecclesiæ.*

Sed magis arridet sententia communis,

sustinens, sponsos propriâ auctoritate recedere posse à sponsalibus quâ publicis, quâ privatis; à publicis quidem, si causa dissolutionis sit notoria, & de jure certa, ac expressa, à privatis autem, etiamsi causa sit occulta, modò justa sit, & certa: habent enim sponsalia imbibitam tacitam conditionem: *nisi justa causa dissolutioni intervenerit:* quâ proinde interveniente eò ipsò quasi cessat obligatio sponsalium, & consequenter sicut in aliis contractibus liber recessus conceditur. P. Engl. *h. t. §. 3. n.* 12. Sylvester *V. Sponsalia. q.* 11. Navarr. *in Sum. c.* 22. *q.* 28. Aliud est, si de veritate vel sufficientia causæ dubium sit: tunc enim propriâ ac privatâ auctoritate sponsalia dissolvere non licet: cùm quilibet sponsus vi contractûs sponsalitii sit in possessione juris acquisiti, ut fiat, quod promissum est: in dubio autem nemini licet propriâ & privatâ auctoritate alterum de possessione sui juris deturbare, sed ad hoc decidendum requiritur legitima juris, & Ordinarii authoritas. Sanch. *l.* 1. *de Matrim. disp.* 69. *n.* 8.

Ad jura opposita facilis est responsio. Nam *c. de illis.* 7. *de Desponsat. impub.* non præcipit, ut reclamatio fiat coram Ecclesia, & ejusdem judicium exspectetur, sed solùm dicit, quòd si impubes factus pubes reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiæ separari possit. *Cap. duo pueri.* 12. *Eod.* non loquitur de recessu à sponsalibus ex legitima causa, sed de recessu à matrimonio de præsenti, & quidem absque causa, ut bene ponderando textum notat Sanchez *d. disp.* 69. *in fin.* Ad *tertium* respondetur, non valere in præsenti argumentum à matrimonio ad sponsalia; quia divortium ex causa adulterii habet rationem pœnæ, consequenter non à privato, sed à Judice infligi debet; in aliis verò casibus quibuscunque non est in potestate conjugum, utut ambo velint, & impedimentum agnoscant, se separare.

De Arrhis, sponsalitia largitate, aliisve accessoriis sponsalium plenâ manu tractabimur infra in *Titulo XX. de Donationib. inter vir. & uxor.*

Pars II.
De Matrimoniis.

SUMMARIA.

81. 82. 83. Matrimonium quid nominis? 84. An contrahi possit inter fideles præcisè in ratione contractûs? 85. Quid rei sit?

86. 87. 88. Dividitur matrimonium in legitimum, ratum, & consummatum. 89. 90. Item in verum, præsumptum, & putativum. 91. Quid sit matrimonium ad Morganaticam?

92. Qua sit origo institutionis matrimonii? 93. Quantùm circa id valeant leges civiles?

94. Usque 100. Inter quas. 100. 101. & per quas personas matrimonium contrahi possit?

102. Quod sit objectum proprium consensûs matrimonialis?

103. Forma matrimonii consistit in consensu de præsenti. 104. Vero. 105. 106. libero. 107. 108. 109. per verba, literas, aut aliud signum manifestato. 110. 111. 112. An ad contrahendum matrimonium consensus Parentum adhibendus sit?

113. Assignatur finis matrimonii. 114. 115. 116. Exponuntur effectus communes utrique conjugi. 117. 118. Effectus proprii Marito. 119. 120. 121. Item proprii uxori.

122. Impedimenta matrimonii alia sunt impedientia, alia dirimentia. 123. 124. 125. Penes quos resideat potestas constituendi impedimenta? 126. 127. Quinam in iis possint dispensare? 128. Quomodo matrimonium nulliter contractum reconvalidetur?

SPonsalia justo ordine, & methodo subsequitur *Matrimonium:* de honestate namque illa hoc præcedunt. *c.* 39. *causâ* 27. *quæst.* 2. *cap.* 3. *causâ* 30. *quæst.* 5.

§. I.

Matrimonium communiter deducitur à *Matre*, vel quòd in eum plerumque finem fœmina nubat, & viro societur, ut mater fiat. Gloss.

Gloss. *in* §. 1. *Instit. de Patr. potest.* vel quòd mater plus oneris sustineat in matrimonio, quàm pater, ut quæ liberos parere & educare cogitur: etenim ut Canonum verbis utar, *infans matri ante partum est onerosus, in partu dolorosus, & post partum laboriosus. c.* 2. *de Convers. infidel.*

§. II.

12 *Synonyma* Matrimonii sunt *consortium, conjugium & connubium*, seu *nuptiæ. Consortium* appellatur matrimonium, quòd omnis Divini, & humani juris communicationem inducat, atque vir & mulier ejusdem sit sortis, ac conditionis. *l.* 1. *ff. de Ritu nupt.* §. 1. *&* ibi DD. *Instit. de Patria potest. Conjugium*, à jugo denominatione factâ, eò quòd conjuges virillius, veluti jugo copulentur, & conjungantur, ita ut in unum coalescant, non tam corpore, quàm animo. *c.* 5. 6. *&* 7. *causâ* 27. *q.* 2 *Connubium*, seu *nuptiæ* ab obnubendo, quòd olim puellæ pudoris gratiâ flammeo, seu velamine rubri coloris caput obnuberent, & operirent, dum viris tradebantur. *c.* 7. *&* 8. *causâ* 30. *q.* 5. Unde hodiedum nomine nuptiarum ordinariè potiùs solennitas, ac celebritas illa venit, quæ contractui matrimoniali conjungitur, ac certis temporibus per sacros Canones prohibetur. *cap.* 4. *de Feriis.* Trid. *sess.* 24. *de Reform. matrim. c.* 10. quàm contractus matrimonialis, qui nullo tempore interdicitur. P. Engl *h. t.* §. 1. *n.* 8. Germanicè matrimonium Ehe/ Ehe-Stand/ Ehlichen Stand/ & nuptiarum solennitates Hochzeit/ Beyschlaff/ Beylager/ Kirchgang/ nuncupant.

§. III.

13 Sumitur *Matrimonium* vel præcisè pro contractu civili, quo inter virum, & mulierem mutua corporum potestas traditur in ordine ad copulam conjugalem, & consortium vitæ communis; vel pro Sacramento, quo viro, & mulieri legitimo modo copulatis gratia confertur ad perpetuam vitæ consuetudinem mutuò peragendam: siquidem matrimonium baptizatorum esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, post Concilium Florentinum *in Decreto Unionis* novissimè definivit Trident. *in sess.* 7. *de Sacram. in gen. can.* 1. *&* *in sess.* 24. *de Reform. matrim. can.* 1. atque contra Hæreticos egregiè firmat Reverendiss. Maurus Oberascher *p.* 2. *de Sacram. tr.* 2. *c.* 2. §. 1.

Juvat hìc *disquirere*: num valeat matrimo- 84
nium in ratione contractûs, si fideles intendant illud contrahere, non tanquam rem sacram, sed solùm ut contractum.

Negat cum Palao *disp.* 2. *de Sponsal. p.* 2. *n.* 5. pars major Theologorum, eò quòd Concilium Florentinum, & Tridentinum indefinitè, ac generaliter definiant, matrimonium fidelium esse Sacramentum, consequenter omne matrimonium comprehendat, nec possit dari verum matrimonium, quod non sit Sacramentum. Deinde quia contractus matrimonii inter Christianos ex institutione Christi intrinsecè, & necessariò est Sacramentum. Ergo fideles, qui intendunt verum contractum matrimonialem inire, intendunt etiam Sacramentum conficere, nec possunt rationem Sacramenti à ratione contractûs sejungere. Maximè verò propter absurda, quæ ex oppositâ sententia fluunt: *primum*, quòd eâ suppositâ licitum esset fidelibus matrimonia celebrare in ratione contractûs, & non in ratione Sacramenti, cùm nulla lex Divina, vel humana ostendi possit, quæ eos adstringat ad utrumque conjungendum, si hæ duæ rationes verè separari queant. *Alterum*, quòd pleraque matrimonia hæreticorum, vel cum hæreticis contracta puri contractus, & neque sacramenta forent, neque magis indissolubilia, quàm matrimonia infidelium, ut qui Sacramenti rationem nec credunt, nec intendunt.

Malo tamen cum Dicastillo *de Matrimon. disp. 2. n.* 191. Bonacin. Hurtad. Diana, & aliis citatis in affirmativam deflectere, & ideo, quia juxta Florentinum *in Decreto Unionis.* §. *5. omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis, tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Ergo si conjuges, qui sunt Ministri Sacramenti Matrimonii, non habent intentionem conficiendi Sacramentum, sed tantùm civilem contractum, talis contractus, esto validus, revera Sacramentum non erit. Neque ulla authoritas, aut ratio cogit asserere, Christum ita separabiliter utramque rationem conjunxisse, ut deficiente ratione Sacramenti deficiat etiam contractus, quandoquidem contractum non annullavit, sed ei in sua natura relicto solùm addidit dignitatem Sacramenti. Sicut igitur ablutio baptismalis, licèt Christus eam elevaverit ad esse Sacramenti, deficiente in Ministro intentione, manet in ratione naturalis ablutionis, non in ratione Sacramenti, ita pariter, si in contrahentibus matrimonium deficiat intentio faciendi rem sacram, quando aliàs voluerunt ponere contractum civilem, matrimonium valebit in ratione contractûs, non in ratione Sacramenti.

Ex quibus facilè est respondere ad argumenta contraria. Ad *primum* dicitur, Concilia, dum absolutè matrimonium fidelium Sacramentis accensent, supponere, ac loqui de matrimonio celebrato cum debita intentione. Ad *secundum* negatur, ex institutione Christi contractui matrimoniali rationem Sacramenti esse intrinsecam & illum sine ista intendi non posse, cùm prior sit ratio contractûs, quàm ratio Sacramenti; quamobrem etsi Christus omnem legitimum contractum matrimonii inter Christianos in Sacramentum instituerit, consistere tamen potest absque Sacramento, si deficiat intentio requisita, ut patet exemplo Baptismi. *Absurda* quod attinet, ea perperam inferuntur. *Primum*, quia posità institutione Christi, & elevatione matrimonii fidelium ad esse Sacramenti, lex naturalis inhibet absque ratione Sacramenti celebrare, & actionem Sacramentalem irritare ex defectu intentionis. *Alterum*: quia ad celebrandum matrimonium, ut Sacramentum, necessaria non est explicita, & expressa intentio, sed sufficit confusa, implicita, ac generalis contrahendi modo, quo Christus instituit, vel fieri voluit, quam intentionem, non obstante errore privato, præsumuntur habere hæretici, dum vel inter se, vel cum Catholicis matrimonium ineunt, nisi apponant alium actum positivum oppositum, quo renuunt facere Sacramentum, sed solùm volunt contractum inire; quod rariùs accidere probat Gobat *in Theolog. exper. tr.* 9 *casu* 11. *sect.* 2. *n.* 233. *& seqq.* contra Marchant. *in Tribun. tom.* 3. *tr.* 1. *tit.* 6.

§. IV.

Definitur Matrimonium, quòd sit *viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.* §. 1. *Inst. de Patria potest. in Sum. causâ* 27. *q.* 2. *c. illud.* 11. *de Præsumpt.* Verùm hæc definitio, utut communis, & utroque jure recepta sit, non est essentialis, sed tantùm descriptiva; cùm prædicta conjunctio non sit ipsa matrimonialis contractûs essentia, sed primarius effectus illius. Accuratiùs definiri potest, quòd sit conventio, quâ mas, & fœmina sibi jus tradunt in corpora sua ad usum humanæ generationis. Dicastillo *tr.* 10. *de Matrim. disp.* 2. *dub.* 1. *n.* 8. Clariss. D. Gletle *in Methodico compendio Instit. ad lib.* 1. *tit.* 10. *n.* 8.

§. V.

Dividitur Matrimonium I. in legitimum, 86
ratum, & consummatum.

Legitimum dicitur quod legitimo, & naturali tantùm consensu contrahitur, nec Eccle-

siæ

sæ ratificationem, aut rationem Sacramenti habet; quale olim fuit in Lege naturæ, & Mosaica, ac hodie apud Judæos,& Gentiles. *c. fin. ¶. item illud. causâ* 28. *q.* 1. *c. quanto ¶. nam etsi. de Divortiis.* Clariss. D. Gletle *loco cit. n.* 9.

17 Matrimonium *ratum* est illud, quod juxta sacros Canones contractum, & ab Ecclesia approbatum est, ac insuper rationem Sacramenti participat, nondum tamen secutâ copulâ carnali; quale inter fideles tantùm locum habet, non inter infideles, ob defectum baptismi, velut januæ omnium Sacramentorum, ut docuit Innocent. III. *in d. c. quanto. ¶. nam etsi:* ubi ait: *etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum, & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum. ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.*

18 Matrimonium *consummatum* nuncupatur, quod perfectum, & completum est subsecutâ copulâ maritali, per se aptâ ad generationem prolis; qualis ut sit, semen virile intra vas naturale mulieris immitti, ac recipi necessum est. arg. *c. extraordinaria.* 11. *causâ* 35. *q.* 3. Nil tamen refert, sive id fiat per commixtionem utriusque carnis, sive alio quocunque modo, vel arte Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 21. *n.* 2. cum communi. An verò ipsa etiam mulier seminare, seminúmque commixtio fieri debeat? nostris, ut dicitur, aqua hæret, ejúsque resolutio pendet ex illa controversia Philosophica, ac Medica: num semen fœmineum ad generationem requiratur? in qua tam affirmativa, quàm negativa rationes, ac Patronos invenit.

Subtilior, quàm utilior *quæstio* est: utrùm matrimonium consummetur per copulam intra bimestre vi extortam.

Affirmativam cum innumeris tuetur Sanchez *lib.* 2. *disp.* 22. *n.* 4. eámque tanquam certam tenendam existimat, hâc potissimùm ratione nixus, quòd copulâ carnali etiam vi extortâ conjuges efficiantur una caro, & ex tali copula nascatur affinitas: quæ non nascitur nisi ex matrimonio consummato. *c. discretionem. 6. & ibi* Barb. *num.* 5. *De eo, qui cogn. consang. Ux. sua.*

Hanc communem esse, minimè diffiteor: num certa sit? est, quod dubitem: nam *primò* matrimonium consummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, ut ipse Sanchez *cit. lib.* 2. *disp.* 13. *n.* 1. *&* 7. probat, quæ est indissolubilis; sed istam unionem ea solùm copula repræsentare potest, quæ est voluntaria, siquidem unio Christi cum Ecclesia omnino voluntaria est. *Secundò* matrimonium ratum, quatenus est repræsentativum conjunctionis animæ fidelis per charitatem cum DEO necessariò consensum requirit. Ergo etiam matrimonium consummatum, quatenus est repræsentativum unionis Christi cum Ecclesia per carnem, consensum requirit. Ad hæc, tunc in esse consummati matrimonium per copulam constituitur, quando per actum justitiæ commutativæ conjux petit, & reddit, quod debet; atqui hoc non contingit, si intra bimestre à die contracti matrimonii copula extorqueatur: cùm unus alteri ante lapsũ duorum mensium non debeat, & debitum tantùm sit conditionale, sub hac scilicet conditione: *nisi intra bimestre Religionem ingrediar.* Quæ rationes sententiam negativam saltem probabilem esse evincunt, eámque defendunt quàm plures cum nostro Panormitano *in c.* 2. *de Convers. coniug.*

Neque urget ratio in contrarium adducta: non enim sufficit, quòd Conjuges copulâ vi extortâ una caro efficiantur, indéque oriatur impedimentum affinitatis, quoniam etiam *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* 1. *ad Corinth.* 6. ¶. 16. & ex quavis copula

copula illicita oritur impedimentum affinitatis *t. t. De eo, qui cogn. consang. ux. suæ.* Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matr. c.* 4. sed talis sit copula, oportet, quæ fiat per debiti redditionem, quæque repræsentativa unionis Christi cum Ecclesia existat.

Porro in foro externo matrimonium consummatum censetur, quando sponsa non virgo traducta est in domum viri: etenim se cognovisse præsumuntur, nec illis in contrarium creditur, etsi jurent arg. *c. super eo* 5. *De eo, qui cogn. consang. uxor. suæ.* Si verò virgo erat, & postmodum aspectu talis appareat, tametsi in domum viri fuerit traducta, creditur matrimonium non consummâsse, ex quo quælibet præsumptio cessat, vilu contrarium probante. Hostiens. *in Summ. tit. de Convers. conjug. n.* 9. Gutierrez *de Matrim. c.* 54. *in fin.*

Dividitur Matrimonium in verum, præsumptum, & putativum.

39 Matrimonium *verum*, prout opponitur præsumpto, est, quod nititur legitimis probationibus. Probatur autem matrimonium iis modis, quibus aliàs civilia negotia probari solent, speciatim verò *imprimis* per attestationem Parochi affirmantis in sua prælentia & testium matrimonium fuisse contractum: hic enim, tanquam de re ad suum officium spectante attestans, plenam fidem meretur. Rota. *dec.* 610. *n.* 3. & *dec.* 661. *n.* 4. *p.* 4. *tom.* 1. *in Recent. Secundò* per duos testes etiam fœminas bonæ famæ, aut parentes, aliósve consanguineos, nisi contrahentes sint disparis conditionis, & alter alterum divitiis, vel nobilitate præcellat. *c. super eo.* 23. *de Testib.* & ibi Panormit. *Tertiò* ex Partita Curati. seu libro Matrimoniorum, qui etiam mortuis Parocho & testibus plenè probat matrimonium, utpote ratione officii scriptus. Rota *dec.* 750. *n.* 10. *p.* 1. *Divers.* Mascard. *de Prob. concl.* 672. *n.* 18 *Quartò* matrimonium probatur ex confessione conjugum, vel nominatione, hoc est, quando vir, & mulier se invicem compellant conjuges, maritum & uxorem. Panormit. in *c. lator. Qui filii sint. leg.* vel si in literis invicem datis usi sint nominibus conjugum, Paris. *consil.* 55. *n.* 1. *lib.* 4. Coras. *lib.* 3. *Miscell. jur. c.* 4. *n.* 7. *Quintò* ex diuturna cohabitatione maris, & fœminæ honestæ. *l. in libera.* 24. *ff. de Ritu nupt.* præcipuè si accedant alia adminicula, nempe promissio dotis unà cum sponsalibus, licentia Ordinarii de contrahendo matrimonio per verba de præsenti in domo privata, remissio publicationum, aut præstatio alimentorum. Rota *decis.* 444. *n.* 2. *coram Card. Cavalerio.* Felin. in *c. illud. n.* 10. & 11. *de Præsumpt. Sextò* probatur matrimonium etiam ex eo, quòd mulier usa sit vestibus, quibus aliæ nuptæ uti solent. Alex. *consil.* 151. *n.* 10. *lib.* 5. item ex eo, quòd maritus ob mortem mulieris induatur vestibus funeralibus. Cephal. *Consil.* 435. *n.* 66. & 67. Gregor. XV. *decis.* 248. *n.* 8. *Septimò* probatur ex publica voce, & fama junctis adminiculis. *d. c. illud.* & ibi Panormit. *num.* 4. *de Præsumpt.* Puteus *dec.* 173. *lib.* 2. Rota *decis.* 273. *n.* 11. *p.* 4. *Divers.*

Obiter tamen hic noto, ad probandum matrimonium in ordine ad legitimitatem liberorum, aut successionem sufficere probationes leviores. Panormit. in *d. c lator. n.* 6. *Qui filii sint. leg.* Mascard. *de Prob. concl.* 1019. *n.* 6. 7. & 15. concludentes autem adinstar causarum criminalium requiri, ubi agitur de dirimendo matrimonio jam contracto, vel de præjudicio alterius matrimonii seu adimpugnandum, & labefactandum aliud matrimonium. *c. licet.* 47. *de Testib.* Rota *decis.* 209. *n.* 1. *p.* 1. *Divers.* & *dec.* 147. *n.* 2. *p.* 1. *in Recent.* Mascard. *ubi supra n.* 4. & 10.

Præsumptum matrimonium dicitur, de quo non nisi ex præsumptionibus constat. Præsumunt autem Jura antiqua matrimonium *primò.* quando sponsalia, absolutè inter duas per-

personas ad contrahendum habiles inita, secura est copula carnis: quia non creditur, sponsum animô libidinosô & peccandi causâ cum sponsa concubuisse. *c.* 15. & 30. *h. t.* aliud dicendum de subsecutis amplexibus, osculis, ac etiam nisu ad copulam. *c. fin. & ibi* Interpp. *Ead. Secundò*, quando sponsalia contracta sunt sub conditione honesta de futuro, & ante conditionis eventum intercessit commercium carnale: quia Ecclesia præsumit, talem recessisse à conditione, adeóque voluisse purè & absolutè contrahere matrimonium. *c. per tuas. 6. de Condit. apposit. Tertiò*, si impuberes contraxerunt sponsalia de præsenti, quæ juris interpretatione sunt sponsalia de futuro, & post ætatem perfectam supervenerunt signa aliqua, ut oscula, amplexus, munera, annuli subarrhatio, cohabitatio, & similia. *c. un. §. idemque quóque de Desponsat. impub. in* 6. ubi Pontifex ait, per adventum pubertatis ejusmodi sponsalia non transire in matrimonium de præsenti, nisi *per carnis copulam subsecutam, vel* NB. *per aliquem modum alium* contrahentes in eadem voluntate perseverare consiterit evidenter. Gloss. *ibid.* Decius in *consil.* 605. *n.* 6. Dissentit Covarr. in 4. *Decretal. p.* 1. *c.* 4. §. 2. *n.* 4.

Hodie, postquam Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. matr. cap.* 1. §. *qui aliter* sustulit matrimonia clandestina, & ad cujuscunque valorem exigit præsentiam Parochi & duorum testium, in illis locis, ubi illud promulgatum, & receptum est, præsumptum matrimonium fermè cessat; Gutierrez *de Matrimon. c.* 70. ubi verò promulgatum, ac receptum non est, observanda sunt antiqua jura: cum lex non recepta non liget, ut docui ad *Tit. de Constit. n.* 21. cujus nondum me pœnitet.

Matrimonium *verum*, prout opponitur putativo, est illud, quod verè initum est inter personas habiles ad contrahendum cum omnibus solemnitatibus, & requisitis. *Putativus* nuncupatur, quod de facto bona fide in facie Ecclesiæ celebratum est, sed ob latens aliquod impedimentum juris subsistere non potuit. Ad quod duo sunt apprimè necessaria. *Primò*, ut contrahatur cum bona fide, saltem ab uno ex conjugibus ignaro impedimenti. *c. ex tenore.* 14. *Qui filii sint legit.* ita tamen, ut bonam fidem neque error juris, neque dubitatio circa valorem matrimonii excludat. Covarr. in 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 8. *§.* 1. *n.* 9. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. disput.* 41. & in dubio hæc bona fides præsumatur. Gutierez *de Matrim. cap.* 71. *num.* 4. *Secundò*, ut matrimonium contrahatur publicè, ac in facie Ecclesiæ, id est, præmissis, aut saltem dispensatis legitimè denuntiationibus, & coram Parocho, ac testibus juxta dispositionem Trident. *loc. cit.* vel coram amicis, aut consanguineis juxta jus commune in *c. fin. §. si quis verò de Cland. desponsat.* Alioquin, si matrimonium clandestinè celebretur, præsumitur scientia impedimenti. arg. *l. fin. ff. de Ritu nupt.* Menoch. *de Præsumpt. lib.* 5. *præsum.* 3. *num.* 107.

Politici, & Feudistæ inter species matrimo- 91
nii referunt matrimonium *ad morganticam*, seu *Lege Salicæ* contractum; quod nil aliud est, quam legitima conjunctio viri illustris cum fœmina inferioris conditionis, eô pactô inita, ut uxor, & liberi inde nati dono nuptiali (quod *morgengaba*, & corruptè *morganatica* dicitur) vel alia certa portione tempore sponsalium destinata sint contenti, & à cæteris bonis avitis, ac paternis unà cum titulis, dignitatibus, & insignibus abstineant per text. in *tit.* 29. *Feud.* 2. Ubi incidenter

Quæritur I. Anne licitum sit ejusmodi pactum, ac conventio? Et quòd licitum sit, vix dubito: quoniam nullam præfefert turpitudinem, sed honestas ejus satis ex fine relucet, qui est, ut conserventur familiæ illustres, ac bona avita, liberisque prioris matrimonii aut

agnatis per divisionem bonorum non contingat præjudicium, ipse verò maritus in peccato, seu illicito concubitu vivere non cogatur. *d. t. 29. feud. 2.* Nec inde ipsi substantiæ matrimonii quid decedit, sed ea, quæ ducitur, fit uxor, & manet legitima, liberi nascuntur legitimi, & solùm amputantur nonnulli effectus civiles, ut scilicet uxor non coruscet radiis mariti, ut filii dignitatis, & ditionum paternarum non sint compotes, ac familiæ paternæ insignibûs non utantur. Et quamvis jus naturæ liberis paternam hæreditatem propter jus suitatis addicat, ut inde legitimam vitæ sustentationem habere possint per *l. 7. ff. de Bonis damnat.* attamen nullam certam quantitatem pro legitima determinat, nec proinde repugnat, quin secundùm mores hodiernos, & receptam in Imperio consuetudinem illustres liberi ex matrimonio morganatico nati pactô à paterna hæreditate excludi queant, assignata bonorum parte locô alimentorum. Idipsum quóque confirmant exempla virorum illustrium, qui matrimonia ad morganaticam ex justa statûs ratione, & familiæ conservandæ causâ contraxerunt, quorum meminit Nicol. Myler. ab Ehrenbach in *Genealog. Personar. Illustr. c. 6. n. 12. & 13.*

Quæritur II. Utrùm Pater illustris pactum ad morganaticam stante matrimonio in filiorum primi matrimonii, aut agnatorum præjudicium revocare, & immutare possit?

Sunt, qui negant: eò quòd nemo in præjudicium, aut detrimentum alterius consilium, & pactum suum mutare possit. *c. mutare. 33. de R. J. in 6 & l. 75. ff. Eod.* maximè quia pactum hoc ad morganaticam omnibus suis partibus est perfectum, actus autem obligatorii jam firmi pœnitentiâ retractari non possunt, ne adversùs conventionem suam paciscens veniat per *l. 29. C. de Pactis.* Annæus Robertus. *lib. 1. Rerum judic. c. 15.* & ita in praxi observatur.

Alii contrà affirmant: eò quòd hoc pactum ad morganaticam respiciat futuram successionem liberorum, & per consequens revocabile sit instar aliarum ultimarum voluntatum. arg. *l. fin. C. de Pactis.* ubi Jason. *n. 12.* regulam ponit, quòd consensus præstitus in contractu celebrato per aliquos super hæreditate consentientis sortiatur naturam ultimæ voluntatis, & efficiatur ambulatorius usque ad mortem ex sola voluntate consentientis. Huic opinioni adstipulatur Nicol. Myler. ab Ehrenbach. *d. c. 6. n. 37.* & ego saltem eatenùs, ut Pater aliquid ampliùs liberis morganaticis in testamento reliquere possit, quàm pacto provisum est, ex illis scilicet bonis, de quibus liberam testandi licentiam habet: hæc enim cùm in extraneum transferre possit, cur non etiam in filium ex matrimonio morganatico prognatum?

Quæritur III. An si filii, aut nepotes prioris matrimonii decedant absque legitimis hæredibus, tum filii ex matrimonio ad morganaticam nati, eorúmque descendentes legitimi succedant in bonis patris, aut avi?

Et hic distinguendum inter bona feudalia, & allodialia: In his omnino succedunt, cùm illorum jus solummodò tam diu in suspenso fuerit, biß auf einen ledigen Anfall / nunc verò effectum sortiatur, idque ex præsumpta voluntate patris, qui voluisse creditur, ut aliis liberis non extantibus, filii ex matrimonio ad morganaticam nati, tanquam legitimi, collateralibus præferantur per *c. un. §. his verò deficientibus. lib. 2. Feud. 11. l. omnia 32. §. 6. & l. peto. 69. §. 3. ff. de Legat. 2.* In bonis autem feudalibus exclusis illis admittuntur proximi agnati ob auctoritatem *c. quidam.* in verbis: *sed nec in feudo succedant, etiam aliis non extantibus, lib. 2. Feud. 29.* Quod utique procedit, si pactum ad morganaticam, ita sit conceptum, ut inde constet, patrem filios ex secundo matrimonio voluisse perpetuò exclu-

excludere tam ab allodiali, quàm feudali successione. Quòdsi pactum ita conceptum non sit, extinctis filiis cùm descendententibus ex primo matrimonio filios morganaticos ante agnatos ad successionem etiam in feudis vocat Struvius *de feud. c. 9. §. 5. n. 9.* juxta *§. filii. lib. 2. de Feud. 26.*

§. VI.

92 *Causa efficiens* matrimonii est remota, vel proxima.

Remota est Jus ipsum, & illud tum Naturale, tum Divinum, tum Humanum. *Naturale* quidem, si spectemus conjunctionem animorum, & corporum. *pr. Instit. de J. N. G. & C.* ubi inter exempla juris naturalis refertur maris & fœminæ conjunctio. *Divinum*, si institutionem, & auctorem respiciamus: quoniam in mundi conditione matrimonium à DEO institutum est, tanquam officium naturæ, ut docet Catechis. Rom. *p. 2. c. 8.* in ipsius mundi instauratione per Christum Sacramenti dignitas illi adjuncta est, ut definivit Lucius III. in *cap. ad abolendam, de Hæret.* Trident. *sess. 24. de Matrim. in pr. & can. 1. Humanum*, nempe Canonicum, & Civile, si solemnitatem, & formam matrimonii expendamus.

93 *Dubitari* hoc loco potest, num valeant leges civiles, quæ circa matrimonium aliquid disponunt?

Varii variè respondent. Ego in hunc modum distinguendum censeo: vel enim aliquid statuunt circa matrimonii substantiam, obligationem, materiam, formam, solemnitates, aut inhabilitates personarum; & tunc nullius sunt momenti: quia hæc magis respiciunt, & concernunt matrimonium, quatenus Sacramentum est, utpote quòd in ipso vinculo consideratur, & propter cujus reverentiam solemnitates & cæremoniæ sunt adjectæ, unde cùm hac ratione matrimonium sit res spiritualis, secularis potestas de his nihil poterit statuere juxta tradita DD. in *c. Ecclesia S. Mariæ. de Constit.* & in *c. ult. de Reb. Eccles. alien.* vel statuunt aliquid de iis, quæ matrimonio extrinsecùs adveniunt, & accedunt, ut est dos, donatio propter nuptias, sponsalitia largitas, &c. & ejusmodi leges esse observandas, communiter concluſum est, & docet Bald. *in Rubr. de Constit. in fin.* Quin imò validæ quoque videntur leges, quæ propositis pœnis coërcent abusus contrahentium ob bonum publicum, donec à S. Pontifice fuerint abrogatæ ex aliqua causa spectante ad bonum spirituale: quia matrimonium ea ratione, quâ contractus civilis est, subest jurisdictioni Principis politici, atque ideo poterit circa illud disponere in his, quæ non requirunt cognitionem spiritualem, prout contingit in legibus, quæ propter aliquam culpam, seu inordinationem bono communi adversam pœnam imponunt: cùm hæc materia sit temporalis, ab ipso matrimonio penitus diversa. Neque leges tales repugnant libertati matrimonii, dum metu pœnæ subditos cogunt, ut in bonum commune sua instituant matrimonia, ut quòd ipsi lege semota facere tenerentur, si id intelligerent, & mente perciperent. Vid. Sanch. *de Matrim. lib. 4. disp. 13.* Novarr. *in Sum. c. 27. n. 220.*

94 *Causa efficiens proxima* matrimonii alia est principalis, alia instrumentalis.

Principalis sunt ipsi contrahentes, mas & fœmina, sponsus & sponsa habiles, & qui à contrahendo matrimonio prohibiti non sunt.

I. Ob *defectum judicii*: ut infantes: quia hi tales nullum habent intellectum, adeóque non consentire in matrimonium possunt. arg. §. 11. *Instit. de Inutil. stip.* Furiosi & mente capti. *c. neque furiosus. 26. causâ 32. q. 7. c. 24. h. t.* Nisi furor, aut dementia dilucidis intervallis distinguatur: tunc enim, cùm consentire queant, matrimonium quoq; inire possunt; quamvis & hujusmodi conjugia dissuadenda magis, quàm promovenda sint. Sanch.

lib. 1. de Mstrim. disp. 8. Extremè, & cùm quodam mentis temporario exilio ebrii: quia & hi consensu libero & debitâ deliberatione carent per *c. 7. causâ* 5. *q.* 1. *& c.* 8 *causâ* 22. *quæst.* 4.

95 II. Ob *vitium corporis*; ob quòd à matrimonio contrahendo repelluntur muti, surdi, & cœci simul: cùm moraliter vix sit possibile, ut tales sufficienter intelligant requisita matrimonii, & obligationes annexas, DD. *in c. cùm apud* 23. *h. t.* ubi Pontifex Innocentius III. permisit, ut mutus, ac surdus contraheret matrimonium, eò quòd is, si non verbis, saltem signis consensum suum satis valeat declarare; qui textus de eo quóque accipi potest, qui simul est mutus & surdus, ut supra *n.* 13. comprobatum. Præterea ob hoc vitium ad matrimonium non admittuntur impotentes, seu inepti ad copulam conjugalem, ut qui finem matrimonii assequi nequeunt, *c.* 3. *&* 4. *de Frigid. & malefic.* ubi plura.

III. Ob *defectum ætatis*; veluti impuberes & nimio senio confecti. Impuberes, id est, mas infra 14. & fœmina infra 12. annum, à nuptiis arcentur, quòd in his communiter deficiat vis, ac naturalis potestas generandi. *c.* 10. *&* 11. *de Desponsat. impub.* quanquam malitia nonnunquam ætatem suppleat *c.* 3. *&* 9. *Eod.* Senum nuptias olim improbavit lex Julia, & Papia, sed Justinianus *l.* 27. *C. de Nupciis* sancivit, nuptias, quæ inter masculos & fœminas majores, vel minores sexagenariis, vel quinquagenariis lege Julia, vel Papia prohibitæ sunt, homines volentes contrahere, & ex nullo modo, vel ex nulla parte tales nuptias impediri. Ecclesia quoque senibus matrimonium permittit ad humanitatis, ac imbecillitatis solatium. *c. nuptiarum.* 41. *causâ* 27. *q.* 1. Covarr. *de Matr.* 2. *p. c.* 8. *§.* 2. *num.* 10. Si tamen compars ætate sit nimis dispar, rarò in Domino erunt hæ nuptiæ, sed vel ex effræni libidine, non prolium intentione, vel ex pecuniæ aviditate, & auri sacra fame.

IV. Ob *personæ conditionem, ac statum.* 96 Ita jure Canonico Clericis in sacris Ordinibus constitutis, & Religiosis Professis nubendi facultas denegata est. *infrà t. t. Qui Clerici, vel voventes.* Ita jure Civili inter servos non matrimonium, sed contubernium fieri dicebatur. *l.* 14. *§.* 3. *ff. de Ritu. nupt.* quod postea SS. Canones correxerunt, & inter eos quoque legitima voluerunt esse conjugia, nisi fortè per errorem ancillam quis duxerit, quàm liberam esse putabat. *c.* 1. 2. 3. 4. *&* 5. *causâ* 30. *q.* 2. *c. fin. de Conjug. servor.* Similiter jure Civili nonnisi inter Cives Romanos nuptiæ ritè contrahebantur. *princ. Instit. de Nupt.* Verùm & hæc dispositio ab usu, & aula recessit, dum ipsi Principes Imperii cum exteris Regibus, & Dynastis matrimonia pro libitu contrahunt, & affinitates mediante matrimonio sibi firmant. Exemplo est Serenissima Prosapia Palatina quæ bis, terve cum Regibus Poloniæ: cum Moscoviæ Duce: cum Rege item Siciliæ: cum Comite Lancastriæ in Anglia: cum Rege Arragoniæ: cum Burgundiæ Ducibus: bis cum Daniæ: bis cum Angliæ Regibus: bis cum familia Regum Galliæ, bis cum Sueciæ Regibus: bis cum Allobrogum Ducibus: cum Gente quoque Robana in Gallia affinitatem, & connubia inivit, prout refert Nicolaus Mylerus ab Ehrenbach in *Geneal. Princip. c.* 3. *n.* 5.

V. Ob *inæqualitatem dignitatis*: Et qui- 97 dem olim Viris senatoriæ dignitatis non licebat in thalami consortem sibi adsciscere fœminam vilem, v. g. libertinam, scenicam, aut scenicæ filiam *l.* 16. 23. 24. *& passim. ff. de Ritu nupt.* Ab hoc verò jure recessit Justinianus, qui indulsit, ut etiam maximis decorati dignitatibûs cum libertis, & aliis vilioribus fœminis nuptias inire potuerint. *Novel.* 78. *c.* 3. *&* 117. *c.* 6. Quod ipsum Jus Canonicum

eam admittit, & praxis sequitur, ita ut quandóque illustres ad humiliorum vota se demittant; veluti quando res angusta domi antiquæ prosapiæ splendorem in eclypsin, vel miseram paupertatis umbram ablegare incipit, quod malum dives uxor, virgo, aut vidua amolietur. De cætero, ne sanguis generosus permiscuis amplexibus & connubiis misceatur, sed unicuique familiæ salva maneat dignitas, momentosis rationibus persuadet Nicol. Myler. ab Ehrenbach in *Geneal. Princip. c. 5. àn.* 2.

VI. Ob *utilitatem publicam*: ob quam jure civili interdicitur matrimonium Præsidis cum provinciali, idque ob metum concussionis. *l. un. C. Si quacunque præditi potestate. l.* 38. *l.* 57. *l.* 65. *§.* 1. *ff. de Ritu nupt.* nisi officiô finitô, aut desponsatione ante susceptum munus facta *d. l.* 38. *ff. de Ritu nupt. l.* 6. *C. de Nuptiis.* Item tutoris, ejúsque filii cum pupilla, ne rationes tutelæ interciperentur. *l.* 60. 66. *&* 67. *ff. de Ritu nupt. t. t. C. de Interd matr. inter pupill. & tut.* nisi rationibus à tutore redditis, & tempore, intrà quod pupilla restitutionem in integrum impetrare potuit, elapso. *l.* 62. *§.* 2. *ff. de Ritu nupt.* Sed hoc utrúmque Jure Can. & moribus nostris non ampliùs obtinet.

98 VII. Ob quodcunque *impedimentum* sive *impediens*, sive *dirimens*: illud enim matrimonium reddit illicitum; hoc, si reverâ subsit, invalidum, ut dicemus.

In *disquisitionem* hîc venit: Sítne validum matrimonium, si alter, vel uterque contrahentium credit, interesse impedimentum dirimens, quod reverâ non subest?

Affirmant Covarr. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. *§.* 7. *n.* 2. Gutierrez *tr. de Matr. c.* 47. & Sanch. *lib.* 2. *disp.* 33. Quia ex una parte tales personæ sunt vere habiles ad contrahendum; ex altera intendunt, quatenùs possunt, contrahere, neque stante falsa apprehensione impedimenti impossibilis est consensus in matrimonium, ut colligitur ex *c. nn. h. t. in* 6. ubi decernitur, ex sponsalibus nullis ratione consanguinitatis, vel alterius impedimenti oriri publicam honestatem, dummodò non sint nulla ex defectu consensûs.

Negant Panorm. in *c. cùm in Apostolica.* 18. *h. t. num.* 6. Joan. Andr. *n.* 9. Anchar. *n.* 5. & alii apud Sanchez *d. disp.* 33. *n.* 1. eò quòd implicet, eum, vel eos, qui certò credunt, se ob impedimentum nullô modô posse contrahere matrimonium, habere veram, ac seriam voluntatem, & intentionem contrahendi, cùm nemo possit efficaciter intendere id, quod omninò credit, & concipit impossibile. Nec contrarium probat *d. c. un.* id námque Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrimon. c.* 3. correxit, & ubi hoc non viget, accipiunt de iis contrahentibus, qui vel ignorant impedimentum, vel de impedimento aliquatenus dubitant.

Ego referre existimem: an matrimonium cum erronea illa apprehensione impedimenti absolutè contractum sit, an sub conditione: *si forte apprehensum impedimentum non obstet?* Priori casu est nullum: quia talis opinio impedimenti tunc perimit efficacem consensum, & voluntatem, ut quæ absolutè in impossibile cognitum quà tale ferri non potest. Casu posteriore subsistit: nihil enim prohibet, quin ii, qui falsò arbitrantur impedimentum adesse, possint contrahere matrimonium sub prædicta conditione non existentis impedimenti; cúmque illa conditio sit de præsenti, & statim à principio purificetur, quatenus revera impedimentum non obstat, contractus matrimonii statim valet, esto non nisi ex intervallo innotescat conditionis purificatio per §. 6. *Instit. de Verbor. oblig. & l.* 100. *ff. Eod.* Andr. Vallens. *infra de Sponsa duor. num.* 4. Dicastillo *de Sacram. tom.* 3. *tr.* 10. *disp.* 2. *dub.* 7.

99 Cæterùm in uxore eligenda major famæ, quàm formæ, virtutis, quàm dotis ratio habenda est. P. Otto Aicher in *Instit. Oecon. l. 1. c. 2. disc. 3.* quoniam *gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.* Eccles. *cap. 26. ỳ. 19. & qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino. Prov. 18. ỳ. 22.* Principi qualis uxor optanda sit? traditur apud Tacitum *Annal. in pr.* ubi cùm in Curia ageretur de nuptiis Claudii Imperatoris, & uxore, tanto Principe digna, eligenda, Vitellius tria respicienda publicè præfabatur: *Nobilitatem, fœcunditatem, sanctimoniam.* Præterea Poëta monet:

Apta Duci *non est, non aptáque* Regi,
Quæ duci *non est apta, nec apta* regi.

100 *Causa efficiens instrumentalis* matrimonii respicit Parentes, qui nomine liberorum, & Legatos, Procuratores, seu Internuntios, qui nomine Principalium suorum matrimonium contrahunt.

Circa Parentes *dubitatur*: num sicut juxta *c. un. §. fin. de Despons. impub. in 6.* valent sponsalia, ita quòque valeat matrimonium, quod pro liberis præsentibus, & tacentibus contraxerunt?

Sanchez *lib. 1. de Matr. disp 23.* & Covarr. in 4. *Decret. p. 2. c. 4. n. 4.* supponunt, idem dicendum esse de matrimonio, quod de sponsalibus, utique ob identitatem rationis: siquidem ex præsentia, & taciturnitate æquè in matrimonio, ac sponsalibus resultat internus filiorum consensus satis sensibilis ob filiorum præsumptam confidentiâ erga parentes, quòd optimum semper consilium pro iis suscipiant. Accedit vulgaris regula: *qui tacet, consentire videtur*; quæ certissima redditur, quando, qui tacet, tenebatur non tacere, sed reclamare, & contradicere.

Econtra Basil. Pont. *de matr. lib. 2. c. 14. n. 3.* post alios docet, dispositionem *d. c. un.* non obtinere in contractu matrimonii, nec præsentiam & taciturnitatem liberorum haberi pro sufficienti consensu ad efficiendum matrimonium, nisi aliud signum exterius eorum concurrat, quô ostendatur consensus præstitus verbis parentum pro se contrahentium: quia textus *d. c.* loquitur duntaxat de sponsalibus, & consequenter non est extendendus ad matrimonium; ut quod importat obligationem arctiorem, & vinculum indissolubile, ratione cujus plenam exigit libertatem, quæ non ita exactè desideratur in sponsalibus, utpote quæ multis de causis dissolvi possunt.

Huic sententiæ adhærendum putem in locis, ubi Tridentinum promulgatum, & receptum est, ex quo *sess. 24. de Reform. matrim. c. 1.* disponit, ut ad Parochi interrogationem utriusque conjugis consensus coram Parocho, & testibus exprimatur, iisque innotescat. Hinc in praxi, licèt parentes sint cum filiis tempore contrahendi matrimonii, & alii hoc Parocho coram testibus aperiant, nihilominùs Parochus interrogabit ipsos contrahentes, eorumque consensum exquiret ad tollendam dubietatem, ac evitandam clandestinitatem. Vid. Gutierrez *de matrim. c. 13. n. 9.*

101 Ut per *Procuratorem*, seu *Internuntium* legitimè ineatur matrimonium, tria sunt necessaria: *Primò*, ut habeat mandatum speciale de matrimonio contrahendo cum persona certa. *Secundò*, ut per se ipsum mandatum exequatur, nec alium substituat, nisi hoc expressè in mandato ei commissum sit. *Tertiò*, ut tempore intermedio mandatum non sit revocatum. Textus in *c. fin. de Procuratorib. in 6.* circa quem non una se insinuat difficultas.

Prima est: an post Concilium Tridentinum matrimonium per Legatum, Procuratorem, seu Internuntium contrahi possit?

Erat aliquorum opinio, quos non expressis nominibus recenset Petr. de Ledesma *q. 42. art. 1. dec. 7. & lib. 2. de Matrim. disp. 11. p. 1.*

n. 1. quòd Tridentinum *l. cit.* Decretalem illam abrogaverit: quia nimirum pro forma requirit, & decernit, ut omninò coram Parocho, & testibus contrahatur, ita quidem, ut *Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos in matrimonium conjungo;* ac proinde supponit, ambos contrahentes debere per se immediatè, & præsentialiter exprimere consensum suum, non autem mediante procuratore, seu internuntio.

Sed opinionem hanc satis refutat receptus Ecclesiæ usus, præsertim inter Principes Christianos: & manifestum est, Tridentinum circa hoc nihil innovâsse, sed tantùm aliquid addidisse ex parte formæ ad tollendos abusus, ac fraudes, videlicet, ut consensus contrahentium coram Parocho & testibus exprimatur, quod & per procuratorem, seu internuntium fieri potest, ac debet. Certè Tridentinum ideo solùm irritavit matrimonia clandestina, quòd in facie Ecclesiæ probari non possint; atqui matrimonium per procuratorem coram Parocho & testibus contractum in facie Ecclesiæ probari potest: ergo Tridentinum hoc non irritavit. Ita Gutierrez *de Matr. cap.* 43. *num.* 10. Ferd. de Castropal. *disp.* 2. *de sponsal. punct.* 9. *n.* 9. cum communi.

Nec alios in contrarium movere debuisset ille modus interrogandi contrahentes, & proferendi verba illa: *Ego vos in matrimonium conjungo*: præscribitur enim à Concilio tanquam ordinarius, & usitatus, cùm de rigore loquendo sufficiat, si proferatur, ac exprimatur consensus absque ulla prævia interrogatione, nec ulla verba Parochi sint de essentia hujus contractûs: præterquam quòd procurator à Parocho de consensu sui Principalis interrogari possit, & defacto ita practicetur, dum Procurator coram Parocho, & testibus dicit: *Titius Dominus meus te accipit in uxorem, me internuntio*: & puella respondet: *Ego tuo interventu Dominum tuum accipio in maritum*: aut alio simili modo, quo aptè exprimatur debitus Principalis absentis, & præsentis procuratoris consensus.

Altera difficultas est: utrùm matrimonium inter absentes per Legatum, Procuratorem, seu internuntium contractum rationem Sacramenti obtineat, ac gratiam conferat?

Pro negativa citantur Cajetanus, Durandus, uterque Ledesma, & alii apud Gutierrez *d. c.* 43. *n.* 10. quorum potissima argumenta sunt *primò*; Nullum aliud Sacramentum potest absenti administrari. Ergo nec matrimonium. *Secundò*: ideo non potest Sacramentum pœnitentiæ conferri absenti, quia forma illius: *absolvo te*, dirigitur in præsentem: atqui non minùs ad præsentem dirigitur ista, vel æquivalens forma matrimonii: *accipio te in meum*. Ergo. *Tertiò*: cùm Parochus assistens matrimonio profert verba illa: *Ego vos conjungo*; pro nomen *vos* non minùs requirit præsentiam subjectorum, quam pronomen *Te* in forma baptismi, & pœnitentiæ. Ergo absens non minùs est incapax Sacramenti matrimonii, quàm Sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ.

Affirmativam communem testatur Rev. Maurus Oberascher *de Sacr. p. 2. tr. 2. c. 2. §. 2.* Ratio punctualis est: quia matrimonium inter fideles validum in ratione contractûs naturalis, & civilis verè obtinet rationem Sacramenti, cùm Christus instituendò Sacramentum matrimonii non mutaverit naturam contractûs matrimonialis, sed duntaxat illum ad esse supernaturale Sacramenti elevaverit; atqui matrimonium inter absentes per procuratorem contractum est validum in ratione contractûs naturalis, & civilis, ut ex dictis elucescit. Ergo obtinet rationem Sacramenti.

Neque argumenta contraria hanc sententiam infringunt. Non *primum*: quippe Sacramentum matrimonii hoc præ aliis peculiare ha-

habet, quòd, cùm sit contractus civilis, sequatur naturam ipsius; & quia civilis contractus æquè inter absentes & præsentes validè iniri potest, etiam sacramentum, quod in eo fundatur, validum erit. Ad *secundum* negatur paritas: nam in sacramento pœnitentiæ verba illa: *absolvo te*, ore prolata, & directa in personam præsentem sunt essentialia; non ita in matrimonio, quandoquidem sufficiunt quæcunque signa, quibus contrahentes suum consensum invicem significant. Minùs urget *tertium*, & paritas in eo adducta: quia nec verba illa: *Ego vos conjungo*, quæ Parochus assistens matrimonio profert, sunt pars essentialis sacramenti matrimonii, sicut illa: *ego te baptizo*: *ego te absolvo*.

Attamen his omnibus expensis Sanchez *lib. 2. disp. 11. n. 3.* rectè consulit, ut contrahentes matrimonium per procuratorem postmodum præsentes contractum denuò repetant, non quidem quasi prior contractus Sacramentum non fuisset, nec etiam quasi matrimonium reiterandum foret, ut *ibidem* cum aliis videtur velle Sanchez, sed solùm majoris securitatis gratiâ ob consensum forsan revocatum, vel alios ejusmodi scrupulos evitandos. Rebell. *p. 2. lib. 2. q. 5. n. 10.*

§. VII.

102 *Materia* Matrimonii, tam ut est contractus, quàm ut obtinet rationem sacramenti, duplex assignatur: remota scilicet, & proxima.

Remota, seu materia *circa quam* sunt corpora ipsorum contrahentium: corpora enim habent se respectu matrimonii, quemadmodum merx, & pretium respectu emptionis, venditionis: nam sicut emptio venditio versatur circa mercem pro pretio commutandam, ita contractus matrimonii versatur circa corpora generationis gratiâ jungenda.

Materia *proxima*, seu *ex qua* est mutua ac perpetua eorum corporum traditio: necessariò enim, & essentialiter requiritur, ut contrahentes in hanc mutuam corporum traditionem consentiant, & unus alteri jus, ac potestatem in corpus suum ad usum matrimonii, & procreationem liberorum tribuat, adeò ut si nollent eam potestatem tradere, ac acquirere, revera matrimonium non contraherent.

Non extra calcem *quæsieris*: num valeat matrimonium sub conditione: *si mecum perpetuam castitatem servaveris*, aut *debitum à me non exegeris*: contractum?

Affirmant complures Theologi apud Barbos. in *c. final. n. 4. de Condit. appos.* tum quia sponsi possunt contrahere matrimonium cum intentione servandi continentiam, vel ingrediendi religionem juxta *c. commissum h. t.* tum quia ad essentiam matrimonii sufficit dominium mutuum corporum inter conjuges, & cum eo dominio stare potest obligatio non utendi, sicut aliàs stare potest dominium directum sine usufructu, vel dominio utili: tum quia inter B. Virginem, & S. Josephum fuit verum matrimonium, licèt uterque habuerit propositum, ac votum (saltem B. Virgo) servandæ castitatis. *c. conjunx. causâ 27. q. 2.*

Negant probabiliùs Sotus in *4. dist. 29. q. 2. art. 3.* Covarr. *2. p. de Matrim. c. 3. §. 1.* Layman. in *Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 9.* & alii propterea, quòd ejusmodi pactio, ac conditio in pactum deducta excludat consensum circa materiam substantialem proximam matrimonii, nimirum mutuam corporum traditionem, impediátque acquisitionem juris, seu dominii corporum in ordine ad usum conjugii, & mutuam obligationem ad eundem, cùm inducat deobligationem reddendi, & privationem juris ad petendum debitum conjugale, imò obligationem non petendi, & non reddendi illud debitum, si id contrahentes paciscantur.

Unde non obstat, quòd matrimonium contrahentes possint intendere, nunquam illud consummare, vel intra duos menses à jure con-

concessos religionem ingredi; etenim cum tali intentione potest subsistere consensus in obligationem mutuam, & jus exigendi debitum, non autem potest consistere, si ab initio talis conditio esset adjecta. Neque urget, quòd à dominio corporum separari possit obligatio utendi, ut à dominio directo jus utendi fruendi: id namque non procedit in prima constitutione dominii, quando contractus ex visuæ essentiæ ordinatur in finem usûs, quemadmodum in matrimonio contingit. Quod attinet matrimonium B. Virginis, & D. Josephi, id non fuit contractum sub tali conditione, sed simpliciter, & hoc sine præjudicio voti perpetuæ virginitatis, ut eleganter exponit S. Thom. *in 4. dist. 30. q. 2. a. 2. ad. 1.* his verbis: *B. Virgo absolutè in matrimonium consensit, ut certificata Divinitus, sed in matrimonium sic consentiens Virginitatem suam DEO commisisse in Litera ditur.* Et S. Augustinus relatus in *c. 3. causâ 27. q. 2. Beata Maria*, inquit, *committens virginitatem suam Divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed Divinæ inspirationi in utroque obediendo.*

§. VIII.

103 *Forma* matrimonii tam sub ratione contractûs, quàm sub ratione Sacramenti stat in consensu legitimo viri, & mulieris, quo sibi invicem tradunt potestatem in corpus suum ad usum humanæ generationis. Ut verò consensus hic legitimus sit.

Requiritur I. Ut sit mutuus, ac de præsenti. Qui consensus, si in nuptiis defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur. Text. in *c. sufficiat. 2. causâ 27. q. 2.* Non tamen est necessarium, ut actualis utriusque conjugis consensus simul, & eodem tempore exprimatur, ut patet in matrimonio per procuratorem, aut literas contracto. Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 32. num. 3. & 7.* cum innumeris citatis.

In eo Jurium Interpp. *discrepant*: sitne tam sponsi, quàm sponsæ consensus necessarius ad convalidandum matrimonium, quod in foro externo legitimè contractum censetur, sed à parte rei nullum est defectu consensûs in sponso?

Non tantùm ex parte sponsi, in quo consensus deficiebat, sed etiam ex parte sponsæ novum consensum desiderari, detecto eidem defectu, & nullitate matrimonii, docet Felinus in *c. ex parte decani. 33. n. 11. de Rescript.* cum Ancharano, Butrio, aliisve: eò quòd matrimonium sine mutuo consensu, & per consequens defectu consensûs in uno contrahentium, penitus nullum sit, adeóque denuo mutuo consensu conciliandum.

Verùm verius est, tali casu sufficere, si sponsus defectum consensûs suppleat, & in matrimonium consentiat etiam insciâ sponsâ: quia ex parte hujus, ut supponitur, ab initio tempore nuptiarum verus, & legitimus consensus adfuit, atque idem consensus retractatus non est, sed in effectu suo virtualiter hucusque duravit, sponsa bona fide credente, matrimonium esse validum, & se conjugem; ergo accedente consensu sponsi, mutuus & sufficiens habebitur consensus utriusque: cùm consensu formali, & omninò simultaneo opus haud sit. Huic sententiæ patrocinatur Sylvester *V. matrimonium. 8. n. 11. ỳ. 4.* Armilla *eod. num. 41* Hostiensis, Navarrus, & communiter tam Theologi, quàm Canonistæ.

II. Consensus matrimonialis debet esse 104
verus, ac serius, non simulatus, jocosus, aut fictus. Quare qui ita se gerit exteriùs, ac si consentiret in nuptias, internè tamen sic affectus est, ut nolit obligari, revera non contrahit nuptias. *c. tuanos. 26. h. t. l. 30. ff. de Ritu nupt.*

Licèt autè talis simulator non obligetur ex matrimonio ob defectum veri consensûs, obligatur tamen ob injuriam alteri bona fide contrahenti illatam ad compensandum damnum

inde secutum, quæ compensatio plerumque alia ratione fieri nequit, quàm ut deposita simulatione matrimonium verè contrahat. Addidi: *plerumque;* nam dantur casus, quibus simulator ad hujusmodi compensationē non tenetur: ut si uxor decepta se falsò jactavit virginem, cùm esset corrupta: si ex tali matrimonio timeantur scandala, & infelices exitus: si decepta, cognita deceptione, ultro recipiat aliam compensationem: si deceptor verum interea matrimonium cum alia contraxerit. Diana *p. 3. tr. 4. resol. 247.* quem refert, & sequitur Gonzal. ad *d. c. tuanos. n. 3. h. t.*

Præterea in foro externo contra talem simulatorem est præsumptio, nec ei fides habenda, quamvis juret se tantùm fictè matrimonium contraxisse, arg. *c. 10. de Probat. l. 13. C. de Non. num. pec.* Ne fortè aliàs detur occasio matrimonia vero consensu inita dissolvendi. Excipitur: nisi deceptor afferat legitima deceptionis suæ signa, & indicia: cùm enim dicta præsumptio non sit præsumptio juris, & de jure, contra eam admittitur probatio, sicut regulariter contra alias præsumptiones admitti solet. *l. nuptura 57. ff. de Jure dotium.* Layman *lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. n. 3.* Porro si relicta uxore putatitia alia verè ducta sit, & fictio in foro externo probari nequeat, Judex Ecclesiasticus ex præsumptione pro primo contra secundum matrimonium simulatorem coget redire ad primam, isque hujus Judicis justæ sententiæ, ac præcepto quoad cohabitationem parere potest, & debet. Quia verò inter istos conjuges matrimonium non est, & esse nequit propter impedimentum secundi matrimonij veri, ideo debitum conjugale exigere, aut reddere non posset, non obstante quacunque censura, arg. *c. literas. 13. de Restit. spol.* & *c. inquisit. 44. de Sent. excom.*

105 III. Consensus matrimonialis debet esse plenè liber, non coactus metu, aut minis. *c. de neptis. 3. causâ 31. q. 2.* ubi Urbanus II. ad Regem Aragonum, qui cuidam neptem suam uxorem sub fidei pollicitatione promiserat, quæ tamen renuebat, rescripsit: *nequaquam eam invitam, & renitentem eiusdem viri cogat conjugio sociari.* Ratio est: quia vinculum conjugale naturâ suâ est perpetuum, & ordinatur ad mutuum amorem, obsequium, & honestam prolis procreationem, atque educationem, quæ obtineri nequeunt, nisi personæ ex libero consensu in matrimonium conveniant, quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit, nullum quippe bonum, nisi voluntarium. Text. in *c. præsens. 4. causâ 20. q. 3.*

Interim spe præmij, lucri, dotis, aut successionis quempiam ad matrimonium certæ sponsæ allicere, aut invitare, fas, & jura sinunt; ut si aliquid promittatur, aut legetur: *si Titius Maviam uxorem, qua vidua est, duxerit:* aut virgo hæres instituatur: *si Antylli filio nubat. l. Titio. 71. §. Titio. 1. ff. de Condit. & demonst. l. 1. C. de Instit & substit.* Et tales conditiones ut honestæ omninò sunt adimplendæ, aut eò, quod ita legatum, vel promissum, carendum erit. *d. §. Titio 1.* ibi: *conditio non remittetur.* Mantica *de Conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 18. n. 2.* Unde à fortiori testator suo elogio hanc conditionem adjicere potest: *si filius uxorem ducat ex hac, vel illa familia illustri per l. cui fuerit. 15. ff. de Condit. & demonstrat.* cùm in Sacris quoque literis hæc conditio approbata legatur, dum Isaac Jacobo injungit, ut uxorem ducat ex filiabus Laban avunculi sui. *Genes. 28. ✱. 2.* Neque hac ratione adimitur libertas eligendi uxorem, aut maritum contra *l. mulier. 5. in fin. C. h. t.* & *l. 72. §. 4. ff. de Condit. & demonst.* sed solùm excitatur ad certum matrimonium, relictâ facultate nubendi quoad cæteras personas, aut familias. Felin. in *c. 1. n. 23. h. t.* Sanch. *lib. 1. de Matr. disp. 33. n. 6. & seqq.* Olde. *consil. 19. q. 1.*

106 IV. Re-

107 IV. Requiritur, ut consensus partium exterius declaretur per literas, verba, vel signa his æquivalentia: partim quia matrimonium est contractus, qui celebratur inter homines interiora cordis ignorantes: partim quia est Sacramentum, de cujus ratione est, esse signum sensibile. Reverendiss. Maurus Oberascher *de Sacram. matr. c. 2. §. 3.*

Per *literas* matrimonium celebrari posse, docetur in *l. mulierem 5. ff. de Ritu nupt.* ubi ita Pomponius: *mulierem absentem per literas ejus, vel nuntium posse nubere placet.* Sine dubio ideo; quia matrimonium est è censu contractuũ consensualiũ, qui omnes per nuntium, aut epistolam rectè absolvuntur. *l. consensu 2. §. 2. ff. de Obligat. & act.* Et hic modus contrahendi matrimonij procedit etiam post decreta Concilij Tridentini: quandoquidem non est inducenda Jurium correctio sinè necessitate; hìc autem nulla est necessitas, cùm possint servari omnia à Tridentino *sess. 24. de Reform. matr. c. 1.* ad valorem matrimonij præscripta: veluti, si in literis quis scribat, se non tantùm de præsenti in Rosinam v.g. consentire, tanquam in uxorem, sed etiam ipsius vicissim consensum ex nunc acceptare ipso tempore, quo illum præstabit: tali enim epistola lecta coram Parocho, & testibus, & Rosina consentiente, coram iisdem corporum mutua traditio, & acceptatio fieri censetur. Rmus Maurus Oberascher *d. cap. 2. §. 2. ℣. Infertes.* Basil. Pontius *de Matr. lib. 2. c. 15. n. 35.* Nicol. de Passerib. *de Script. privat. lib. 3. q. 31. per tot.* Contrariam tamen sententiam, tanquam securiorem in praxi sequendam esse, & praxin hodiernam sequi, testatur Gutierrez *de Matrim. c. 45. in fin.*

108 Quænam *verba* apta sint ad importandum consensum conjungalem, tradidimus *supra n.* 38. Nunc dispiciendum: num consensus ille necessariò verbis exprimendus sit?

Difficultatem facit textus in *cap. tua fraternitati. 25. h. t.* qui ita differit: *matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti. Nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis.* Unde Innoc. & Gloss. *ibid.* Bartol. in *l. nuptias. ff. de R. J.* Alexand. *lib. 4. consil. 143. n. 1.* & alij arguunt, inter eos, qui loqui possunt ex præcepto Ecclesiæ omnino necessaria, & de forma matrimonij esse verba, sicut in aliis Sacramentis, saltem si alius tractatus non præcessit. Et hanc sententiam post Concilium Tridentinum esse indubitatam, ait Cephall. *consil. 540. n. 38. vol. 4.*

Nihilominus iis assisto, qui sustinent, etiam in loqui valentibus ad exprimendum consensum sufficere signa distincta à verbis: enimverò Christus ad Sacramentum, & contractum matrimonialem plus non exigit, quam consensum signò sensibili quomodocunque declaratum, aliàs enim surdi & muti non possent hoc Sacramentum perficere, sicut alia Sacramenta administrare non possunt. Nec potest dari ullus textus, ubi Ecclesia specialiter verba ad substantiam matrimonij requirit, & aliam formam matrimonio inter mutos, aliam inter eos, qui loqui possunt, præscribit. Ita Covarr. *l. 4. Decret. 2. p. c. 4.* Panorm. & Hostiens. *in d. cap. tua fraternitati.* Mascard. *de Prob. concluss. 1024. n. 2.*

Ex recitato textu *c. tua fraternitati.* si quis diligentior fuerit, contrarium facilè exputabit: S. Pontifex namque in eo non distinguit inter mutos, & qui loqui possunt, neque eo sensu verba necessaria esse dicit, quantum ad Ecclesiam, quasi ex præcepto Ecclesiæ requirantur, sed directè ad quæstionem sibi propositam respondet, matrimonium non verbis, sed consensu perfici, verba autem non nisi quantùm ad Ecclesiam, id est, ad

probationem desiderari, si aliunde non constet de consensu: cujus rationem immediatè subjicit, dum ait: *nam surdi & muti possunt contrahere sine verbis.* Accedit, quòd aliàs etiam in jure vulgatum sit, propter unum verbum, & textum obscurum non esse statim admittendam correctionem, maximè in materia tam gravi, & ubi de salute animarum agitur. Et profectò si S. Pontifex aliquid innovare, & matrimonium signis contractum, quod secundùm se, & spectato Jure Divino firmum est, irritare voluisset, utique id disertis verbis expressisset.

109 *Signa* ea matrimonio contrahendo apta sunt, quæ in talibus circumstantiis ex dispositione juris, vel communi usu contrahentium consensum de præsenti indicant. Sic si puella in præsentia Parochi, & testium interrogata de voluntate matrimonium contrahendi annuendo consentiat, vel multò magis si ad conditionatam jussionem, ut si præsentem virum in maritum habere velit, manum porrigat, annulum tradat, instrumenta dotalia subscribat, vel quid simile; si, inquam, talem actum imperatum faciat, etiam hodie validè, & si ita habeat consuetudo loci, etiam licitè contrahetur matrimonium, licèt suadendum, ut, si fieri possit, verba potiùs, eáque clara, & certa adhibeantur, quàm alia signa. Vid. Card. de Luca *disc.* 2. *de Matr. n.* 14. ubi ait: receptum est, ut etiam nutu, & signis explicari possit consensus, quamvis contrahens loqui posset, quoniam sæpiùs modestæ puellæ ex verecundia in eo actu non audent loqui, & præter alios citat Rotæ. *dec.* 124. *p.* 7. *Recent.*

110 V. Spectato jure Civili non tantùm, qui contrahunt nuptias, consentire debent, sed etiam Parentes, seu hi, quorum in potestate sunt. *princ. Instit. de Nupt. l.* 2. 3. *&* 16. *§.* 1. *ff. de Ritu nupt. l. un.* §. 1. *in fin. C. de Raptu virg.* Jure naturali, Divino, & Canonico sufficit solus consensus contrahentium. *c. sufficiat.* 2. *causâ* 27. *q.* 2. Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 1. *in pr.* ubi anathemate damnat eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse, ita tamen, ut de honestate utriusque parentis consensus desideretur. *c.* 1. *causâ* 30 *q.* 5. *c.* 12. 13. *& fin. causa* 32. *q.* 2. & liberi graviter peccent, si sine justa, & rationabili causa matrimonium contrahant, parentibûs inconsultîs: omnino enim convenit, in re tam gravi parentes consulere, ut unde vita, etiam vitæ status habeatur. Quod ferè solum probant argumenta Hæreticorum, quæ solidè confutat P. Engl *ad tit. de Despons. impub. §.* 2. *n.* 6.

Insignis *controversia* est, an Principes sæ- 111
culares in liberos sine præscitu parentum nubentes pœnam exhæreditationis, aliámve statuere possint?

Negativam communiorem asserit Covarr. *de Matrim. p.* 2. *c.* 3. §. 8. *n.* 6. & probabiliorem reputat Sanchez *lib* 4. *disp.* 25. *n.* 2. Cujus ratio est: quia per ejusmodi leges impeditur, ac restringitur matrimonii libertas, quæ de Jure Canonico plena esse debet. *c. gemma. h. t.* Trident. *sess.* 24 *de Reform. matrim. c.* 9. & condere leges circa matrimonia non pertinet ad potestatem sæcularem, sed Ecclesiasticam, arg. *c. tuam. de Ordine cognit. c.* 1. *h. t.* & *c. causam.* 7. *Qui filii sint legit.* Hinc Covarr. leges Hispanicas exhæreditationem tali casu statuentes irritas censet; & Menoch. *de Arbitr. jud. lib.* 2 *casu* 533. statutum Patavinum *sub rubr. de Aduls.* & Brixinense 72. *in criminal.* non observanda tradit.

Affirmativam tuentur antiquiores. Navarr. *in Man. c.* 27. *n.* 120. Cajetan. *in Sum. V. excommunicat. c.* 31. *¥.* 6. Felinus in *c. idem n.* 13. *h. t.* Victoria 2. *p. de matr. n.* 12. & ex Recentioribus Zoës. *h. t. n.* 85. Ratio est: quia

quia quando actus est malus, etiam Principes sæculares possunt adjuvandi Juris Canonici gratiâ eundem prohibere, & punire, præsertim, si aliquô modô in præjudicium Reip. tendat, sicut hîc, ubi ex nuptiis liberorum graves nonnunquam inimicitiæ inter parentes & consanguineos proveniunt. Accedit, quòd matrimonium ea ratione, qua contractus civilis, & humanus est, subsit jurisdictioni Principum sæcularium, atque ideo possint propositis pœnis coërcere abusus contrahentium propter bonum publicum; ut *supra n.* 93. demonstravimus.

Ego utramque opinionem recipio: *Affirmantium*, si leges concipiantur de illo casu, quô matrimoniũ à liberis fuerit clandestinè, omissisque solemnitatibûs contractũ: quippe tales leges Ecclesiam, quæ matrimonia clandestina semper detestatur, solùm coadjuvant, nec libertatem humanam violant, sed abusum libertatis compescunt. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 4. *casu* 398. *n.* 47. Petr. Barb. *in l.* 1. *p.* 4. *n.* 38. *ff. Soluto matr.* Rebell. *de Justit. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 20. *v. quarta conclusio.* dicens, ejusmodi leges etiam obtinere contra filias clandestinè nubentes ultra 25. annos, auctore Soto *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *a.* 4. *ad* 4. *Negantium*, si leges generaliter concipiantur de casu, quô præcisè deest scientia parentum, ita ut etiam denuntiationes præcesserint, vel saltè in iis fuerit legitimè dispensatum: enimverò quando filius rationabilem causam habet, cur patris consilium, aut consensum in matrimonio non requisierit, aut secutus fuerit, leges tales revera impugnant libertatem matrimonii, ut quod ab Ecclesia nunquam fuit prohibitum. Secus, si omnino irrationabiliter, & personam indignam sinè præscitu patris, & contra ejus voluntatem duxerit, tum enim hujusmodi legibus locum esse, docet Azor. *Inst. moral. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. 99. & Gloss. in *c. de Raptoribus. V. excusata. causâ* 36. *q.* 1.

Denique (quod Illustrium matrimonia peculiariter concernit) pluribus in regnis, ac Provinciis inconsulto Rege sive Principe Proceribus nuptias, præsertim cum Exteris contrahere, vel filias suas elocare non licet. Myler. ab Ehrenbach in *Gamol. person. illustr. c.* 2. *n.* 4. *& seqq.* ubi leges, & constitutiones Regni Neapolitani, Siciliæ, Galliæ, & Angliæ allegat. Henric. Spondan. *in contin. Annal. Eccles. ad annum* 1635. ubi refert, Clerum Gallicanum in celebrato Lutetiæ quinquennali conventu declarâsse, matrimonia Principum Gallorum regii sanguinis, qui possunt aspirare ad successionem coronæ, prorsus esse irrita, si facta fuerint contra voluntatem, & prohibitionem Regis, seu Possessoris Coronæ. Non desunt etiam exempla Principum, qui neglectum assensûs sui acerrimè vindicârunt: ut Philippus Pulcher Galliarum Rex, qui cùm intellexisset, Guidonem Dampetræ Comitem Flandriæ filiam suam Philippam Eduardo Anglo despondisse, illam ad se vocavit, venientem carceri mancipavit, & viginti ejus pedissequas projici in Sequanam, ejus comites verò triginta claros viros suspendiô interimi jussit, teste Bzovio *in Histor. lib.* 13. *fol.* 136. An verò justæ sint ejusmodi constitutiones, aut vindictæ? jam non vacat excutere. Certè in Imperio nostro Principes, & Status Imperii plena conjugiorum libertate gaudent, & absque arbitratu, ac consensu Imperatoris cum Exteris quoq; connubia pangunt, & illustres suos liberos pro lubitu elocant: cùm enim nullibi ex Imperii constitutionibus nubendi facultas restricta reperiatur, pro pristina libertate præsumendum est, arg. *l.* 82. *§. fin. C. de Appellat.* Myler. ab Ehrnbach *d. c.* 2. *n.* 7. 112

§. IX.

Finis matrimonii primarius est liberorum procreatio, ut genus humanum propagetur. *l. liberorum.* 220. *§. fin. ff. de V. S.* Secundarius 113

rius est remedium concupiscentiæ, ut per id post peccatum indomita libido refrænetur juxta 1. *ad Corinth.* 7. ℣. 2. & mutuum adjutorium, ut homo omnium laborum sociam habeat. *Genes.* 2. ℣. 18. ibi: *faciamus ei adjutorium simile.*

§. X.

114 *Effectus* matrimonij insignes se offerunt, & horum quidam utrique conjugi communes sunt, quidam vero alterutri, Marito, aut Uxori proprij.

Inter effectus *communes* eminet gratia, quam matrimonium, ut Sacramentum est, confert conjugibus fidelibus, prout definivit Tridentinum *sess.* 24. *de Sacram. matr. can.* 1. Quem effectum, si conjuges per peccatum grave in hujus Sacramenti susceptione impediverint, possunt eundem recuperare, si durante matrimonio obicem removeant: cùm enim Sacramentum matrimonij iterari non possit, sed recipientem in statu quasi immutabili constituat, verisimile non est, voluisse Christum hoc Sacramentum fictè suscipientem privare illius effectu, sed potiùs credendum, voluisse concedere, si ipse capacem se reddiderit, & ante illius dissolutionem obicem sustulerit; quod fieri potest vel contritione, vel attritione cum Sacramento pœnitentiæ. Layman *in Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 5. cum Coninck *de Sacram. q.* 62. *dub.* 5. *n.* 77.

Alter effectus communis matrimonij est vinculum conjugale, aut naturale, aut simul Sacramentale. Matrimonium legitimum duntaxat inducit vinculum naturale, quod respicit ipsam contractûs naturam, sicque obligat ad individuam vitæ consuetudinem juxta §. 1. *Instit. de Patria potest.* Matrimonium ratum verò, & consummatum præter istud vinculum naturale involvunt vinculum Sacramentale, quatenus habent rationem tum contractûs, tum Sacramenti; atque hoc respectu strictiùs obligant, quàm matrimonium legitimum tantùm, non tamen æquè unum, ac alterum, quandoquidem illud professione Religionis, & dispensatione Pontificia dissolvi potest, consummatum sola morte. Rationem discriminis assignat Gonzal. in *c.* 2. *de Convers. coning. n.* 5. quòd illa conjunctio animorum, quæ fit per matrimonium ratum, tametsi verum sit Sacramentum, & perfectum matrimonium, tamen solùm significet conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam, quæ conjunctio in melius mutari, sive intendi, & etiam per peccatum omnino tolli potest: conjunctio autem corporum, sive matrimonium consummatum designet illam admirabilem, & indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem juxta illud Apostoli *ad Ephes.* 5. ℣. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Tertius effectus communis est fides conju- 115
galis, quæ tria ab ipsis conjugibus exigit: *primo* ut conjuge vivente, quantumvis diutissimè absit, alter cum alia persona matrimonium non contrahat, nec ullo modo sive in affectu, sive in effectu carnaliter commisceatur. *c. in præsent.* 19. *h. t. Secundo* ut vir, & uxor sibi mutuò debitum conjugale reddant, quod eleganter Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. ℣. 3. sic effert: *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro:* idque sive debitum hoc expressè petatur, sive tacitè, ut docet S. Th. *in* 4. *dist.* 32 *q. un. art.* 2. *q.* 1. & quidem sub peccato mortali, si alter conjugum seriò, instanter, & rationabiliter illud petat, nec ulla alia interveniat causa legitimè excusans ab obligatione reddendi, ut ex communi Theologorum consensu deducit Rmus Maurus Oberaicher *tr.* 2. *de Sacrament. matr. c.* 5. §. 2. *per tot. Tertiò* ut ambo conjuges mutuò cohabitent: quia sine cohabitatione prædictus matrimonij finis, ac effectus obtineri nequit. Est verò virl, utpote

utpote directoris familiæ, determinare locum habitationis, & uxor eum sequi tenetur, si possit sine gravi corporis, aut animæ periculo, aut incommodo. *c. unaquaq; 3. causâ 13. q. 2.* Panormit. *in c. quòd super. n. 8. de Vot. redempt.* Navarr. *in Man. c. 14. n. 20.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 3.*

In facto *dubitatum* scio: an uxor virum sequi teneatur, si in pactis matrimonialibus certus locus habitationi destinatus fuit?

Affirmativæ adhærent Covarr. 4. *Decret. 2. p. c. 7. init n. 5.* Gomes. *var. Resol. lib. 2. c. 10. n. 24.* cum aliis propter textum in *l. Titio 71. §. 2. ff. de Condit. & demonstrat.* Negativam propugnat Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 40. n. 2.* & Pontius *lib. 12. c. 20. n. 8.* & pars major Theologorum. Illud communiter concluſum est, quòd quando justa & legitima causa supervenit, ob quam maritus in loco convento habitare nequeat, uxor maritum sequi teneatur, non obstante pacto etiam jurato, Panormit. in *c. 1. n. 5. Qui matrim. accus.* Alex. de Novo. *Eod. n. 6.* Qualis causa justa & sufficiens reputatur inimicitia in loco illo contracta. Navarr. *in Man. cap. 14. sub n. 20. ¥. nisi verò.* Item infirmitas ex aëris intemperie imminens. Hostiens. *in Sum. tit. de Conjug. servor. in fin.* Farinac. *de Delict. carn. q. 143. n. 281.* plerumque verò cognitio hujusmodi causæ relinquitur Judici, qui perpensis circumstantiis ex facti contingentia omnia suo arbitrio moderabitur per text. in *l. Mœvia 13. §. 1. ff. de Annuis legatis.* In dubio tamen, cùm arbitrium regulatur à Jure, Judex pronuntiabit, quòd uxor virum comitari debeat, ne aliàs detur occasio incontinentiæ, ut ponderat Panormit. *in d. c. 1. n. 5. in fin.*

Quartus effectus communis Matrimonii est prolium susceptio, & legitima earum educatio: quæ in eo consistit, ut lactentur, alantur, & benè instituantur.

Lactare infantes matres ipsæ suis uberibus debent, nullo vel nobilitatis, vel humilitatis habito respectu. Tiraquel. *de Nobil. c. 20. n. 80.* Quod adeo æquum visum fuit Diocletiano, & Maximiniano, ut non aliter matrem de filii alimentis adversus patrem audiendam rescripserint, quàm in priori vitæ triennio filium ablactaverint, & reliqua educationis officia exhibuerint. *l. nec filium 9. C. de Patria potest.* idque meritò: solent enim infantes cum lacte morbos, & mores imbibere, ut Historiæ memorant de Tiberio, qui per nutricem ebriosam factus est ebriosus; & de Caligula, qui tyrannidem suam, maiéque compositos mores non ex parentibus, sed nutrice imbuba suxit. Quapropter saltem venialiter peccant matres, quæ emptis nutricibus infantes lactandos præbent, nisi adversa valetudine ad hoc adigantur. Covarr. 4. *Decretal. 2. p. c. 8. §. 6. n. 13.*

Alere liberos pro conditione, qualitate, & modo facultatum primariò tenetur Pater, & si detrectet, pignoribus captis & distractis à Judice cogi potest. *l. 5. §. 10. ff. de Agnosc. & alend. lib.* quoniam jure naturali convenit, genitum ali, & conservari à genitore, ne pereat. *l. un. §. 5. C. de Rei ux. act. l. fin. §. 5. C. de Bonis, quæ lib.* Quòdsi Pater inops sit, vel jam mortuus, onus alendi devolvitur ad avum, aut proavum, & in horum defectum ad matrem, & ad alios, qui per illum sexum parentes sunt. *d. l. 5. §. 2. 3. & seqq. l. pen. ff. de Agnoscend. & alend. lib.* Nisi liberi ipsi habeant patrimonium, vel suis operis se alere possint. *d. l. 5. §. 7.* Layman. *lib. 5. de J. & J. tr. 10. p. 3. c. 5.* Addo, quòd sicut liberi à Parentibus, ita mutua pietate Parentes, si egeant, à liberis, & horum hæredibus alendi sint. *d. l. 5. pr. §. 1. 2. & 17.* Zoës. *ad ff. eod. n. 3.*

Prima verò Parentum cura esto, quibus moribus, ac studii sliberi à teneris, ut ajunt,

unguiculis imbuantur. *Educatio* (inſit Seneca *lib. 2. de ira*) *maximam diligentiam, plurimúmque profuturam deſiderat: facilè eſt teneros adhuc annos componere: difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt.* Et veriverbium eſt: *à teneris aſſueſcere multùm* Unde & Eccleſiaſt. *c. 7. ℣. 25. Filii tibi ſunt, erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Quibùs autem ſtudiis filii Principum inſtrui debeant, exponit P. Otto Aicher in *Hiſtoria quarta Monachia lib. 6. c. 1. q. 1.* Ferdinandus Ferdinandi II. Filius, ubi decimum octavum ætatis annum attigit, à Patre, ut ſeerctioribus intereſſet cõſiliis, juſſus eſt, in quibus primùm aliorum vota audivit, poſtea ſuũ etiam dixit: hinc & ulteriùs ipſemet rebus gerendis præpoſitus, Hungariæ, & Boëmiæ Rex coronatus, exercitûs totius Dux Generaliſſimus. Dein in Belgium evocatus Belgicarum Provinciarum Gubernator factus Provincias illas Philipi IV. Hiſpaniarum Regis nomine ſumma cum laude, & utilitate gubernavit, donec in Imperium revocatus imperiale ſceptrum ſuſcepit: ubique, & ſemper ſolidum rebus collapſis fulcrum. Mellic. *Hiſtor.*

116 *Quintus* effectus utrique Conjugum communis eſt mutua rerum, & bonorum communio: non quoad proprietatem, ſed promiſcuum uſum; ſiquidem Jure communi nec res mariti uxoris, nec uxoris (excepta dote) mariti ſunt per *l. 1. §. 15. ff. de Senatûsconſult. Sillan. l. 8. & fin. C. de Pactis convent. tam ſuper dote. t. t. C. Ne uxor pro marito.* Signa communionis, quæ habentur in *l. 1. ff. de Actione rer. amot. l. 4. C. de. crim. expil. hæred.* licèt ſint veſtigia veteris alicujus ſocietatis bonorum inter conjuges, Cypræus *de Jure connub. c. 8. n. 5.* non tamen probant præſentem, cùm ex allegatis *legibus* liqueat, Imperatorem prorſus ab illa receſſiſſe, & leges obſtantes intellectas velle de conſociatione, in qua non tam conjugum bona, quàm corpora communicantur. Neque quis autumet, aliud Jure Canonico cautum eſſe in *c. 2. de Donat. inter. vir. & uxor.* prout interpretantur Gloſſ. in *c. cùm ſocietas. 17. causâ 27. q. 2.* & Nicol. Everhard. *conſil. 53. & 56.* ex illo enim *cap.* nil aliud probatur, quàm quòd conjuges multas res, ſi velint, poſſint habere communes, quas ſolutô matrimoniô inter ſe dividere teneantur. Covarr. 4. *Decret 2. p. c. 7. §. 1. n. 5.*

Porro bona conſtante matrimonio quæſita cenſentur eſſe mariti ejúsque hæredum: quia in dubio, unde ad mulierem quid pervenit, & verius & honeſtius eſt, quod non demonſtratur, unde habeat, exiſtimari à viro ad eam perveniſſe. *l. Quintus Mutius 51. ff. de Donationib. inter vir. & uxor.* Quæ præſumptio præſertim in uxoribus nobilibus obtinet, ut quæ ex caſeis, butyro, vitulis, capris, agnis, anſeribus, gallinis, & cæteris id genus animalibus, quæ non niſi ex feudi proventibus ali, & educari poſſunt, æs corradere, & ſuum augere patrimonium optimè callent. Menoch. *lib. 3. præſumpt. 51.* Gail. *lib. 2. obſerv. 78. n. 9.* Mynſing. 2. *obſervat. 92. n. 1. & 2.* Ceſſat tamen hæc præſumptio *primò*, ſi uxor locuples egenti marito nupſit, & bona paraphernalia, aut receptitia habuit. Menoch. *d. præſumpt. 51. n. 38.* Maſcard. *de Probat. concl. 214. n. 13. Secundo*, ſi uxor per artem ſericam lucrum fecit, aut egregiam operam pro auctione rei familiaris contulit. Mynſing. *d. obſer. 92. n. 5.* Marta in *Digeſt. noviſſ. tom. 3. tit. ſocietas. c. 21.* Menoch. *ubi ſupra n. 32.* qui videtur hoc velle reſtringere ad mulierem negotiationes exercentem. *Tertiò*, ſi planum eſt, facultates viri, ejúsque induſtriam non fuiſſe tales, ac tantas, ut veriſimiliter inde familia ſuſtentari potuerit. Maſcard. *d. n. 13.* Vaſquez 3. *illuſtr. c. 105. n. 16.* ubi & rationem naturalem adduxit: quia ex bonis, quæ non apparent, aliquod lucrum proficiſci nequit, cùm ex nihilo nihil fiat.

Sed

Sed hæcita de jure communi. Consuetudine, aut statutô in tota ferè Germania, Gallia, Hispania, & aliis pluribus Provinciis, ac Regnis communicationem bonorum acquisitorum inter conjuges receptam esse, post alios testatur Wolf. Lauterbach *vol.* 1. *disput. de Societ. conjug. cap.* 2. *th.* 7. Georg. Everhard, *vol.* 1. *consil.* 62. *n.* 14.

117 *Effectus* matrimonii marito proprii potissimùm duo sunt: nempe maritalis, & patria potestas.

Maritali potestati uxor non solùm jure humano, sed & Divino subjecta est. *Genes.* 3. ℣. 16. ibi: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. & ad Ephes. c.* 5. ℣. 21. ibi: *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* Hinc permissum est viro, uxorem immorigeram, ac refractariam moderatè verberibûs compescere, arg. *l. un. C. de Emendat. propinq. Novell.* 117. *c.* 14. & ibi Gothofred. Gloss. *in l. sed etsi quemcunque. §. fin. in fin. ff. Ad L. Aquil.* Nec maritus cogi potest ad cavendum de non castiganda uxore, & si defacto ad hoc se obligâsset, pactum non valeret, eò quòd daret ansam delinquendi. Panormit. in *c. ex transmissa. de Restit. spol.* Rota *in dec.* 371. *n.* 5. *post. sec. vol. consil. Farinacii.* Alex. Spetell. *dec.* 139. *n.* 10. Suaserim tamen, ut maritus seriùs ad verbera, alapas, & scuticam provolet, cùm amor conjugalis obsequiô magis, & benevolentiâ, quàm asperitate conservetur, ac promoveatur juxta Apostolum ad Ephes. *c.* 5. ℣. 25. *& seqq.* Cujus malus interpres non malus ille Poëta, qui cecinit:

Conjunx chara viri caro si est, ut Apostolus inquit:
Vir studeat carnem mortificare suam.

Acris & vehemens disputatio est: an marito illustri erga uxorem illustrem jurisdictio competat, ita, ut eam tam in civilibus, quàm criminalibus judicare possit.

Nullam jurisdictionem marito illustri in uxorem competere, defendit Myler. ab Ehrenbach *in Gamol. person. illust. c.* 7. *num.* 22. eò quòd uxor mariti sit socia. *l.* 1. *ff. de Ritu nupt. l. adversus.* 4. *C. de Crim. expil. hared.* & uxor Principis, ac statûs Imperii æquè, ac ille immediata persona Imperii esse putetur. Tiber. Decian. *consil.* 222. *n.* 3. Cravet. *consil.* 289. *n.* 5. Quamobrem cùm par sit marito, nunquam fieri poterit, ut maritus ei imperet tanquam subditæ, & in eam jurisdictionem exerceat. arg. *l.* 4. *ff. de Recept. qui arbitr.* Menoch. *consil.* 250. *n.* 40 ideóque si quis uxori Illustri litem movere velit, vel Austregas, vel Cameram Imperialem pro causæ qualitate adire tenebitur. Lymnæus *de Jure publ. l.* 9. *c.* 5. *n.* 60. Gail. 1. *Observ.* 1. *n.* 17. *& seqq.* & Ego *ad tit. de Foro compet. n.* 90.

Verùm etsi opinio hæc fortè in practica & judicando tenenda sit, opposita tamen à veritate theorica non abhorret: inprimis quia uxor illustris transeundo per nuptias in mariti sui territorium ibi constituit domicilium, quô ipsô aliquis domini territorialis propriè fit subditus, ut docet ipsemet Myler. ab Ehrenbach *de Princip. & Statib. Imper. c.* 38. *n.* 7. Rosenthal. *de Feud. c.* 6. *conel.* 85. *n.* 9. quod in Principibus quoque & statibus Imperii obtinere asserunt non pauci apud Tileman. *de benig. decis. Camer. syntagm.* 4. *dec.* 1. *vol.* 10. licèt negent alii apud Caspar. Ziegl. *ad Aur. prax. Calvoli. §. Landsassii. num.* 24. *& seqq.* Deinde vulgatum est, quòd quilibet Princeps in suo territorio tantum possit, quantum Imperator in Imperio, nisi quid nominatim inveniatur exceptum. Gail. *de Pace publ. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10. ergo sicut Augusta Imperatori subdita est. arg. *l.* 31. *ff. de Legib.* adeóque etiam coram Imperatore conveniri potest. Lymnæus *ad A. B. §. fin. observ.* 4. ita pariter statûs, seu Principis Imperii jurisdictioni uxor ejus sese eximere nequit. Quod porrò tantò faci-

faciliùs tunc concedendum, si contrahendo, aut delinquendo eidem sese subjecerit, quantò certiùs debitor in loco contractûs. *c. fin. de Foro compet.* & reus in loco delicti forum sortitur. *l. fin. ff. de Accusat.* junctâ *l.* 1. *in fin. C. Ubi Senator. Auth. qua in provincia. C. Ubi de criminibus.* Huc inclinat Stryck *in Usu mod. ff. lib.* 2. *tit.* 1. *§.* 29. Schütz *in Coll. jur. publ. vol.* 1. *disp.* 3. *th.* 32. Et exempla Principum & Regum, qui in uxorum suarum flagitia animadverterunt, recenset P. Otto Aicher *in Historia quarta Monarchiæ lib.* 5. *c.* 3. *quæst.* 2.

Nec est, quòd sollicitet, quod ingeritur, uxorem mariti esse sociam, & parem in parem non habere jurisdictionem: enim verò uxor tantùm domesticæ curæ, non etiam maritalis imperii, & jurisdictionis socia est. Vitriar. *in jure Publ. lib.* 3. *tit.* 17. §. 10. Regula verò, quòd par in parem non habeat jurisdictionem, *per l.* 13. *§.* 4. *ff. ad SCtum Trebell. & l.* 14. *ff. de Jurisd.* disertè limitatur, nisi alter alterius jurisdictioni sese subjecerit, quod nostro in casu fœmina nubendo feciſse existimanda est. Neque etiam impedit, quòd uxor Principis non minùs, quàm ille immediata persona Imperii esse censeatur: nam revera talis nonnisi extra potestatem, & territorium mariti, aut nonnisi per ejusdem gratiosam concessionem esse poterit. Vitriar. *d. §.* 10. *in fin.*

Patria Potestas est jus imperandi liberis ad utilitatem familiæ paternæ legibus Romanis limitatum. *§.* 2. *Instit. de Patria potest.* & respicit vel liberorum personas, vel eorum bona. Quoad *personas* olim potestas illa tanta fuit, quanta dominorum in servos, hoc est, jus vitæ, & necis. *l.* 11. *ff. de lib. & posthum. l. ult. C. de Patria potest.* successu temporis autem multùm minuta est, dum jus vitæ, ac necis, & venditio (excepto casu nimiæ egestatis) prohibeatur. *l.* 3. 4. *& fin. C. Eod.* relicta tamen Patri facultate terminandi controversias domesticas, & liberos, si nolint parere liberè, virgis, lorîs, & vinculîs coërcendi. *d. l.* 3. *&* 4. arg. *l. un. C. de Emendat. serv. & l. un. C. de Emendat. propinq.* Quod ad res attinet, olim quidquid ad liberos pervenerat, hoc parentibus suis adinstar servorum acquirebant; verùm sequentibus temporibus peculiorum distinctio introducta, & sancitum est, ut Pater vi patriæ potestatis in peculio profectitio plenum dominium, in adventitio regulariter solum usumfructum obtineat, in adventitio verò extraordinario, & à fortiori in castrensi, vel quasi castrensi omne jus sit filii, nec quicquam in iis competat Patri. §. 1. *Instit. per quas personas cuique adquir. l.* 6. *C. de Bonis quæ lib. Novell.* 117. *cap.* 1. Clariss. D. D. Gletle *in compend. method. Instit lib.* 2. *tit.* 9. Atque hoc jus patriæ potestatis non tantùm inter privatos, sed & inter ipsos Imperii Principes obtinere, vel ex eo patet, quòd Carolus V. Electorem Saxoniæ Joannem Fridericum libertati pristinæ reddendo die 22. Aug. Annô 1558. eidem in specie patriam potestatem in liberos restituerit. Rhet. *Instit. jur. publ. lib.* 1. *tit.* 20. § 1.

Nonnunquam matrimonium tribuit successionem quasi per pacta dotalia: quanquam successio jure connubiorum sit rarior. Besold. *de Regal. success. diss.* 10. Ita Maximilianus I. Imperator, cùm matrimonio sibi junxisset Mariam Caroli Burgundiæ Ducis Bellicosi filiam, consecutus est Belgium. Hujus filius Philippus, ductâ in uxorem Joannâ Ferdinandi Catholici, & Isabellæ Aragoniæ, & Castiliæ RR. hærede, sibi acquisivit Hispaniam. Philippus II. Caroli V. filius beneficiô coniugii paterni cum Isabella Regis Lusitaniæ Emanuelis filia adjecit Regnis suis Portugaliam. Rudolphus I. Comes Habspurgicus, postea electus Romanorum Imperator matrimoniô initô cum Anna Alberti Comitis

ab

ab Hohenberg, & Egesheim, Landgravii Alsatiæ filia, & unica hærede, mortuo Alberto Patre, maximam partem Alsatiæ cum Comitatu Hochberg, scilicet Horb, Rotenburg, additis Schönbergio, Haigerlochio, & aliis locis obtinuit. Albertus I. Rudolphi Imperatoris filius per matrimonium cum Elisabetha Ducis Carinthiæ, & Tyrolensis filia prima fundamenta posuit hodiernarum adhucdum possessionum Serenissimæ Domûs Austriacæ, nimirum Ducatûs Carinthiæ, & Principalis Comitatûs Tyrolensis, cum adjacentibus Dynastiis. Albertus II. Sapiens dictus postquam Joannam Ulrici Comitis Pfurtensis ultimi, Basileæ defuncti, relictam filiam duxisset, Comitatum illum cum propinquis locis Reinfelda, Schaffhusio, Neoburgo, Fryburgo, ut & partem Landgraviatûs Alsatiæ Regionibus Austriæ adjunxit.

Sic nubis felix, & felix Austria bellat.

119 Inter effectus matrimonii *proprios* Uxori præcipuus est, quòd fruatur dignitate, & nobilitate mariti. *l.* 8. *pr. ff. de Senatorib. l.* 10. *& ult. C. de Nuptiis. l.* 13. *C. de Dignit. l. fin. C. de Incol. Novell.* 105. *cap.* 2. *in pr.* & ideo si Princeps, aut Comes Imperii ducat inferioris conditionis uxorem, statim dignitatis suæ radios in hanc derivat, ut Principissa, Ducissa, vel Comitissa salutari debeat; nisi fortè matrimonium sit inæquale, seu *ad morganaticam* contractum, quo de *supra n.* 91. Anton. Fab. *in C. lib* 9. *tit.* 29. *def.* 16. Tiraquell. *de Nobil. c.* 18. Besold. *Consil. Tubingens.* 88.

An autem vice versa Principis, vel Comitis filia inferiori, v. g. Baroni, vel Nobili nupta titulum generis & familiæ amittat, maritíque dignitate, ac honore contenta esse debeat? ambigitur.

Ita videtur secundùm *d. l.* 10. *C. de Nuptiis. l.* 3. *C. de Dignitat. l.* 8. *ff. de Senatorib.* idque in tantum, ut etiam mortuô maritô priorem nobilitatem non recuperet, sed restitutione opus habeat. *l. Imperialis.* 23. *C. de Nupt. l.* 1. *C. de Sentent. pass.* Nisi denuò illustri viro nubat, & quasi jure postliminii novam novi mariti dignitatem adipiscatur *l. ult. C. de his, qui veniam ætat.* Tiraque *l. d. c.* 18. *num.* 38. Verumtamen usus aliud servat inter personas, quæ dicuntur illustres, eò quòd in his dignior sit generis dignitas, quæ venit à Patre, eâ, quæ ex parte mariti obvenit per *l.* 1. *C. de Dignitat.* Hinc Cassanæus in *Catal. Gloriæ mundi. p.* 2. *consid.* 40. concludit, quòd si filia Regis nubat alicui Duci, vel Comiti, nihilominùs dicenda sit *Regalis*: & si filia Ducis nubat militi inferiori, tamen appellari debeat *Ducissa.* Atque ita nostrô ævô Joanna Austriaca Francisci Medicæi Toscani Ducis uxor, dum viveret, *Regina Joanna* vocata fuit: & Matildis Alphonsi I. Lusitaniæ Regis filia Philippi Alsatiæ Comitis uxor titulum Reginæ servavit. Nicol. Myler. ab Ehrenbach in *Gamol person. illustr. c.* 5. *n.* 25.

Alter effectus proprius uxori est, quòd ple- 120
raque privilegia viri, veluti fori, sessionis, immunitatis &c. participet per *l.* 2. *§.* 4. *C. de Episcop. & Cler. l. fin. C. de Injur. l. medicos.* 6. *& ult. C. de Professoribus, & medicis.* proinde uxor Principis, aut Statûs Imperii ex mediata fiat persona immediata Imperii, saltem extra territorium mariti, arg. *l. pen. C. de Silentiariis, & decur. & l.* 19. *ff. de Jurisdict.* Quando vult condere Testamentum, non tenetur adhibere omnes solennitates à Jure civili præscriptas, sed satis est, si solennitates Juris gentium observet, arg. *l.* 4. *C. de Crim. expil. hared. l. Princeps.* 31. *ff. de Legib. l.* 3. *C. de Quadriennii præscript.* Item potest uxori Illustri testamentû tanquam Principi oblatum insinuari. arg. *l.* 19 *C. de Test.* Tabor *de Test. Princip. oblat. c.* 6. *n.* 11. & si donatio ab illa facta sit, nõ eget insinuatione, ac si ipse Princeps maritus

donâsset, licèt excedat quingentos solidos. *l.* 37. *pr. C. de Donat.* Si illa donat aliquibus in Gynæceo suo, aut alteri, donatum induit naturam castrensis peculii, ut Pater donatariæ, vel donatarii usumfructum in re donata prætendere nequeat. *l.* 7. *C. de Bonis, quæ lib.* arg. *l. un. C. de castrens. omn. pal. pec.* Ministri uxoris Principis idem Privilegium habent, ac ministri mariti Principis. arg. *l.* 3. *C. de Præpos. sacri cubic.* Bona illius æquè gaudent immunitate à vectigalibus, ac ipsius Principis mariti. arg. *l.* 9. §. *fin. ff. de Publican. & vect.* Denique propterea etiam in Augustam crimen læsæ Majestatis committitur, cùm ea sit quasi unum corpus cum Imperatore, aut saltem ejus pars integralis. arg. *l.* 5. *C. ad l. Juliam Majest.* Clariss. D. D. Gletle *in tr. de Crimin. publ. c.* 2. §. 3. *n.* 7.

121 *Tertius* effectus proprius ex parte uxoris est, quòd mariti domicilium sequatur. *l.* 19. *de Jurisdict. l. fin.* §. 3. *ff. ad municip. l.* 13. *C. de Dignitat.* & forum cum eo commune habeat adeò, ut dotem, non ubi pacta dotalia confecta sunt, sed ubi maritus domicilium habuit, repetere debeat, licèt aliàs locus ipsius conventionis competens forum constituat. *l. exigere* 65. *& ibi* Gloss. *ff. de Judiciis.* Hoc verò intelligi debet de uxore vera, & legitima. *l.* 37. §. 2. *ff. ad municipal.* non etiam de Sponsa de futuro. *l.* 32. *ff. Eod.* nec de uxore illegitima, ut quæ nec uxor dicitur. §. 11. *Instit. de Nupt.* Struv. *ad ff. exerc.* 9. *th.* 28. *in fin.*

Cæterùm uxor familiam, dignitatem, privilegia, domicilium, & forum mariti retinet etiam maritô mortuô, quamdiu statum vidualem honestè servat. *l.* 22. §. 1. *ff. ad municip. d. l.* 13. *C. de Dignit. l. fin. C. de Incolis.* Quia dum vidua est, stare & esse in matrimonio intelligitur, arg. *l. fin. C. de Bon. mater.* Tiraquel. *de Nobil. c.* 18. *n.* 9. & viva imago viri defuncti remanet. Gutier. *Can. qq. q.* 12. *n.* 2. Neque incogniti juris est, si quando ex alterius persona jus alicui quæsitum est, durare illud, quamvis persona, à qua habetur, sit extincta. *l. si post mortem* 10. §. *fin. ff. de Bonor. possess. contra tab.* Imò tametsi vidua vitâ impudicâ, puta admissô stuprô, prioris mariti dignitatem, & privilegia amittat, arg. *l.* 17. *C. de Revoc. donat.* Carpz. *de Proces. tit.* 3. *a.* 1. *n.* 54. domicilium tamen eô ipsô non amittit. Wolf. Lauterbach *vol.* 2. *disp. de Domicilio. cap.* 3. *n.* 78. nisi fortè & hoc privilegiatum fuerit; quo casu sine dubio unà cum aliis privilegiis tollitur.

§. XI.

Contraria matrimonii sunt impedimenta 122
juris tum dirimentia, tum impedientia tantùm: & divortia.

Impedimenta *dirimentia* sunt, quæ matrimonium defacto, non de jure initum, reddunt irritum: seu. cum quibus matrimonium initum & illicitum est, & invalidum. Horum vulgò numerantur quatuordecim his versiculis comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis;
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Si mulier sit rapta, loco nec redditatuto:
Hæc sociandavetant, connubia facta retractant.

Impedimenta *impedientia* tantùm, quæ quidem reddunt matrimonium illicitum, relinquunt tamen validum, jure communi sunt duodecim, & exprimuntur his versibus:

Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum.
Incestus, raptus sponsata, mors mulieris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,

Vel

Vel si pœniteat solenniter, aut monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

De illis impedimentis promiscuè per plures *titulos* subsequentes, de istis ordine *tit. XVI.* agemus. Interim *quæstiones* quasdam generales, ac omnibus impedimentis communes discutiamus.

123 *Prima* est: an detur potestas humana, quæ possit statuere, & inducere impedimenta matrimonii tam dirimentia, quàm impedientia?

Non desunt hæretici, qui negent, posse jure humano constitui impedimenta dirimentia matrimonii, eò quòd, si consideretur in ratione contractûs, debeat relinqui sub tota libertate, quæ illi convenit de jure naturali; si verò spectetur ut Sacramentum, debeat relinqui in sua institutione facta à Christo Domino, qui determinavit, quidquid pertinet ad substantiam & valorem singulorum Sacramentorum, quam institutionem non potest deinceps ulla lege vel ipsa Ecclesia & Pontifex immutare.

Econtra conveniunt Catholici, verè posse humano jure constitui impedimenta, quà impedientia, quà dirimentia, éstque à Tridentino Concilio *sess. 24. de Matrim. can. 4.* definitum: *si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errâsse, anathema sit.* Ratio est: quia jure humano possunt statui conditiones humanorum contractuum, tum ut licitè, tum ut validè celebrentur: ergo & matrimonium, cùm non tantùm sit Sacramentum, sed etiam contractus civilis, jure humano potest subjici hujusmodi conditionibus, statuendo, ut matrimonium ab his, vel illis personis, aut hôc, vel illô modô contractum sit illicitum, vel invalidum. Neque id sublatum est per elevationem matrimonii ad statum Sacramenti: siquidem ratio Sacramenti superveniens matrimonium non mutat, sed potiùs supponit ut materiâ humanum contractum, quô immutatô per humanam potestatem desinit consequenter esse materia Sacramenti, ea ferè ratione, quâ vinum per aquæ, aut aceti affusionem corruptum desinit esse materia Eucharistiæ. Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 1.* quem refert, & sequitur Vincent. de Justis *de Dispens. matr. lib. 2. c. 1. n. 21.*

Rationem oppositam hæreticorum non moror: cùm nihil admodum concludat: non enim necessum est, aut expedit, ut modus matrimonialis contractûs relinquatur in tota naturali libertate, sed potest justis de causis coarctari ad certas conditiones, & qualitates personarum, quæ alioquin ex ipso jure naturæ non requiruntur, sicut planè in aliis contractibus factum est. Nec hinc sequitur, humanam potestatem immutare aliquid quoad substantiam hujus Sacramenti, ut à Christo institutum est: quippe Christus quidem instituit, ut contractus legitimus conjugalis inter fideles sit Sacramentum, non tamen instituit, neque determinavit, à quibus personis, & quô modô legitimè celebretur, sed hoc reliquit determinationi potestatis humanæ, sicut antea erat. Proinde potest, & potuit Ecclesia certas conditiones, & qualitates in personis exigere, quibûs deficientibus contractûs sit invalidus, & per consequens inepta, ac insufficiens materia hujus Sacramenti; quod non est per se, & directè substantiam Sacramenti immutare, sed tantùm per accidens, remotè, & indirectè, ut declarat Reverendiss. Maurus Oberascher *tr. 2. de Sacrament. matrim. c. 3. §. 1.*

Ex his efficitur, spectatâ contractûs ma- 124
trimonialis naturâ, omnem Magistratum etiam sæcularem, qui habet potestatem ferendi leges, ex causa boni publici impedimenta matrimonii inducere posse, non obstante, quòd matrimonium Christianorum sit Sacramentum; cùm impedimenta non

ſtatuantur circa matrimonium, ut Sacramentum eſt, ſed ſolùm, ut eſt contractus, ſub qua ratione utique ſæculari jurisdictioni ſubjacet. S. Th. *in* 4. *diſt.* 34. *q. un. art.* 1. *ad* 4. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 3. *n.* 2. *&* 4. éſtque ferè communis Theologorum, teſte Dicaſtillo *tr.* 10. *de Matrimon. diſput.* 7. *dub.* 1. *num.* 8. Attamen
125 Eccleſia Principibus Chriſtianis reſpectu fidelium omnem hujus poteſtatis uſum interdixit, & impedimentorum conſtitutionem ſoli S. Pontifici, tanquam capiti, & Concilio Generali reſervavit propter dignitatem Sacramenti. Laymann *d. cap.* 1. *num.* 2. *per c. tuam. de Ord. cognit. c.* 1. *de Conſang. & affinit.* Unde nec ipſe Imperator ſubditis ſuis fidelibus impedimenta ſtatuere poteſt. Cœval. *qq. comm. contra comm. q.* 58. *n.* 10. nec Epiſcopus pro ſua Diœceſi. Sanch. *d. l.* 17. *diſp.* 1. *n.* 9. Laymann *n.* 4. Vincent. de Juſtis *lib.* 2. *tit c.* 1. *n.* 35.

126 *Queſtio* ſecunda eſt: an, à quo, & in quibus impedimentis matrimonii fieri poſſit diſpenſatio? Reſpondeo breviter, &

Dico I. In impedimentis jure naturali matrimonium dirimentibus, qualia ſunt error circa perſonam, ligamen prioris conjugii, impotentia ad copulam, conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, & ſi quæ alia, nec S. Pontifex poteſt diſpenſare: quia non apparet, quòd hæc poteſtas à Chriſto ipſi ſit conceſſa, nec unquam eâ uſus eſt. Patrit. Sporer *de Matrim. c.* 1. *n.* 5.

Dico II. In impedimentis dirimentibus jure Eccleſiaſtico, vel Chriſtiani populi more conſtitutis S. Pontifex diſpenſare poteſt tanquam caput Eccleſiæ, arg. *cap.* 4. *&* 20. *de Elect. cap.* 4. *de Conceſſ. præb.* Jacob. Pignatel. *tom.* 8. *conſult.* 111. *n.* 1. Nullus tamen præter eum id poteſt ordinaria poteſtate: quandoquidem nullus inferior poteſt propria auctoritate diſpenſare in lege ſuperioris. *Clem.* 2. *de Elect.* Vincent. de Juſtis *de Diſpenſ. matr. l.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. Niſi quando impedimentum eſt occultum, & matrimonium publicum, nec conjuges poſſunt ſeparari absque magno ſcandalo, nec ad S. Pontificem, aut Nuntium, vel alium habentem expreſſam facultatem diſpenſandi patet recurſus propter paupertatem, locorum diſtantiam, aut alia legitima impedimenta; quo caſu Epiſcopo præſumitur conceſſa tacita facultas in tali impedimento dirimente diſpenſandi, modò matrimonium bona fide contractum fuerit. Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 7. Gutierrez *de Matrim. c.* 49. *n.* 6. *& ſeqq.* Zerol. *in Prax. Epiſcop. p.* 1. *v. diſpenſatio §.* 3. Imò validè probabile eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare in ejusmodi impedimento dirimente etiam ante contractum matrimonium, ut docent Sanchez *lib.* 2. *de Matrimon. diſput.* 40. *n.* 7. Salas *de Legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. *n.* 27. & Barb. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 35. *n.* 5. Atque ita à Nuntio Hiſpaniæ, & ab Epiſcopo Abulenſi de conſilio plurium Theologorum diſpenſatum fuiſſe, refert Garz. *in tr. de Benef. p.* 11. *c.* 5. *n.* 34.

Dico III. In impedimentis impedientibus 127
etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt in ſua Diœceſi, exceptô impedimentô ſponſalium, perpetui voti caſtitatis, & religionis. Ita omnes Canoniſtæ ex ea ratione: quia quamvis inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris per ſe loquendo, nihilominus conſuetudine receptum eſt, ut pro diſpenſatione horum impedimentorum non recurratur ad S. Pontificem, ſed ſolùm ad Epiſcopum. Navar. *in Man. c.* 22. *n.* 85. Sanchez *d. diſp.* 40. Filiuc. *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 303.

Tertia quæſtio eſt: quomodo matrimo- 128
nium ob impedimentum dirimens invalidè contractum, impedimentô per diſpenſationem, vel aliô modô ſublatô, revalidari poſſit? Reſpondeo iterum diſtinctè, &

Dico I. Si impedimentum vim dirimendi

non

nonnisi inter dissentientes habet, veluti *metus aut error*, ad convalidandum matrimonium sufficit, si ille, qui erravit, metúmve passus est, de novo consentiat, suúmque consensum vel per copulam affectu maritali factam, vel aliò signò externò manifestet, absque eo, quòd alteri nullitatem matrimonii indicet, ejusdémque consensum de novo requirat: quia quamvis ab initio matrimonium ob metum, aut errorem sponsi v. g. invalidum fuerit, liber tamen à metu, vel errore, ut supponitur, & validus, ac ex se sufficiens fuit consensus sponsæ, ut accedente consensu sponsi sive in continenti, sive ex intervallo verum matrimonium consurgeret: neque enim ad matrimonium exigitur sponsi, & sponsæ consensus formaliter, & Physicè simultaneus, sed satis est, quòd is, qui priùs tempore consensit, in sua voluntate perduret, & consensum non revocaverit juxta tradita *n.* 103.

Dico II. Si matrimonium fuerit nullum propter consanguinitatem, affinitatem, aut simile impedimentum inhabilitans personas ad contrahendum, ut tale matrimonium revalidetur, obtenta dispensatione uterque conjugum novum consensum præstet, oportet, idque etsi tantùm unus ex illis sit conscius nullitatis matrimonii: eò quòd utriusque consensus ab initio fuerit illegitimus, & penitùs nullus utpote profectus à personis ad contrahendum inhabilibus. Unde si nullum immineat periculum gravioris incommodi, tutius est, si pars conscia nullitatis, saltem in confuso defectum comparti aperiat, & eam inducat ad præstandum novum consensum, ne alioquin pars impedimenti ignara non tam ponat novum consensum, quàm priorem tantùm confirmet, cùm tamen prioris confirmatio tanquam invalidi non sufficiat. Vincent. de Just. *de Dispensat. matr. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 397. Quòdsi tamen per hujusmodi manifestationem timeatur periculum gravis incommodi, satis erit, si pars à parte ignara impedimenti impetret consensum absque ulla nullitatis matrimonii insinuatione; ut si uxor impedimenti conscia, dum maritum erga se benevolum agnoscit, dicat: *Ego te ita amo, ut si inter nos non esset matrimonium, te in conjugem iterum acciperem, & quantum in me est, accipio: tune ex parte tua idem facis?* Et ille respondeat: *facio*, aut simili verbò, vel saltem copulâ subsecutâ novum consensum declaret. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 36 *n* 5. 6. *&* 9. Navar. *in Man. c.* 28. *n.* 70. & alii à Vincent. de Justis. *d. c.* 6. *n.* 400. *& seqq.* citati.

Dico III. Matrimonium coram Parocho, & testibus solenniter contractum, si sit nullum propter occultum aliquod impedimentum dirimens, sublatò impedimentò convalidari potest absque eo, quòd consensus conjugum coram Parocho, & testibus renovetur: quoniam tali casu cessat ratio Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 1. requirentis præsentiam Parochi, & testium, quandoquidem tale matrimonium occultè reconvalidatum facilè negari non potest, cùm propter solennitates antecedentes constet, quòd publicè contractum fuerit, & econtra ex supposito non constet de impedimento, ratione cujus contractus matrimonialis invalidari possit. Barb. *de Offic. Parochi. p.* 2. *c.* 21. *n.* 82. Navar. *in Man. c.* 22. *n.* 70. ubi testatur ita declarâsse Pium V. Bonacina *de Matrim. q.* 2. *puncto* 9. *prop.* 1. *n.* 4. Dixi: *si matrimonium sit nullum propter occultum impedimentum dirimens;* nam si hoc esset notorium, aut juridicè saltem per duos testes probari posset, necessum foret, ut conjuges denuò publicè denuntiationibûs repetitis, & servatis solenitatibûs coram Parocho, & testibus impetrata dispensatione consensum exprimerent: quia si nullitas in primo contractu propter impedimentum ex una parte probari potest, & ex altera revalidatio nova omninò occulta, & difficilis proba-

probationis est, periculum foret, ne matrimonium quandoque ab alterutra parte negaretur. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 39. *n.* 10. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 94. & ita teste Jacob. Pignatel. *tom.* 8. *consult.* 27. *n.* 4. censuit S. Congregatio Concilii die 25. Maij 1657.

De Divortiis, quæ contrariis matrimonii adnumeravimus, aget *Titulus XIX.* de accessoriis verò matrimonii, scilicet *de dote*, *donatione propter nuptias*, *donationibus inter virum & uxorem*, aliisve *Titulus XX.*

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

SUMMARIA.

1. Definitur desponsatio impuberum.
2. Quo jure? 3. & num sub peccato gravi prohibita sit desponsatio impuberum?
4. 5. 6. An, & qua ætate impuberes possint contrahere sponsalia de futuro? 7. 8. Pubertas quando incipiat, & utrùm ad matrimonium sit necessaria?
9. Qua sit materia desponsationis impuberum? 10. Qua forma? 11. Quis finis?
12. Et seqq. Quem effectum habeant sponsalia impuberum, & quomodo contrahentes inde obligentur?

ET tantùm *de Sponsalibus, ac Matrimoniis* in genere. Sequitur de speciebus; quarum prima *desponsatio impuberum*.

§. I.

1 *Definitur* desponsatio impuberum, quòd sint sponsalia de futuro, aut de præsenti per impuberes inter se, vel cum impuberibus contracta.

§. II.

2 *Causa efficiens* desponsationis impuberum est duplex: alia remota, alia proxima.

Remota est jus, præcipuè Canonicum, quô impuberes ante septennium ad ineunda sponsalia, & ante annos pubertatis ad contrahendum matrimonium inhabilitati sunt. *c.* 3. 4. *& tot. h. t.* quoniam spectato jure naturæ potest quis etiam matrimonium contrahere, ut primùm se exerit judicium intellectûs ad inferendam obligationem naturaliter sufficiens, cùm ad substantiam matrimonii non requiratur, ut contrahentes pro tunc usum illius habere possint, dummodò impedimentum, sive impotentia perpetua non sit. *cap.* 3. *& 6. de Frigid. & malefic.*

Dubium hìc moveri potest: an peccent, & in foro Ecclesiastico puniri possint, qui sponsalia, vel matrimonia ante legitimam ætatem contrahunt?

Prima sententia asserit, eos quoque peccare, qui ante septennium sponsalia contrahunt, vel consulunt, aut inducunt eos ad contrahendum. Ita Bonacin. *de Sponsal. q.* 1. *punct.* 4. *n.* 6. Navarr. *c.* 22. *n.* 31. Sylvester *V. matrimonium.* 5. *n.* 6. & alii propter textum *in c.* 2. *h. t.* ibi: *districtiùs inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* 3

Altera sententia contendit, non tantùm sponsalia ante septimum ætatis annum, sed etiam matrimonia ante annos pubertatis licitè contrahi posse, quamvis eô ipsô invalida sint. Ita cum Panorm. *in d. c.* 2. *n.* 1. Sanch. *lib.* 1. *De Matr. disp.* 17. *n.* 6. ubi hanc opinionem reputat valde probabilem, & penè probabiliorem: eò quòd *d. c.* 2. solùm inhibeat, ne *conjungantur*, id est, ne copulæ carnali dent operam: ne verò contrahant de præsenti, neque isto, neque ullo alio textu prohibitum reperitur, sed potiùs permissum est, cùm SS. Canones matrimonium hujusmodi impuberum interpretentur in vim sponsalium de futuro juxta *c. fin. h. t.*

Ego in hoc dissidio præfero opinionem mediam, videlicet, quòd qui contrahunt sponsalia

falla ante septennium, non peccent, sicut non peccant, qui condunt testamentum ante legitimam ætatem: peccent verò, & grave sacrilegium admittant, qui ante pubertatem matrimonium ineunt, non secùs, ac si adulti cum impedimento dirimente contraherent, vel in alio Sacramentis minister talem defectum committeret, ut Sacramentum redderetur invalidum. Neque dicas cum Sanch. *cit. loc.* non irritari hoc casu Sacramentum, cùm matrimonia inter impuberes habeant duntaxat rationem sponsalium: nam hoc ipsum est sacrilegium, usurpare materiam, & formam Sacramenti, imò intendere Sacramentum perficere in talibus circumstantiis, ubi non potest valere, ut matrimonium, & Sacramentum, sed tantùm, ut sponsalia, quæ minimè sunt Sacramentum.

Parùm etiam oppositas sententias juvat *c. 2. h. t.* districtè prohibens *conjunctionem impuberum*, nisi causâ utilitatis publicæ: neq; enim possis illud intelligere de desponsatione de futuro: quippe hæc non est conjunctio, sed conjunctionis promissio; & minùs de actuali copula carnali: quia illa impuberibus nec ex causa utilitatis publicæ indulgeri potest, itaque accipiendum est de conjunctione conjugali animorum. Gutierrez *de Matr. c. 2. n. 15. & 16.*

Causa efficiens proxima desponsationis impuberum sunt ipsi impuberes contrahentes, qui quidem nondum adepti sunt pubertatem, sed tamen per ætatem consentire possunt; quò ipsò removentur cæteri qui usu rationis, ac per hoc consensu destituuntur, ut infantes per *l. 26. C. de Donat.* Proinde nihil agunt parentes, qui pueris dant puellas in cunabulis, & è converso, nisi ipsi pueri, puellæque, postquam adoleverunt, consentiant. *cap. 4. & 5. h. t. c. un. pr. Eod. in 6.* & latè in *tit. praced. num. 9.* Ut verò ampliùs reluceat, an, & qua ætate impuberes sponsalia sive de futuro, sive de præsenti contrahere possint.

Dico I. Ad sponsalia contrahenda saltem 5
Jure Canonico (quod in hac materia sequimur) tam in masculis, quàm in fœminis requiritur septennium completum, adeò ut antecedenter inhabiles sint ad sponsalia ineunda *d. c. 4. 5. & 13. h. t. c. un. Eod. in 6.* fine dubio ideo, quòd ea fermè ætate, & non antea rationis, ac liberi arbitrii usum consequantur, ut voluntariam in se obligationem suscipere possint per *l. 18. §. fin. C. de Jure delib.*

Non levis *contentio* est: utrùm impubes sponsalia contrahere possit ante completum septennium, si ante hoc anteverteretur usus rationis plenior, & ut dici solet, malitia ætatem suppleat?

Affirmativam amplectitur Sanch. *lib. 1. de Matr. disp. 16. num. 14.* Layman *in Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 16.* Canis. Wagnereck, & Fagnan. *in c. juvenis. 3. de Sponsalibus.* Nec suis fundamentis destituitur: *primò* propter Text *in cit. c. juvenis.* ubi non permisit S. Pontifex, juvenem, qui puellam nondum septennem duxerat, consobrinam ejusdem puellæ ducere ob honestatem Ecclesiæ, id est, publicæ honestatis impedimentum, quod signum est, sponsalia ante septennium cumpriori puella fuisse valida: cùm impedimentum publicæ honestatis non nisi ex sponsalibus validis oriatur. Trid. *sess. 24. de Reform. matr. c. 3. Secundò* propter *l. 14. ff. de Sponsalib.* ubi disertè Modestinus: *In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis; quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possint, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores septem annis. Tertiò:* quia sponsalia sunt via, & dispositio ad matrimonium; ergo cum jus disponat, ut in matrimonio malitia ætatem suppleat. *c. 9. h. t.* idem censetur in sponsalibus disposuisse, arg. *l. 16. ff. de Sponsalib. Quartò:* quia septennium contrahendis sponsalibus præfixum est

non per se, sed ob præsumptum rationis usum, qui ut plurimùm tunc temporis adesse solet, non item antecedenter; ergo si aliquando constet, quòd jam antecedenter adsit sufficiens rationis usus, cessabit prædicta juris dispositio, utpote in præsumptione falsa fundata, arg. *cap.* 13. §. *quòdsi de Restit. spoliat. & c.* 44. *de Sentent. excomm.*

Sed vereor, ne verior in puncto juris sit sententia, quæ negat sponsalia ante septimum ætatis annum validè contrahi posse: quandoquidem SS. Canones expresè exigunt septennium completum, & absolutè statuunt, desponsationes in cunabilis fieri non posse, factásque nullas esse. *d. cap.* 4. *& 5. h. t.* cum quibus congruere videtur *d. l.* 14. *ff. de Sponsalib.* in qua non simpliciter, & unicè dicitur, à primodio ætatis sponsalia effici posse, si modò intelligant contrahentes, quid agant, sed mox subjungitur limitatio, vel declaratio illa: *si modò non sint minores septem annis.* Ut verò vis horum jurium ampliùs pateat, sic argumentor: quando jura ad validitatem actûs absolutè, & sine ulla exceptione ex parte personarum certam ætatem exigunt, talis ætas anteverti, & aliunde per malitiam, seu præcox judicium suppleri nequit, nisi ipsa jura talem facultatem supplendi tribuant, ut patet in professione religiosa emissa ante exactum annum decimum sextum. Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 15. & in testamento condito ante annos pubertatis. *l. à qua ætate.* 5. *ff. Qui testament. fac.* Ergo etiam septennium, quod jura absolutè pro contrahendis sponsalibus designant, nullibi data facultate illud supplendi per malitiam, ob præmaturum judicium anteverti nequit. Ferdinand de Castropal. *disp.* 1. *de Sponsal. punctô* 6. *n.* 8. Marian. Socin. *consil.* 3. *volum.* 1. & noster Panormit. *in c. juvenis.* 3. *de Sponsal.* cujus authoritas maximi roboris apud me est.

Neque vim habent argumenta in contrarium adducta. *Ad c. juvenis.* 3. *de Sponsalib.* respondeo cum Gloss. *ibid.* S. Pontificem non ideo non permisisse matrimonium juvenis cum consobrina desponsatæ ad septennium, quasi sponsalia cum nondum septenni contracta fuerint valida, sed quia erat dubium, an completô septenniô non fuerit consensus renovatus, & per eum sponsalia priora validata? Deinde, ut ipsimet adversarii supponunt, *cap.* illud loquitur de casu, quô saltem sufficiens ad sponsalia consensus jam ante septennium adfuit, malitia annos præveniente; hoc autem consensu supposito de jure Decretalium nata olim fuit publica honesta, stamen si propter defectum ætatis matrimonium, aut etiam sponsalia fuerint nulla per expressum textum in *c. un. in pr. de Sponsal. in* 6. Minùs adversatur *l.* 14. *ff. Eod.* cùm *in fine* juxta dicta satis determinet septennium; dum verò ab initio asserit, non esse definitâ ætatem in sponsalibus, sicut in matrimoniis, intelligi potest, quòd non eôdem modô sit definita. quia ætas desiderata ad matrimonium necessaria non est in sponsalibus, sed sufficit longè minor, nempe septennium. Et quæso quid efficaciter ex illa *lege*, si contraria sit, inferti poterit, cùm de jure Canonico, quod solùm in matrimonialibus attendi debet, definitum sit septennium? Ad *tertium* dico, non concludere argumentum à paritate matrimonii, in quo malitia ætatem supplere potest: etenim hoc specialiter permissum est propter periculum incontinentiæ, & evitandæ fornicationis causâ; quæ ratio, quia cessat in sponsalibus, decisio propterea facta circa matrimonium ad sponsalia extendenda non erit. Imò eô ipsô, quòd jura id expresserint duntaxat in matrimonio, non item in sponsalibus, perspicuum signum est, in his dispositionem indefinitam, & ordinarium juris intellectum limitare non voluisse, sed proportionaliter aliis actibus à certa ætate dependentibus absolutè nullitatem inducere defe-

defectu ætatis requisitæ. Ad *quartum* nego, quòd jura, quæ septennium completum ad sponsalia requirunt, præcisè se fundent in præsumptione, quâ ante illud non præsumitur usus rationis: quia absolutè certum terminum, seu hanc ætatem præscribere voluerunt, ut in professione religiosa, & ordinatione testamenti, idque potissimùm ad evitandas confusiones, ac fraudes, quæ facilè oriri potuissent, si jura permisissent in sponsalibus quoque per malitiam ætatem suppleri.

Connexa *quæstio* est: quomodo septennium, contrahendis sponsalibus præfinitum, completum esse debeat: an physicè, vel solùm moraliter?

Non desunt, qui doceant, non requiri annum septimum totaliter, & physicè completum, sed sufficere, si moraliter loquendò contrahentes dici possint septem annorum, consequenter valere sponsalia duobûs, vel tribûs dietûs ante completum septennium contracta: quia quod parùm distat, nihil distare videtur: & parùm pro nihilo reputatur, ut pater in auditione missæ, in recitatione Divini officii, in furto, in jejunio, &c. In quam sententiam propendet D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 7.* Sylvester *V. sponsalia. quæst. 2.* Quin imò Sotus & alii multi apud Gutierrez *de Matr. c. 2. n. 7.* extendunt tempus usque ad octo, aut decem dies, vel etiam aliquot septimanas ante complementum septennii.

Verùm ab horum sententia recedere non dubito: quia in jure præscribitur pro sponsalibus contrahendis septennium, non quomodocunque, sed completum. *d. c. 4. & 5. h. t.* non potest autem septennium dici completum, si unus, duo, vel plures adhuc dies desint. Neque hîc locum habent vulgares illæ regulæ: *quod parùm distat, nihil distare videtur: parùm pro nihilo reputatur;* utpote quæ solùm procedunt in arbitrariis, non verò in iis, quæ à jure præcisè determinata sunt, ut relucet in ætate præfinita ad ordines, ad beneficia, ad professionem religionis, condendum testamentum, & similia. Inficias tamen non ierim, ad hoc, ut sponsalia valeant, satis esse, quòd ultima dies septennii sit inchoata: cùm enim ad facultatem testandi satis sit, ultimum requisitæ ætatis diem esse inchoatum. *d. l. à qua ætate. 5. ff. Qui testam. fac. poss.* non video, cur in sponsalibus necessarium sit, ut septennium mathematicè sit completum, & ut omnia momenta septennii computentur, ex quo non minùs favorabilia sunt matrimonia, quàm testamenta. Maximè, quia aliàs pro communi regula circumfertur, quòd tunc ordinariè sufficiat dies ultimus incœptus, quando in contractu jura certum tempus ideò præcisè præscribunt, quòd contrahentes antea non præsumantur idonei: cùm ejusmodi idoneitas illucescente die ultimo mox præsumatur, & usque ad vesperam amplius haud notabiliter perficiatur. Covar. 4. *Decretal. p. 1. c. 2. n. 2.* Reverendissimus Maurus Oberascher *p. 2. de Sacram. tr. 2. c. 1. § 1. ỳ. Dixi 2.*

Dico II. Ad matrimonium contrahendum in contrahentibus requiritur pubertas. *c. 2. ac passim h. t. pr. Instit. de Nuptiis.* Censetur autem jure Canonico pubertas advenisse vel ex certo annorum numero, nempe in viris annô decimô quartô, in fœminis duodecimô, vel ex habitu corporis, & ex potentia seu capacitate ad generandum: unde licèt quis nondum habeat potentiam generandi, si tamen mas quatuordecim, aut fœmina duodecim annos expleverit, pubes reputatur, & matrimonium contrahere poterit. *c. 2.* junctâ Gloss. *V. canonibus. cap. 6. & 10. h. t. l. minorem. 4. ff. de Ritu nupt.* quia cùm naturalis potentia de jure præsumatur, & rarò accidat, post hujusmodi ætatem non adesse illam potentiam, lex id non curat, & solùm 7

attendit ad id, quod communiter accidit. *per l. 3. 4. 5. 6. & 10. ff. de Legib.* Navar. *h. t. consil. 4. n. 13.* Econtra licèt ad hanc ætatem quis nondum pervenerit, si tamen malitia in eo suppleat ætatem, id est, si habeat potentiam, & capacitatem ad generandum (cujus determinatio prudentis Judicis arbitrio relinquitur) pro pubere similiter habetur, & ad matrimonium admittitur, præsertim si ætati definitæ sit proximus. *d. cap. 6. 9. & fin. h. t.* Et hæc juris Canonici dispositio, utpote in materia spirituali circa valorem Sacramenti, etiam in terris Imperii & foro civili observatur, si fortè ratione dotis, legitimæ nativitatis filiorum, vel undecunque ex hoc capite quæstio incidat, quidquid in contrarium disposuerit Jus Civile *in d. l. 4. ff. de Ritu nupt. & l. fin. C. Quando tutor. vel curat. esse desinant.*

8 Illud non satis exploratum: utrùm Principes impuberes ob gravem causam, v. g. pro bono pacis, & utilitatis publicæ ex dispensatione Pontificis matrimonia contrahere possint?

Negat Glossa *in c. 2. h. t.* eò quòd impuberes, tanquam impotentes, jure naturali sint inhabiles ad matrimonium, ideóque per causam extrinsecam, aut dispensationem quamcunque habilitari nequeant. Insuper favet textus in *c. 2. de Frigidis, & malef.* Barbos. ad illud *cap. 2.* docet, tunc solùm impuberes ex causa gravissima, & dispensatione S. Pontificis, vel etiam Episcopi ad matrimonium admitti posse, si dubium, & probabile sit, quòd malitia ætatem suppleat.

Probabilius tamen, & juri conformius existimo, impuberes, etiamsi supponatur, vel certò sciatur, eos nondum esse aptos matrimonio, ex causa urgente, & dispensatione Papali verum matrimonium contrahere posse, dummodo sufficientem rationis usum, & seriam intentionem contrahendi habeant. Textus in hanc rem apertus est in illo ipso *c. 2. h. t.* & ratio: quòd spectato jure naturali contrahentes ad matrimonium contrahendum sint habiles, etsi tempore contractûs sint inhabiles ad usum conjugii, dummodo impedimentum, sive impotentia perpetua non sit, per *cap. 3. & 6. de frigid. & malefic.* Huc inclinat Navar. *h. t. consil. 4. & 5.* in quo testatur Pium V. defacto cum duobus impuberibus dispensâsse. Vincent. de Just. *de Dispensat. matr. lib. 3. c. 8. num. 55.* ubi refert, Anno 1602. Clementem VIII. dispensâsse cum Principissa Sarni minore annis duodecim; & Anno 1622. die 11. Aprilis Gregorium XV. cum Duce Fianni, & Principissa Venusii annorum undecim.

§. III.

Materia, seu Objectum hujus desponsatio- 9
nis de futuro est matrimonium, ad quod contrahendum impuberes se obligant; desponsationis verò de præsenti aliud est remotum, aliud proximum: remotum sunt corpora impuberum per copulam legitimè jungenda; proximum mutua eorum corporum traditio: eò quippe consensus contrahentium unicè collimat.

§. IV.

Forma desponsationis impuberum stat in 10
differentia specifica, quâ secernitur à desponsatione puberum, quæ in eo sita, quòd aliam habeat causam efficientem, & alios effectus.

§. V.

Finis desponsationis impuberum idem est, 11
qui sponsalium & matrimonii in genere; quo de *in tit. 1. n. 48. & 113.*

§. VI.

Effectus hujus desponsationis alius est, si 12
sponsalia sint inita cum minore septem annis: alius, si inita sint cum impubere majore septenniô: & alius si cum tali impubere, vel inter tales impuberes matrimonium contractum sit.

Si sponsalia inita sint cum minore septenniô, 13
nulla

nulla inde nascitur obligatio sponsalitia, nec publicæ honestatis impedimentum, nisi post septennium rata habeantur. *c. 4. & 5. h. t. c. un. pr. & §. porro. Eod. in 6.* Ratio est: quia sponsalia sunt contractus ultrò, citróque obligatorius, & exigunt ex utraque parte promissionem, quam minores septenniò nec acceptare, nec facere possunt.

Hic *scrupulus* incidit: an promissio matrimonii à pubere infanti facta valeat saltem in vim simplicis promissionis, ita ut à promittente ante acceptationem ejus, postquam ad septennium, & usum rationis pervenerit, revocari nequeat?

Negativam sustinet Cardinalis *in c. de illis 7. h. t.* quia promissio, cùm ex incapacitate alterius acceptari nequeat, neque ex parte promittentis obligat: *l. absenti. 10. ff. de Don. l. 5. C. de Contrah. & comm. stipul.* Atque hoc colore Carolus VIII. Rex Galliæ Margaretham Maximiliani I. Cæsaris filiam repudiavit, eò quòd, cùm illi desponderetur, quartum ætatis annum nondum egressa esset. Affirmativam tuentur Decius *consil. 245. n. 2.* Sylvester *V. sponsal. n. 3.* Sanch. *de Matr. l. 1. disp. 6. n. 15. & 27.* cum aliis citatis; quibus accedo propter Textum *in cap. 5. h. t.* Neque obstat, quòd regulariter quæcunque promissio, seu donatio ante acceptationem non obliget, & revocabilis sit: fallit enim, quando facta est in favorem infantis, ut in quo ex speciali juris privilegio non requiritur acceptatio, sive matrimonium, sive alia res eidem promittatur, arg. *l. jubemus. 5. C. de Emanc.* ubi decernitur, emancipationem respectu infantis fieri posse, licèt ea ex genere suo fieri nequeat absque emancipati consensu. Et certè cùm promittens infantis incapacitatem ad consensum perspectam habeat, non potest exspectare ejus acceptationem, aut repromissionem, nec censendus est, se tantùm sub tacita conditione: *si velis, si acceptes*, vel *si repromittat*; obligare voluisse, ut fit inter adultos.

14 Sponsalia inita cum majore septem annis duos habent effectus. *Primus* est, quòd quamvis non pariant obligationem perpetuam, & omnino irrevocabilem, sicut inter adultos, producant tamen veram obligationem pro illo tempore, ita ut verè alter alteri desponsatus, & obligatus sit, adeò quidem, ut si contingat, v. g. sponsam talem ante annos pubertatis mori, vel postea religionem profiteri, sponsus superstes non possit ullo tempore cum illius matre, vel sorore matrimonium contrahere propter impedimentum publicæ honestatis, quod non minùs ex sponsalibus impuberum, quàm adultorum nascitur, & matrimonium dirimit juxta *c. 5. & 6. h. t.* *Alter* effectus horum sponsalium est, quòd durante adhuc impubere ætate nec ipsi impuberes contrahentes, nec eorum Parentes illa rescindere possint, sed teneantur exspectare tempus pubertatis; ita scilicet, ut, siquidem ambo contrahentium sint impuberes, is, qui primò pubertatem adeptus est, tunc de novo deliberare, & si placet, resilire possit, neque alterius pubertatem præstolari teneatur, cùm hanc reclamandi facultatem quilibet independenter ab altero habeat per *c. 7. & 8. h. t.* Sanchez *lib. 1. disp. 5. n. 9.* contra Gloss. *in d. c. 7. h. t.* si verò non resiliat, sed semel rati habeat sponsalia antecedentia, deinceps mentem mutare non potest, sed tenebitur exspectare, donec etiam alter legitimam ætatem attingat, & similiter deliberet. Covar. *de Sponsal. 1. p. c. 5. §. 1. & 2.* Quòdsi alter contrahentium sit pubes, is simpliciter, & irrevocabiliter obligatus erit, & si altera pars impubes ad pubertatem perducta promissioni stare velit, resilire non poterit per Text. *in d. c. 7. §. mulier. h. t.*

15 *Addubitatum* fuit: ánne ad ratificationem sponsalium in impubertate contractorum sufficiat taciturnitas impuberum, postquam ad annos discretionis, aut pubertatis perveniunt? *Nego*, si sponsalia inter minores, aut

cum minore septenniô contracta sunt : quia cùm sponsalia primùm post exactum septennium incipiant, & obligatio mutua nascatur, cum consensu novo, vel verbô, vel factô expresso egent. *c. 4. h. t.* ubi Glossa *V. placere.* advertit, ex eo solo, quòd quis non contradicit, nisi vel cohabitare pergat, vel familiaritatem singularem ostendat, vel munuscula donet, aut recipiat, de consensu non debere divinari. vel præsumi. *Affirmo*, si sponsalia contracta fuerunt inter impuberes, vel cum impubere post annum septimum : quia impubes non tunc primùm obligatur, quando annos pubertatis attingit, sed tantùm habet hoc beneficium juris, ut eo tempore priorem obligationem natam possit dissolvere, si velit. Ergo si non velit, sed pergat se habere ut sponsum, aut si monitus de hoc suo jure non statim reclamet, & ostendat voluntatem resiliendi, manebit, & confirmabitur prior obligatio sponsalium. P. Engl. *h. t. §. 1. num. 6.* Statim autem reclamare dicitur, si reclamet intra triduum post pubertatem per *l. fin. C. de Error. Advocat.* ubi hapetur : *illicò dicitur fieri, quod intra triduum fit.*

16 *Effectus* desponsationis impuberum de præsenti, seu matrimonii est, quòd valeat in vim sponsalium. *c. fin. h. t.* Sed hoc duntaxat ex interpretatione & præsumptione quadam, quòd contrahentes intenderint, se obligare omni meliori modô, quô possunt. *per c. un. §. 1. Eod. in 6.* Proinde si de contrario constet, quòd impuberes præcisè intenderint hîc & nunc matrimonium contrahere, non autem in futurum promittere, ut si de hoc coram testibus protestatio aliqua facta sit, vel pro foro conscientiæ saltem quis certus sit, quòd hanc intentionem restrictivam habuerit, probabilius est, eundem nullô modô obligari, neque in vim sponsalium. Sylvester *V. Matr. q. 8.* Gutierr. *de Matr. c. 2. n. 16.* Fagnan. *in c. d. illii. 9. h. t.* ubi *n. 49.* notat, Tridentinum ex hac parte nihil immutâsse, & etiamnum matrimonia impuberum obtinere vim sponsalium, licèt clandestinè sint contracta.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

SUMMARIA.

1. Quid? 2. Quotuplex? 3. Quo jure prohibita, et annullata sit desponsatio clandestina?
4. An hæretici teneantur observare formam à Tridentino matrimoniis contrahendis præscriptam?
5. Assignatur materia clandestina desponsationis.
6. Forma.
7. 8. Quando & ubi fieri debeant denuntiationes?
9. 10. An quandoque omitti possint?
11. Usque 17. Quis Parochus assistere possit matrimonio? 17. An, & cui dari possit licentia assistendi?
18. Et qualis licentia sit necessaria?
19. 20. 21. Quot, & quales testes debeant interesse matrimonio?
22. 23. De benedictione nuptiarum.
24. Cur prohibita sit clandestina desponsatio? 25. 26. Quæ ejus pœnæ? 27. An, & in quibus casibus subsistat? 28. An saltem habeat vim sponsalium?
29. An valeant sponsalia clandestina?

ALtera species matrimonii est *desponsatio clandestina*; species, inquam, matrimonii : præcipuè enim *hoc titulo* agitur de matrimonio clandestino.

§. I.

Definitur desponsatio clandestina, quòd 1
sit matrimonium contractum omissis solennitatibus à Jure requisitis, id est, denuntiationibûs, & præsentiâ testium.

§. II.

Dividitur desponsatio clandestina in illam, 2
in qua denuntiationes ad perfectam ejus publicationem necessariæ omittuntur, & in eam, in qua testes necessarii desunt, qui hodie post Tridentinum Concilium sunt Parochus proprius, & saltem duo alii. Hæc simpliciter, illa secundùm quid clandestina appella-

gellatur. Minùs verò propriè etiam desponsatio clandestina dicitur, quæ non fit publicè cum solennitatibus, nempe cùm non datur benedictio in facie Ecclesiæ, cùm sponsa non petitur ab iis, in quorum potestate est, & cùm non adhibentur deductio uxoris, saltus, convivia publica, aliáque similia. *c. aliter 1. c. mistrates. 3. causâ 30. q. 5.*

§. III.

Causa efficiens desponsationis clandestinæ vel remota est, vel proxima.

Remota est jus, quod desponsationem clandestinam vel illicitam, vel invalidam fficit. Equidem S. DEI Ecclesia ex justissimis causis matrimonia clandestina semper detestata est, & à primordio statim prohibuit juxta *cap. 2. causâ 30. q. 5. & c. 3. h. t.* novam verò formam nuptiis pangendis præscripsit Tridentinum Concilium *sess. 24. de Reform. matrim. c. 1.* ibi: *præcipit* (S Synodus) *ut inposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Et paulò post: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

Causa efficiens proxima clandestinæ desponsationis sunt mas, & fœmina, qui matrimonium contra Ecclesiæ prohibitionem, & præsertim Tridentini ordinationem, clandestinè celebrant.

Hinc *in disquisitionem* venit: num hæretici 4
quoque teneantur servare formam à Tridentino præscriptam, ita ut invalidè contrahant, si non admittant legitimum Parochum, aut per se sufficientem, ut Parochi locò matrimonio intersit? R. Distinctè, &

Dico I. Hæretici contrahentes in loco, aut Parochia, ubi Concilium Tridentinum promulgatum, aut receptum non est, ut in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Saxonia, Prussia, aliísque partibus, validè contrahunt, licèt nullô verô Parochô, aut Sacerdote, imò nec teste præsente: quamvis enim idem Concilium absolutè potuisset horum non acceptantium matrimonia sine Parocho contracta irrita reddere, id tamen defacto noluit facere independenter ab acceptione uniuscujusque subordinatæ Parochiæ, ut patet ex postremis verbis *d. c. 1. sess. 24. Decernit insuper* (Sancta Synodus) *ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Clariss. P. Paulus Mezger, meus olim in Theologia Professor Observandissimus; *in Theolog. Schol. Salisburg. de Sacrament. disputat. 54. art. 3. n. 5.* Jacob. Pignatell. *tom. 8. consult. 104. num. 1.* ubi testatur ita declarâsse S. Congregationem Concilii in *Bisuntina 26. Junii 1598.*

Dico II. Practicè probabile est, hæreticos sine legitimo, id est, Catholico Parocho, validè contrahere matrimonium in loco, ubi viget publicum suæ hæresis exercitium, licèt eadem sit communis tum hæreticorum, tum Catholicorum Parochia, & in ea priùs jam fuerit promulgatum, & receptum Tridentinum

tinum, veluti Augustæ, Memingæ, & in aliis quibusdam Urbibus Sueviæ. Primaria ratio est: quia præsumi non debet de pia matre Ecclesia, quòd unquam mens ejus fuerit ob defectum legitimi Parochi annullare hujusmodi matrimonia propter maxima mala, ac pericula inde proventura; si enim Acatholici viderent suos liberos natos ex talibus matrimoniis à nobis haberi pro illegitimis, quantæ hinc calamitates, atque passim Catholicorum persecutiones? quot bella, & seditiones moverentur? Accedit, quòd ex communi persuasione, & opinione Catholicorum ejusmodi matrimonia passim censeantur rata, & valida; imò & ipsi Episcopi, ac Consistoria manifestè deprehendantur eadem matrimonia approbare, ex quo non jubent, hæreticos in communi ipsorum, & Catholicorum parochia hæretico ritu conjunctos, si postea catholici fiant, denuò juxta Tridentini formam copulari; quod aliàs omnino fieri deberet. Hujus sententiæ sunt P. Pirhing. *h. t. n.* 12. Patrit. Sporer *de Matr. n.* 35. Laym. *in Theol. mor. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 7. & plerique DD. Germaniæ. Ne tamen quid dissimulem, memini, me *in Proœm. Juris Can. n.* 9. allegâsse declarationem Cardinalium *ad Trident. d. c.* 1. *sess.* 24. *n.* 10. in qua S. Congregatio expresè declaravit, matrimonia nulla esse, quæ hæretici coram suo prædicante celebrant in locis, ubi Tridentinum est promulgatum, unde difficile est, quid certi statuere.

Dico III. Si hæretici in loco, ubi non est concessum publicum hæresis exercitium, & ubi simul Tridentinum receptum est, veluti in Austria, matrimonium clandestinè contrahant, invalidè contrahunt: quia contractus regulari debent secundùm leges, & consuetudines illius loci, in quo celebrantur, & non solùm cives, sed omnes ibidem contrahentes forum loci illius sortiuntur. *l. si fundus* 6. *ff. de Evictionib. l.* 1. *C. de Emancip. lib.* Bartol. *in l. de quibus. num.* 27. *ff. de Legib.* idque in specie etiam de matrimoniali contractu decidit. in *c.* 1. *de Sponsalib.* ubi non observata lege, & consuetudine patriæ, matrimonium contractum juxta leges loci, ubi uxor ducta est, invalidum pronuntiatur. Adde, quòd tali in casu non subsint causæ & pericula supra dicta. Bossius *de Contr. matrimon. cap.* 1. *num.* 56. Vincent. de Just. *de Dispens. matrim. l.* 2. *c.* 10. *n.* 114.

§. IV.

Materia, seu objectum clandestinæ desponsationis sunt corpora contrahentium, eorumque traditio in ordine ad copulam conjugalem. 5

§. V.

Forma clandestinæ desponsationis consistit 6
in solemnitatibus requisitis ad matrimonium publicum, quibus hæc desponsatio evacuatur. Est autem circa has solemnitates secernendum jus antiquum à jure novissimo Tridentini: olim enim ad hoc, ut matrimonium diceretur palam, & in facie Ecclesiæ celebratum, sufficiebat, quòd præmissis edictis coram amicis, vel consanguineis juxta consuetudinem patriæ initum fuerit. Panormit. *in c. fin. h. t.* Hodie in illis locis, quibus publicatum, & receptum est Tridentinum, necesse est, ut nuptiæ solenniter contrahantur, præmissis antea trinis denuntiationibus, in præsentia Parochi, & duorum testium, quorum defectu desponsatio vel secundùm quid, vel simpliciter, vel impropriè clandestina est.

Secundùm quid clandestina censetur de- 7
sponsatio, si omissæ sint *denuntiationes*, quæ ex præscripto Tridentini fieri debent continuis tribus diebus festivis in Ecclesia inter missarum solennia. Nihil tamen refert, etsi extra Ecclesiam, & die non festo, in quo est frequens populi concursus, fiant, ut in Litaniis, Processionibus, aut Concionibus: cùm enim denuntiationes non sint de forma, aut solennitate matrimonii, sed tantùm ideo præceptæ,

ut ad multorum notitiam nuptiæ celebrandæ perveniant, quò faciliùs impedimenta detegantur, ideo non tam ad verba, quàm mentem Tridentini, ac consuetudinem loci attendendum est. Ita Gutier *de Matr. c.* 56. *n.* 7. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 9. *n.* 9. Clariss. P. Paulus Mezger *d. a.* 3. *n.* 16.

Quæres I. Ubi, & in qua parochia faciendæ sint denuntiationes?

℟. Si ambo contrahentium in eadem parochia, ubi matrimonium contrahere volunt, hactenus habitârunt, sufficit, si ibi denuntiationes fiant: econtra verò si sint ex diversis parochiis, quamvis ad valorem matrimonii non requiratur utriusque Parochi præsentia, necesse tamen est, utrobique denuntiari matrimonium contrahendum. Zerol. in *Prax. Episc.* V. *matrimonium*, ubi refert ita declarasse Congregationem Cardinalium. Imò licèt in una parochia defacto domicilium habeat tam sponsus, quàm sponsa, si tamen unus, vel uterque longiori tempore in alio loco commoratus sit, ibi quoque denuntiationes faciendæ erunt. Barb. *de Offic. & potest. Episc.* p. 2. *alleg.* 32. *n.* 11. quem refert, & sequitur Clariss. Paul. Mezger. *d. a.* 3. *n.* 17. Sanè illud necessarium non est, ut semper in eo loco, ac parochia, ubi matrimonium contrahitur, denuntiationes præcesserint, tam in casu, quo duo in civitate domicilium habentes cum licentia, & justa de causa ruri matrimonium celebrare volunt, quàm etiam, si fortè post denuntiationes factas in loco, ubi hactenus habitârunt, aliò migrare, ibique contrahere velint: quia universim Tridentino satisfit, si ibi denuntientur matrimonia, ubi verisimiliter innotescere possunt impedimenta, si quæ interveniunt.

Quæres II. An quandoque, ac ex quibus causis remitti, & omitti possint denuntiationes?

℟. I. Posse aliquando vel prorsus omitti, vel unam tantùm pro tribus fieri, vel post contractum matrimonium differri, si rationabilis causa accelerandi matrimonii subsit, & licentia Ordinarii, aut Vicarii generalis accedat. Trident. *d. sess.* 24. *c.* 1. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 5. *circa fin* Bonacin. *de Matrim. q.* 2. *punct.* 6. *num.* 7. Quin imò si necessitas valde magna, & urgens fuerit, & commodus accessus ad ipsummet Ordinarium, vel ejus Vicarium, aut delegatum haberi nequeat, etiam solus Parochus eam desponsatis gratiam facere poterit, ut vel unam tantùm, vel post contractum matrimonium ante consummationem (quam interim prohibere poterit) denuntiationes faciat; ut si miles desponsatus subitò avocetur ad castra, &, nisi statim copuletur, in continuo periculo incontinentiæ futurus sit: si quis in articulo mortis ad effectum legitimandi prolem suam concubinam ducere velit: vel si propter inæqualitatem personarum, aut quacunque ex causa præsens periculum immineat, nec alteruter resiliat, aut ne propter ipsam moram, quæ adrequirendum Episcopum necessaria esset, matrimonium malitiosè impediatur: in his namque & similibus casibus, quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Barbos. *d. c.* 1. *Trid. n.* 44. Reverend. Maurus Oberascher *de Sacram. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 3. § 2. *q.* 8.

℟. II. Tametsi Concilium Tridentinum *cit. cap.* 1. unam solùm causam dispensandi circa denuntiationes assignet, nempe quando probabilis est suspicio, matrimonium malitiosè impeditum iri, justè tamen dispensari posse, quotiescunque vel notabilis utilitas contrahentium spectatur, vel ex denuntiationibus damnum, aut notabile incommodum timetur. Quamobrem sufficiens causa est, si v. g. contrahentes conditione, fortunis, vel ætate sint admodùm inæquales, adeóque derisio, vel inhonoratio timeatur. Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 9. *n.* 3. item si duo jam diu cohabitârint, aut pro conjugibus habiti sint. Sylvester

vestet *V. matrimonium. 6. q. 7. dic. 2.* Similiter si tempus Quadragesimæ, vel Adventûs, quo nuptiæ prohibentur, aut repentinus discessus instet, & hæ sine incomodo aut periculo fornicationis differri nequeant. Bonac. *d. punct. 6. n. 7.* Rursus, quando nullus adest timor impedimenti, ut si Magnates, ac Principes nuptias inituri sint, ut quæ sunt valde publicæ, & consequenter, si aliquod inter ipsos impedimentum extaret, facilè detegeretur non præmissis denuntiationibûs. Vincent. de Justis *de Dispens. matr. lib. 2. c. 10. n. 162.* qui *n. 141.* post alios rectè monet, in casu, quo vel scandalum populi, vel matrimonium malitiosè impediendum timetur, Episcopum non tantùm posse, sed etiam teneri sub peccato mortali in denuntiationibus dispensare.

11 *Simpliciter clandestina* desponsatio est I. si desit *præsentia Parochi*, vel *ejus substituti:* quæ, ubi Tridentinum est receptum, debet esse moralis, hoc est, talis, ut advertat ad id, quod agitur, ac de eo testari possit. Non est tamen necessarium, ut ista præsentia sit illi voluntaria, sed sufficit, quòd vir & fœmina coram ipso etiam invito, &, quantum in se est, etiam repugnante mutuum consensum verbis ad eum directis sufficienter exprimant: uti locuples præstat argumentum textus in *l. coram Titio. 209. ff. de Verb. Signif.* ibi: *coram Titio aliquid facere jussus non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat: itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse: scire autem, non etiam velle is debet, nam & invitô eô rectè fit, quod visum est.* Et ita sæpe fuisse resolutum à S. Congregatione Concilii Tridentini, tradit Gutierrez *tr. de matrim. c. 69. n. 8.* Rota *dec. 1099. n. 5. & 6. coram Seraph. & in Neapolitana matrimonii 1. Julii. 1650 §. fin. coram Roias.* Atque multis exemplis compertum est, ratum fuisse matrimonium contractum coram testibus præsente Parocho, eo non solùm authoritatem denegante, sed etiam invito, & repugnante, idque etiam, cùm interdictum fuerat à Judice, ne lite pendente matrimonium contraheretur; quamquam eo casu tam contrahentes, quàm testes pœnas non mediocres dedisse constet, juxta *c. 1. & 2. de matr. contr. contra interd. Eccles.*

Quæres I. Quis, cujus contrahentium Paro- 12
chus, & ubi possit assistere matrimonio?

℟. Posse assistere solùm eum, qui est Parochus proprius vel utriusque, vel saltem alterutrius ex contrahentibus: quia cùm matrimonium non possit consistere, nisi inter duos, hôc ipsô quòd possit unum conjungere, necessariò debet posse & alterum, arg. *l. 10. ff. Quemadm. servit. amit.* Rota *decis. 530. n. 17. & decis. 713. n. 13. coram Buratto. dec. 194. n. 6. coram Merlino.* Zerola in *Prax. Episc. p. 2. in 5. Parochus. §. 1.* Et quidem poterit conjungere, eorúmque matrimonio assistere in utriusque, vel etiam extra utriusque Parochiam, aut Diœcesim: quoniam licèt Parochus, aut quivis Judex, non possit extra suum territorium exercere actus jurisdictionis contentiosæ. *l. 1. ff. de Offic. Procons. & e novit. 7. de Offic. legat.* potest tamen exercere actus jurisdictionis voluntariæ, quæ absque causæ cognitione inter volentes tantùm, & nullô modô in invitos redditur. *l. 2. ff. de Officio Proconsul.* junctâ Gloss. *in d. l. 1. V. potestatem.* qualis actus est assistentia Parochi; quin nec fortè est talis, cùm solùm requiratur ad auctoritatem matrimonio conciliandam, & eliminanda incommoda, quæ è clandestino matrimonio oriebantur.

Quæres II. Quisnam in ordine ad contra- 13
hendum matrimonium proprius Parochus censeatur?

℟. Proprium Parochum censeri non tantùm illum, in cujus parochia unus, vel utercque contrahentium habent domicilium verum, sed etiam ubi habent quasi domicilium, seu

seu ubi per majorem anni partem actu habitârunt, vel habitare intendunt: nam & quasi domicilium tribuit jus parochiale ad administranda, & recipienda Sacramenta, excepto Ordine, & Tonsurâ. arg. *cap.* 3. *de Temporib. ordin. in* 6. Secùs verò, si contrahentes reperiantur in aliquo loco non animô ibidem domicilium contrahendi, sed recreationis causâ: Parochum enim illius loci non dici proprium, & matrimonium coram eodem contractum non tenere, decidit Rota *decis.* 643. *num.* 2. *& decis.* 656. *in fin. p.* 1. *divers.* aliique adducti per Rotam in *Mutinen. matrimonii* 27. *Februarii* 1617. *coram Decano.* Bonacin. *de matrimon. q.* 2. *punct.* 8. *num.* 5. ℣. *tertiò patet.* ubi ait, idem esse, si quis se transferat in aliquod oppidum causâ colligendorum fructuum, & ita teste Riccio *dec.* 244. à Rota sæpius declaratum fuisse subdit, addita ratione: quia non dicitur ibi propriè commorari, & habitare per *l.* 1. §. 9. *ff. de his, qui effud.* Circa Principes speciale est, quòd licèt censeantur esse cives omnium urbium, & omnium pagorum sui principatûs, non tamen validè ducant conjugem in quovis ejusmodi loco, sed solùm coram illo, qui est Parochus palatii, in quo ordinariè resident. Lugo in *Resp. moral. lib.* 1. *dub.* 37.

14 Interim in propatulo est, nomine Parochi proprii venire S. Pontificem, ut qui tanquam Ordinarius Ordinariorum assistere potest matrimoniis omnium fidelium: Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum. Azor. *Instit. moral. p.* 1. *lib.* 3. *c.* 45. *q.* 2. Legatum Sedis Apostolicæ in provincia, ad quam est destinatus: quia est Ordinarius in illa juxtac. 2. *d. Officio Legat. in* 6. Archi-Episcopum in sua Diœcesi, quin & in sua provincia, si actu eam visitat, aut si, nolente Suffraganeo aliquos conjungere, causa per appellationem ad eum devolvitur. *c. pastoralis. de Officio Ordin.* Barbos. *ad Concil. Trident. l. cit. num.* 103. *&* 104. Episcopum in sua Diœcesi. P. Pirrhing. *h. t. §.* 3. *n.* 20. Vicarium Generalem Episcopi. Barb. *d. l. n.* 105. Gutierrez *de Matrim. c.* 66. *num.* 12. Capitulum sede vacante, quia succedit Episcopo quoad jurisdictionem ordinariam. Pirrhing, & Barb. *d. l.* & Abbates exemptos, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem. Petrus de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 4. *concl.* 3. Tambur. *de Jure Abbat. disp.* 8. *q.* 1. *n.* 2.

Quares III. Quis sit Parochus proprius re- 15
spectu matrimonii vagorum?

R. Vagorum parochum proprium esse quemcunque, ac proinde quilibet Parochus validè potest eorum matrimoniis assistere, sicut alia Sacramenta administrare. Gutierrez *de Matr. c.* 65. *n.* 3. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 25. Appellamus autem vagos, sive vagabundos, eos, qui nullibi certam, ac constantem sedem, aut domicilium habent; item, qui pristinum domicilium deserentes, *navigant, vel iter faciunt, quærentes, ubi se collocent, atque ubi constituant*; quemadmodum eos hunc in modum describit *Lex* 27. *§.* 2. *ff. Ad Leg. municip.* Quibus Less. *in Auctario V. Matrimonium. casu.* 12. annumerat milites, qui quidem sunt in aliquo præsidio, sed tamen pendent à nutu Ducis emittentis, vel evocantis ad aliud præsidium, vel ad exercitum. Sanchez *l.* 3. *disput.* 19. *&* 23. accenset etiam illos, quorum alteruter est vagus: hi enim, sicut alii, validè possunt contrahere coram quolibet Parocho cujuscunque loci, in quo hospitantur, ut fatentur omnes, vel etiam coram quolibet alio Parocho juxta Sanchez *lib.* 3. *disp.* 25. *n.* 14. & Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 7. contra Dicastillo *de Matrimon. disp.* 3. *dub.* 15. *n.* 132. & Coninck *disp.* 27. *n.* 20. & alios, qui docent, vagos debere contrahere coram Parocho loci, in quo pro tempore

hospitantur. Præcipit tamen Concilium Trident. *sess.* 24. *de Reform. matrim. c.* 7. Parochis omnibus, ne matrimoniis vagabundorum interſint, niſi priùs de conditione, qualitate, & impedimentis conjungendorum diligentem inquiſitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

16 *Quares* IV. An Parochus validè aſſiſtat matrimonio, ſi non ſit ſacerdos, vel ſi ſit excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus?

℟. Parochum talem validè aſſiſtere, dummodò non ſit actualiter depoſitus, & adhuc titulum, ac poſſeſſionem parochiæ retineat: partim quia aſſiſtere matrimonio propriè non eſt actus jurisdictionis, nec ordinis, ſed ſpecies quædam teſtimonii auctoritativi à jure pro ſolennitate ſubſtantiali hodie requiſiti: partim quia adhuc talis verè eſt parochus, quod ad validè aſſiſtendum ſufficit. Bonacin. *de matrim. q.* 2. *punct.* 8. *num.* 21. Barb. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 32. *n.* 110. Clariſſ. P. Paulus Mezger *de Sacram. diſp.* 54. *art.* 3. *n.* 12. *& ſeq.* Idque ampliùs procedit, quamvis beneficium amiſerit, ut quia infra annum non fuit promotus ad ſacerdotium juxta *c. licet canon. de Elect. in* 6. vel quia aliud beneficium incompatibile ſuſcepit juxta *c.* 28. *de Præbend.* Licèt enim ſit ipſo jure titulô privatus, nondum tamen eſt poſſeſſione ſpoliatus, & interim præſumitur habere juſtam cauſam retinendi. *cap.* 28. *Eod. in* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 207. Jacob. Pignatell. *tom.* 8. *conſult.* 34. *n.* 7. ubi teſtatur ita cenſuiſſe S. Congregationem Concilii *ſub die* 12. *Martii* 1593. & in *Marianenſi* 24. *Martii* 1653.

17 *Quares* V. An, & cui Parochus hanc aſſiſtendi licentiam delegare poſſit?

℟. Poſſe, dummodò is, cui delegat, ſit ſacerdos: quia Tridentinum *loc. cit.* in ſubſtituto hanc qualitatem expreſsè requirit, & ſub alternatione ſtatuit, ut matrimonium non aliter contrahatur, *quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia.* Nihil tamen refert, utrùm Sacerdos ſubſtitutus à Parocho ſit pro animarum cura approbatus, an non? Reverend. Maurus Oberaſcher *de Sacram. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 3. §. 1. *q.* 4. An ſit regularis, vel ſæcularis? Boſſius *de matrim. contr. cap.* 4. *n.* 111. ita ut nec excommunicatio, aut alia cenſura, nec irregularitas, nec degradatio impedimento ſit. Barb. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *num.* 111. Bonacin. *de matr. q.* 2. *punct.* 8. *n.* 23. Imò ſubſiſteret matrimonium contractum coram delegato Parochi, licèt is verè eſſet laicus, ſi communi æſtimatione reputaretur ſacerdos: cùm delegatio, & licentia aſſiſtendi ei dent titulum præſumptum, & concurrat communis error, qui titulo ſubnixus jus facere dicitur, & defectum ſupplet, arg. *l. Barbarius.* 3. *ff. de Officio Prætor.* Bonacin. *d. punct.* 8. *num.* 30. Filliuc. *d. c.* 6. *n.* 206.

Quares VI. Qualem licentiam à proprio[18] contrahentium Parocho obtinere debeat alius ſacerdos, ut validè aſſiſtat matrimonio?

℟. 1. Non ſufficere licentiam ſolummodò præſumptam, vel ratihabitionem Parochi, præſertim ſubſequentem: quia quando licentia ad valorem actûs, & pro forma requiritur, debet actum præcedere, arg. *l.* 21. §. *juſſum ff. de Acquir. vel amitt. hæred.* & ea, quæ ſunt de forma alicujus actûs, non poſſunt per æquipollens, vel aliquid, quod eſt præſumptivè tale ſuppleri, arg. §. *tutor autem.* 2. *Inſt. de Auctoritat. tutor.* præſentiam autem, vel licentiam Parochi à Tridentino requiri pro forma contractûs matrimonialis, cum communi docet Em. Cardinalis de Luca *diſc.* 26. *ad Concilium Trid. n.* 9. ubi contrariam opinionem ac ſi forma à Tridentino præſcripta ſolùm eſſet probatoria, & non ſolennis, vocat erroneam, & rejectam.

℟. II.

n. II. Neque sufficere licentiam, quâ Parochus alicui Sacerdoti committit potestatem exercendi actus quosdam particulares, & in specie determinatos, quantumcunque nobiliores; quippe hi licentiam assistendi matrimonio non involvunt: sufficere tamen, si eidem generaliter commissa sit cura exercendi officia parochialia, aut administrandi sacramenta, nulla de matrimoniis facta mentione: quoniam sub generali deputatione, & commissione administrandi Sacramenta, & Parochum in exercitio curæ coadjuvandi, comprehenditur etiam administratio sacramenti matrimonii, cùm non reperiatur jure cautum, quòd administratio hujus Sacramenti requirat speciale mandatum, & non sufficiat generale. Rota *decis.* 750. *n.* 1. *p.* 1. *divers.* & ita fuisse resolutum per Sacram Congregationem Concilii, refert Fagnan. *in c. quod nobis. h. t. n.* 27. *&* 28.

n. III. Ad hoc, ut Sacerdos alius legitimè assistat matrimonio, requiri, ut habeat notitiam dictæ licentiæ sibi concessæ. Barb. *de Officio Parochi c.* 21. *num.* 75. & quidem notitiam certam, cùm concessa non præsumatur, & ex hac licentia pendeat valor, ac nullitas matrimonii. Unde crederem, nec posse Sacerdotem credere dicentibus, se habere licentiam à proprio Parocho, etsi afferant aliqua verisimilia indicia, vel sint personæ nullatenus suspectæ, & fide dignæ: siquidem in his, quæ ad externam Ecclesiæ gubernationem spectant, non creditur testantibus in propria causa, præsertim hîc, ubi posset afferri grave præjudicium matrimonio, & proli inde natæ, cùm non posset probari matrimonium, si Sacerdos non posset aliter de licentia obtenta testificari, quàm per ipsorum contrahentium dictum, quibus in causa propria fides non haberetur; quidquid contradicat Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 37. *n.* 3. & Coninck *disp.* 27. *dub.* 3. *n.* 39. Quòdsi Sacerdos defacto ex probabili præsumptione licentiæ matrimonio adstiterit, & licentia hæc à Parocho, vel Ordinario actu data sit, sed ignorata, communiter distinguunt DD. an ipse petierit licentiam, an alius illo ignorante? primo casu matrimonium valere, secundo verò non valere asserunt. Ego hanc distinctionem ut communissimam, ita veram puto, non ob fundamenta allata à Sanchez *lib.* 3. *disput.* 36. *à num.* 2. quæ bene oppugnat P. Engl. *h. t. n.* 17. sed ea ex ratione, quòd, ut alicui data censeatur licentia cum effectu, necessarius sit consensus aliquis moralis dantis, & accipientis; at, si Sacerdos assistens licentiam petierit, saltem per nuntium, vel alium mediantem, jam apparet iste consensus: econtra verò si penitùs ignoret, & licentiam non petierit nec per se, nec per alium, nullus consensus utriusque moraliter conjunctus adesse intelligitur.

II. Desponsatio *simpliciter clandestina* di- 19
citur, si destituatur *præsentiâ duorum*, aut *trium testium*. Debet autem testium præsentia, uti Parochi, esse moralis per *l. coram Titio* 209. *ff. de Verb. signif.* & simultanea, nec sufficit successiva, ut colligitur ex illis verbis Tridentini: *& aliter, quàm præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus;* in quibus requirit testes per copulam *&*, quæ particula est copulativa. Bonac. *de Matr. q.* 2. *punct.* 8. *n.* 44.

Non immeritò *dubitatur*: an testes, qui ad 20
matrimonium contrahendum adhibentur, debeant esse omni exceptione majores?

Pro affirmativa facit, quòd tales testes requirat Tridentinum, per quos in judicio legitimè probari possit matrimonium contractũ, si forsan ab alterutro contrahentium postea negetur, is enim videtur fuisse unicus finis Concilii; atqui non potest probari matrimonium, nisi per testes omni exceptione majores, cùm matrimonium sit de causis gravissimis, & æquiparetur criminalibus, *c.* 1. *de Consang. & affinit.* Covarr. 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 8.

§. 12. n. 7. & 8. Ex quo quidam Neoterici apud Sanchez *lib. 3. de Matr. disp. 41. n. 4.* concludunt, non valere matrimonium contractum coram criminosis, perjuris, infamibus, excommunicatis, aliisve.

21 Nihilominus major pars DD. sustinet, sufficere testes qualescunque etiam aliàs de jure inhabiles, modò tantum habeant judicii, ut intelligere, & testari possint de celebrato contractu: quandoquidem Tridentinum plùs non desiderat, quàm Parochum, & testes, neque vel in his, vel in illo certas qualitates exigit. Idque colligitur ex mente Ejusdem: voluit namque pericula nullitatis præcavere, & propterea testes requirit, ne quis, relicta priore conjuge, cum alia invalidè contrahat: at si testes deberent esse omni exceptione majores, hôc ipsô matrimonia pleraque periculo nullitatis exponerentur, & complures in statu fornicationis viverent, eò quòd fine testibus idoneis matrimonium contraxissent; ut ex testamentis satis apparet, quæ propterea semper in periculo sunt, dum facilè etiam præter opinionem testatoris defectus aliquis, vel exceptio contra testem reperiri, & excogitari potest. Finis igitur Tridentini fuit, formam quidem aliquam matrimonio præscribere, ne tam facilè, & frequenter imposterum, sicut olim, matrimonia negari possent, ut tamen eadem forma difficilis, & periculosa non redderetur, in testibus præter naturalem qualitatem nullam aliam exegit.

Ad argumentum oppositum negatur, quòd Tridentinum ad matrimonii substantiam tales requisiverit testes, per quos omni casu plenè probari possit matrimonium, si enim hoc voluisset, ad quid insuper præsentiam Parochi desiderâsset? Satis ergo est, quòd matrimonium per testes, & Parochum simul ossit, uti potest, etiamsi testes suspectes, nec omni exceptione majores auctoritas Parochi tanquam testis specialiter idonei, suppleat reliquorum testium inhabilitatem juxta regulam juris communiter receptam, quâ testes inhabiles admittuntur, quando concurrunt cum alio habili, & fide digno. *l. si quis ex argentariis. §. cogentur. & ibi* DD. *ff. de Edendo.* Gutierrez *de Matr. c. 44. n. 24. & 25.* Rota *decis. 273. n. 12. & 15. p. 4. divers.*

Impropriè clandestina, seu minùs solennis 22 erit desponsatio, si cæteræ solennitates desint, præsertim *benedictio nuptialis*, qua de ita Concilium Tridentinum, *sapè d. sess. 24. de Reform. matrimon. cap. 1. Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque, benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quòdsi quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis sit, sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* An verò, & quale sit peccatum, hanc benedictionem, seclusô scandalô, & contemptu omittere? disputent Theologi.

Circa secundas nuptias in *c. 1. & 3. de Se-* 23 *cund. nupt.* constitutum, & sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio prohibitum est, ne denuò benedicantur, si antecedenter uterque, vel alteruter saltem conjugum benedictionem jam semel receperit, ut quæ semel recepta non amittitur, & ab uno in alterum dif-

diffunditur. Idem cautum est in *Rituali Passauiensi in Rubr. de forma celebrandi matrim.* ibi: *animadvertat Parochus illorum conjugum nuptiis non esse benedicendum, quorum alter in prioribus nuptiis benedictionem accepit; alioquin secundis nuptiis benedicens ipsô facto in pœnam suspensionis incidat.* De cœtero in praxi erit observanda cujuslibet Diœcesis consuetudo. P. Engl. *h. t. n.* 7. Reverendiss. Maurus Oberascher *de Matr. c.* 3. §. 3. *q.* 1.

§. VI.

24 *Finis*, propter quem interdicta est clandestina desponsatio, est, ut vitentur gravia peccata, & incommoda ex clandestinis nuptiis consurgentia, maximè eorum, qui clam cum una contrahunt, eâque relicta aliud matrimonium publicum ineunt, prout disserit ipsum Trid. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 1.

§. VII.

25 *Effectus* clandestinæ desponsationis spectatur in pœnis tum à Jure communi, tum à Concilio Tridentino statutis, quæ variæ.

Pœna communes desponsationi secundùm quid, ac simpliciter clandestinæ sunt: *prima*: quòd, etsi aliàs proles nata ex invalido matrimonio, quod uterque parens, vel saltem alter bona fide contraxit ignorans impedimentum, sit legitima. *cap.* 2. *&* 14. *Qui filii sint legit.* nata tamen ex hujusmodi matrimonio clandestino illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium: cùm illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Text in *cap.* 3. §. *si quis vero. h. t. Secunda*: quòd Parochus talem conjunctionem prohibere contempserit, vel quicunque alius Sacerdos, etiam regularis, illi interesse præsumpserit, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si causæ qualitas postulaverit, iis verò, qui taliter præsumpserint, etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia injungatur. Text. in *d. c.* 3. §. *fin.* At illa suspensio est ferendæ sententiæ, non latæ, ut patet ex verbo *suspendatur*, quod respicit actum, & ministerium Judicis futurum: éstque probabilius sublata per Tridentinum *d. c.* 1. quando Parochus, vel alius Sacerdos assistit matrimonio simpliciter clandestino, seu invalido ex defectu numeri testium, cùm tunc pœnam arbitrariam dictet; quod argumento est, si matrimonium sit secundùm quid, seu ob omissas fine causa denuntiationes clandestinum, standum esse pœnæ *d. c. fin.* Jacob. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 147. *n.* 14. *Tertia* pœna communis est, quòd illi, qui matrimonium spretis denuntiationibus, aut absque præsentia Parochi, & testium contrahere attentârunt, detectô quôcunque impedimentô separentur, & spe dispensationis Apostolicæ consequendæ careant, quamvis antea nulla impedimenti suspicio fuisset: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit. Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 5. Ex quo Vincent. de Just. *de Dispensat. matr. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 117. infert, in supplicatione pro dispensatione omissionem denuntiationum exprimendam esse, alioquin dispensationem secutam fore subreptitiam, nullámque juxta notorium Curiæ stylum.

Pœna specialis, & propria desponsationis 26
simpliciter clandestinæ est, quòd contrahentes sine Parocho, & testibus, præterquam, quòd graviter ex arbitrio Ordinarii puniendi sint, reddantur omnino inhabiles, non absolutè ad ineundum matrimonium, sed ad sic contrahendum, id est, clandestinè: & hujusmodi contractus irriti sint, & nulli. Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 1.

Verùm ut hoc ita regulariter se habeat, cer- 27
tis tamen casibus valide contrahi potest matrimonium sine Parochi, & testium præsentia. *Primò* quidem, quando contrahentes sunt infi-

infideles, ut quos lex Ecclesiastica non obligat. Si tamen intra territorium S. Pontificis degerent, & is per legem quoque civilem pro omnibus etiam temporaliter tantùm subjectis declaret, matrimonii contractum clandestinum esse irritum, tunc infideles ibidem degentes redderentur itidem inhabiles ad matrimonium clandestinè contrahendum; cùm enim Princeps quoque paganus respectu paganorum civiliter sibi subjectorum possit aliquid statuere, quod matrimonium illegitimum, nullúmque efficiat, cur non quoque idem possit S. Pontifex intra territorium D. Petri respectu infidelium sibi civiliter subjectorum? Interim defacto prædicta Tridentini constitutio purè Ecclesiastica, non civilis est, hôc ipsô quòd ad totum orbem Christianum extendatur, qui totus Ecclesiæ civiliter subjectus non est.

Secundò, quando etiam fideles degunt, & contrahunt matrimonium in locis, ac parochiis, ubi vel Tridentinum promulgatum, ac receptum non est, juxta dicta *n.* 4. *h. t.* vel ubi nullus prorsus parochus, nec alius, qui vices ejus suppleat, ex vicinia haberi potest, ut in locis quibusdam Indiæ, & inter hæreticos, à quibus pastores Catholici expulsi sunt: in ejusmodi enim circumstantiis Tridentinum Concilium ad requirendam præsentiam Parochi obligare non voluisse, expresè declarârunt Cardinales in *cit. c.* 1. *Trid. n.* 10. & Clem. VIII. teste Coninck *disput.* 27. *dub.* 1. *n.* 11. Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsali. p.* 1. *p* 4. *n.* 27. Quamvis abstrahendo ab his declarationibus juxta generalia juris principia contrarium dicendum foret, cùm formâ actûs non servatâ in quocunque casu necessitatis resultet nullitas ejusdem actûs, nisi jura specialiter & specificè aliquem excipiant, ut patet in testamentis ordinatis. Barb. *de Offic. & potest. Episc. p.* 2 *alleg.* 32. *n.* 147.

Tertiò, quando contracturi è loco, ubi Tridentinum viget, re ipsa domicilium transferunt in locum, ubi non viget, quacunque intentione id faciant: hos enim ibi validè contrahere posse matrimonium, penitus persuasum habeo: tum quia intentio mala, aut bona actum aliquem quidem licitum, vel illicitum, non autem invalidum reddere potest, si in substantialibus defectum non patiatur: tum quia, qui hac ratione, postquam transtulerunt domicilium, contrahunt matrimonium, jure suo utuntur, nec contra legem Tridentini delinquunt, siquidem nec verba sonant, nec mens Concilii fuit, matrimonia clandestina in toto mundo irritare, sed tantùm in locis, & eorum, qui ibi habitant, ubi publicatum, ac receptum est. Secùs est, si solùm emigrarent animô clandestinè contrahendi, ac deinde iterum redeundi: tale namque matrimonium esse invalidum, resolvit S. Congregatio Cardinalium apud Zypæum *lib.* 4. *consult.* 6. *in fin.* & in casu, ubi quidam Austriaci in fraudem decreti Tridentini eo fine ex Austria excurrebant ad illas partes Hungariæ, ubi decretum illud non ligat, ut ibi contraherent matrimonium clandestinum, respondit Inclyta Facultas Viennensis, teste Gobat in *Theol. experim. tr.* 9. *c.* 18. *n.* 467.

Quartò, quando matrimonium est quidem contractum in facie Ecclesiæ, sed invalidè ob occultum aliquod impedimentum: tunc enim ex probabiliori necessarium non est, id denuo coram Parocho & testibus contrahere, sed satìs est, si impedimentô sublatô occultè contrahatur, dummodo impedimentum illud non sit publicum, & probari nequeat, nec tempore celebrati matrimonii fuerit Parocho, aut testibus extra confessionem notum, ut diximus in *Tit.* 1. *num.* 128. & diligenter versat Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsal. p.* 2. *controvers.* 6.

Controvertitur I. Utrùm matrimonium in loco recepti Tridentini clandestinè, ac invalidè con-

contractum, saltem valeat in vim sponsalium?

Affirmat Coninck *disp.* 21. *dub.* 4. *concl.* 2. Layman in *Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 8. & Ferdinand. de Castropal. *de Sponsal. disp.* 1. *punct.* 4. *Primò* ideo: quia sponsalitius consensus virtualiter involvitur in consensu matrimoniali, & per illum se obligare possunt contrahentes, ergo per eundem quoque ex interpretatione juris se obligare censentur propter vulgarem regulam: si actus non valet, sicut agitur, valeat eô modô, quo potest valere, arg. *l. si tam angusti. ff. de Servitutib. Secundò*, quia matrimonium inter puberes, licèt non obliget ut matrimonium, obligat tamen in vim sponsaliũ juxta *c. un. de Desponsat. impub. in* 6. & ea, quæ adduximus in *tit. præced. n.* 16. ergo etiam, licèt matrimonium clandestinum non obliget in vim matrimonii, obligabit tamen in vim saltem sponsalium.

Sed salva cujusque opinione censeo, matrimonium inter puberes clandestinè, & nulliter contractum nec in vim sponsalium valere: ita enim expresè declarârunt Cardinales ad *cit. c.* 1. *Trid. sess.* 24. *de Reform. matr. n.* 11. ℣. *qui aliter, quàm præsente Parocho.* §. *matrimonium contractum coram testibus. &* §. *matrimonium contractum non servatâ formâ.* Ratio est: quia Tridentinum *cit. c.* 1. matrimonio clandestino puberum (quod de jure antiquo validum fuit) totaliter resistit illud absolutè annullando, & personas ad sic contrahendum omninò inhabiles reddendo; ubi autem jura ita resistunt, nulla prorsus ex tali actu potest nasci obligatio legitima, consequenter nec sponsalitia, prout pluribus probat Sanchez *de Matr. lib.* 1. *disp.* 20. *n.* 3. Quod tamen ita limito: nisi contrahentes in defectum matrimonii expresè se ad sponsalia obligare intenderent: quippe contractui sponsalitio Tridentinum non resistit, tametsi sequatur, vel connexus sit matrimonio nullo.

Nec argumenta in partem oppositam superiùs allata obstare possunt: quod enim in *primo* ingeritur, sponsalitium consensum includi in consensu matrimoniali, verum non est, si jus totaliter resistit, prout Tridentinum resistit matrimonio inter puberes clandestinè inito, dum eos ad sic contrahendum omnino inhabilitat. Regula verò adnexa, quòd, si actus non valet, ut agitur, valeat eô modô, quô valere potest: solùm verificatur, quando actus non valet, ut agitur, ex defectu causæ efficientis præcisè, secùs autem, quando non valet, ut agitur, tam ex parte causæ efficientis, quàm ex parte causæ formalis, quemadmodum evenit in matrimonio clandestino puberum, utpote in quo cum inhabilitate personarum ad sic contrahendum concurrit defectus solennitatis substantialis, nempe præsentiæ Parochi, ac testium. Ex quo etiam patet disparitas ad argumentum *secundum*: siquidem matrimonium impuberum, sive publicè, sive clandestinè contractum, solùm nullum est ex deficientia causæ efficientis: neque ei resistit Tridentinum, ut quod tantùm irritat matrimonia clandestina, quæ antecedenter reputabantur valida, non verò ea, quæ ex alio capite absolutè fuerunt invalida, veluti matrimonia impuberum: & quis credat, voluisse Concilium Tridentinum formam quoque pro iis matrimoniis præscribere, quæ aliunde subsistere non possunt?

Controvertitur II. An etiam sponsalia clan- 29
destina, id est, absque Parochi, ac testium præsentia contracta sint invalida, aut saltem illicita?

Ratio difficultatis est: quia eadem juris dispositio, quæ facta est de matrimonio, censetur quoque facta de sponsalibus, quæ sunt via ad matrimonium per *l. oratio.* 16. *ff. de Sponsal. l. si quis tutor.* 60. §. *quamvis ff. de Ritu nupt.* ergo cùm ex Tridentini dispositione matrimonium clandestinum sit prohibitum,

ac invalidum, etiam sponsalia clandestina erunt prohibita, ac invalida. Accedit communis regula, quòd prohibito consequente intelligatur prohibitum antecedens, per quod ad illud pervenitur.

Sed communibûs calculis concluſum est, sponsalia clandestina esse valida, & licita, idque meritò: cùm nullibi jure antiquo reperiantur prohibita, & decretum Tridentini nominatim prohibentis, ac irritantis matrimonia clandestina ad sponsalia extendi non possit: tum quia est correctorium juris communis, ac proinde ad casum expressum restringendum per *l. præcipim. 32. C. de Appellat.* tum quia id à S. Congregatione Cardinalium ad *c. 1. de Reform. matrim. n. 9.* declaratum fuit in hæc verba: *decretum Concilii Tridentini, quo statuit, quòd matrimonii contractus fiant solenniter coram Parocho & testibus, habet tantùm locum in matrimonio per verba de præsenti, non autem in sponsalibus per verba de futuro*: tum quia non eadem militat ratio in sponsalibus, ac in matrimonio clandestino; quippe ratio prohibendi matrimonia clandestina fuit, præcavere, ne quis priore legitima conjuge clandestinè ducta, eáque repudiata palam aliam ducat, & cum ea in perpetuo adulterio vivat, quod non sequitur, quando quis spretis sponsalibûs clandestinis postea cum alia matrimonium contrahit. Accedit communis praxis, secundùm quam sponsalia defacto passim sine præsentia Parochi, & testium celebrantur, nec tamen sive in foro civili, sive Ecclesiastico declarantur invalida.

Ad rationem difficultatis facilis est responsio: nam id, quod dicitur, dispositionem ac prohibitionem factam de matrimonio extendi ad sponsalia, solùm procedit, quando est eadem ratio in prohibitione matrimonii, & sponsalium: qualis non est in præsentiarum: vel quando matrimonium absolutè, seu omnibûs modis prohibetur: cùm enim tunc nullo modo possit contrahi matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitæ, & sic illicita, & nulla; non item, si matrimonium duntaxat prohibetur, ne tali modo contrahatur, ut in proposito, ne clam ineatur. Unde si clandestinè promittas, & te obliges ad contrahendum matrimonium, non clam, quod foret illicitum, sed palam, & eo modo, quo præcipit Ecclesia, promissio foret de re licita, consequenter valida. Pirhing *ad tit. de Sponsalib. n. 26.* Eandem responsionem meretur subjuncta regula, quòd prohibito consequenti censeatur prohibitum antecedens; valet enim, quando eadem est ratio antecedentis, & consequentis: & quando antecedens dirigitur ad consequens, quatenus est prohibitum. Angel. Boss. *de Matr. contr. c. 5. n. 58. in fin.* Sanchez *de Matr. lib. 1. disp. 12. n. 3.*

Porro an expediat, sponsalia de futuro coram Parocho & testibus contrahere? diversimodè sentiunt DD. Plerique docent, contractum tanti momenti sine testibus celebrare, prudentis non esse, nisi fortè in casibus, & circumstantiis extraordinariis, partim propter defectum futuræ probationis, partim ne incautè, & minùs deliberatè initus videatur; rectiùs autem & rationabiliùs contrahi sine Parocho, eò quòd ejus præsentia magnopere nocere, & parùm prodesse possit; magnopere nocere potest: quia timendum, ne partes in præsentia Parochi, etiam contra ejus dehortationem, vel qualemcunque protestationem, non tantùm sponsalia, sed ipsum matrimonium contrahant cum magno tertij præjudicio, cui antecedenter jus quæsitum, aut matrimonium promissum est; parùm prodesse potest: quia quidquid emolumenti adfert præsentia Parochi, facile aliunde suppleri potest, si v. g. sponsi se antea separatim insinuent, vel postea cum testibus se repræsentent. P. Engl. *ad tit. de Sponsal. §. 2. n. 6.* cui se opponit Rmus Mau-

Maurus Oberascher *de Matr. c. 3. §. 2. q. 3.* Verùm quidquid circà hanc partem theoricè possit disputari vel ex jure, vel ex ratione: in praxi attendendæ sunt consuetudines locorum & statuta Diœcesium, quarum in multis præsentia Parochi ad sponsalia celebranda desideratur.

TITULUS IV.
De Sponsa duorum.

UT una duobus, vel duæ uni desponsentur, obstat vel *impedimentum ligaminis, vel publica honestatis.*

Pars I.
De Impedimento Ligaminis.

SUMMARIA.

1. Quid sit impedimentum ligaminis? 2. Quo jure dirimat matrimonium? 3. & 5. Ex quo matrimonio oriatur? 4. & 6. Quorum, & quale matrimonio obstet? 7. & seq. quibus modis hoc ligamen solvatur?

§. I.

DEfinitur impedimentum ligaminis, quòd sit vinculum matrimoniale, quo unus conjux alteri sic alligatur, ut eo superstite cum nullo alio matrimonium contrahere valeat. Clariss. D. D. Gletle in *Method. compend. Instit. tit.* 10. *n.* 33.

§. II.

2 *Causa efficiens* impedimenti ligaminis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus: dirimit autem impedimentum ligaminis matrimonium posterius non modò jure humano, *Canonico, & Civili*, ut patet ex *cap. 1. & fin. h. t.* ex *§ 6 Instit. de Nupt. & l. 2. C. de Incestis nupt.* sed etiam jure *Divino* juxta diserta verba Christi *Matth. 19. ℣ 9. quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur;* ex quibus sic arguit à fortiori Innocentius III. in *c. gaudemus. 8. de Divortiis: si ergo uxore dimissa duci alia non potest, quanto fortiùs & ipsa retenta.* Definitum insuper est à Concilio Trid. *sess. 24. de Sacram. matr. can. 2. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege Divina esse prohibitum, anathema sit.* Quin imò jure quoque naturali posterius matrimoniū durante vinculo prioris esse invalidum, suadet ratio: quia nemo potest validè tradere alteri, quod suum non est; at jam secundùm primam institutionem hujus contractûs, renovatam à Christo in Lege nova, vir accipit potestatem in solidum corporis mulieris, & è converso, juxta illud Apostoli 1. *ad Cor. 7. ℣. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo.

Causa efficiens proxima impedimenti liga- 3
minis est matrimonium tam ratum, quàm consummatum: ex utroque enim nascitur vinculum, quo durante posterius matrimonium sive ratum, sive consummatum invalidum est. *c. 1. 2. 3. & fin. h. t.*

§. III.

Subjectum impedimenti ligaminis sunt 4
conjuges, qui per hoc impediuntur, & ad matrimonium cum alia, vel alio contrahendum redduntur inhabiles, cujuscunque sexûs sint, ac conditionis.

Dixi: *cujuscunque sexûs sint:* quia est par ratio utriusque: quandoquidem Apostolus 1. *ad Cor. 7. ℣. 2.* ait: *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque virum suum,* non unusquisque uxores suas, nec unaquæque viros suos; & detestabilior censetur polyviria, id est, conjunctio unius fœminæ cum pluribus viris, quàm polygamia, seu conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus: cùm hæc solùm fini secundario matrimonii, illa etiam fini ejusdem primario, videlicet generationi, & educationi prolis adversetur. S. Th. in *supplem. q. 65. a. 1.*

in C. Gonzal. in *c. 2. n. 7. h. t.* Bellarm. *de Controverſ. fidei tom. 3. lib. un. de Matr. controverſ. 3. c. 11. lit. A.* qui propterea concludit, Deum ab orbe condito in polyviria, ſeu pluralitate maritorum nunquam diſpensâſſe, uti in polygamia, nec poſſe diſpensare.

Rurſus dixi: *cujuscunque conditionis ſint:* Nec refert *primò;* ſubditi ſint, an Principes? quia jus Divinum, & naturale, è quo profluit impedimentum ligaminis, æquè Principibus, ab ſubditis dominatur; quamobrem Nicolaus I. Pontifex M. in *c. 19. causâ 24. q. 3.* Lothario Regi, qui duas habebat uxores, reſcripſit: *an non diſtricta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus eſſe dignoſceris?* Nec refert *ſecundò:* Clerici ſint, an Laici? non obſtante, quòd *1. ad Timoth. 3.* dicatur, Epiſcopum debere eſſe unius uxoris virum: ex quo Ovvenus infert:

Unius uxoris vir Epiſcopus eſſe jubetur:
Ergo licet Laico nunquid habere duas?

Nam ſenſus orthodoxus dicti loci eſt, quòd bigamus ſit incapax Ordinis clericalis, ut exponunt Canoniſtæ omnes ad *tit. de Bigam. non ord.* Nec refert *tertiò:* fideles ſint, an infideles? cùm enim impedimentum ligaminis ſit impedimentum juris naturalis, infideles quoque afficit: hinc gentilis, qui ſecundùm ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Chriſti converſus, habere, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiamſi conſentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum. Text. in *c. gaudemus. de Divortiis.*

§. IV.

5 *Forma* impedimenti ligaminis conſiſtit in vinculo prioris matrimonii etiamnum durantis. Tria itaque requiruntur, ut huic impedimento ſua conſtet indoles.

Primum eſt, ut præceſſerit matrimonium ſaltem ratum. *c. 3. & ult. h. t.* Ex ſponſalibus de futuro hoc impedimentum non conſurgit per *c. 1. Eod.* ubi ſtatuitur, ſponſo cum alia matrimonium contrahenti imponendam eſſe pœnitentiam de fide mentita, debere tamen manere cum ea, cum qua matrimonium contraxit, ſine dubio ideo: tum quia talis illicitè quidem, & cum injuria prioris ſponſæ matrimonium contrahit, non tamen invalidè, cùm inconveniens foret, Sacramentũ conjugii diſſolvi ob ſolum conſenſum de futuro cum alia per *c. 2. de Matr. contra interd. Eccleſ.* tum quia vinculum matrimonii etiam nondum conſummati eſt longè fortius, & tribuit non tantùm jus ad rem, ut promiſſio matrimonii, ſed jus in re, ut proinde matrimonium reſpectu ſponſalium de futuro ſe habeat, ſicut ſecunda venditio facta cum rei venditæ traditione reſpectu venditionis prioris factæ ſine traditione rei; quo caſu poſterior emptor priori præfertur. *l. quoties. 15. C. de Rei vindic.* P. Engl. *ad tit. de Sponſal. §. 3. n. 3.*

Alterum requiſitum eſt, ut matrimonium prius vero, ac legitimo conſenſu conciliatum ſit. Quòdſi ſolùm fictè, & ſine animo contrahendi, aut ſe obligandi matrimonium initum fuerit, in foro conſcientiæ non induxit impedimentum ligaminis. Gutierrez *de Matr. c. 9. n. 12.* Baſil. Pontius *lib. 2. c. 5. n. 2.* Boſſ. *de Matr. contr. cap. 2. num. 51.* Ratio eſt: quia ſiſtendo in foro conſcientiæ matrimonium fictum, utpote conſenſu, ceu forma ſubſtantiali, deſtitutum, non valet; ergo ex illo non poteſt oriri impedimentum aliquod dirimens, non enim præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. *c. 52. de R. I. in 6.* Addidi: in *foro conſcientiæ*: nam in foro externo matrimonium fictè contractum præſumeretur verum, ac validum, &

ex

ex præsumptione pareret vinculum conjugale dirimens aliud quodcunque matrimonium subsequens arg. *c. per tuas* 10. *de Probat.* Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 1. n. 33. 37. & 38. & Ego in *tit.* 1. *n.* 104.

Tertium requisitum est, ut matrimonium etiamnum perseveret: etenim matrimoniô ratô per professionem solennem, aut dispensationem Pontificiam; vel matrimoniô consummatô per mortem, aut dispensationem Divinam dissolutô redit prior libertas validè contrahendi matrimonium cum alia, quæ per præcedens matrimonium ablata erat.

§. V.

Effectus impedimenti ligaminis *primarius* est, quòd impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum; adeò, ut si quis cum duabus de præsenti contraxerit, ei adhærere debeat, cum qua priùs contraxit, *c. penult. de Sponsal. cap.* 1. *h. t.* & hoc licèt cum secunda, & non cum priore copula carnalis intervenerit, nulla obstante consuetudine *c.* 2. 3. *& fin. Eod.* Neque dicas, quòd duo vincula fortiùs ligent, atque adstringant, quàm unum, arg. *Auth. itaque. C. communia de succes.* enimverò admitto, hanc regulam per se veram esse, sed nego, quòd in posteriori matrimonio consummato duo vincula subsint: licèt enim ultra consensum copula intervenerit, non tamen idcirco majoris firmitatis, aut roboris est, quàm primum solo consensu contractum, cùm matrimonium solo consensu contrahatur. *l. nuptias.* 30. *ff. de Reg. juris.* & essentiam suam habeat ex mutuo, & eo quidem solo contrahentium consensu. Panormit. in *d. c.* 3. *h. t.* ubi dicit, copulam, & concubitum carnalem non adjungere accessionem, vel majus vinculum matrimonio respectu essentiæ matrimonialis, sed duntaxat respectu significati, ita ut aliud significet matrimonium consummatum, aliud non consummatum. *c. debitum.* 5. *de Bigam.* indéque fit, ut primum non consummatum per secundum copulâ confirmatum minimè tollatur.

Effectus secundarius hujus impedimenti est, quòd ii, qui eo durante secundas nuptias attentant, incurrant pœnam infamiæ. *l.* 1. *in fin. ff. De his, qui not. infam. l.* 2. *C. de Incest. nupt. l.* 18. *C. Ad L. Jul. de adult.* & in Germania, si secundum matrimonium consummaverint, gladiô, ac ultimô suppliciô puniantur. *Ordinatio criminalis Caroli V. art.* 121. *& ibi* accuratè Christophorus Blumlacher in Alma hac Universitate quondam Institutionum, & Digestorum meritissimus Professor.

§. VI.

Contraria impedimenti ligaminis sunt modi, quibûs vinculum prioris matrimonii, & unà impedimentum hoc dissolvitur, ac tollitur: quod variè accidit. 7

I. Morte naturali, de qua recentior quidam Poëta canit:

Mors malus, non expertúsque Poëta: ligatas
Conjugiis animas solvere *non metuit.*

Unde mortua conjuge, si superstes velit secundas nuptias inire, id ei licebit toties, quoties casus mortis evenerit, si aliud canonicum impedimentum non obstiterit per text. 1. *ad Corinth.* 7. ℣. 9. *Ad Roman. c.* 7. ℣. 2. *& 3. c. aperiant.* 11. *causâ* 31. *q.* 1. & ita de fide tenendum, dicit Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 6.

II. Solenni professione Religionis: si nimirum alter conjux ante matrimonii consummationem religionem approbatam ingrediatur. *c.* 27. *& cap.* 28. *causâ* 27. *q.* 2. *cap.* 2. *& 7. de Convers. conjug.* idque definitum est à Trident. *sess.* 24. *de Sacram. matr. can.* 6. his verbis: *si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solennem religionis professionem alterius conjugum non dirimi,* 8

anathema sit. Ratio ea datur: quia professio religiosa est quædam mors civilis, & spiritualis juxta illud *ad Colossens. 3. mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo*: sicut ergo mors naturalis dissolvit matrimonium etiam consummatum, ita mors ista spiritualis dissolvit vinculum spirituale matrimonii rati. Veniunt autem hîc nomine solennis professionis quoque professio equitum Ordinum Militarium sub clausura viventium, & præsertim vota solennia Equitum Ordinis Hierosolymitani, utpote qui sunt verè religiosi, ut probant Diana. *p. 3. tract. 2. resol. 30.* Garcias *de Benef. p. 1. c. 4. n. 3. & 4.* Non item vota solennia Equitum Militarium Calatravæ, Alachantaræ, S. Jacobi, Mortesiæ, & similium: cùm horum matrimonium sit compossibile cum votis, ex quo vovent solùm castitatem conjugalem. Diana *l. cit.* Vivianus *de Jure patron. c. 2. num. 16.* & cum his Vincent. de Just. *de Dispens. matr. lib. 2. cap. 10. num. 41.* Neque susceptio SS. Ordinum, ut expresè habetur in *Extravag. antiqua. Joann. XXII. de Voto & vot. redempt.* An verò vota simplicia post biennium emissa in Societate JESU dirimant vinculum matrimonii rati, dissident DD. & adhuc sub Judice lis est.

III. Dispensatione S. Pontificis: quamvis enim fatendum, in terris nullam esse potestatem dissolvendi vinculum matrimonii consummati per *c. corporaliu. 2. de Transl. Episc.* Rota *dec. 101. n. 7. p. 2. divers.* Attamen posse S. Pontificem dispensare saltem impropriè super dissolutione matrimonii rati, ratio, exempla, & Declarationes Cardinalium evincunt. *Ratio*; quia secundum probabiliorem sententiam potest Papa dispensare in voto solenni religionis, quod est fortius vinculum; ergo etiam in matrimonio rato, quod est illô infirmius, cùm per promissionem religiosam dissolvatur. *Exempla*: sæpiùs enim SS. Pontifices in matrimonio rato dispensâsse, testantur passim Authores; de Martino V. & Eugenio IV. Antoninus *3. p. tit. 1. c. 21. §. 3.* de Paulo III. & Pio IV. Navarr. in *Man. c. 22. num. 21.* de Gregorio XIII. Henriquez *l. 11. de matrim. c. 8. n. 11. in Gloss. lit. F.* de Sixto V. Clemente VIII. Paulo V. & Urbano VIII. Cardinalis Carapha in *Libris S. Congregationis Concilii. Declarationes Cardinalium*: quoniam ita sæpissimè censuisse S. Congregationem Concilii, refert Jacob. Pignatell. *tom. 1. consult. 148. n. 5.* præcipuè in *una Carpentoraten. 25. Jan. 1608.* in *una Seguntina 17. Septemb. 1609.* in *una Ferrariensi 20. Maij. 1610.* & in *una Augustana 16. Maij. 1618.* Planè causæ dispensandi in matrimonio rato graves, & urgentes sint, oportet; quales censentur morbus contagiosus superveniens, irreconciliabile odium, & discordia conjugum, timor magni scandali, periculum perversionis, bonum pacis, & si quæ aliæ; in omni autem casu faciliorem reddit dispensationem supplicantium nobilitas, & potentia. Vid. Sanch. *lib. 2. de Matrim. disput. 16.* & Vincent. de Just. *de Dispens. matrim. lib. 2. c. 10. n. 20. & seqq.*

IV. Inter infideles solvitur vinculum matrimonii etiam consummati, si, unô ad fidem conversô, alter perseveret in infidelitate & vel nullô modô, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut conjugem pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare velit: tunc enim fidelem ad secunda, si voluerit, vota transire posse, traditur in *c. quanto. 7. & c. gaudemus. 8. de Divortiis.*

Hæretici volunt, vinculum matrimoniale quoque rescindi propter adulterium, vel malitiosam desertionem compartis, & pro se allegant illud *Matth. 19. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; atque ex hoc argumento à sensu contrario inferunt, quasi ob fornicationem uxoris eam dimittere, & insimul

mo aliam ducere liceat. Sed horum errorem refellunt luculenti textus 1. *ad Corinth.* 7. in *cap.* 1. *& seqq. causâ* 32. *q.* 7. ac anathemate damnavit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Sacram. matrimon. can.* 5. *&* 7. Nec quicquam valet argumentum ex *cap.* 19. *Matth.* deductum: quandoquidem textus ille ita accipiendus est, ut exceptio de fornicatione uxoris restringatur ad verba præcedentia, & sensus sit, non licere dimittere uxorem, excepta causâ fornicationis, non autem ad verba subsequentia, quasi insuper ob causam fornicationis aliam ducere liceat. P. Engl ad *tit. de Divortiis n.* 9. Taceo, quòd argumentum à sensu contrario sit penitus elumbe, si inde correctio juris, aut absurdus intellectus sequatur; ut hoc est, quod militat contra textum D. Pauli 1. *ad Corinth.* 7. contra auctoritatem totius Ecclesiæ, & contra naturam, seu indissolubilitatem matrimonii.

Pars II.

De Impedimento publicæ honestatis.

SUMMARIA.

1. Impedimentum publicæ honestatis quid? 2. Est introductum jure Ecclesiastico. 3. 6. 7. 8. & 9. Ex quibus sponsalibus nascatur? 4. 5. 10. & 11. Quorum matrimonia, & sponsalia invalidet? 12. & seq. quibus modis tollatur?

§. I.

1 *Definitur* impedimentum publicæ honestatis, quòd sit personarum aliquarum propinquitas, & cœpta quædam affinitas ex sponsalibus de futuro, aut de præsenti nata, impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum. Patrit. Sporer *de Matrimon. n.* 54.

§. II.

2 *Causa efficiens* impedimenti publicæ honestatis, alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Ecclesiasticum: quoniam solo jure Ecclesiastico publica honestas introducta est, nec jure naturali in aliquo gradu lineæ rectæ, aut transversæ matrimonium dirimit. Et quidem de impedimento hoc peculiariter agunt *c. si quis* 11. *c. qui desponsa.* 11. *c. si quis* 14. *cum seq. causâ* 27. *q.* 2. *c.* 3. 4. *&* 8. *de Sponsal. c. un. Eod. in* 6. *cap.* 4. 5. *&* 12. *de Desponsat. impub.* & novissimè Trid. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 3. An verò publica honestas orta ex matrimonio rato in jure, nempe in *citatis cap. causâ* 27. *q.* 2. expressa sit, vel solùm colligi possit argumentô à sponsalibus, ac à fortiori deductô? non satis exploratum est; Illud adstruit Basil. Pontius *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 35. *n.* 2. hoc Sanch. *eod. tr. lib.* 7. *disp.* 70. *n.* 1. in praxi non video, quid referat.

Causa efficiens proxima hujus impedimenti 3
est conjunctio animorum: sicut enim ex corporum conjunctione carnali vera affinitas nascitur, ita ex conjunctione animorum, quæ tam in sponsalibus de futuro, quàm de præsenti intervenit, nascitur aliqua quasi affinitas, ob quam inhonestum videtur, ut quis cum consanguinea sponsæ suæ matrimonium contrahat. *d. c.* 3. *de Sponsalib.*

§. III.

Subjectum impedimenti publicæ honesta- 4
tis sunt personæ desponsatæ, quas publica honestas ad matrimonium cum compartis consanguineis contrahendum reddit inhabiles. Ubi jus antiquum secernendum à jure novissimo Tridentini: Jure antiquo impedimentum se extendebat ad omnes consanguineos non tantùm primi, sed & ulterioris gradûs. *c.* 8. *de Sponsal. c. un. Eod. in* 6. consequenter si non ad septimum, saltem ad quartum usque gradum instar consanguinitatis, & veræ affinitatis. *c. penult. & ult. de Consang. & affinit.* De jure verò Tridentini *d. locô.* constitutum est, ut primum gradum nunquam transcendat, adeóq; hodie possit sponsus cum omnibus reliquis sponsæ consanguineis matrimoniũ contrahere, excepta sola matre, filia, & sorore: ac

vicissim

viciſſim ſponſa cum ſponſi conſanguineis excepto patre, filio, & fratre.

Quæres I. Utrùm hæc Tridentini reſtrictio obtineat non ſolùm in publica honeſtate proveniente ex ſponſalibus de futuro, ſed etiam in ea, quæ ex ſponſalibus de præſenti nata eſt? Et in hac non obtinere reſtrictionem illam expreſsè declaravit Pius V. in motu proprio, qui incipit: *Ad Romanum.* edito Anno 1568. ibi: *Idcirco motu proprio authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium declaramus, & definimus, decretum Concilii Tridentini omninò intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, in quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.* Quod & hinc liquet: quòd Concilium Tridentinum nominatim loquatur de juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimento ex ſponſalibus orto nomen autem ſponſalium in propria ſignificatione tantùm importet ſponſalia de futuro, conſequenter in materia correctoria de matrimonio accipiendum non ſit, niſi fortè identitas, vel majoritas rationis aliud ſuadeat; quæ tamen ratio reſpectu matrimonii rati in præſenti longè diverſa eſt: nam hoc publicè contrahitur, & de conſummatione nondum facta conſtare nequit, ideóque communi æſtimatione vera affinitas interceſſiſſe cenſetur, tametſi à parte rei non intervenerit, & in Republica ſcandaloſum, ſicque contra publicam honeſtatem foret, ſi quis defunctæ uxoris conſanguineam duceret; in ſponſalibus verò tam fortiter contra honeſtatem nihil militat, præſertim ultra primum gradum; ergo quod de illis diſpoſuit Tridentinum, porrigendum non eſt ad matrimonium, ceu ſponſalia minùs propriè talia. Vincent. de Juſt. *de diſpenſ. matr. lib. 2. c. 8. n. 9. & ſeqq* cum aliis laudatis.

5 *Quæres* II. An impedimentum publicæ honeſtatis extendatur etiam ad infideles, eósque, ſaltem poſtquam ad fidem converſi ſunt, à matrimonio impediat?

Ratio dubitandi eſt: quia infidelis, qui in infidelitate matrimonium contraxit, & conſummavit, poſt converſionem mortua uxore non poteſt matrimonium contrahere cum ejus ſorore propter impedimentum affinitatis; ergo etiam infidelis, qui tempore infidelitatis contraxit ſponſalia de præſenti, aut de futuro, poſt converſionem mortuâ ſponſâ, non poteſt matrimonium contrahere cum ejus ſorore propter impedimentum publicæ honeſtatis.

Nihilominus indubitatè tenendum, infideles cum conſanguineis ſuæ ſponſæ poſſe contrahere matrimonium tam ante, quàm poſt ſuſceptum baptiſmum. Ante baptiſmum quidem: quia infideles pro tempore infidelitatis non ſubduntur legibus Eccleſiæ, quibùs præcisè impedimentum publicæ honeſtatis conſtitutum eſt; poſt baptiſmum verò: quia, cùm publica honeſtas nonniſi in communi quadam hominum æſtimatione, & in ſolo jure Eccleſiaſtico fundetur, non potuit oriri tempore infidelitatis, quo fuerunt inita ſponſalia: nec dici poteſt, oriri primùm poſt converſionem, quandoquidem quod ab initio irritum fuit, tractu temporis non convaleſcit per *c. non firmatur.* 18. *de R. I. in 6.* Henriquez *lib. 11. de Matr. c. 3. n. 4.* Bonacin *eod. tr. q. 3. punct. 11. n. 6.*

Unde non currit paritas de affinitate: nam hæc eſt vinculum quoddam naturale fundatum in commixtione ſeminum, ac jure naturali, ideóque non eſt, cur, eâdem ſuppoſitâ, non poſſit Eccleſia determinare gradus, intra quos ſubditus ejusdem, vel poſtea factus ſubditus matrimonium contrahere non poſſit. Econtra honeſtas publica eſt duntaxat conjunctio quædam moralis fundata in effectu ſponſalitio, & communi quadam hominum æſtimatione, proveniens præcisè ex lege Eccleſiaſtica, quæ

quæ in infideles cadere non potest, & quia non oritur ex jure naturæ, nec potest postea tractu temporis convalescere, nisi ver novum actum positum post conversionem.

§. IV.

Forma impedimenti publicæ honestatis posita est in propinquitate, seu cœpta quadam affinitate ex sponsalibus, vel matrimonio nondum consummato orta.

Ut ex *sponsalibus* oriatur, ea certa, pura & valida sint, oportet. *Certa:* nam ex sponsalibus incertis, ut si quis promittat unam ex filiabus Titii se ducturum, & illæ consentiant, non consurgere hoc impedimentum, textus est in *c. un. de Sponsal. in 6. Pura:* enimverò sub conditione inita v. g. *si mille in dotem dederis; si parentes consenserint, &c.* pendente conditione non obstant, quo minùs, si sponsa ante eventum conditionis moriatur, soror, vel alia è consanguineis licitè & validè in uxorem duci possit. *d. c. un.* Notanter autem dixi: *pendente conditione:* quia si apposita conditio jam impleta sit, puta si mille in dotem sint numerati, aut parentes consenserint, pura fiunt sponsalia, & sic censentur, ac si nullam habuissent conditionem. Similiter quando adjecta est conditio de præsenti, vel præterito v. g. *si es nobilis; si pater tuus est mortuus;* & ea de facto existit, ut statim absolutè obligant sponsalia, ita etiam statim ab initio impedimentum publicæ honestatis producunt. Sanchez *de Matr. lib. 7. disp. 69. num* 4. & alii communiter. *Valida:* licèt olim impedimentum dirimens ortum fuerit ex sponsalibus invalidis, modò non fuissent talia ex defectu consensûs. *d. c. un.* hodie tamen Concilium Tridentinum *d. sess. 24. de Reform. matrim. c. 3.* constituit, ut quacunque ratione sponsalia invalida fuerint, nullum ex iis nascatur publicæ honestatis impedimentum, idque conformiter vulgatæ juris regulæ: *non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum.*

Ut *matrimonium ratum* publicæ honestatis impedimentum propignat, requiritur *primò*, ut sit purè, ac absolutè initum, nec aliqua conditione suspensum: siquidem quæ paulò ante diximus de sponsalibus, obtinent etiam in matrimonio rato, quamvis de eo *d. c. un. de Sponsalib. in 6.* expressè non loquatur: sufficit enim, nullum Jus oppositum statuere de matrimonio rato, & communem praxim, seu consuetudinem Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres, ita observare. *Secundò* requiritur, ut matrimonium non sit invalidum ex defectu consensûs: hinc si matrimonium irritum sit propter metum cadentem in virum constantem, aut propter errorem in persona; vel unus contrahentium sit infra septimum ætatis annum; vel si matrimonium celebretur per procuratorem, qui interim, licèt ignoranter, revocatus sit, his & similibûs casibûs nulla oritur publica honestas, arg. *d. c. un.* Secùs est, si matrimonium sit nullum consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione, prout juxta citatam *Bullam* Pii V. declarârunt Cardinales ad *d. c. 3. Tridentini.* 7

Tertiò aliqui requirunt, ut matrimonium palàm in facie Ecclesiæ celebratum sit. Sanchez *lib. 7. disp. 70. num.* 13. ubi docet ex matrimonio clandestino hodie non oriri publicam honestatem, eò quòd formam, & figuram matrimonii non habeat, sed quodammodo in ipso consensu requisito defectum patiatur, utpote qui coram parocho & testibus explicatus non est. Verùm cùm de jure antiquo indiscriminatim ex matrimonio quacunque ex causa invalido, dummodo contrahentes de facto consenserint, natum fuerit publicæ honestatis impedimentum, & Concilium Tridentinum nihil innovaverit circa matrimonia sive sponsalia de præsenti juxta declarationem Pii V. allegatam, idem statuendum est, si nullum sit matrimonium pro- 8

propter impedimentum extrinsecum, seu propter defectum Parochi ac testium, præsertim si contrahentes hoc casu impedimentum nesciant, v. g. credant, esse Parochum, qui Parochus non est, aut falsò putent, in parochia non esse publicatum decretum Tridentini; aliàs enim, si scientes formam Tridentini negligerent, censerentur non habuisse seriam intentionem de præsenti contrahendi, & ita defectus in consensu foret. Fagnan. in *c. ad audientiam. de Sponsalibus num.* 20. Gutierrez *de matrimon. cap.* 103. *num.* 9. Jacob. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 15. qui *num.* 3. refert declarationem S. Congregationis Concilii.

2 Non levis *controversia* est: num publicæ honestatis impedimentum oriatur casu, quo sponsalia, aut matrimonia sunt publica, & impedimentum, aut defectus consensûs omninò occultus, ita ut in foro externo probari nequeat?

Affirmativæ adstipulatur Sanchez *l.* 7. *disp.* 68. *n.* 14. & cum eo Vinc. de Just. *de Dispens. matrim. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 26. eò quòd, cùm nullitas probari nequeat, nec præsumatur, non minùs scandalosum, ac inhonestum sit in Republica, hoc casu cum consanguinea sponsæ contrahere matrimonium, quàm si revera valida fuissent priora sponsalia, aut matrimonia.

Econtra Coninck *de Sacrament. disp.* 23. *dub.* 5. *num* 69. Bonacin. *de Matrimon. quæst.* 3. *punct.* 11. *num.* 14. quos malè pro affirmativa allegat Vincent. de Just. Navarr. in *Man. cap.* 22. *n.* 57. & plures alii apud Sanchez *l. cit. num.* 13. docent, si defectu consensûs merè interni, vel alia ex causa planè occulta sponsalia de præsenti, vel de futuro nulla sint, nullam à parte rei nasci publicam honestatem, licèt in foro externo nata præsumatur; quibus accedo: tum quia de jure communi ex sponsalibus vel matrimoniis defectu consensûs invalidis non hascitur publica honestas. *c. un. de Sponsalibus in* 6. & quò minùs textus iste secundùm opinionem Adversariorum explicari possit de defectu consensûs apparente, vel nullitate in foro externo nota, saltem quoad sponsalia de futuro propter occultum votum, errorem, simulationem, similéve impedimentum invalida, prohibet Tridentinum *cit. cap.* 3. dum verbis generalibùs, justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, prorsus tollit.

Ratio pro contraria sententia allegata nihil evincit, nisi quòd in foro externo, quamdiu nullitas, aut defectus consensûs occultus est, sponsalia, ac matrimonia valida, atque ex illis impedimentum publicæ honestatis ortum præsumatur. Nec refert, quòd scandalosum, inhonestúmque sit, ducere consanguineam illius, quæ in foro externo creditur vera uxor, aut sponsa; non enim omne scandalum, vel inhonestas re ipsa inducit impedimentum dirimens matrimonii, sed illa solùm publica honestas, quæ quasi affinitas quædam inchoata ex mutua animorum conjunctione, & consensu in matrimonium nascitur. Unde sicut putativa affinitas carnalis à parte rei, & in foro animæ non impedit, quò minùs is, qui publicè pro affine habetur cum putativæ concubinæ sorore matrimonium validè contrahat, etsi in foro externo tale matrimonium habeatur pro scandaloso, & invalido; ita idem continget, si à parte rei nulla sit animorum conjunctio, nullúmve impedimentum ex mutuo consensu natum, quantumvis in foro externo præsumatur.

Utrùm ex Sponsalibus, ac matrimoniis impuberum, quæ vel ipsi ad invicem, vel Parentes pro eis contraxerunt, consurgat impedimentum publicæ honestatis? textus luculentus est in *c. un. de Despons. impub. in* 6.

quem

quem supra in *tit. 1. n. 8. 18. 100.* & in *tit. 2. num. 13. & seqq.* exposuimus.

§. V.

10 *Effectus* impedimenti publicæ honestatis est, quòd inter personam desponsatam, & alterius consanguineos impediat, & dirimat matrimonium subsequens, & multò magis sponsalia, non tamen præcedentia. *c. un. de Sponsa. in 6.* Idcirco si quis priùs contraxerit sponsalia absoluta de futuro cum Titia, & postea cum ejus sorore de præsenti, sponsalia posteriora de præsenti sunt nulla, priora autem subsistunt & obligant ad contrahendum cum Titia matrimonium. Neque impedit, quòd ex matrimonio invalido ob aliam causam, quam ob defectum consensûs impedimentum publicæ honestatis generetur juxta deducta *n. 7.* id namque non operatur retro, neque nocet sponsalibus antecedentibus: eò quòd ratio publicæ honestatis, quæ impedit contractum cum consanguinea sponsæ impediat quoque, ne ex contractu illo invalido, si ineatur, adversùs se ipsam aliud impedimentum consurgat, & detur mutua quasi reactio. Patrit. Sporer *de Matr. num. 58.* Aliud statuendum, si quis successivè cum duabus sororibus sponsalia contrahat, & secundam insuper carnaliter cognoscat; quo casu nec secundam habere potest propter impedimentum publicæ honestatis, neque primam propter affinitatem, solùm enim de publica honestate constitutum est, quòd retro non agat, & sponsalia præcedentia non dissolvat, affinitas verò, & reliqua impedimenta dirimentia, tametsi post contracta sponsalia superveniant, obstant matrimonio contrahendo, & ipsò jure ea rescindunt per *c. ex literis. 8. de eo, qui cognovit consang. uxor. sua.* P. Engl *de Sponsa. §. 6. n. 6.*

§. VI.

11 *Contraria* impedimento publicæ honestatis est dispensatio, quâ tollitur. Ut verò in aliis impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico introductis solus S. Pontifex dispensare potest, ita etiam potest in isto impedimento, sive proveniat ex sponsalibus de futuro, sive ex matrimonio rato, uti illustre exemplum habemus in Julio II. qui dispensavit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, & Catharina Austriaca antea Arthuro Henrici Fratri nupta, teste Jacobo Pignatell. *tom. 4. consult. 14 num. 4.* Interim tamen longè faciliùs dispensatur, & honestas ex sponsalibus, quàm si ex matrimonio rato proveniat, & ideo majores causæ requiruntur ad impetrandam dispensationem super hac, quàm super illa, atque si ex matrimonio rato insurgat, id in supplicatione exprimendum est, ut habet notorius Curiæ Stylus. Vincent. de Just. *de Dispens. matrimon. lib. 2. c. 8. n. 56. & 59.*

12 De cœtero impedimentum publicæ honestatis adinstar affinitatis est perpetuum, ita ut nec morte alterius, consequenter nec per aliam dissolutionem sponsalium extinguatur. *c. 14. & 15 causâ 27. q. 2.* Et hoc etiam tunc procedit, quando sponsalia de futuro dissolvuntur mutuo dissensu: partim propter textum clarum in *c. accessit. 5. de Desponsa. impub.* qui per Tridentinum non reperitur correctus: partim propter expressam declarationem Cardinalium de Anno 1658. die 6. Julii, quam sub die decima ejusdem Mensis Alexander VII. approbavit, jussitque, in dubium deinceps non revocari, teste Fagnano in *c. ad audientiam. 4. num. 29. de Sponsalib.* Quibus accedit ratio, quòd impedimenta matrimonii semel nata non ampliùs dependeant à voluntate, & personis contrahentium, sed ab Ecclesia; cùm ergo sponsalia semel fuerint valida, non est in arbitrio contrahentium, tollere illud impedimentum, quod ex iis vi statuti Ecclesiæ semel resultaverat. Confer Reverend. Maurum Oberascher *de Sacram. matrimon. cap. 4. §. 7. &* P. Jacob. Wex *de Sponsal. p. 1. à num. 27.*

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis Contractibus.

SUMMARIA.

1. Conditionis diversa acceptio. 2. Definitio. 3. Usque 11. Multiplex divisio.
11. 12. An liceat. 13. 14. 15. Et quibus actibus liceat adjicere conditionem.
16. Quomodo concipiatur conditio?
17. Usque 27. recensentur effectus singularum conditionum, præsertim circa desponsationem.
27. Et seqq. Quid operetur causa, demonstratio, vel modus adjectus contractui matrimoniali.

UT aliis contractibus, ita & desponsationi *conditiones* apponi possunt; qua in re quid juris, *hoc titulo* exponitur.

§. I.

1 *Conditionis* non una significatio est: Interdum sumitur pro statu personæ, ut in *§. fin. Institut. de Jure person. l. 9. ff. de Statu hom.* Aliquando pro qualitate rei, v. g. matrimonii, ut in *l. 65. ff. de Judiciis. l. 19. & 36. ff. de Ritu nupt.* Nonnunquam pro modo, ut in *c. verum. 4. h. t.* Alibi pro pacto, seu lege contractûs, ut in *l. 6. ff. Pro socio. l. 7. C. de Pactis.* Quandoque pro optione, sive electione, ut in *l. 8. §. 12. ff. de Inoffic. testam.* Sæpissimè, & hoc loco accipitur pro circumstantia dispositioni adjecta, à cujus existentia valor illius dependet.

§. II.

2 *Definitur* conditio, quòd sit adjectio apposita, vel subintellecta, per quam dispositum in suo esse habet existentiam, vel defectum. Ita ferme Bald. in *Rubr. de Condit. & Demonstrat.*

§. III.

3 *Dividitur* conditio I. in conditionem de præsenti, de præterito, & de futuro, juxta modum scilicet, quô concipitur. Conditio de præsenti est, si dicam: *ducam te, si es virgo, si nobilis, Comes, aut Princeps.* Conditio de præterito, si dicam: *ducam te, si Ferdinandus III. fuit Imperator; si pater tuus est mortuus.* Conditio de futuro, si dicam: *ducam te, si hoc, vel illud feceris*, aut *non feceris.* Hæc postrema conditio propriè talis est, non item conditio de præsenti, vel de præterito juxta *l. institutio. 10. ff. de Conditionib. instit.*

4 II. *Dividitur* in conditionem possibilem, & impossibilem. Possibilis dicitur, quæ se habet ad esse, & non esse, ideóque & evenire, & non evenire potest. Impossibilis, cùm quid fieri repugnat.

5 Conditio *possibilis* subdividitur in necessariam, & contingentem, & hæc denuo in suas species. Necessaria est, quæ ordine naturæ, aut aliàs omninò est exitura; ut si dicam: *accipiet te in uxorem, si cras sol oriatur, vel occidat: si Titius moriatur: si Antichristus nascatur.* Contingens alia est potestativa, alia casualis, alia mixta. Potestativa, seu arbitraria nuncupatur, quæ dependet à sola, & libera voluntate ejus, qui vel dando, vel faciendo illam implere potest; qualis est hæc: *ducam te, si Christianam religionem amplecti volueris.* arg. *l. 2. ff. de Condit. & demonstrat.* Casualis vocatur, quæ pendet ex futuro eventu, & ex voluntate tertii; qualis est hæc: *ducam te, si Imperator vicerit Turcam: si Titius Doctor Furium factus fuerit.* DD. *in l. qui balneum. §. 1. ff. Qui pot. in pign.* Mixta, quæ partim casualis, ac fortuita est, partim arbitraria; qualis illa: *ducam te, si redieris ex Gallia;* quod tam à fortuna, quàm à voluntate abeuntis pendet per *l. si pater. 4. C. de Instit. & substit.*

7 Conditio *impossibilis* vel est talis ex natura rei, cui natura impedimento est, quò minùs existat, ut: *si hircocervum ceperis:* vel est talis de facto, cùm quid jure, & naturâ fieri potest, propter difficultatem tamen impossibile judi-

judicatur, ut: *si cœlum digitô tetigeris: si monetam auream in dotem dederis;* vel est talis de jure, cùm pro conditione ponitur res lege prohibita: quod enim lege non licet, id nec pos-
9 se censemur. *l.* 15. *ff. de Condit. & Instit.* Et hæcitarum alia est contra substantiam matrimonii, puta contra educationem, vel generationem prolis, ut: *si partum impedieris: si sterilitatis venenum sumpseris,* aut contra fidem conjugalem, ut: *si pro quæstu te prostiueris: si tui copiam feceris iis, quibus voluero:* aut contra bonum Sacramenti, ut: *si alium honore, & facultatibus ditiorem non invenero. c. fin. h. t.* Alia est, quæ non repugnat substantiæ matrimonii, ut ista: *ducam te, si produm occideris: si furtum feceris.* Sanchez *de Matr. lib.* 5. *disp.* 1. *n.* 3.

III. *Dividitur* conditio in suspensivam, & resolutivam. Suspensiva dicitur, quæ actûs obligationem, seu effectum suspendit, donec conditio existat, veluti si quis ita contrahat matrimonium cum Titia: *si ipsa in dotem offerat mille.* Resolutoria, quæ nihil obstat, quin contractus, vel actus ab initio sit purus, facit tamen, ut possit resolvi: v. g. *Ego contraho tecum, donec aliam ditiorem invenero.* Gonzalez in *c.* 1. *n.* 8. *h. t.*

10 IV. *Dividitur* conditio in expressam, & tacitam. Expressa est, quæ conceptis verbis apponitur. Tacita, quæ actui aliàs inest, etsi non exprimatur: cujusmodi in ordine ad sponsalia sunt hæ: *si DEUS voluerit: si DEO visum fuerit: si vixero: si res permanserit in eodem statu: si non ex mea affinis, aut consanguinea: si honestè, & pudicè vixeris.* Sanch. *d. n.* 3. & 8.

§. IV.

11 *Causa efficiens* conditionis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus, quod modò prohibet, modò permittit, actum fieri sub conditione. *tot. hoc tit. & ff. de Condit. & Demonstrat.* ac passim alibi.

12 *Proxima* sunt, qui dispositioni, seu actui conditionem aliquam apponunt. Possunt autem utique omnes illi conditionem apponere, quos neque natura, neque lex impedit, quò minùs actum ipsum purè celebrare possint, arg. *l. in re mandata* 21. *C. Mandati.* Unde qui sunt habiles ad contrahendum matrimonium, ac sponsalia, sunt etiam habiles ad hoc, ut iisdem conditionem adjiciant.

§. V.

13 *Materia*, seu *Objectum* conditionis sunt actus, quibus ea apponi potest: sunt enim actus, qui conditionem respuunt, & per ejus adjectionem vitiantur. Sed quinam illi? Jure Canonico regula generalis traditur: *actu legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. c.* 50. *de R. I. in* 6. De Jure Civili regula paulò limitatior habetur in *l. actus legitimi. ff. Eod.* ibi: *actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per conditionem, vel temporis adjectionem.* Quorum verborum sensus non est, quòd omnes actus legitimi conditionem, seu diem respuant, vel per ejus adjectionem vitientur, sed quòd ii actus legitimi, qui conditionem, vel diem non recipiunt, ejus additione inutiles, irritique fiant, atque hoc sensu etiam regulam canonicam intelligendam esse, *ibidem* docent Barbos. Canisius, & alii.

14 De matrimonio *controvertitur*, an ei, præsertim in locis, ubi Tridentinum receptum est, conditio de futuro contingente adjici possit?

Negativam probat Sanchez *d. disp.* 1. *n.* 5. Covarr. *de Matrim. p.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Affirmativam sustinent Gloss. Panormit. & Canis. in *c.* 1. *h. t.* Quibus meum quoque calculum adjicio: quamvis enim fatendum sit, quòd matrimonium purum, & perfectum non sit, antequam existat conditio, sicut nec alius

contractus conditionatus; attamen hoc non impedit, quin contractus hujus Sacramenti, qui ex consensu simpliciter pendet, conditionatus esse possit, cùm ipse consensus de præsenti possit esse conditionatus. Neque obest, quod ingerunt, matrimonium esse ad hoc institutum, ut statim ex eo purus effectus cohabitationis, & conjunctionis mutuæ sequatur: hoc namque simpliciter verum non est, quandoquidem constat, hunc effectum posse suspendi per deliberationem, & ingressum in religionem. Si ergo effectus purus illico sequi non debet, natura hujus contractûs conditionem non excludit. Vid. Canis. & Barb. *l. cit.* Layman in *Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 7.*

15 Eadem ferè *difficultas* videtur de professione religiosa, ut quæ est velut matrimonium spirituale, & per eam se tradit, ac consecrat homo DEO in perpetuum servitium, atque à mundo emancipatus se eidem Numini mancipat. Probabilius tamen est, quòd sicut matrimonium, ita & professio religiosa conditionem suspensivam recipere possit, & tunc, tametsi ante existentiam conditionis professio perfecta non sit, tamen ea existente sine novo consensu, & acceptatione superioris professio pura, & perfecta efficiatur, ut tradit Sanch. *Op. moral. lib. 5. c. 4. n.* 88. & cum eo Layman *ut suprà.* Obiter tamen noto, quòd tam professio religiosa, quàm matrimonium conditionem resolutivam, vel diem non admittant: quippe conditio resolutiva, & adjectio diei sive per modum termini, sive per modum conditionis facta repugnat substantiæ utriusque, & sic reddit actum nullum per text. in *c. fin. h. t.*

§. VI.

16 *Forma* conditionis stat in modo eam concipiendi, qui varius. Dictiones usitatiores, quibûs conditio exprimitur sunt adverbia: *si, cùm, quando, quandoque, ubi, dum, dummodo, donec, quoad, quamdiu.*

Particula *si* quasi ex natura sua negotio conditionem adjicit. *l. 1. l. 17. §. 3. ff. de Condit. & demonst.* Alexander *consil.* 127. *lib.* 7. Nisi conditio repugnet facto, vel intentioni disponentis. Barb. *de Diction. usu frequent. dict.* 364 *n.* 2.

Particulæ *cùm, quando, quandoque* principaliter quidem significant tempus. *l.* 22. *ff. Quando dies legat.* conditionem tamen denotant, si adjiciuntur verbo futuri temporis aut termino incerto, ut si pater leget filiæ: *cùm nupserit*, vel *quando nupserit. l.* 49. *pr. §. 1. & 2. ff. de Legat. 1. l. 25. ff. de Condit. & demonst. l. 30. ff. Quando dies legat.* Alex. *lib. 2. consil.* 55.

Similiter particula *ubi* juncta verbo futuri temporis, aut eventui incerto, conditionem inducit, ejusdémque significationis, ac potentiæ est, cujus vox *cùm*, vel *quando*: veluti si mulieri legatum relictum sit, *ubi ea nupsisset. l. si ita scriptum.* 45. *§. fin. ff. de Legat. 2.* Gonzalez in *c. 1. c. t. n.* 7.

Adverbia *dum, dummodo, donec, quoad, quamdiu*, modò conditionem suspensivam, modò resolutivam important; suspensivam tunc, quando apponuntur ad inchoationem actûs, ut in *l. sufficit.* 56. *ff. de Condict. indeb.* ubi pactum de non petendo conditionale dicitur, si quis paciscatur, ne conveniatur, *donec Titius consul fiat.* Resolutivam verò, quando adjicitur ad actum finiendum, ut si quis ita legaverit, *dum, quoad*, vel *donec uxor mea cum filio meo erit. l.* 30. *§. 5. ff. de Legat. 3. l.* 17. *ff. de Annuis legat. l. 6. ff. de Condit. demonstr.* Bartol. in *l. 1. ff Eod. num.* 15. Barb. *l. cit. dict.* 93. *& 2. seqq.*

Sunt præterea plures aliæ dictiones, quæ in ultimis voluntatibus, aut contractibus conditionem indicant, & generaliter omnes illas, quæ dispositionem in futurum aliquem eventum suspendunt, conditionem facere asserit Alexand. *consil.* 109. *n.* 5. *lib.* 7.

§. VII.

§. VII.

17 *Effectus* conditionibus non semper idem est, sed pro diversitate conditionis diversus.

Effectus conditionis de *præsenti*, vel *præterito* est, quòd, si extet, & res ita se habeat, dispositionem statim ratam; sin aliter, statim irritam faciat. *§. conditiones. 6. Instit. de Verb. obligat. l. conditio. 100. ff. Eod.* Idcirco si quis dicat: *promitto tibi matrimonium*, vel *accipio te in uxorem, si es nobilis, aut dives*, statim rata sunt sponsalia, aut matrimonium, si revera nobilis sit, aut dives; sin minùs, nihil prorsus actum esse intelligitur: quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint. *d §. conditiones. 6.* Navar. in *Man. c. 22. n. 62.* Gutierrez *de Matr. c. 81. n. 1.* Reverend. Maurus Oberascher *de Sacram. matr, c. 2. §. 3. q. 2.*

18 *Effectus* conditionis *necessariæ*, licèt concepta sit de futuro, est, quòd sponsalia, matrimonia, aliósve actus nec vitiet, nec suspendat, quippe quod fieri necessum est, præsens esse videtur, & contractus sub tali conditione conceptus, purus esse censetur, quia conditio non potest non existere. *l. hares meus 79 ff. de Cond. & demonst.* Hinc respondit Ulpianus, quod ea conditione debetur, quæ omnino extitura est, veluti si, cùm moriar, dare promisero, solutum repetì non potest, quia revera debitum jam erat. *l. 17. & 18. ff. de Condict. indeb.* Quod tamen intelligendum est, si contrahentes sciant, conditionem esse necessariam: nam si putent, illam non esse necessariam, quoad eorum intentionem est contingens, & per consequens contractum suspendit usque ad eventum conditionis. Henriquez *lib. 11. de Matr. c. 12. n. 4.* Sanch. *lib. 5. disp. 2. num. 3.* Idémque est, si ex circumstantiis facilè colligatur, talem conditionem non apponi tanquam conditionem, sed tanquam temporis præfinitionem, ut si quis dicat: *contrabo tecum, si pater meus moritur*, id est, quando pater meus obierit; etsi enim hæc conditio necessariò futura sit, consensus tamen in diem signatum fertur, & sic de futuro est, arg. *d. l. hæres. 79. ff. de Condit. & demonst.* Sanch. *l. cit. n. 6.*

19 *Effectus* conditionis *possibilis* de futuro contingente est, quòd effectum, & obligationem actùs suspendat; quamobrem nec sponsalia, nec matrimonia, nec alii contractus quicunque hac conditione pendente obligant ad executionem, sed solùm ad expectandum ejus eventum per §. 4. *Inst. de Oblig.* Quòdsi conditio deficiat, sive casu, sive culpâ cujuscunque, contractus dissolvitur, neque ex iis agi potest *c. super eo. 5. h. t.* Si verò impleatur conditio, quantumvis ex intervallo, ea (excepta conditione potestativa) retrotrahitur, & contractus ita purificantur, & perficiuntur, ac si ab initio fuissent purè. & sine conditione initi. *l. 11. pr. & §. 1. ff. Quipotior. in pig. l. 41. ff. d. O. & A. l. 7. ff. de Contrah. empt.*

20 Illud acriter *discepatur*: an matrimonium contractum per verba de præsenti sub conditione de futuro honesta, eâ impletâ, fiat validum, & obliget absque novo consensu utriusque contrahentis?

Negativam imprimis suadere videtur textus in *c. super eo. 5. h. t.* propterea, quòd ibi dicatur, eum, qui in mulierem consentit, *si pater voleat*, nonnisi eveniente conditione cogendum esse ad matrimonium *contrahendum*: si ergo impleta conditione cogendus est *contrahere*, non erit statim matrimonium sine novo consensu. Deinde ratio: quia cætera Sacramenta à futuro eventu pendere non possunt, sed statim aut nulla, aut valida esse debent, ut in baptismate, si quis diceret: *baptizote, si cras pœnituerit*; in confessione: *absolvote, si eras restituerit*; nec baptismus, nec absolutio valeret, etiam impleta conditione, nisi nova ablutio, aut absolutio de præsenti detur. Ergo idem dicendum de matrimonio: maximè quia consensus sub conditione in futurum

im-

implenda est consensus solùm de futuro, non de præsenti, ut habetur in *d. c. super eo. in fin.* & docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 29. *q. un. art.* 3. *ad quæstione.* 3.

Nihilominus major, meliórque pars Canonistarum sequitur affirmativam, eámque servat Curia Romana etiam post Concilium Tridentinum, ut testatur Fagn. in *d. c. super eo.* eò quòd omnes reliqui contractus, etiam sponsalium, sub conditione contingente in futurum celebrati ea eveniente purificentur, ac perficiantur sine novo consensu, ac si ab initio fuissent purè, & sine conditione iniri per *jura supra allegata;* ergo & matrimonium tam sub ratione contractûs, quàm sub ratione Sacramenti, cùm Christus illud elevando ad dignitatem Sacramenti ejus naturam non immutaverit.

Neque huic sententiæ refragatur *c. super eo.* 5. *h. t.* quoniam in illo ly *contrahere* accipitur pro *consummare*, ita ut sensus sit, eum, qui sub conditione matrimonium contraxit, conditione impleta cogendum esse ad *contrahendum*, id est, ad *consummandum* matrimonium, quandoquidem interrogatio de consummatione est proposita, cui responsio congruere debet. Sanch. *lib.* 5. *disp.* 8. *n.* 5. Inductio, & argumentatio ab aliis Sacramentis, ut in aliis multis, ita quoque in hoc fallit. Ratio disparitatis inde provenit, quòd alia Sacramenta omnia certam materiam, formámque absolutam, ac verbalem habeant, matrimonium autem in ratione Sacramenti plùs non requirat, quàm in ratione contractûs, utpote in quo ejus materia, & forma consistit; proinde sicut quà contractus perfici potest per eventum conditionis sine novo consensu, ita etiam perfici poterit, ut est Sacramentum. Ad id, quod additur, concedo, consensum conditionatum non esse consensum de præsenti cum effectu actualiter posito, nego verò, non esse consensum de præsenti cum effectu in eventum conditionis suspenso, exprimiturque per verbum præsens: v. g. *accipio te, si pater tuus consenserit.*

Porro ut conditione existente matrimo- 21
nium reddatur perfectè validum, & purum, juxta communiorem sententiam necessarium est, ut in locis, ubi Tridentinum promulgatum, ac receptum, Parochus & testes etiam de conditionis implemento notitiam habeant, adeóque vel interfint, dum conditio impletur, vel saltem contrahentes coram Parocho, & testibus, conditionem esse impletam, affirment: quippe alioquin in foro externo de matrimonio substantialiter perfecto testificari non possent, sed solùm de contractu inchoato, & adhuc in futurum pendente, solubilique. Coninck, Petr. Ledesma, & cum his Layman in *Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3.

Effectus conditionis *impossibilis*, sive *de-* 22
natura, sive *de facto*, sive *de jure* variat. Adjecta ultimæ voluntati, puta testamento, legato, fideicommisso, donationi mortis causâ, non vitiat, vel impedit effectum hujusmodi ultimæ voluntatis, sed ipsa conditio vitiatur, id est, habetur pro non adjecta, seu non scripta. *l.* 1. *l.* 14. *ff. de Condit. instit. l. reprehendenda. C. de Instit. & substit.* Idem est in matrimonio, dummodo non inseratur conditio turpis, quæ sit contra substantiam matrimonii per text. in *c. fin. h. t.* Secùs in aliis contractibus, & actibus inter vivos, qui, si sub conditione impossibili, aut turpi celebrentur, vitiantur, & nullius momenti existunt juxta §. *si impossibilis.* 11. *Instit. de Inutil. stipul. l. non solùm.* 31. *ff. de Obligat. & act.* Ratio discriminis est, quòd ultimæ voluntates sint favorabiliores, quàm contractus, & benignior, ac plenior in iis interpretatio facienda, nec facilè credendum sit, aliquem ultimæ suæ voluntati quid adjeciſſe ad impugnandum idem suum judicium. *l.* 3. *ff. de Testam. milit.* Matrimonii quoque favor favori ultimarum voluntatum æquiparatur. Sed hic

Con-

23 *Controvertitur* I. Qua ratione conditiones impossibiles, vel turpes, quæ non repugnant substantiæ matrimonii pro non adjectis haberi possint?

Dixeris forsan, matrimonium sub ejusmodi conditione contractum ex defectu substantialis consensûs penitus non posse subsistere: enim consentire non intelligitur, qui noluit se obligare, nisi sub conditione impossibili, vel turpi juxta textum in *d. l. non solùm* 31. *ff. de Oblig. & act.* Et verò si quis in matrimonium conferit sub conditione turpi, v. g. *si hominem interfeceris*, tum revera consensus ejus naturaliter spectatus est conditionatus, non absolutus, conditionatus autem consensus sublata conditione deficit. Similiter, qui hac oratione usus est: *accipio te, si montem aureum pro dote attuleris*, vel scivit, conditionem esse impossibilem, vel reputavit, esse possibilem; si scivit, tum non habuit verum consensum, sed potiùs ludere voluisse videtur; si reputavit possibilem, talis conditio in ejus animo & apprehensione eandem vim habet, ac si verè esset possibilis, & contingens, consequenter ex ejus defectu consensus nullus est, arg. *l. servo manumisso. ff. de Condition. indebit.*

Hac de causa DD. anxiè disquirunt circa intellectum *d. c. fin. h. t.* & diversas ejus explicationes afferunt, quarum octo refert Gutierrez *de Matr. c.* 82. *à n.* 40. Præ reliquis placet hæc: illam dispositionem *c. fin.* tantùm procedere ex præsumptione, quòd scilicet, si conditiones impossibiles, vel turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii, adjiciantur huic contractui, præsumatur, non fuisse seriò appositas, sed ipsum matrimonium absolutè contractum, conditiones autem tantùm in speciem, aut secundariò per modum accessorii adjectas. Nec est verum, quòd, quando conditio turpis, vel impossibilis, cognita ut talis, additur, semper necessariò naturalis consensus deficiat; potest enim circa substantiam matrimonii esse verus, & principalis consensus, circa addita aut secundarius, aut nullus. Igitur per decisionem *d. c. fin.* non ponitur regula universalis circa contractum matrimonii, quasi is debeat absolutè subsistere, tametsi consensus fuerit verè nullus, aut simpliciter conditionatus: cùm constet, absque vero, ac naturali consensu matrimonium contrahi non posse; sed præsumitur duntaxat à jure, verum interveniisse consensum, & quidem per se absolutum, nisi contrarium ex circumstantiis & adjunctis reluceat, ac præsumptio illa per aliam elidatur. P. Engl *h. t. n.* 12. & 13.

Controvertitur II. An sicut in matrimonio, 24
ita in sponsalibus de futuro conditiones turpes, aut impossibiles rejiciantur, & sponsalia pro absolutè contractis habeantur?

Negativam defendit Zoës. *h. t. n.* 22. & post eum P. Engl *n.* 15. eò quòd *c. fin. Eod. tit.* tantùm loquatur de matrimoniis, & aliunde illius dispositio sit exorbitans à jure communi, imò quodammodo correctoria juris naturalis, adeóque strictissimè interpretanda. Affirmativam Sanch. *lib.* 5. *disp.* 17. *n.* 2. dicit, esse communem ferè omnium, nec ab ea in praxi recedendum: quia aliàs, quæ de matrimonio disponuntur, etiam in sponsalibus procedunt per *l. oratio. ff. de Sponsal.* idque præsertim hìc obtinet; ex quo dispositio *d. c. fin.* non est odiosa, sed favore matrimonii introducta, ut ibidem expressè dicitur. Nec etiam à regulis juris communis, minùs à jure naturali exorbitat, siquidem idem universaliter de ultimis voluntatibus constitutum est in *l.* 1. & 4. *ff. de Condit. instit.*

In theoria utraque sententia probabiliter defenditur. In praxi existimem, plurimùm ad circumstantias contractûs attendendum esse, & sententiam negativam sequerer, si ex contrahendo matrimonio alia quædam incommoda, ut sæpè accidit, suboritura time-

rentur, cùm tunc sponsalia potiùs odiosa, quàm favorabilia essent; affirmativam verò, cessantibûs ejusmodi incommodis, modò contrahentes sciverint, conditionem esse verè impossibilem, aut saltem ita turpem, ut in eam inclinâsse non videantur; quod addo: quia si sit talis conditio, in quam homines frequenter ex humana fragilitate consentiunt, ut si Lutheranus promittat matrimonium Catholicæ sub conditione, *si religionem catholicam abjuraverit*: vel si quis dicat, se ducturum Titiam, *si priùs sui corporis copiam faciat, &c.* tunc enim præsumendum, conditionem seriò appositam, nec aliter quàm conditionatè consensum præstitum fuisse, consequenter corruit opposita præsumptio desumpta ex *c. fin. sapè cit.* Patrit. Sporer *de Matrim. c. 1. num. 192.* Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsal. p. 1. §. 6. n. 25.*

25 *Effectus* conditionis *resolutiva* alius est, si consideretur ut pendens, alius, si ut existens, alius, si ut deficiens. Ut pendens relinquit actum purum, nec puritatem, aut perfectionem negotii remoratur, arg. *l. 3. ff. de Contrah. empt. l. 2. §. 4. & 5. ff. Pro empto.* Ut existens actum resolvit, ita ut retrò ab ipso initio pro non facto habeatur per *l. 19. ff. de Usurpat. l. 6. §. 1. de Diverſ. & temper. præſcript.* Sicut enim conditio suspensiva hoc operatur, ut ea existente retrò actus purè celebratus putetur juxta *deducta*, ita ex adverso facit conditio resolutiva, ut retrò nihil actum esse videatur. Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 28. th. 9. lit. D.* Ut deficiens actum ita confirmat, ut absolutè evadat irrevocabilis, perinde ac si ab initio nulla conditio fuisset adjecta: quoniam resolutio fuit conditionalis, & conditionalia deficiente conditione pro infectis habentur.

26 Denique *effectus* conditionis *tacita*, quæ nempe ex natura rei inest, idem est, qui expressæ per *l. item quia 4. ubi* Gloss. & DD. *ff. de Pact.* non tamen facit actum conditionalem, nec obligationem, aut exactionem suspendit, tametsi exprimatur: sic enim, licèt sponsalia de futuro habeant tacitam conditionem: *nisi deformitas superveniat, vel detegatur*, statim tamen pariunt publicam honestatem, item statim sponsa potest urgere, & cogere sponsum ad contrahendum matrimonium. Similiter omnibus testamentis, vel legatis inest conditio, *si hæres adire, si legatarius acceptare volet*, & tamen etiamsi neuter voluntatem suam declaret, sed fortè nesciat, sibi aliquid in testamento relictum esse, hæreditatem, vel legatum ad suos hæredes transmittit, nec conditio tacita attenditur. *l. conditiones 99. l. aliquando. 107. ff. de Condit. & Demonstrat. & ibi* Gloss. Quòd verò tacita conditio, licèt expressa, non faciat actum conditionalem, non procedit, quando conditio non inest eôdem modô, sicut expressa, aut si in expressa requiritur declaratio hominis. Hinc si Titio legentur *100. si volet*, legatum propriè conditionale erit, & nisi ante mortem conditionem impleat, ac voluntatem suam declaret, non transmittet legatum ad suos filios, vel hæredes per text. in *l. si ita legatum. 65. §. 1. ff. de Legat. 1. l. 69. ff. de Condit. & demonst.* Oldrad. *consil. 41.*

§. VIII.

Affinis conditioni est causa, demonstratio, 27 & modus.

Causa apponitur, quando id denotatur, propter quod, sive præsens, sive præteritum, fit dispositio, & designatur per particulam *quia*, ut: *Titio, quia negotia mea curavit, centum do, lego: ducam te, quia ex hac familia oriunda es.*

Est tamen quoad causam differentia inter ultimas voluntates, & actus inter vivos: nam in legatis, positâ falsâ causâ, censetur principale motivum adhuc subsistere, eò quòd legata non tam ex ulla causa, quàm ex liberalitate legantis proficisci credantur. Zoës. *ad ff. de Condit.*

Condit. & demonst. n. 44. Quapropter ut legatum irritetur, hæredi incumbit probatio, causam adjectam fuisse finalem, quod si probaverit, legatarius exceptione doli mali submovebitur. *l. cùm tale. 72. §. falsam. ff. Eod.* Econtra in contractibus, & aliis dispositionibus inter vivos, nisi aliunde de mente disponentis constet, adjecta ratio, & causa habetur pro causa finali, non pro dispositiva. Panormit. *in c. quia circa 6. n. 6. de Consang. & affinit.* atque ideo procedit regula, quòd sublatâ causâ tollitur effectus. *c. cùm cessante. 62. de Appellat.* ubi Panorm. *n.* 2. & in contractibus error dans causam contractui contractum vel irritat, vel saltem facit, ut irritari possit, ut dictum in *tit. de Dolo & contumacia. n.* 15. & 16. Excipitur matrimonium, quod adjecta causa sive vera sit, sive falsa non dirimit, nec infirmat, sed causa pro non adjecta habetur, nisi interveniret error circa personam, aut personæ conditionem; hic enim error obstat matrimonio, non error qualitatis. Sanchez *lib. 5. disp.* 19. *n.* 2.

28 *Demonstratio* est appositio signi, vel accidentis alicujus ex parte ejus, de quo fit dispositio, aut cui, vel cum quo, & communiter explicatur per relativum *qui, quæ, quod*: ut: *dono, aut lego Titio librum illum, quem à Sempronio accepi*: *duco te, quæ de tali stemmate es, quæ es libera, quæ sterilis, &c.*

Est autem quoad demonstrationem par ratio ultimarum voluntatum, & contractuum, ac aliorum actuum inter vivos, & ut illas, ita neque istos vitiat falsa demonstratio, modò constet, de qua re, vel persona fuerit. *l. demonstratio. 17.* & *l. falsa demonstratio. 33. ff. de Condit. & demonst.* Propterea: quia talis demonstratio inducit ad summùm errorem accidentalem, nec facit, deficere consensum, seu voluntatem disponentis. Quod maximè obtinet in matrimoniis: ea enim in nullo penitus impedit demonstratio, sive verà sit, sive falsa, sive honesta, sive inhonesta, sive de præsenti, sive de futuro, sive adversetur, sive non adversetur substantiæ matrimonii, dummodo non concurrat error personæ, aut conditionis servilis, ut docet Zoësius *h. t. n.* 19. *& seqq.* ex ea ratione, quòd, quæ vitiant matrimonium, debeant pertinere ad substantiam & vim contractûs, quò non pertinet demonstratio, ut quæ solùm declarat opinionem, quam contrahens habet circa personam, cum qua contrahit.

Modus est veluti lex quædam, ac gravamen additum dispositioni jam completæ, in futurum præstandum, & vulgò exprimitur per particulam *ut*: v. g. *dono, vel lego tibi millia ea lege, ut singulis annis des certam eleemosynam*: *duco te in uxorem, ut certam dotem procures, ut tale officium per te impetrem.* Differt verò à conditione potissimùm in eo, quòd actum non suspendat. *c. verum. 4. h. t. l. libertus. §. hac scriptura. ff. de Manumiss. testament.* 29

Quoad *effectum* modi refert, possibilis, seu honestus sit, an impossibilis, aut turpis? Si possibilis, ac honestus est, is, qui modum recepit, obligatur ad modum implendum per *l. 1. C. de his, quæ sub modo legat.* Non tamen requiritur, ut modus antea impleatur, quàm res relicta, vel promissa petatur, sed ordinariè satis erit, cautionem præstare de obligatione, & modo postea implendo. *l. si tibi legatum. ff. de Legat. 3. l. quibus diebus. 40. §. fin. de Condit. & demonst. l. insulam. §. 1. ff. Locati.* Quæ cautio, re ita exigente, in sponsalibus quoque, & nuptiis locum habet, ut quæ sunt species contractuum, qui consensu celebrantur. DD. in *l. nuptias. ff. de Regul. juris.* Motz *de Contract. tit. de Nupt. num.* 1. Quòdsi modus sit impossibilis, ac turpis, in omnibus actibus, scilicet tam in contractibus, quàm ultimis voluntatibus rejicitur, manente actu valido, nisi

modus adjectus fuerit contra substantiam actus, quo casu vitiat ipsum actum. *c. fin. h. t.* arg. *l. per servum. 14. junctâ. l. seq. ff. de Usu & habit.* Censetur enim ejusmodi modus inesse actui, cui adjicitur, nec pactum à contractu separatum inducit. Qua de causâ etiam modus contrarius substantiæ, seu bonis matrimonii illud annullat, arg. *c. solet. 6. & c. aliquando 7. causâ. 32. q. 2. c. fin. h. t.* Sanchez *de Matr. lib. 5. disp. 19. n. 5.* Dicastillo *disp. 5. n. 228.* quamvis sententiam oppositam dicat satis probabilem.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.

HOc *titulô* proponuntur impedimenta *Ordinis*, & *voti;* quibus jungemus *cultûs disparitatem*, quæ sedem aliàs certam in hoc libro non obtinet.

Pars I.

De Impedimento Ordinis.

SUMMARIA.

1. Quid sit impedimentum Ordinis? 2. Quo jure dirimat matrimonium? 3. 6. 7. Quibus Ordinibus annexum sit? 4. 5. Quos Clericos reddat inhabiles ad matrimonium? 8. 9. Qui sint hujus impedimenti effectus? 10. An, & quando in eo dispensari possit?

§. I.

1 DEfinitur impedimentum Ordinis: est Ordo sacer dirimens matrimonium subsequens. Colligitur ex *c. 1. & 2. h.*

§. II.

2 *Causa efficiens* impedimenti Ordinis, alia est remota, alia proxima.

Remota est Jus, & illud solùm Ecclesiasticum; non Divinum, cùm nullus textus exstet; nec naturale: ex quo Ordo sacer matrimonium neque dirimit ratione sui, utpote qui ex se statui conjugali non repugnat, & certè, alioquin in Ecclesia Occidentali, seu Græca non posset Græcis concedi usus matrimonii etiam priùs contracti; neque ratione voti tacitè annexi quandoquidem nec votum solenne expressum jure naturæ, vel Divino dissolvit matrimonium contrahendum, ut dicemus. Quod & Concilium Trident. *sess. 24. de Matr. can. 9.* perspicuè indicat, anathemate percellens dicentem: *Clericos in Sacris constitutos, aut Regulares professos posse licitè, & valide contrahere matrimonium, non obstante lege Ecclesiastica,* scilicet quoad Clericos, *vel voto,* scilicet quoad Religiosos professos. Confer P. Engl ad *Tit. de Cleric. conjug. n. 11. & seqq.*

Causa efficiens proxima hujus impedimenti est Ordo sacer, nempe Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, & Sub-Diaconatus: quamvis enim in Ecclesia primitiva Sub-Diaconatus inter sacros Ordines reputatus non fuerit, postea tamen his accessit. *c. à multis 9. de Ætat. & qualit. c. miramur. 7. de Servis non ordin.* 3

§. III.

Subjectum impedimenti Ordinis sunt Clerici, quos Ordo sacer reddit inhabiles ad matrimonium contrahendum. Ubi 4

Controvertitur I. An pueri ordinati ante usum rationis ex vi Ordinis recepti teneantur ad servandam castitatem, & ad matrimonium contrahendum inhabilitentur?

Affirmant Paludan. Gabriel. Anton. & alii, quos refert Sanchez *de Matr. lib. 7. disp. 30. n. 1.* ex ea ratione: quia ex præcepto, & constitutione Ecclesiæ obligatio perpetuæ castitatis, & inhabilitas ad matrimonium est annexa Ordini sacro. Ergo sicut defectus usûs rationis in pueris non impedit susceptionem Ordinis sacri, ita etiam non impedit obligationem perpetuæ castitatis, & inhabilitatem ad matrimonium, ex Ecclesiæ statuto Ordini sacro annexam, & accessoriam: quoniam de

de connexis idem est judicium, & accessorium sequitur naturam sui principalis. *c. accessorium. de R. I. in 6.*

Ego tamen pronior sum in sententiam negantem, quam firmant Sanchez *l. cit. num. 7.* Gutierrez *de matr. c. 94. n. 18.* Reverendiss. Maurus Oberalcher *de Sacram. matrim. c. 4. §. 3. q. 2.* Eò quòd Ecclesia in Sacris ante usum rationis ordinatos ad cœlibatum adstringere nec velit, nec valeat. Non vult, quia statum continentiæ, & impedimentum dirimens solùm annexuit Ordini sacro suscepto modò ordinariò, scilicet sponte, & cum plena libertate per *c. 1. dist. 31. c. 11. & 12. dist. 32. cap. 9. de Ætat. & qualit.* Non etiam valet: cùm enim castitas perpetua sit onus gravissimum, & res consilii, non præcepti, voluntariè assumenda est, nec ad eam quis ab humana potestate ab extrinseco cogi, & obligari potest. *cap. 5. dist. 28. c. 13. causâ 32. q. 1.* Fagnan. in *c. un. de Cleric. per saltum promot. n. 27. & seqq.*

Et ex his ruit oppositum fundamentum: non enim obligatio continentiæ, & inhabilitas ad matrimonium annexa, aut accessoria est Ordini, nisi voluntariè recepto. Quod verò dicitur, de connexis idem esse judicium, & accessorium sequi naturam sui principalis, id intelligendum est, quando in connexis, & in principali, ac accessorio eadem reperitur ratio, ut docet Panormit. in *c. debitores. num. 2. de Jurejur.* quæ rationis identitas deficit in characteris ordinis impressione, & annexo statu continentiæ: dum ad illam quoad infantes sufficit voluntas Ecclesiæ, quoad hunc verò libera voluntas desideratur. Sanchez *d. lib. 7. disp. 29. n. 11.*

Controvertitur II. Utrùm saltem impuberes ordinati post obtentum usum rationis, sed ante pubertatem, vel ante annum decimum sextum, obligentur ad statum cœlibatûs, & matrimonium contrahere nequeant?

Affirmativam defendunt Bonacin. *de Matrim. q. 3. punct. 9. n. 19.* Ferd. de Castropal. *de Sacram. Ordinis. disp. un. punct. 17. n. 10.* & alii ab his relati: quia impuberes, qui cognoscunt obligationem, quam volunt, & intendunt suscipere, spectato jure naturali possunt se obligare, & defacto se obligant, si votum simplex emittunt. Ergo etiam, si Ordinem sacrum voluntariè suscipiunt, attento jure naturæ verè contrahunt obligationem Ordini annexam. Quin imò & jure positivo, cùm nullum sit, quod tali obligationi obstet, & jura, quæ irritant professionem religiosam ante pubertatem, vel exactum annum decimum sextum emissam, nullam de ea mentionem faciant, nec ad eam extendi possint, *arg. l. præcipimus. 32. in fin. C. de appellat. l. 27. C. de Testam.*

Negativam propugnant Panorm. in *c. nn. n. 3. de Clerico per salt. prom.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 15. n. 4.* Zoës. *h. t. n. 14.* & Sanchez. *d. disp. 30. n. 8.* Quia votum solenne religionis in impubertate emissum est irritum, nec obligat, nisi ratificetur post pubertatem. *c. ad nostram. 8. de Regularib.* vel post expletum annum decimum sextum Trident. *sess. 25. de Regularib. c. 15.* Ergo nec obligat votum solenne annexum sacro Ordini suscepto in impubertate, nisi post pubertatem, aut annum decimum sextum ratificetur: nam etsi hoc votum non sit tantæ efficaciæ, ac votum religionis, cùm per se, & ex natura sua non sit solenne, attamen obligat ad rem arduam, & difficillimam, sicut obligat ad rem arduam, & difficillimam, sicut solenne religionis, & verè constituit in statu incompatibili cum matrimonio, ac proinde ob maximam similitudinem rectè præsumi potest, Ecclesiam ob immaturitatem judicii noluisse impuberem ligare votô annexô sacrô Ordini, quemadmodum noluit ligare votô solennî religionis.

Hisce *pro*, & *contra* sic positis fundamentis,

veritatis statera in quam partem propendeat, si lubet, eventus ventilationis dabit.

§. IV.

6 *Forma* impedimenti Ordinis consistit in requisitis necessariis ad hoc, ut ex Ordine consurgat impedimentum dirimens, quæ duo:

Primum est, ut Ordo sit sacer: nam Ordines minores, puta Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus matrimonium nec impediunt, nec dirimunt: nullum quippe textum reperias, qui id interdicat, plures, qui concedant, in *c. si quis eorum. 7. c. si qui verò. dist. 32.* & *c. 1. de Clericis conjug.*

Alterum requisitum est, ut Ordo sacer sit ritè susceptus. Hinc impedimento non erit, si quis fuerit ad Ordinem sacrum promotus per illatam vim, aut metum cadentem in constantem virum, cùm voluntas suscipientis omnino desideretur, ut probavimus in *tit. de Temporibus Ordinat. n. 11.* item si Ordo ob defectum aliquem substantialem, v. g. materiæ, aut formæ fuerit invalidè collatus: quia non subsistente principali subsistere nequit, quod ejus nomine in consequentiam venit. *l. nihil. 129. §. 1. ff. de R. J.*

7 Hìc ille se insinuat *scrupulus*: an non saltem ex voto simplici ad continentiam teneatur, qui existimans se validè ordinatum à parte rei invalidè ordinatus est?

Dixeris, quòd sic: quia invalidè professus religionem tenetur ad castitatem ex voto simplici, arg. *c. 3. & 12. de Convers. conjug.* ubi maritus invita uxore religionem ingressus, & postmodum eidem restitutus, illâ mortuâ obligatur ad continentiam, licèt non ad ingressum religionis. Ergo etiam invalidè ordinatus tenebitur ad continentiam ex voto saltem simplicii.

Sed magis est, ut censeam, talem ne simpliciquidem votô castitatis obstringi, eò quòd votum non emiserit principaliter, tanquam essentiale Ordini suscepto, sed solummodo in consequentiam propter Ecclesiæ constitutionem consequenter Ordine, tanquam principali, non subsistente, neque accessorium, & quod in consequentiam venit, subsistere potest juxta *d. l. nihil. 128. §. 1. ff. de R. J.* P. Engl. *de Cleric. conjug. in fin.* Zoël. *Eod. n. 12.*

Unde nec urget paritas: etenim votum castitatis non est annexum religioni tantùm accessoriè, & in consequentiam, sicut ordinationi, sed essentialiter, & propterea professionem emittens non tantùm ad religionem, sed etiam ad castitatem principaliter se obligat, sicque mirum non est, quòd illa cessante remaneat obligatio continentiæ; in similimamque casu procedit regula: si actus non valet ut ago, valeat eô modô, quô potest.

§. V.

Effectus impedimenti Ordinis alius est, si 8
Ordo sacer antecedit matrimonium, alius, si sequitur.

Si Ordo sacer antecedit matrimonium, ordinatum reddit inhabilem ad matrimonium validè imposterum contrahendum non tantùm in Ecclesia Latina, sed & Græca per *c. si quis eorum. 7. dist. 32. & ibi* Gloss. *in pr. c. cùm olim. 6. de Cleric. conjug.* Jacob. Pignatell. *tom. 8. consult. 81. num. 33.* Adeò ut si in Sacris constitutus defacto matrimonium contrahere præsumat, non solùm omnia beneficia amittat, sed etiam cogendus sit per suspensionem, & excommunicationem ad dimittendam uxorem, & agendam pœnitentiam. *cap. 1. de Cleric. conjug. & ibi* DD. imò excommunicationem, & irregularitatem ipsô factô incurrat. *cap. 2. h. t. Clem. un. de Consang. & affinit.* Ita tamen, ut in hac excommunicatione, & irregularitate Episcopus post pœnitentiam dispensare possit. *c. 1. & 2. h. t. cap. 4. de Clericis conjug.* modò non tentaverit contrahere cum vidua. *c. fin. de Bigam. non ordin.*

Si Ordo sacer subsequitur, & de licentia 9
uxo-

toris suscipiatur post matrimonium, id non dirimit, sive consummatum sit, sive ratum tantùm. *Extravag. antiquæ. apud Joan. XXII. de Voto & voti redempt.* usum tamen matrimonii antecedenter validè contracti reddit illicitum propter votum solenne perpetuæ castitatis ex Ecclesiæ dispositione SS. Ordinibus annexum, in quod eò ipsò, quòd quis eosdem bonâ fide suscipiat, consentire censetur. *cap. un. Ed. in 6.* Quin imò si quis in ordinatione invincibiliter ignoraret, votum castitatis Majoribus annexum esse, vel positivè haberet contrariam intentionem, scilicet non servandi castitatem, talis non quidem ex voto, cum nulla promissio, vel voluntas DEO se obligandi intervenerit, sed tamen ex præcepto Ecclesiæ posthac ad continentiam obstringeretur, ut ad quam indistinctè, & independenter à voluntate Ordinandorum omnes Sacris initiatos obligat Ecclesia, ut tantò puriùs, & perfectiùs DEO purissimo servire valeant. Bonacin. *de matr. q. 3. punct. 9. num. 18.* Sanchez *lib. 7. disp. 27. n. 12.*

§. VI.

10 *Contraria* impedimenti Ordinis est dispensatio, quâ tollitur: enimverò cùm sit impedimentum juris Ecclesiastici, in eo S. Pontificem dispensare posse, pro judicato est. Navarr. *cons. 12. & 13. de Sponsal.* Panormit. in *c. tùm olim. n. 5. de Cleric. conjug.* Sed non nisi justa, & gravi de causa, qualis censetur conservatio, ac propagatio Illustris familiæ de Ecclesia, & Imperio benè meritæ. Diana *tom. 3. tr. 1. de Potest. Pontif. in ordine ad Sacram. resol. 79. n. 13.* Atque hanc ob causam Alexander VIII. Anno 1690. die 14. Januarii ad intercessionem Augustissimi Nostri Imperatoris Leopoldi dispensavit cum D. Francisco Leopoldo Guilielmo Comite Slabata Canonico Ecclesiæ Passaviensis Sub-Diacono. Optima ratione: quia conservatio nobilium familiarum in eodem sanguine tendit in bonum publicum, ac pietatem. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 19. n. 31.* Filiuc. *qq. moral. tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 10. n. 318.* Interim licèt dispensatio super Ordinis Diaconatûs, vel Presbyteratûs impedimento juxta receptam sententiam nonnisi ex causa publica concedatur, super impedimento tamen Sub-Diaconatûs probabiliùs etiam ex causa privata dispensari potest, ex quo enim Ordo iste, ut diximus, olim sacer non erat, nec continentiam annexam habebat, in eo dispensando SS. Pontifices meritò sunt proniores. Spad. *concil. 169. n. 3. & 4. lib. 1.* & ibi de Rubeis *in respons. impress. n. 16.*

Pars II.

De Impedimento Voti.

SUMMARIA.

11. Quid sit impedimentum voti? 12. Quo jure sit introductum? 13. 16. Quali voto vis dirimendi matrimonium competat? 14. 15. Quorum matrimoniis obstet? 17. 18. Qui sint effectus hujus impedimenti? 19. An S. Pontifex in eo dispensare possit?

§. I.

Definitur impedimentum voti, quòd sit votum solenne castitatis dirimens matrimonium subsequens, imò & præcedens ratum tantùm. 11

§. II.

Causa efficiens impedimenti voti est duplex: remota, & proxima, 12

Remota est Jus. Sed quale? sunt, qui vim dirimendi matrimonium voto solenni tributam ex jure naturali reputent, eò quòd jure naturæ homo non possit idem corpus tradere alteri per matrimonium, quod priùs totum per votum solenne castitatis tradidit DEO, Ecclesia DEI nomine solenniter acceptante: repugnat enim jure naturali, ut res uni tradita validè tradatur alteri. S. Thom. *in suppl. q. 53. art. 2. in C.* Rectiùs tamen juri humano

mano Ecclesiastico adscribunt Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 6. & 7. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *c.* 22. & Covarr. in 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 7. *§.* 4. *n.* 7. Nam ecce! votum solenne jure naturali matrimonium non dirimit, quatenus votum est: quippe alioquin etiam votum simplex castitatis dirimeret, cùm æquè obliget apud DEUM. *c. rursus h. t.* Non etiam quatenus solenne est: quia ipsa solennitas voti ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa. *c. un. de Voto & voti redempt. in* 6. Neque quid facit solennis traditio corporis, quæ intervenit: siquidem traditio per votum solenne alterius est generis à traditione per matrimonium; illa enim est religionis tantùm, hæc verò justitiæ, & est cum illa compossibilis, ut patet in conjugato, qui de licentia alterius conjugis, vel altero adulterante, religionem profiteri potest, salvo manente vinculo matrimonii consummati.

13 *Causa efficiens* proxima impedimenti voti est ipsum votum solenne castitatis, è quo ex statuto Ecclesiæ proximè dimanat inhabilitas ad matrimonium.

§. III.

14 *Subjectum* impedimenti voti sunt legitimè professi in religione â Sede Apostolica approbata, quos reddit inhabiles ad matrimonium contrahendum.

Dixi I. *legitimè professi*: quare si quis per vim, aut metum cadentem in constantem virum religionem professus est, cùm professio talis non teneat, ille non prohibetur matrimonium celebrare. Navarr. in *Man. c.* 22. *n.* 51. & 52. Idem dicendum de Novitio, qui ante exactum annum decimum sextum, vel annum novitiatûs professionem emisit, cùm, & hæc professio reputetur invalida, nisi postea eam ratificaverit. Trident. *sess.* 25. *de Regularib. c.* 15.

15 Dixi: II. *in religione à Sede Apostolica approbata.* hinc qui fecit professionem in tertia Regula D. Francisci, vel D. Dominici, aut in quarta Regula S. Francisci de Paula, validè init matrimonium, quandoquidem Regulæ istæ non sunt approbatæ ad vovendum solenniter, sed simpliciter. *c. consuluit.* 4. *h. t. c. un. de Voto & voti redempt. in* 6. Sylvester *V. matrimonium.* 8. *q.* 5.

§. IV.

16 *Forma* impedimenti voti desumitur à requisitis, à quibus votum solenne dicitur. In quibus autem consistat solennitas, & essentia voti solennis, declaravit Bonifacius VIII. in *d. c. un. de Voto, & voti redempt. in* 6. *illud solùm votum dici solenne, quantùm ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem S. Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

Porro votum simplex castitatis, licèt impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum. *d. c. un. cap.* 3. *& segg. h. t.* exceptîs duobûs casibûs. *Primus* est, quando maritus cum licentia uxoris in sæculo relictæ, & votum castitatis simplex emittentis S. Ordines suscepit: tunc enim uxor illa non permittitur postea jungi eidem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem illius. Text. & Gloss. in *d. c.* 14. *dist.* 32. Quod impedimentum Ecclesia propter reverentiam SS. Ordinum à marito cum uxoris consensu susceptorum induxit, non verò ad professionem quoque religiosam extendi voluit, ut docet Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 32. *Alter* casus est, si post biennium novitiatûs à Scholasticis, & Coadjutoribus formatis S. J. emittatur votum simplex castitatis: illud namque post Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino.* irritat subsequens matrimonium instar voti solennis, quamdiu talis persona manet in Societate.

§. V.

§. V.

17 *Effectus* impedimenti voti alius est, si votum solenne matrimonium antecedat, alius, si subsequatur.

Si votum solenne antecedit matrimonium, id impedit, & dirimit, ut est definitum à Concilio Trident. *sess.* 24. *de Matr. can.* 9. & ante per alia Concilia, ac SS. Pontifices, prout adversus Hæreticos nostri temporis egregiè firmat Bellarminus *in Controversiis lib.* 2. *de Monach. à c.* 22. Præterea professus, qui defecto matrimonium contrahit, incidit in excommunicationem latæ sententiæ, ut habetur *in Clem. un. de Consang. & affinit.*

18 Si votum subsequitur, & matrimonium est ratum tantùm, non consummatum, illud ita dissolvit, ut conjunx in sæculo remanens absq; ullâ dispensatione ad secunda vota convolare possit. *c.* 2. 7. & 14. *de Convers. conjug.* Trident. *sess.* 24. *de Matr. can.* 6. In quo differt à voto, quod auctoritate Ecclesiæ SS. Ordinibus annexum est: hoc namque solum dirimit matrimonium contrahendum. *c. un. de Vot. & vot. redempt. in* 6. non etiam contractum, licèt ratum tantùm. *Extravag. antiqua. Eod.* Ratio discriminis est: quia per Professionem religiosam censetur fieri perfectissima traditio sui ipsius, & reciproca obligatio cum religione, ideóque mors quædam spiritualis, & aliut alterum spirituale connubium, cui meritò prius secundùm carnem initum, & nondum consummatum cedere debet, talis autem perfecta traditio in susceptione SS. Ordinum non reperitur.

§. VI.

19 *Contraria* impedimento voti est dispensatio, quâ tollitur. Nam & in isto impedimento, utpote juris Ecclesiastici in casu speciali, & ex urgente causa boni communis, S. Pontificem dispensare posse, docent plerique Canonistæ apud Fagnan. *in c. cùm ad monasterium. an.* 56. *de Statu Monach.* & perspicuè confirmant exempla SS. Pontificum, qui tam olim, quàm nunc re ipsa dispensarunt cum Religiosis Professis; videlicet cum Ramiro Monacho, & Sacerdote ex stirpe Regum Aragoniæ; cum Nicolao Monacho Veneto ex stirpe Justinianorum; cum Constantia Moniali, Siciliæ Regis filia; cum Casimiro Rege Poloniæ, & aliis. Est autem in dubio standum facto, & sententiæ Superioris, præsertim S. Pontificis, cui regimen totius Ecclesiæ incumbit, & Spiritus S. magis assistit, arg. *c. quid culpatur.* 4. *causa* 23. *q.* 1. *c. ad aures.* 5. *de Temporib. ordinat.* Neque refragatur Text. in *d. c. cùm ad Monasterium, de Statu Monach.* ibi: *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec S. Pontifex possit licentiam indulgere:* quippe sensus horum verborum iste est: contra regulam monachalem, de cujus essentia est abdicatio proprietatis, & castitatis, nec S. Pontifex potest licentiam indulgere in sensu composito, id est, durante statu regulæ monachalis, & quamdiu Religiosus remanet talis, benè tamen eo statu amisso, faciendo ex Monacho non monachum; vel erit iste: contra eam nequit Pontifex licentiam pro libitu, ac sine urgente causa qublica concedere, quem sensum verbum *indulgere* importare videtur. Vid. Clariss. Paul. Mezger *de Sacr. disp.* 54. *a.* 6. *n.* 8.

Pars III.

De Cultûs disparitate.

SUMMARIA.

20. Definitur cultûs disparitas. 21. Quo jure dirimat matrimonium? 22. & 25. Quenam inducat impedimentum matrimonii? 23. 24. Quorum matrimoniis obstet? 26. 27. 28. Quinam sint ejus effectus? 29. An S. Pontifex in hoc impedimento dispensare possit?

§. I.

DEfinitur cultûs disparitas, quòd sit diversitas religionis, quæ est inter fidelem, & 20

infidelem, dirimens matrimonium inter illos. P. Patrit. Sporer *de Matr. n.* 115.

§. II.

21 *Causa efficiens* hujus impedimenti, alia est remota, alia proxima.

Remota est mos, ac consuetudo antiquissima populi Christiani, vim legis obtinens; nullo enim alio certo jure cultûs disparitas dirimit matrimonium. Non naturali: quia ex natura rei non repugnat fini matrimonii, qui est generatio prolis, mutua cohabitatio, & debiti redditio; & certè alioquin Joseph non contraxisset matrimonium cum filia Putiphâris, Moyses cum filia Jetro, Esther cum Assuero gentili. Non Divino positivo: quia etsi hoc jure per se loquendo prohibitum sit matrimonium Christianorum cum gentilibus 2. *ad Corinth.* 6. ibi: *nolite jugum ducere cum infidelibus:* non tamen extat ullum jus Divinum, quô irritatur tale matrimonium, præsertim in nova lege, in qua Christus nulla dedit præcepta morum, sed solùm fidei, & Sacramentorum. Nec denique jure scripto Ecclesiastico: quia textus Juris Canonici, qui hac de re agunt, simili ratione non continent irritationem matrimonii, sed præcisè prohibitionem. *c.* 10. 15. *& 16. causâ* 28. *q.* 1. ubi eodem modo prohibetur matrimonium cum hæreticis, quod tamen valet. Sylvester *V. matrimonium.* 10. *dict.* 3. Covarr. 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 6. *§.* 11. *n.* 1.

22 *Causa efficiens proxima* hujus impedimenti est ipsa cultûs, seu religionis disparitas, ex qua inhabilitas ad matrimonium inter dispares oritur.

§. III.

23 *Subjectum* hujus impedimenti sunt cultu dispares, fideles nimirum, & infideles, quos inhabilitat ad matrimonium invicem contrahendum; idque propter varia incommoda & miserabiles exitus, quos cohabitatio personarum in fide dissidentium ut plurimùm producere solet.

Planè nomine infidelium hoc loco veniunt, qui sunt propriè tales, id est, ii, qui extra Ecclesiam degunt, totâque religione à Christianis dissentiunt, ut Turcæ, Judæi, & Pagani; non item Hæretici, ut qui per Baptismum Ecclesiæ gremio inserti sunt, cùm his enim Catholici saltem validè, quamvis illicitè, matrimonia celebrant per *c. decrevit.* 14. *de Hæret. in* 6. ubi matrimonium Catholici cum hæretica non declaratur irritum, sed solùm inducitur pœna amissionis dotis. Imò in Germania, ac aliis locis, ubi Hæretici permixti cum Catholicis vivunt, hos cum illis citra noxam mortalem matrimonia pangere docet Azor. *Inst. moral. lib.* 8. *c.* 11. *q.* 5. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 72. *n.* 5. Bonacin. *de Matr. q.* 3. *punct.* 7. *num.* 2. Quia tamen matrimonia ejusmodi laqueos conscientiis injicere solent, communiter dissuadenda sunt. Facta verò, ut omnes ex subsecuto matrimonio procreati religione hæretica imbuantur, vel ita ut masculi mariti, filiæ verò matris religionem sequantur, sunt contra bonos mores, & gravissimè lædunt conscientiam ejus, qui levitate quadam animi ductus, neglectô eô educationis modô, quem ceu optimum in se ipso hactenus probavit, eum potiùs eligit, quem velut erroneum toto pectore aversatus est, hæc autem talia, ne quidem nos facere posse, credendum est. *l.* 15. *ff. de Condit. instit.* Navarr. Layman, Coninck, Less. Tanner. Dicastil. Pecz., & cum his P. Patrit. Sporer *de Matr. n.* 120.

§. IV.

24 *Formam* huic impedimento tribuit totalis religionis diversitas; qualis est inter eos, quorum unus idola colit, alter DEUM verum: unus Messiam venturum sperat, alter venisse credit, unus Machometem, alter Christum profitetur mundi Salvatorem: sive paucis, quæ est inter baptizatum, & non baptizatum.

§. V.

25 *Effectus* hujus impedimenti alius est si di-

spatie

sparitas cultûs matrimonium antecedat, alius sequatur.

Si disparitas cultûs antecedit, matrimonium subsequens, & multò magis sponsalia dirimit, eáque nulla reddit & invalida. Insuper si fidelis de facto cum infideli matrimonium contraxit, à Christiano cœtu, & à communione Ecclesiæ protinus segregandus est. *c. si quis judæa. 17. causâ 28. q. 1.*

16 Illud hîc *quæri* potest: an valeant sponsalia inter Catechumenum nondum baptizatum, & Catholicam contracta?

Dixeris, quod non. Catechumenus siquidem, & Catholica adinvicem non possunt validè contrahere metrimonium, ergo: nec validè illud possunt promittere, arg. *l. oratio 16. ff. de Sponsalib.*

Sed, ut affirmem, non una ratione compellor. Inprimis enim cùm promissio quoad hujusmodi sponsalia referatur ad tempus, pro quo matrimonium potest subsistere inter Catholicam, & Catechumenum, nempe post susceptum Baptismum, quantùm est ex se, & ex objecto, non est de re impossibili per *l. Gallus. ff. de Lib. & posthum.* Deinde quia valent sponsalia inter fidelem, & infidelem, sub conditione: *si hic convertatur ad fidem catholicam*, arg. *c. non oportet. 16. causâ 28. q. 1.* Sylvester *V. Matrimon. 9. q. 10. n. 10.* Non est, cur non valeant quoque sponsalia inita inter Catechumenum, & Catholicam adimplenda per matrimonium, postquam ille fidem per Baptismum susceperit, utpote quæ implicitè involvunt conditionem: *si ille Baptismum receperit, ad quem se disponit.* Quia verba quantumcunque generalia restringenda sunt, ut intelligantur de extremis habilibus. *l. ut gradatim. §. 1. ff. de Munerib. & honorib.* Accedit, quòd Concilium Toletanum, & consuetudo Ecclesiæ, quo matrimonium inter fidelem, & infidelem, cæteroquin jure Divino, & naturali validum, invalidatur, ceu correctorium, & restrictivum juris Divini, & naturalis, sit strictè interpretandum, nec extendendum ad sponsalia Catechumeni cum Catholica, præsertim cùm quoad hæc cessent periculum perversionis, & mala educatio prolis, propter quæ inter illos matrimonium prohibetur.

Neque officit, quòd Catechumenus cum Ca- 27
tholica validè matrimonium contrahere non possit: enimvero licèt non possit contrahere de præsenti, non tamen sequitur, eum de præsenti nec per sponsalia se posse obligare ad matrimonium futurũ pro tempore, quo per susceptum Baptismũ ad id habilis reddetur; quemadmodum impubes contrahere potest sponsalia, etsi pro tunc sit inhabilis ad matrimonium. Bart. Mastrius *in 4. Sent. disp. 7. q. 5. a. 3. n. 170.*

Si disparitas cultûs sequitur matrimonium, 28
refert, an ex duobus conjugibus infidelibus alter ad fidem convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, aut gentilitatis errorem? Priori casu, si infidelis vel nullô modô, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel perversionis periculo fideli cohabitare velit, ei, qui relinquitur, integrum est, ad secunda vota transire juxta Apostolum 1. *ad Corinth. 7. sibi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut sôror in hujusmodi:* & juxta Canonem, in quo dicitur: *contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur.* Posteriori verò casu solùm locus est divortio quoad thorum, ac cohabitationem, & is, qui relinquitur, vivente altero ad secundas nuptias nequit convolare, licèt in hoc major appareat contumelia Creatoris: Ratio discriminis est: quia etsi inter infideles matrimonium verum existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit. *c. quanto, 7. & ibi* latè Interpp. *de Divortiis.*

§. VI.

Contraria huic impedimento est dispen- 29

sario, quâ tollitur: cùm enim hocce impedimentum non ex jure naturali, vel Divino, sed ex antiquissimo Ecclesiæ usu, ac jure ptocedat, ideo in eo S. Pontifex dispensare potest, & re ipsa dispensavit Paulus V. quatenus Episcopo Furainensi in Japonia, & Superioribus Societatis in Regno Chinensi ad decennium facultatem in isto impedimento dispensandi concessit, ut habet Bulla ejus data 21. Junii 1616. quæ incipit: *Ut animarum saluti.* Ad hoc tamen, ut licita sit dispensatio, urgentissimæ causæ requiruntur ob ingens periculum perversionis, & seductionis, cui subjicitur fidelis cum infideli conjunctus. Vincent. de Just. *de dispens. matr. lib. 2. c. 15. n. 2.*

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

EQuidem *Rubrica* solùm impedimentum *criminis* in specie exhibet: quia verò *vis seu metus*, & *raptus* crimen præseferunt, de his quoque agemus.

Pars I.

De Impedimento criminis,

SUMMARIA.

1. Definitio impedimenti criminis. 2. Quo jure sit constitutum? 3. 8. 9. 10. 11. 12. Ex quo, & quali crimine oriatur? 4. c. 6 7. Quos inhabilitet ad matrimonium? 13. Hujus impedimenti effectus. 14. An admittant dispensationem?

§. I.

1 *Definitur* impedimentum criminis, quòd sit crimen conjugicidii, vel adulterii, obstans, ne matrimonium inter personas criminosas validè contrahi possit.

§. II.

2 *Causa efficiens* impedimenti criminis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus, non naturale, aut Divinum positivum, sed solùm Ecclesiasticum, quod habetur in *c. de Convers. infidel. c. si quis 5. causâ 31. q. 1. c. 1. & seqq. h. t.* Sanchez *lib. 7. disp. 78. n. 22. & disp. 79. n. 42.* Bonacin. *de Matr. q. 3. punct. 6. n. 2.*

Proxima est crimen, è quo oritur, idque 3 duplex, nempe conjugicidium, & adulterium. Conjugicidium, quo ex duorum conspiratione alterius conjux occiditur, ut postmodum inter se matrimonium contrahant *d. c. 1. de Convers. infidel.* Adulterium, si est conjunctum vel cum conjugicidio *c. 3. & 6. h. t.* vel cum matrimonio contracto de præsenti, aut cum promissione futuri matrimonii facta conjuge superstite. *c. 2. 4. 5. & 8.*

§. III.

Subjectum impedimenti criminis sunt cri- 4 minosi, quos reddit inhabiles ad matrimonium contrahendum. Ubi

Adverto I. hoc impedimentum non ligare infideles, si tempore infidelitatis crimen adulterii, vel homicidii commisissent, cùm tunc Ecclesiæ subjecti non sint, à qua duntaxat impedimentum hoc est inductum, & ideo non tantùm ante, sed etiam post conversionem cum complice validè matrimonium contrahere poterunt. Rmus. Maurus Oberascher *de Matr. c. 4. §. 9. in fin.* Si tamen unus complex esset fidelis, & alter infidelis, fidelis hoc impedimentum contraheret, cùm ipse sit Ecclesiæ subjectus. *d. c. 1. de Convers. infidel.*

Adverto II. quidquid circa impedimen- 5 tum criminis dispositum est de marito, hoc pari ratione procedere de uxore, & econtra: quippe dispositio, etsi odiosa & pœnalis, facta tamen in uno correlativorum, procedit etiam de altero, quando nulla omnino ratio disparitatis apparet, ut notant DD. in *l. fin. C. de indict. viduit. toll.* & Panorm. *in c. quia Clerici. n. 7. de Jure patronat.* Dissentit Gutierrez *de Matr. c. 105. n. 10.* qui putat nullum nasci impe-

impedimentum ex viricidio, eò quòd non ita facilè uxor mariti mortem procurare præsumatur, quàm maritus uxoris, consequenter ad eum casum, velut rariùs contingentem, impedimentum extendendum non sit juxta *l. 5. ff. de Legib.* Sed obloquuntur aperti Textus *in c. si quis vivente 5. causâ 31. q. 1. c. 1. de Convers. infidel.*

Adverto III. Impedimentum ex crimine procedere solummodò respectu complicum, non autem eos impedire, quin cum aliis valide matrimonium contrahere possint, arg. *c. 4. h. t.* Quia impedimentorum extensio ultra casus clarè in jure expressos fieri non debet. Barbos. & Panorm. in sæpè *d. c. 1. de Convers. infidel.*

7 *Quæstionis* est: an eos quoque crimen conjugicidii, vel adulterii ad matrimonium inhabiles reddat, qui invincibiliter ignorant, tali crimini annexum esse impedimentum dirimens matrimonii?

Negativæ patrocinantur Paludanus *2. sent. D. 34. q. 1. n. 17.* Major *ibid. dist. 37 q. 1. a. 4.* Fernandez *in Medul. casuum conscientiæ. p. 3. c. 16. s. 5. in fin.* ubi relatus à Diana *p. 10. tr. 13. resol. 51.* ait, hanc opinionem esse communiorem. Principalis eorum ratio est: quia ignorantia pœnæ Ecclesiasticæ, saltem gravis, & extraordinariæ, excusat à pœna, ut absolutè docet Navar. *in Sum. c. 23. n. 47. v. addo his.* & in specie, quòd lex pœnalis irritans, sive annullans non afficiat ignorantes, supponit Sanchez *lib. 3. de Matr. disp. 17. n. 11.* propter generalem Textum *in c. ut animarum. 2. de Constit. in 6.* Esse verò legem illam, quæ impedimentum criminis statuit, pœnalem, tradit Layman *lib. 1. de Legib. tr. 4. c. 15. n. 5.* & satis ex ipsis juris textibus supra allegatum compertum est. Imò & ipsum nomen insinuat: idcircò enim vocatur impedimentum criminis; quòd ob crimen, adeóq; in pœnam delicti ab Ecclesia statutum sit. Et cur alia impedimenta, quæ crimen supponunt, non appellantur impedimenta criminis, nisi quia non in pœnam, sed ob honestatem, decentiam, libertatem matrimonii, similésque fines ab Ecclesia introducta sunt?

Affirmativæ suffragantur Diana *p. 10. tr. 13. resol. 51.* P. Engel *ad tit. de Consang. & affinit. n. 11.* Gobat *tr. 9. de Matrim. n. 202.* & eo teste praxis omnium tribunalium, præsertim Romani; idque meritò: tum quia universim impedimenta matrimonii dirimentia non solùm imposita sunt ut pœnæ, verùm principaliter tanquam inhabilitates, ut præter alios notat Less. in *3 p. de Sacr. matr. c. 7. d. n. 130.* tum quia speciatim etiam impedimentum criminis ab Ecclesia inductum est, non præcisè in pœnam delicti, sed principaliter ad absterrendos homines, ne spe matrimonii conjugicidia, ac adultetia committant, ut unanimiter supponunt DD. apud Patrit. Sporer *de Matr. n. 114.*

Unde sua sponte ruit ratio oppositæ sententiæ: falsum enim omnino est, impedimentum criminis meram, ac puram pœnam, & legem, quâ statuitur, pœnalem esse: quia licèt partialiter, aut secundariò in pœnam commissi conjugicidii, vel adulterii introductum sit, indéque nomen traxerit, principaliter tamen statutum est ob fines paulò ante dictos. Confer Clariss. P. Jacob. Wex. *de Sponsal. p. 2. controv. 5. per tot.*

§. IV.

Forma impedimenti criminis spectatur in 8
qualitatibus, ac conditionibus, quibus affectum esse oportet *conjugicidium, vel adulterium*, ut sit impedimentū dirimens matrimonii.

Ut *conjugicidium* præcisè seclusô adulteriô 9
matrimonium dirimat, requiritur I. ut tam vir, quàm fœmina ad innocentis conjugis mortem concurrat, sive per se, sive per alium: sive physicè, sive moraliter, nimirum suadendo, aut mandando. Quòdsi vir solus mortem

procuravit, non impeditur matrimonium, tametsi fœmina occisionem suo nomine, aut sui gratiâ factam postea ratam habuerit; quandoquidem rati habitio non est causa occisionis, nec machinatio mortis, quam jura exigunt. Text. & DD. in *c.* 1. *de Convers. infidel.* Reverend. Maurus Oberascher *de Matr. c.* 4. §. 9. *q.* 1. *v. sequitur primò.* II. Requiritur, ut conspiratio illa in cædem conjugis, aut mortis machinatio fiat ex intentione contrahendi matrimonium cum illa ipsa, vel illo complice. Si ex alia causa, puta propter injuriam illatam; ex odio, aut vindicta, aut ex intentione contrahendi matrimonium cum persona alia, quàm complice, tale conjugicidium perpetretur, nullum ex eo oritur impedimentum dirimens, cùm cesset ratio prohibitiva legis, quæ consistit in excludendo voto captandæ mortis inter conjuges. Navar. *h. t. consil.* 1. Sanch. *lib.* 7. *de Matr. disp.* 78. III. Requiritur, ut mors ipsa ex vi talis machinationis, non ex alia causa, v. g. ex medici, aut ægri culpa subsequatur: quia verba legum, præsertim pœnalium, debent intelligi cum effectu. *c. relatum. de Cleric. non resid.* Gloss. *in d. c.* 1. *de Convers. infidel. V. procuraverint.* Pontius *de Matr. lib.* 7. *c.* 45. *n.* 4. *circa fin.*

10 Ut ex *adulterio* cum occisione alterius impedimentum dirimens consurgat I. necessum est, ut cædes sequatur ad effectum præcisum contrahendi matrimonium cum complice adulterii: licèt enim hoc in jure non reperiatur expressum, colligitur tamen ex fine hujus impedimenti, qui est, ne conjux unus alterum cupiditate ineundi matrimonii cum adultera interficiat; quæ ratio cessat, si occisio non fiat animô ducendi adulteram. Bonacin. *de Matrim. q.* 3. *punct.* 6. *num.* 5. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 2. *in fin.* Rota *in Noviss. dec.* 316. *n.* 28. *coram Coccino.* II. Non quidem requiritur, ut ambo adulteri in mortem conjugis innocentis conspirent, sed satis est, si alter sive suum, sive complicis conjugem occidat, cædem tamen adulterium præcedat, oportet. Unde, si puella, cujus amore captus maritus uxorem suam occidit, uxore jam occisa, cum tali viro fornicetur, nullum cum eo impedimentum dirimens contrahit: quia talis concubitus non est adulterium, jura autem requirunt occisionem cum adulterio. *c.* 3. *& 6. h. t.* Communis apud Patrit. Sporer *de Matrim. n.* 105. III. Non sufficit, quòd conjux mortem alterius machinatus sit, sed cum effectu eam exequi debet, si non physicè, ac propriis manibus, saltem moraliter, consiliô scilicet, vel mandatô. *d. c.* 3. *& 6.* Hinc si is, qui mandatum occidendi dedit, mandatum revocavit, & revocatio mandatario ante necem conjugis innotuit, non incurrit hoc impedimentum, sicut nec ille, qui dedit consilium, quod non influxit. Bonac. *d. punct.* 6. *n.* 6. Vincent. de Just. *de Dispens. matr. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 8.

Denique ut *adulterium* cum matrimonio de 11
præsenti, vel cum promissione futuri matrimonii sit impedimentum dirimens, requiritur I. ut copula perfecta interveniat cum immissione veri seminis intra vas: jura enim desiderant adulterium, quod de vero, & consummato accipi debet, cùm versemur in materia pœnali. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 79. *num.* 44. II. Ut ex parte utriusque adulterium non tantùm sit materiale, sed etiam formale. *c.* 1. *& fin. h. t.* quamobrem nullum nascitur impedimentum, si fœmina soluta, sub specie, aut spe matrimonii peccet cum conjugato, ignorans eum esse conjugatum, quia ex parte ejus adulterium formale non fuit ob ignorantiam statûs conjugalis. Barb. in *d. c.* 1. *h. t. n.* 2. III. Ut promissio ab una parte facta, ab altera sit acceptata: etenim verba accipienda sunt cum effectu, & promissio non acceptata est nuda pollicitatio, quæ nullam parit obligationem. *l. absenti. ff. de Don.*

Non

Non tamen refert jurata sit promissio, an simplex? Licèt enim *in d. c. fin. & passim. h. t.* exigatur, ut quis fide data promiserit matrimonium, quo nomine solùm intelligi promissionem juratam, & ex promissione simplici nullum oriri impedimentum, docuerunt multi apud Sanchez *d. disp.* 79. *n.* 28. nihilominus subjecta materia, & ratio legis, id est, votum captandæ mortis suadet, ut idem sentiamus de promissione simplici, quod de jurata. Nec etiam refert, utrùm promissio matrimonii sit unilateralis, vel reciproca? dummodo à conjugato facta sit: quoniam periculum insidiarum, & votum captandæ mortis ex parte complicis non inde provenit, quia ipse obligatus est, vel reciprocè promisit, sed quia alium obligatum habet. *c.* 6. *h. t.* Gutierrez *de Matrim. c.* 105. *n.* 28. IV. Requiritur, ut promissio sit pura, & absoluta, vel saltem ut ante mortem conjugis sit purificata: eò quòd promissio conditionalis, quamdiu adhuc suspensa est, & pendet à futuro eventu, non habeat rationem veræ promissionis, nec pariat obligationem. Vincent. de Just. *d. c.* 6. *n.* 41. Coninck *de Sacram. disp.* 31. *dub.* 5. *n.* 59. V. Promissio matrimonii debet esse seria, non ficta: cùm alioquin non censeatur promissio. Layman *in Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 4. Utut Sanchez *d. disp.* 79. *n.* 10. existimet, hoc impedimentum ex ficta quoque promissione contrahi, eò quòd etiam per talem promissionem detur occasio insidiandi vitæ alterius conjugis. VI. Opus est, ut adulterium, & promissio concurrant copulativè, adeò, ut neque solum adulterium, neque sola promissio constituat hoc impedimentum dirimens, sed utrumque simul. *c. fin. h. t.* Nihil tamen interest, an promissio adulterium præcedat, vel subsequatur, aut simul eodem tempore fiat? si modò utrumq; fiat vivente eodem conjuge legitimo per *d. c. fin.* & modò promissio, quæ adulterium præcessit, ante adulterium, non sit omnino remissa, & mutuo consensu dissoluta. Gutierrez *de Matrim. c.* 105. *n.* 28.

§. V.

13 *Effectus* impedimenti criminis est, quòd inter personas illas, inter quas impedimentum hoc contractum esse diximus, dirimat matrimonium, ita ut nec dissolutô per mortem priore conjugiô unquam possit consistere. *c. relatum* 4. *& c. si quis* 5. *causâ.* 31. *q.* 1. *c.* 2. *& seqq. h. t.* Neque refragatur *c.* 1. *Eod.* ubi adulter, qui legitima uxore relicta aliam hujus rei insciam duxit post mortem primæ uxoris illam retinere jubetur, nisi ipsa decepta divortium petat: nam ex una parte illud adulterium non inducit impedimentum dirimens, cùm sit solum adulterium materiale; ex altera verò æquum est, ut adulter adulteram deceptam ducat, & de novo cum ea matrimonium contrahat, instar ejus, qui sub spe matrimonii virginem defloravit, ne aliàs ipse ex sua malitia lucrum, innocens autem fœmina damnum sentiat. Text. & DD. *in d. c.* 1.

§. VI.

14 *Contraria* impedimento criminis est dispensatio, quâ tollitur. Et verò quia hoc impedimentum jure Ecclesiastico constitutum est, in eo S. Pontificem dispensare posse, exploratum habeo. Quoad praxim Curiæ Romanæ impedimentum, quod provenit ex conjugicidio, discernendum est ab eo, quod provenit ex adulterio. In priore, si publicum est, S. Pontifex non dispensat, sive uterque sive unus tantùm ex contrahere volentibus mortem machinatus sit, ut removeatur votum captandæ mortis; si verò sit occultum, recurritur ad S. Pœnitentiarium, quæ difficillimè, & non nisi urgentissimis ex causis dispensat, & quando facultatem dispensandi concedit, committit Confessario per Oratorem eligendo, ut eundem Oratorem à contentis in litteris, ab adulterio, homicidio, & excessi-

excessibus hujusmodi, injunctis gravi, & diuturnâ pœnitentiâ, orationibus, & eleemosynis pro anima occisi, aliisque de jure injungendis, absolvat, & ut matrimonium cum complice de novo, secretè tamen ad evitanda scandala, contrahere possit, dispenset, prolémque legitimam decernat. In impedimento posteriore, si publicum est, S. Pontifex dispensat pro utroque foro, casu quo tamen conjux vivente conjuge cum alia defacto matrimonium contraxit, & uxore defuncta cum ea remanere velit, non aliter solet dispensare, quàm negotiô plenè in S. Congregatione super Inquisitione discussô. Si verò impedimentum sit occultum, & Oratores publicè de matrimonio contrahendo tractârint, per S. Pœnitentiariam Confessario committi solet, quatenus Oratores absolvat in foro conscientiæ injunctâ salutari pœnitentiâ, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, & dummodo impedimentum occultum sit, ac scandalorum pericula immineant, si vel matrimonium non contrahant, vel ab invicem separentur, dispenset, cum facultate etiam legitimandi prolem exinde susceptam. Latè Vincent. de Justis *de Dispensat. matr. lib. 2. c. 16. à n. 64.*

Pars II.

De Impedimento Coactionis.

SUMMARIA.

25. Quid sit impedimentum coactionis? 16. Quo jure matrimonium dirimat? 17. 19. 20. 21. 22. Ex qua vi, aut metu oriatur? 18. Quorum matrimonia dissolvat? 23. 24. Effectus hujus impedimenti. 25. 26. Quomodo metus purgetur?

§. I.

25 *Definitur* impedimentum coactionis, quòd sit vis, aut metus gravis, injustè incussus, impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum.

§. II.

Causa efficiens impedimenti coactionis, alia est remota, alia proxima.

Remota est jus. Sed quale? vim absolutam, cùm simpliciter tollat consensum, jure naturali obstare valori matrimonii, in comperto est. An verò etiam metus gravis jure naturali matrimonium dirimat? vehementer *disceptatur*.

Qui negant, moventur *primò*: quia metus levis non irritat matrimonium jure naturali, cùm tamen æquè, ac metus gravis injuriam contineat, nec relinquat plenam libertatem, imò quandoque illi gravissimè opponatur, ut in avaro metus amittendæ pecuniæ. *Secundò*: quia dolus non minùs repugnat consensui, & reddit contractum involuntarium, quàm metus, & tamen dolus, si non est circa personam aut conditionem servilem, jure naturæ matrimonium non annullat. Ita Durand. Sotus, Paludan. Sylvest. & plures alii quos refert, & sequitur Sanch. *de matr. lib. 4. disp. 14. n. 2. in fin.*

Affirmativæ Patroni prætendunt *primò* quòd nullus inveniatur texus in toto jure positivo, qui tale matrimonium irritet, uti fatetur ipse Sanchez, sed omnes tantùm declarent, illud esse irritum, sicque pro priori nullum, & invalidum supponunt, & quo alio jure, quàm jure naturali? vid. text. *in c. 14. 15. & 28. de Sponsal. c. 2. h. t. Secundò*: quòd ad matrimonium ex natura rei requiratur plena libertas, & perfectius voluntarium, quàm ad alios contractus civiles, tum propter illius vinculi indissolubilitatem, tum ob arctissimam conjunctionem non tantùm animorum, sed etiam corporum, tum ob honestam utriusque liberorum educationem; quæ omnia ex rei natura videntur pugnare cum coacto matrimonio, ut ex quo discordiæ, ex discordiis dissidia, ex his adulteria, cædes, ac alia majora mala cõmuniter nascuntur. *Tertiò*: quòd si matrimonium jure naturæ initiô subsisteret, & semel valeret, metum passus injuriam illatam, &

damnum

damnum nullâ induſtriâ declinabile perpetuò ſuſtinere deberet, quod eſt contra benignitatem juris naturalis. Ita S. Thom. 3. *p. in Suppl.* q. 47. *a.* 7. *in C.* Sperell. *deciſ. for. Eccleſ. p.* 1. *dec.* 6. *n.* 3. Clariſſ. D. D. Gletle *ad ff. p.* 1. *q.* 34.

Ego ab hac ſententia non facilè recedo, neque rationibus contrariis inflector: Non *primâ*: patet enim à poſteriori metum levem non irritare matrimonium jure naturæ, cùm Eccleſia tanquam validum admittat; unde nec opponitur plenæ libertati ad matrimonium requiſitæ, ſicut metus gravis. Ratio diſcriminis eſt, quòd levis metus non adverſetur mutuo amori, faciléque inimicitiæ ex eo enatæ ſopiantur, & condonentur, ita ut neque indiſſolubilitati matrimonii, neque cohabitationi obſtare cenſeatur. Non *ſecundâ*: quia in ordine ad matrimonium non eſt eadem vis doli, & metûs, quando dolus non eſt circa perſonam, vel conditionem ſervilem, quandoquidem dolus circa qualitates, relinquit conſenſum omnino liberum circa perſonam, cum quâ alter dolô circumventus contrahit; metus verò injuriosè illatus tollit libertatem conſenſûs circa perſonam, quæ eſt objectum ſubſtantiale.

17 *Cauſa efficiens proxima* impedimenti coactionis eſt vis, aut metus gravis: differunt autem in propriis terminis *vis*, ac *metus*: quia *vis* eſt corporalis coactio omnino reluctanti illata, quæ omnem conſenſum excludit, ut ſi quis manum adoleſcentis vi trahat ad fœdus matrimonii per dexterarum conjunctionem ineundum. *l.* 2. *ff. Quod metûs causâ. Metus* verò eſt mentis trepidatio inſtantis, vel futuri periculi causâ, quæ *vis conditionalis*, ſeu *compulſiva* nuncupatur, & non tollit voluntarium ſimpliciter, minuit tamen, & libertatem lædit: ut ſi juvenis armis cogitur cum puella contrahere matrimonium, qui abſolutè quidè vult contrahere, at nollet, ſi metus abeſſet.

§. III.

18 *Subjectum* impedimenti coactionis ſunt vim, aut metum paſſi, quorum matrimonium dirimit. Perinde autem eſt, ſive ipſis contrahentibus in propria perſona, ſive in perſona Parentum, vel liberorum ſuorum metus inferatur; veluti ſi quis puellæ minetur, ſe patrem ejus occiſurum, niſi illa nuptiis conſentiat: cùm parentes pro affectu paterno in liberos, & hi viciſſim pro filiali pietate in parentes, magis in eorum, quàm propria perſona terreri ſoleant per *l. iſti quidem.* 8. *ſ. fin. ff. Quod metûs causâ.* Idque etiam ad fratres, & alios conſanguineos usque ad quartum gradum extenditur. Innocent. in *c. cùm locum.* 14. *n.* 1. *de Sponſalib.* Felin. in *c. Eccleſia.* 10. *n.* 99. *de Conſtit.*

§. IV.

19 *Formam* impedimento coactionis tribuit vis, ſeu majoris rei impetus, qui repelli non poteſt, & metus gravis defacto ab extrinſeco injuſtè incuſſus eo fine, ut conſenſus matrimonialis extorqueatur. Unde, ut metus impedimentum dirimens matrimonii conſtituat, plures conditiones concurrant, oportet.

Prima eſt, ut metus ſit gravis, ſeu, ut vulgò dicitur, cadens in conſtantem virum; qualis eſt metus mortis, mutilationis, cruciatûs corporis, diuturni carceris, ſervitutis, ſtupri, infamiæ, amiſſionis inſignis dignitatis, ac officii, jacturæ omnium bonorum, vel notabilis partis, injuſtæ excommunicationis, ſimilisve mali. *l.* 3. 4. *&* 22. *ff. Quod metûs causâ.* Covarr. *lib.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. §. 4. Vincentius de Juſt. *de Diſpenſat. matrim. lib.* 2. *c.* 12. *à num.* 31. Metus levis matrimonio impedimento non erit. Unde ſi vir dives videat, ſibi imminere periculum amittendi 100. imperiales, niſi Mæviam ducat uxorem, ſi impulſus amore pecuniæ eandem ducat, matrimonium ſubſiſtet, arg. *l. vani.* 185. *ff. de R. I.* Covarr. *d. ſ.* 4. *num.* 5. Interim obſervan-

vandum, quòd malum illud, quod in viro cordato justum metum efficere non potest, nihilo seciùs in Virgine, vel fœmina justum, ac gravem metum efficiat, propterea, quòd hic sexus facillimè commoveatur, & quasi naturâ timidior sit. Panormit. in *c. cùm locum* 14. *de Sponsal. n.* 6. Et generaliter, quibam metus gravis sit, Judicis arbitrio permittendum est, ut considerata qualitate & conditione personæ arbitretur, an eligatur malum minus ad vitandum malum majus. Menoch. *de Arbitr. judic. casu* 136. *n.* 2 Barb. in *Collect. ad c. sacris.* 5. *de his, quæ vi, metúsve causâ. ℣. pro resolutione.* & Nos *ibid. num.* 4.

Secunda conditio est, ut metus sit præsens, seu defacto incussus, & non tantùm suspicio metûs inferendi. Hinc ratum habetur matrimonium, si quis propter solas minas, & in futurum imminens malum ducat Cajam, arg. *l. metum autem.* 9 *ff. Quod metûs causâ* ubi disertè dicitur: *metum autem præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi ejus.* Sed hoc ita, ut suspicio ejusmodi levis sit, & vana. Quòdsi prudens, & gravis sit suspicio de periculo vel præsenti, vel futuro, non tameu omnino remoto, veluti si minæ factæ fuissent ab eo, qui frequenter solet eas exequi, causat metum, & concussionem animi de præsenti, ac, quod consequitur, matrimonium ex metu censetur esse contractum, & irritum, arg. *l.* 7. §. 1. *ff. Quod falsò tutor. auctor. gest. esse dic. l.* 7. §. *hoc tamen. ff. Ad Leg. Jul. Majest.* Sanchez *de matr. lib.* 4. *disp.* 1. *n.* 17. Sperell. *decis. fori Eccles. p.* 1. *dec.* 5. *n.* 32. *& seqq.*

20 *Tertia* est, ut metus ab extrinseco, id est, ab homine sit illatus. Si ab intrinseco puta ab infirmitate, tempestate, fera, vel alia quacunque causa fortuita, ac naturali venerit, matrimonium nullatenus vitiat. Valet ergo matrimonium contractum cum concubina metu mortis præsentaneæ ex morbo, aut naufragio, vel inferno: quia metus talis non est à causa extrinseca. Sanch. *d. lib.* 4. *disp.* 11. *num.* 4. Similiter, si medicus lethali morbo oppresso mederi nolit, nisi filiam suam in uxorem accipiat, validum foret matrimonium timore mortis ab ægro celebratum, ex quo timor mortis non est incussus à Medico, sed à morbo; Medicus verò matrimonium solùm petit, tanquam sui laboris stipendium. Idem Sanchez *num.* 15. Nihil tamen refert, à quo metus sit illatus: nam sive Magistratus, sive privatus aliquem cogat, ut nuptias ineat, quidquid ejus causâ factum est, pro nihilo habetur.

Quarta, quæ requiritur, conditio est, ut metus sit injustè incussus. Metus justus, ac justè causâ datâ incussus non irritat matrimonium: sic enim tenet matrimonium, ad quod ineundum metu censurarum Judex Ecclesiasticus eum compulit, qui antea liberè sponsalia contraxit, aut sub spe matrimonii virginem defloravit. *c. ex liberis* 10. *de Sponsal. lib.* Similiter subsistit matrimonium, si Pater in delicto deprehensum metu accusationis induxerit, ut filiam duceret. Sanchez *d. disp.* 11. *n.* 3. Neque adversatur *l. nec timorem.* 7. *in fin. ff. Quod metûs causâ*, ubi is, qui in flagitio deprehensus dedit, ne prodereture, in integrum restitui jubetur: loquitur enim de casu, quo quis prudenter suspicatur, ne injustè prodatur aliis, & exinde mortem, aut vincula pati debeat. Planè si Pater stupratori mortem minatus sit, nisi filiam in uxorem accipiat, non valere matrimonium subsecutum, communiter placuit propter textum in *c. veniens.* 15. *h. tit.* siquidem licèt de jure Civili juxta *l.* 20. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* Pater adulterum cum filia inventum, impunè occidere possit, justè tamen, & de jure Canonico non potest, consequenter hoc casu metus foret extrinsecus, & injustus.

Quinta denique conditio est, ut metus 21 sit

sit per se directè incussus ad extorquendum ipsum matrimonii consensum. Si alio fine incussus sit, & metum passus ultro ad malum avertendum matrimonium, tanquam medium, elegerit, non dicitur esse ex metu irritante contractum. Text. in *d. c. veniens.* 15. *de Sponsalib.* ubi habetur, quòd etsi Pater juvenem quemdam cum filia simul in lecto inveniens, istum puellam desponsare coëgerit, tamen matrimonium sit validum, nisi metu coactus eam desponsâcit. Ex quo colligunt Interpp. quòd si Pater voluerit ulcisci injuriam, alter autem ultro ad declinandam ultionem matrimonium filiæ obtulerit, hoc esse validum: quia quamvis per metum ultionis ille fuerit ad matrimonium indirectè compulsus, metus tamen non fuit incussus propter matrimonium. At in praxi, & foro externo hoc vix obtineret, quippe metum duntaxat ad ulciscendam injuriam incussum fuisse, difficulter probabitur, & sic in foro fori potiùs in ordine ad matrimonium contrahendum illatus censebitur. Sperell. *decis. Eccles. p.* 1. *dec.* 6.

22 *Dubium* superest: an metus reverentialis liberorum erga Parentes, aut subditorum erga Principes sit metus gravis, ac sufficiens ad matrimonium irritandum?

Affirmat Navar. ad *Tit. de His, quæ vi, metúsve causâ fiunt. consil.* 9. & 10. & *in Manuali c.* 22. *num.* 51. cui favet textus in *l.* 1. *§. in summa.* 6. *ff. Quar. rer. act. non det.* ubi metus & nimia reverentia æquiparantur. Negat Panormit. in *c. cùm locum. num.* 8. *de Sponsalib.* cui suffragatur luculentus textus in *l. si patre* 22. *ff. de Ritu nupt.* ibi: *si patre cogente duxit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contrahit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur, hoc maluisse videtur.* Insuper in subsidium veniunt *l.* 26. *§.* 1. *ff. de Pign. l. ad invidiam. C. quod metûs causâ. & c.* 4. *causâ.* 20. *q.* 3. Ego præfero sententiam mediam, nimirum metum reverentialem esse metum gravem, ac obstare valori matrimonii, si concurrant minæ graves, importunæ preces, aut aliæ circumstantiæ, propter quas modesta contradictio nihil prodesset: metum verò purè reverentialem, seu solam reverentiam inferioris erga superiorem, quâ non audet ei contradicere, esse duntaxat metum levem, & per consequens ad dirimendum matrimonium insufficientem P. Engl. *de Sponsal.* §. 5. *n.* 4. Canis. *ad d. c. cùm locum. Eod.*

§. V.

23 *Effectus* impedimenti coactionis est, quòd matrimonium irritet, ita ut ex parte utriusque Conjugis nullam omnino pariat obligationem, quamvis fuisset juramentò firmatum. *c.* 14. 15. & 28. *de Sponsal. c.* 2. *h. t. & ibi* Panormit. *n.* 5. Ratio est: quia juramentum vi, aut dolo præstitum non confirmat contractus invalidos. *c.* 28. *de Jurejur. c.* 2. *de Pact. in* 6. & cùm hujusmodi matrimonium sit irritum ex defectu liberi consensûs, juramentum hujus defectum non supplet, & æquè nullum est, quàm ipsum matrimonium, ut notant DD in *c. fin. de Procurat. in* 6. Covar. *de Matr. p.* 2. *c.* 3. *§.* 5. *n.* 3. Neque obstat *c. inter cætera.* 22. *causâ* 22. *q.* 4. ubi matrimonium timore mortis contractum dicitur firmum, & stabile: quoniam *Canon* ille loquitur de casu speciali, quo postea cessante scilicet metu, matrimonium liberè ratificatum fuit.

Porro quod diximus de matrimonio, secundùm probabiliorem sententiam etiam impetrigitur ad sponsalia de futuro per *c. ex literis* 11. *de Despons. impub.* ubi puella pubes, metu minarum parentis juratò desponsata cuidam puero, non impeditur alteri nubere; ibique reddit rationem Glossa: quia scilicet *sponsalia metu inita sunt ex genere suo irrita.* Qui sententiam hanc respuunt, *cap.* illud interpretantur de absoluta coactione, & negatione

consensûs propter verba: *nolens & invita*; sed in eo sermonem esse de simplici metu, textus innuit, dum dicit: *minis parentis impulsa*; quamobrem ad vitandam verborum contrarietatem, maximè in eodem textu, dicendum est, quòd verba *invita*, & *nolens* non denotent vim absolutam, & negationem voluntatis, sed vim per metum, & voluntarietatem ratione ejusdem metûs diminutam. Neque insolitum est in jure, quòd metus vis appelletur, ut in *c. 2. de Pactis in 6.* Ad hæc eô ipsô, quòd matrimonium, ex gravi metu injusto initum, sit à jure irritatum, saltem indirectè irritata sunt sponsalia, tendentia in tale matrimonium irritum, cùm promissio rei invalidæ sit etiam invalida, prout latè deducit Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsal. p. 2. controvers. 1.*

24 Ad *effectus* impedimenti coactionis referri etiam potest, quòd Domini temporales, vel Magistratus qui sine causa directè, vel indirectè metu gravi suos subditos ad matrimonium cogunt, incurrant excommunicationem ipsô factô. Trid. *sess. 24. de Reform. matr. c. 9.* Quod quia nominatim loquitur de cogentibus, qui habent jurisdictionem in foro externo sæculari, ideo non comprehendit Parentes, qui suos liberos; Dominos, qui sua mancipia; Parochos, aut Episcopos, qui suas oves ad ineundum matrimonium cogunt; imò nec Reges, aut Imperatores, ut qui non includuntur, nisi specialiter exprimantur; nec impedientes aliquem à matrimonio, cùm & de his Concilium nihil disponat. Henriquez, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Dicastillo *de Matrim. disp. 4. dubit. 14. & 15.*

§. VI.

25 *Contrarium* impedimenti coactionis est liber consensus postea subsecutus: enimverò cessat hocce impedimentum, ubi vi, vel metu amoto, matrimonium coactum verbô, aut factô ratificatur. Censetur autem factô ratificari, si persona metum, vel vim passa volens, & conscia nullitatis matrimonii ad concubitum se applicet, arg. *c. 2. de Conjug. servor.* & *c. 4. Qui matrim. accusar.* est enim præsumptio juris, & de jure, copulam affectu maritali factam esse per *c. is, qui fidem. 30. de Sponsal.* Quòd verò aliqui contendant, etiam per copulam metu extortam matrimonium convalescere, verum non puto, ex quo ex copula coacta non potest præsumi liber consensus in matrimonium. Zoës. *de Sponsal. n. 79.*

Similiter factô matrimonium coactum ra- 26
tificatur, si conjunx coactus sponte persistat in matrimonio, & alteri conjugi quietè cohabitet, quamvis nulla copula intercedat juxta *c. 21. de Sponsal.* Ad quod tamen requiritur, ut cohabitans sciat, matrimonium contractum fuisse nullum, quandoquidem error consensui adversatur. *l. 15. ff. de jurisdict.* Deinde, ut cohabitatio fuerit spontanea, & sine metu: quia ratificatio exigit liberum consensum, cui locus non est metu durante. Gloss. in *c. 1. de his, quæ vi, met. causâ. V. post modum.* Denique cohabitatio non debet esse momentanea, sed diuturna, cujus tempus, cùm jure definitum non sit, arbitrio Judicis relinquendum est, arg *c. 4. de Offic. deleg. l. 1. in fin. ff. de jure delib.* Sanch. *lib. 4. de Matr. disp. 18. per tot.* Addo, hæc procedere etiam post Concilium Tridentinum, modò impedimentum fuerit occultum Parocho, & testibus, nec possit in judicio probari per tradita in *tit. de Sponsal. n. 128.*

Pars III.
De Impedimento raptûs.

SUMMARIA.

27. Descriptio impedimenti raptûs. 28. Quo jure introductum sit? 29. 32. 33. 34. 35. Ex quo raptu oriatur? 30. 31. Quorum matrimonio obstet? 36. 37. Effectus raptûs. 38. Quomodò impedimentum raptûs cesset?

§. I.

§. I.

17 *Definitur* impedimentum raptûs, quòd sit violenta fœminæ abductio ad finem contrahendi matrimonii, inter raptam, & raptorem matrimonium dirimens.

§. II.

18 *Causa efficiens* impedimenti raptûs est vel remota, vel proxima.

Remota est Concilium Tridentinum: nam jure Decretalium raptus matrimonio impedimento non erat juxta *c. fin. de Raptorib.* per quod correctum fuit jus Civile in *l. un.* §. 1. *C. de raptu Virg. & Novel.* 143. item antiqui Canones, nimirum *c. de puellis.* 4. *& c. placuit.* 11. *causâ* 36. *q.* 2. quibûs matrimonium inter ratporem & raptam, licèt postea liberè consentientem, nullatenus valebat. At verò Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 6. denuo hoc impedimentum introduxit, seu quodammodo reduxit, statuens, *inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium*, non ultra. Hinc impedimentum hoc in illis solùm locis locum habet, in quibus Concilium Tridentinum receptum est; in aliis autem servari debet id, quod statutum reperitur in *d. c. fin. de raptorib.* Pont. *de Matr. lib.* 7. *c. ult. n.* 6.

19 *Causa efficiens proxima* hujus impedimenti est raptus, quo per violentiam mulier renitens intuitu matrimonii contrahendi abducitur in alium locum.

§. III.

20 *Subjectum* impedimenti raptûs sunt, quos raptus reddit inhabiles ad matrimonium contrahendum: puta *raptor*, & *rapta*.

Raptor, qui impedimentum incurrit, dicitur ille, qui pro se vel ipse fœminam violenter abduxit, vel tertio mandavit, ut abduceret. Mandatarius, sicut & alii auxiliatores, ac fautores Principalis, sive physicè, sive moraliter rapientis, subjacent quidem etiam excommunicationi, infamiæ, & aliis pœnis à Tridentino *l. cit.* constitutis, non tamen contrahunt exinde impedimentum dirimens respectu raptæ, eámque, si aliunde non impediantur, ducere possunt: cùm enim Concilium Tridentinum impedimentum ex raptu restrinxerit ad solum raptorem, & raptam, ad cooperantes extendendum non est, tanquam odiosum, ac pœnale per *l. si præses. ff. de Pœnis. c. odia.* 15. *& c. in pœnis.* 49. *de R. I. in* 6. Patrit. Sporer *de Matr. n.* 30.

Sed quid dicendum de fœmina rapiente virum, an ea quoque contineatur dispositione Tridentini, & impedimentum incurrat?

Negativa placet multis, eò quòd casus insolitus sit, si fœmina virum rapiat, neque in decreto Tridentini expressus, ut quod tantùm de raptore non de raptrice loquitur; aliunde autem constat, quòd ad casus insolitos leges præsertim pœnales & correctoriæ porrigendæ non sint, quoniam jura non respiciunt ea, quæ rarò contingunt. *l.* 4. *&* 5. *ff. de Legib.* Bonacin. *q.* 4. *de Matr. punct.* 18. *n.* 7. Reverend. Maurus Oberascher *de Sacram. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 4. §. 12. Clariss. P. Paulus Mezger *de Sacrament. disp.* 54. *a.* 6. §. 5.

Affirmativam tuentur Aversa *de Matr. q.* 12. *sect.* 3. ℣. *at affirmandum.* Vincent. de Just. *de dispensat. matr. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 75. & alii apud Sanchez *lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 24. inprimis ideò, quia perinde per raptum patratum à fœmina, ac per raptum factum à viro matrimonii libertas impeditur, cui Concilium Tridentinum per constitutionem hujus impedimenti unicè consulere voluit. Deinde quia eadem ratio in raptore & raptrice militat, eadem debet esse pro utroque juris dispositio per *l. illud. ff. Ad Leg. Aquil.* Barb. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 35. *n.* 4. adeóque licèt Tridentinum de muliere rapta expressim loquatur, non ideo viros raptos excludit, sed ita loquitur, quia frequentiùs fœminæ, quàm mares

rapiuntur. Ad hæc, etsi textus in *c. 1. & 4. De eo, qui cognovit consang. uxor. suæ.* tantùm de viro loquatur, eique debitum petere, ac aliud matrimonium inire interdicat, hoc tamen impedimentum extenditur etiam ad fœminas: quid ergo prohibet, quò minùs etiam impedimentum raptûs ad fœminas raptrices extendi debeat? maximè quia verba Tridentini æquè possunt aptari mulieribus, ac masculis rapientibus, & materia potest convenire utrique sexui, quo casu sub masculino fœminum in pœnalibus quoque, & odiosis comprehendit Bartol. *l. jura. in fin. ff. de Legib.* cujus doctrina communiter recipitur, & confirmatur *ex Clem. 1. de Regularib.* Navarr. *de Consang. & affinit. consil. 3. à n. 6.*

Ego perpensis *pro*, & *contra* argumentis, ac rationibus, autumo, utramque sententiam in theoria probabiliter defendi; sed Lector arbiter sit, cui aureum sui assensûs pomum tribuere velit.

31 Quod attinet *raptam*, nihil interest, soluta sit, an conjugata; virgo, an vidua; honesta, an inhonesta, etiam meretrix, & quantumcunque infamis; extranea, an consanguinea, affinis, vel aliter impedita, modò ad effectum matrimonii contrahendi raptus secutus fuerit: quandoquidem Concilium indistinctè absque ullo discrimine personarum raptorem impedimento, aliisve pœnis adductis subjicit, licèt pœnæ juris Civilis non obtineant, si mulier non sit honesta. Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 13. n. 14.* Bonac. *d. punct. 18. num. 7.* Putat tamen Barb. in *c penult. de Raptor. n. 4.* idem impedimentum cessare, si quis propriam sponsam, præsertim volentem, rapuerit: tum propter ipsummet *c. penult.* ubi Lucius III. rescripsit, quòd ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur: tum quia raptus propriæ sponsæ libertatem matrimonialem non diminuit, ex quo eam sponsa per præcedentem obligationem sponsalium jam amisit; nisi forsan justa resiliendi causa supervenerit; quo casu idem erit, ac si sponsalia nunquam præcessissent.

§. IV.

Forma impedimenti raptûs desumitur à requisitis necessariis ad hoc, ut raptus matrimonium dirimat, quæ plura. 32

Primò enim raptus debet esse violentus, seu cum violentia illata renitenti, sive illa sit physica, si nempe manus injiciatur, sive moralis, si scilicet minis, metúque gravi terreatur. Non verò sufficit, si solùm blanditiis, promissis, donis, dolis, fallaciis, aut importunis precibus alliciatur per *l. 3. §. 1. ff. de Incendio, ruina, naufragio.* Undeà fortiori nullus esset raptus, si mulier sub nullius potestate constituta sponte consentiret, siquidem scienti, volenti, & petenti non fit injuria, nec dolus. *l. nemo videtur. ff. de R. I.* Econtra raptus foret, si puella primitus reniteretur, esset-que invita, quamvis postmodum sponte consentiret: quia considerandum initium, in quo violentia fuit, arg. *l. Divus Hadrianus. 14. ff. Ad Leg. Cornel. de Sicar.*

Dubiò non caret: num raptus impedimentum inducat, si puella volens abducatur, invitis tamen parentibus, aut aliis, sub quorum est potestate? 33

Sanè Jure Civili raptum committi, & puniri, si mulier volens etiam raptori desponsata, renitentibus parentibus abducatur, textus est in *l. uv. in pr. & §. pœnas autem. C. de Raptu virg.* cùm parentibus tali raptu maxima injuria irrogetur, quam puella in abductionem consentiens remittere non potest. *l. 1. §. usque adeò. ff. de injuriis.* Et proinde etiam hoc casu oriri impedimentum ex Tridentino, docent Navarr. *ad Tit. de Raptorib. consil. 2.* & Cardinal. Luca *de Matr. disc. 5.* Nihilominus contrarium suadere videtur textus in *d. c. penult. de Raptorib.* & ratio: quia videlicet parentum renitentia non obstat libertati

bertati matrimonii, cujus consideratione Concilium Trident. hoc impedimentum induxit. Ita Patrit. Sporer *de Matrim. n.* 28. Pirhing *de Raptorib. n.* 7. Cardinal. Tusch. *lit. R. concl.* 5. & alii.

34 *Secundò* raptus debet esse de loco uno in alium abductio: nam ibi raptus commissus dicitur, ubi puella, de cujus ante nuptiis nihil actum fuerat, fuit abducta. Textus in *c. lex illa 2. causâ 36. q.* 1. Idcirco si fœmina in domo propria, vel loco violenter opprimatur, erit solummodò raptus in latiori sensu, & in specie luxuriæ. Nec satis est, ut abducatur quomodocunque v. g. à loco publico ad privatum, & obscurum, ab agro ad sylvam, ab una camera ad aliam, sed requiritur, ut abductio sit vera, & realis de loco in locum ad habendam raptam in sua potestate. Vid. Sanchez *d. disp.* 13. *num.* 7. Bonacin. *d. punct.* 18. *num.* 8. Cardinal. Tusch. *d. lit. R. concl.* 6.

35 *Tertiò* Gutierrez *de Matr. c.* 86. *n.* 8. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 261. & quàm plures alii apud Vincent. de Just. *de Dispensat. matr. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 47. requirunt, ut fœmina non libidinis tantùm gratiâ, aut aliam ob causam, sed ad effectum matrimonii contrahendi sit abducta; quoniam Tridentinum per hoc impedimentum, & reliquas pœnas *d. sess.* 24. *c.* 6. statutas illum duntaxat afficere, & punire intendit, qui libertatem matrimonialem per ejusmodi raptum lædit, vel saltem proximo læsionis periculo exponit, is autem, qui fœminam solùm libidinis explendæ causâ absque intentione matrimonii contrahendi rapit, non lædit libertatem matrimonialem, neque proximum læsionis periculum ponit, eô ipsô quòd matrimonium non intendat, neque ad illud procurandum vim adhibeat. Quòdsi postmodum etiam intentio contrahendi matrimonium ex parte raptoris, & raptæ supervenerit, per accidens est, & qualitatem raptûs non immutat, consequenter si cessante metu fœmina liberè consentiat, validum erit matrimonium, tametsi rapta adhuc in raptoris potestate existat, eô scilicet modô, quô abstrahend. ab obligatione Tridentini matrimonium aliàs subsistere potuit. Dissentit Bonac. *de Matr. q.* 4. *punct.* 18. *n.* 2. cùm Sà *V. matr. n.* 9.

§. V.

Effectus impedimenti raptûs *primarius* est, 36 quòd inter raptorem, & raptam dirimat matrimonium, idque non solùm propter naturalem defectum consensûs, quamdiu violentia durat, sed etiam, si rapta ultro in raptorem consentire, & cum ipso matrimonium contrahere velit; nisi loco tuto, & plenæ libertati fuerit restituta. Trident. *d. sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 6.

In *disquisitionem* venit: an & sponsalia tempore raptûs inter raptorem, & raptam contracta sint invalida?

Ratio dubitandi est: quòd citatum Decretum Tridentini sit correctorium juris communis, & per consequens, cùm de matrimonio loquatur, ad sponsalia minimè est extendendum; quemadmodum decretum irritans matrimonium clandestinum propterea ad sponsalia extendi non posse, comprobatum est in *Tit. de Clandest. desponsat. n.* 29.

Verùm sponsalia quoque inter raptorem, & raptam subsistere non posse, tenent Layman in *Theol. mor. lib.* 5. *tr.* 10 *c.* 13. *in fin.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 13. *n.* 17. & Bonac. *q.* 4. *punct.* 18. *n.* 10. cum quibus transeo: certè etiam ratio finalis, propter quam Concilium Tridentinum inter raptorem & raptam irritavit matrimonium, militat quoque quoad sponsalia, ut quæ ex una parte æquè, ac matrimonium, exigunt plenam libertatem, & ex altera, sicut præsumitur, quòd rapta, dum est sub potestate raptoris, ex metu assentiatur matrimonio, ita pariter præsumitur, quòd ex tali metu assentiatur sponsalibus.

Nec

Nec ratio dubitandi tanti esse videtur, ut discessionem imperare possit: etenim nego illud decretum Tridentini, tanquam correctorium, à matrimonio ad sponsalia extendi non posse: nam in subordinatis, quando omnino eadem est ratio, dispositio quoad unum afficit etiam alterum, quod ad ipsum ordinatur. Neque ad rem facit paritas adducta de matrimonio clandestino in ordine ad sponsalia clandestina, quandoquidem in his non militat eadem omnino ratio: cùm motivum adulterii, quod est in matrimonio clandestino, cesset in sponsalibus clandestinis.

37 *Effectus secundarii* impedimenti raptûs sunt pœnæ raptui annexæ. Et quidem jure antiquorum Canonum tam raptor, quàm ejus fautores incidunt in excommunicationem non latæ, sed ferendæ sententiæ. *c.* 1. *&* 2. *causâ* 36. *q.* 2. Tridentinum verò *d. locô* statuit, ut etiam secutô matrimoniô inter raptorem & raptam, nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, aut favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneatúrque præterea raptor mulierem raptam sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitriô Judicis dotare. Est ergo hodie pœna raptûs excommunicatio latæ sententiæ, sed non reservata. Bonacin. *d. punct.* 18. *n.* 9. Farinac. *q.* 145. *n.* 21. pœna autem infamiæ, inhabilitatis ad dignitates, depositionis, & dotationis sententiæ ferendæ, & ideo non obligat ante Judicis sententiam. Layman *d. c.* 3. *n.* 4. Filliuc. *de Imped. matrim. n.* 264. Jure Civili in *l. un. C. de raptu Virg.* & in *Novell.* 143. in raptorem sancitur pœna ultimi supplicii, & ut bona raptoris, eorúmque, qui illi opem tulerunt, statim raptæ cedant, quæ tamen amittit, si raptori nubat. An verò etiam hodie amittat? consule Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 27. *& seqq.*

§. VI.

Contrarium impedimenti raptûs est mo- 38
dus, quo cessat. Cessat autem hoc impedimentum, si rapta à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta, raptorem in virum habere consenserit: nisi enim aliud obstet, validum erit matrimonium, ut patet ex Tridentino *loc. cit.* contra quod *d. l. un. C. de Raptu virg.* & *Novell.* 143. nihil valet.

TITULUS VIII.

De Conjugio leprosorum.

SUMMARIA.

1. Lepra, vel alius morbus non impedit matrimonium. 2. Superveniens dissolvit quidem sponsalia. 3. Non item matrimonium.

HOc *titulo* quæritur: anne etiam lepra, vel alius morbus contagiosus matrimonio impedimentum ponat? Pro cujus resolutione.

Dico I. Nec lepra, nec quicunque alius 1
morbus impedit matrimonium, dummodo non causet perpetuam impotentiam, adeo ut, quamvis graviter peccet, qui dissimulatô hujusmodi morbô nubit, & ita conjugem decipit, morbo tamen, & rei veritate detecta, non solùm validè, sed etiam licitè matrimonium inibitur, sive duo v. g. leprosi inter se, sive vir leprosus cum fœmina sana, aut econtra contrahant, quandoquidem nullibi prohibentur; imò singulariter in *c.* 2. *h. t.* cautum est, leprosis, si continere nolint, & aliquam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum esse ad matrimonium convolare.

Dico II. Si post sponsalia de futuro inter 2
legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepram, vel alium morbum incurrit, ad eam, vel eum accipiendum cogi non debet, cùm nondum

inter

inter eos matrimonium fuerit consummatum. Textus in *c. fin. h. t.* Idem est, si lepra præcesserit sponsalia, sed fuerit ab altero contrahente ignorata: quia verisimile non est, quòd etiam leprosæ matrimonium promittere intenderit. Quòdsi verò sponsus sponsæ, aut hæc sponsi lepram, aliúmve morbum ante sponsalia sciverit, à sponsalibus resilire non poterit: sibi enim imputet, quòd cum infecto contraxerit. Zoës. *h. t. n.* 1.

Dico III. Si post contractum jam matrimonium lepra supervenerit, aut primùm cognita fuerit, propterea conjuges nec quoad vinculum, nec quoad cohabitationem, ac thorum separandi sunt, sed sanus leproso cohabitare, & petenti debitum conjugale reddere tenetur juxta *c.* 1. *&* 2. *h. t.* Quod tamen limita, nisi judiciò medicorum subsit probabile periculum infectionis: tunc quippe cessat obligatio matrimonialis quoad thorum & cohabitationem, eò quòd per contractum matrimonialem nemo prædictam obligationem in se susciperе censeatur, excepto casu, quo lepra antecessit, & alteri conjugi nota fuit. Barbos. in *d. c.* 2. *n.* 4. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 24. *à n.* 22. ubi idem esse tradit de aliis morbis contagiosis. Sin ob horrorem lepræ conjux conjugem leprosum, & ideo à consortio hominum separatum, quoad cohabitationem sequi nolit, utrique à Judice Ecclesiastico injungenda est continentia per *d. c.* 1. *& ibi* DD.

TITULUS IX.
De Conjugio Servorum.

IMpedimentum *conditionis*, id est, statûs, servilis, includitur in impedimento *erroris*; ideo sub *hac rubrica* de utroque agitur.

Pars I.
De Impedimento conditionis.

SUMMARIA.

1. *Quid sit impedimentum conditionis? 2. Quo jure dirimat matrimonium? 3. 6. 7. Qualis servitus inducat impedimentum? 4. 5. Quorum matrimoniis obsit? 8. Hujus impedimenti effectus. 9. Quomodo tollatur?*

§. I.

Definitur impedimentum conditionis, quòd sit error statûs servilis in persona, cui nubit persona libera, inter eas matrimonium dirimens. 1

§. II.

Causa efficiens impedimenti conditionis, duplex est: remota & proxima. 2

Remota est jus, non naturale, ut vult Scotus 4. *dist.* 42. *q. un. §. Ex dictis breviter.* sed Ecclesiasticum, ut docet S. Thom. in *Supplem.* 3. *p. q.* 52. *a.* 1. *ad* 3. cùm ait: *jure positivo determinatè est factum, quòd servitus ignorata matrimonium impediat.* Ratio est: quia servitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis, consequenter error, seu ignorantia illius non aufert voluntarium simpliciter, & consensum circa materiam substantialem matrimonii. Fateor tamen, hoc impedimentum fundari aliquatenus in dictamine æquitatis naturalis, ut enim arguit S. Th. *cit. loc.* est æquitati naturali consentaneum, ut contrahentes matrimonium æqualem afferant suorum corporum potestatem in finem generationis; sed hanc persona servilis, & mancipium nequit afferre, quippe quod dominio alterius subjectum, ab ipso vendi, & in longinquas terras ablegari, domesticisque negotiis, diu, noctúque occupari jure potest, non obstante matrimonii vinculo. *cap.* 1. *h. t.*

Causa efficiens proxima impedimenti conditionis, est error servitutis olim usitatæ: nam error illius conditionis servilis, qualis hodie

in his Germaniæ partibus etiamnum viget, & à qua *homines proprii*, sive vulgò Leibeigne nominantur, quos alii *adscriptitios*, qui scilicet glebæ, aut fundo colendo perpetuò adscripti sunt, vel *originarios*, qui ex adscriptitiis nati sunt, censent, aliqui servos *anonymos* appellant, utpote qui partim de adscriptitiis, partim de libertis participant, non inducit impedimentum dirimens matrimonii: cùm homines proprii, sicut & adscriptitii, & originarii sint re ipsa in persona liberi, licèt quoad facultates, & quasdam obligationes personæ servis sint similes. Panorm. in *c. 2. num. 5. h. t.* P. Engl *Eod. num. 3.*

§. III.

4 *Subjectum* impedimenti conditionis sunt personæ, quarum matrimonium dirimit; personæ, inquam, conditione dispares, libera scilicet conditionis alterius ignara, & serva. Unde

Colliges I. Etsi leges Civiles inter servos non matrimonium, sed tantùm contubernium agnoverint. *l. 3. C. de Incest. nupt.* attamen secundùm SS. Canones, qui etiam in hac materia unicè sunt observandi, verum matrimonium inter servos consistere, & non tantùm validè, sed etiam licitè contrahi potest, sive deinde servus cum ancilla ejusdem, sive alterius domini contrahere attentet: quia non debent ullatenus prohiberi matrimonia inter servos, ut inquit textus in *c. 1. h. t.*

5 *Colliges II.* Etiam inter liberum & ancillam, seu servum, & liberam matrimonium consistere, dummodò ille, qui liber est, sciat conditionem servitutis in altero, dum contrahit: *c. si quis ingenuus. 4. causa 29. q. 2.* Nihilominus (quod obiter insinuo) talis liber scienter cum ancilla contrahens, fit irregularis, juxta *c. si quis viduam 15. dist. 34.* Idque ideo: quia ancilla est persona vilis, adeóque cùm per matrimonium unum corpus cum illa efficiatur, eam ducens quoque fit vilis, & per consequens irregularis.

§. IV.

6 *Forma* impedimenti conditionis consistit in servitute alterius contrahentis. Duo itaque necessaria sunt, ut servitus matrimonio impedimentum ponat.

Primum est, ut servitus fuerit incognita: si enim scienter libera cum servo, aut ingenuus cum ancilla contrahat, matrimonium valet, ut statim diximus. Dirimit autem ignorantia servitutis matrimonium, etsi sit culpabilis, crassa, aut crassissima, modò verè sit error: nam qualiscunque tollit voluntarium, vel saltem facit actum non voluntarium, adeóque impedit verum consensum circa matrimonium. Neque obstat, quòd ignorantia crassissima æquiparetur scientiæ: illa enim æquiparatio procedit in delictis quoad culpam, in quibus sufficit voluntarium indirectum, non quoad matrimonium, ad quod requiritur actus positivus directè volitus. Hurtad. Sanchez, & alii apud Trulench. *Prax. Sacram. lib. 7. c. 9. dub. 4. num. 3.*

7 *Alterum* requisitum est, ut ingenuus, seu liber erret, & ignoret conditionem servilem in persona, cum qua contrahit matrimonium: siquidem si uterque sit servus, vel uterque liber, ex errore statûs non oritur impedimentum. Unde valet matrimonium, si servus ducat ancillam, quam putat esse liberam: quia sunt in gradu æquali. Sylvester *V. matr. 8. q. 2. dic. 2.* Similiter valet matrimonium, si ingenuus ducat ingenuam, quam putat esse ancillam: quia SS. Canones ob errorem statûs non irritant matrimonium, nisi quando persona libera ducit servam, putans esse liberam, non è converso. Vincent. de Just. *de Dispens. matr. lib. 2. cap. 13. num. 19.*

§. V.

8 *Effectus* impedimenti conditionis est quòd dirimat matrimonium liberi cum ancilla, aut liberæ cum servo. *c. 1. 2. & fin. h. t. auth. ad hoc C. de Latin. libert. toll.* sine dubio ideò:

ideo: quòd servitus, quâ mancipium Domino subjicitur, impediat liberum usum conjugii, cui vacare non potest, nisi postquam obsequiis satisfecerit, ad quæ Domino adstrictum est.

§. VI.

9 *Contraria* impedimenti conditionis sunt modi, quibûs tollitur, & matrimonium ex errore statûs servilis contractum convalidatur. Quod fit *primò*, si Dominus servum liberæ, aut ancillam libero nescienti alterius conditionem in matrimonium tradat: etenim eô ipsô servus, aut ancilla à servitute liberatur. *l. anth. ad hoc C. de Latin. libert. toll.* Idem obtinet *secundo* si Dominus ancillam ingenuo conscio servitutis desponset, & ancillam per instrumentum dotet. *l. un. §. sed & si quis. C. Eod.* aut si Dominus ipse servam ducat. Gloss. in *c. si quis viduam. dist.* 34. *Tertiò*, si vir liber post cognitam uxoris servitutem ad eam affectu maritali accesserit. *c. si vir. h. t.* quod tamen hodie post Concilium Tridentinum locum non habere, nisi servitus sit omnino occulta, docet Sanchez *l. 2. disp. 36. n. 6.* Plura de hoc impedimento differere ferme supervacaneum est, repugnante nunc ubique in orbe libertate.

Pars II.

De Impedimento erroris.

SUMMARIA.

10. Definitur impedimentum erroris. 11. Est introductum jure naturali. 12. 14. 15. 16. Qualis error dirimat matrimonium? 13. Quorum matrimonii obstet? 17. Ejus effectus. 18. An recipiat dispensationem?

§. I.

10 *Definitur* impedimentum erroris, quòd sit error substantialis circa personam, vel qualitatem in persona, cui quis nubit, matrimonium dirimens.

§. II.

11 *Causa efficiens* impedimenti erroris, alia est remota, alia proxima.

Remota est jus; cuinam autem juri impedimentum erroris cunabula sua referat in acceptis? incertum est.

Gloss. in *princ. causæ* 29. *q.* 1. & cum hac Joan. Palat. *ad Instit. de Patr. potest. §.* 1. id jure solùm positivo constitutum censent: *primò*, quia contractus primi matrimonii Jacob fuit validus, licèt Laban dolosè ipsi locô Rachel subtruserit Liam. *Genes.* 29. *Secundò*, quia alia Sacramenta non vitiantur errore personæ, puta si quis baptizet, ungat, ordinet, absolvat Petrum ratus esse Paulum. *Tertiò*, quia in aliis contractibus onerosis error personæ non obstat, quin valeant; si rem vendam Cajo putans esse Sempronium.

Verùm communior, & procul dubio probabilior impedimentum erroris adscribit juri naturali: eò quòd de substantia matrimonij sit consensus in personam verbis, seu signis expressus. *c. tua nos. 26. de Sponsal.* quando autem error est circa substantiam personæ sive directè, sive indirectè, non adest consensus circa illam personam per se *l. per errorem. 15. ff. de Jurisdict.* Et hoc verum est, etsi error personæ sit tantùm concomitans, hoc est, cùm quis ita affectus est, ut etiamsi sciret personam, qua cum contrahit, esse aliam, adhuc contraheret cum ea: quia licèt error iste non reddat actum contrarium voluntati, tamen reddit non voluntarium, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum. Ita *Rmus* Maurus Oberascher *de Matrim. c. 4. §. 2. q. 1.* Clariss. P. Paulus Mezger *de Sacram. disp. 54. art. 6. §. 1. num. 5.*

Ad argumenta contraria, & quidem ad primum respondetur, matrimonium, quod fuit inter Jacob & Liam non fuisse perfectum ex concubitu, qui ex errore, & bona utriusque fide contigit, sed ex consensu, qui postmodum successit. Ad *secundum* disparitas est, quòd in aliis Sacramentis non ineatur contractus cum persona suscipientis, nec intersit mi-

nistri, quis Sacramenta suscipiat, aut cui illa applicet, seu ministret: in matrimonio verò initur contractus, & interest contrahentis, cum quo, vel cum qua contrahat; quocirca contrahens intentionem suam potest restringere ad certam personam, cùm in aliis sacramentis id non possit, sed debeat habere intentionem baptizandi, confirmandi, absolvendi, &c. personam præsentem & capacem, quæcunque illa sit, ne alioquin se exponat periculo sacrilegii. Ad *tertium* quoque dispar ratio est, siquidem justitia commutativa, ad quam cæteri contractus onerosi pertinent, v.g. emptionis respicit solam æqualitatem inter rem, & pretium, quæ si adsit, nihil refert, sive Cajo, sive Sempronio fuerit vendita; in matrimonio autem contractus respicit individuas personas mutuam corporum traditionem facientes, ita ut corpora ipsa sint materia, circa quam fit contractus.

12 *Causa efficiens proxima* impedimenti erroris est ipse error substantialis circa personam videlicet, vel circa qualitatem, quæ in personam redundat.

§. III.

13 *Subjectum* impedimenti erroris sunt, qui ex errore personæ, aut qualitatis in personam redundantis, matrimonium contrahunt, atque huic impedimento subjacent. Nec refert fideles sint, an infideles? nam etiam matrimonium inter infideles cum ejusmodi errore contractum est invalidum, ex quo hoc impedimentum juri naturali originem suam debet. Aliud illi statuant, oportet, qui id lege solùm positiva, eáque Ecclesiastica obstetricante natum esse contendunt; cùm jura Ecclesiastica infideles non afficiant juxta illud 1. *ad Cor.* 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

§. IV.

14 *Formam* impedimento erroris dat error personæ, vel qualitatis redundantis in personam, non error alterius qualitatis.

Dixi I. *Error personæ*: Est autem error personæ, cum locò unius personæ alia supponitur, ut puta Lia pro Rachel. Unde satis manifestum est, non hìc intelligi errorem nominis, si fortè in nomine erretur, cùm de persona constat, ut si sponsus credat eam, cum qua contrahere decrevit, *Annam* appellari, quæ nominatur *Clara*: cujusmodi error in accidente nullius momenti versatur, & non officit consensui, nec est impedimento ullis negotiis, arg. §. *siquidem* 29. *Inst. de Legat. l.* 4. *C. de Testam. l.* 9. §. 1. *ff. de Contrah. empt.* Neque adversatur *c. tua nos* 26. *de Sponsal.* Nam ibi juvenis virgine quadam ad explendam libidinem potiturus, cum spe sua frustraretur, tandem Joannis nomen mentitus est, & sub specie istius nominis dolosè, cùm animum contrahendi non haberet, fide conjugii data, virginem ad concubitum pellexit: & S. Pontifex respondit, ex illo facto non debere conjugium judicari, ideo, quòd defuerit consensus, nullâ factâ mentione de errore nominis, quòd matrimonium sustineret.

Dixi II. *Vel error qualitatis redundantis in personam.* Talis quippe error, non est merus error qualitatis, sed errorem personæ secumtrahit. Placuit autem communiter, tunc errorem qualitatis redundare in errorem personæ, quando qualitas, in qua erratur respicit, aut designat certam quandam, & determinatam personam, distinctam ab illa, quæ tunc est præsens. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 25. *& 2. seqq.* Ex qua regula recte inferes, si secundogenitus Regis fingat se primogenitum, & fœmina velit illi, tanquam primogenito, nubere, errorem illum qualitatis refundi in errorem personæ, & matrimonium subsecutum reddere irritum: siquidem hæc qualitas respicit, & denotat alium, quàm sit ille, cum quo ipsa voluerat contrahere, atque adeò non consentit in personam præsen-

tem

tem, sed in illam, quam sibi mente proposuit, scilicet in primogenitum Regis. Confer Romum Maurum Oberascher *d. c. 4. §. 2.* Patrit. Sporer *de Matr. n. 7. & 8.*

15 Dixi III. *Non error alterius qualitatis*, quæ scilicet non respicit, nec denotat, aut determinat certam aliquam, aut individuam personam: ut cùm malus, vel mala pro bono, vel bona; ignobilis pro nobili; deformis pro pulchra; corrupta pro virgine; pauper pro divite habetur: enimverò talis error, quantumvis sit *antecedens*, hoc est, dans causam contractui, & proveniens ex dolo alterius contrahentis, non obstat valori matrimonii: cùm sufficiat adesse consensum absolutum in hanc personam, & circa substantiam matrimonii. Covarr. *lib. 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 7. num. 2.*

Limitatur tamen posterior hæc assertio, ut etiam error circa ejusmodi qualitatem irritet matrimonium, *primò*, si vel actualis conditio expresè addita est: v. g. *duco te, si es virgo, si es nobilis, &c.* vel etiam si in animo retenta est, ita ut actualis voluntas contrahentis fuerit, quòd illam nolit habere, nisi virgò, aut nobilis sit: quia deficiente conditione deficit quoque consensus conditionatus. Sanchez *d. disp. 18. n. 21.* Interim in foro externo non creditur asserenti, se conditionem in mente habuisse, nisi ex antecedente aliqua protestatione, vel aliis indiciis suam intentionem probare possit. *Secundò* limitatur in conditione servili: nam licèt servitus & libertas tantùm sint qualitates personæ, si quis tamen erret in tali conditione, nempe putet, personam, quacum contrahit, esse liberam, cùm serva sit, non valet matrimonium. *c. 2. & fin. h. t.* & nos affatim in 1. *part.*

§. V.

17 *Effectus* impedimenti erroris est, quòd rescindat filum, & vinculum matrimonii: ideóque conjux, qui erravit, conjugem vel retinendi, vel repudiandi liberam habet potestatem, etiam ubi concubitus accessit; quemadmodum Jacobo quoque jus fuit repudiandæ Liam suppositam: cùm Pater ejus Laban se excusare non potuerit prætextu consuetudinis, ut majores priùs nuptum darentur, quàm minores, siquidem id pendebat ex arbitrio parentum. Jacob verò pro innata bonitate injuriam dissimulandam ratus cum patre potiùs transegit, & sic matrimonium cum Lia subsecuto consensu confirmavit. Cujus exemplum, si hodie quid tale contingat, imitari, laudabile autumo.

§. VI.

18 *Contrarium* impedimenti erroris est superveniens novus consensus, quò impedimentum illud, & nullitas matrimonii cum errore contracti tollitur. Certè Ecclesia super hoc impedimento, utpote juris naturalis, dispensare nequit, nec statuere potest, ut matrimonium valeat non obstante errore personæ. Vincent. de Just. *de dispens. matr. lib. 2. c. 13. n. 8.*

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

SUMMARIA.

1. Quoad statum proles matris, 2. Quoad dignitatem, ac familiam patris conditionem sequitur.

1 PORRO si inter servum, & liberam, aut inter liberum, & ancillam matrimonium contrahitur, circa liberos ex tali matrimonio progenitos attenditur regula Juris Civilis, quòd *partus sequatur ventrem*, id est, proles quoad statum sequatur conditionem matris, *princ. Inst. de Ingen. l. 5. §. 2. & 3. ff. de Statu hom.* Qua propter natus ex libera, vel liberta liber, ac ingenuus est. *c. un. h. t.* ex serva servus, etsi pater liber sit, nisi consuetudo loci aliud habeat. *c. 3. de Conjug. servor.*

Sufficit tamen ad prolis libertatem, si mater tempore conceptionis, vel tempore nativitatis, vel intermedio aliquo tempore, quo proles in utero ferebatur, fuit libera, exigente hunc favorem favore libertatis. *t. t. Instit. de ingenuis & ibi* Interpp. *d. l. 5. §. 2. & 3.*

2 Hodie sublata servitute cessat ista Juris ordinatio, & aliquid contrarium pene introductum conspicitur, ut nempe conditio liberorum potiùs ex patre, quàm ex matre spectetur: civis enim civem generat etiam ex peregrina; patritius, ac nobilis patritium, & nobilem etiam ex ignobili matre; & econtra ignobilis ignobilem, quamvis mater sit nobilis; quia ad dignitatem, ac familiam hæc res pertinet, non ad statum. *l. 19. ff. de statu hom.* Cristin. *vol. 2. decis. 88. num. 12.* Alphons. Soto in Gloss. *ad Reg. de prærogati. vis expectantium.* Ubi docet, nec in beneficialibus & spiritualibus quem ex origine materna nobilem reputari, quando qualitas beneficiorum id exposcit. Quin & hoc plerisque placuit, mulierem plebeiam, si nubat viro illustri, & ipsam fieri illustrem, & liberos ex tali matrimonio procreatos vere haberi illustres, ac in successione feudi admitti. Brunneman. *ad l. 8. ff. de Senatorib.* Tiraquell. *de Nobil. c. 18. n. 15.* Schurff. *cent. 1. consil. 1. n. 17.* Interim particularibus statutis, ac legibus arcentur à Collegiis superioribus Cathedraticis, von den hohen Stifftern/ & à torneamentis, von Turnier- und Ritter-Spillen/ qui non etiam ex materna linea per longam seriem nobilitatem suam docere possunt; Sie wären dann vollbürtige Ritters-Leute/ die ihre Ahnen mit Schild und Helm beroisen können. Matth. Stephan. *de Nobil. Polit. c. 4. n. 44.* Prætor. *theat. polit. sect. 2. membr. 2.*

TITULUS XI.

De Cognatione spirituali.

SUMMARIA.

1. Definitio cognationis spiritualis. 2. Divisio. 3. 4. Ejusdem origo. 5. Usque 12. quos inter contrahatur, & matrimonium dirimat? 12. Usque 18. Quæ sint necessaria ad hoc, ut contrahatur hæc cognatio? 18. 19. Ejus effectus. 20. An & quando in impedimento cognationis spiritualis dispensetur?

INter impedimenta dirimentia ferme principale est cognatio eáque triplex: *spiritualis, legalis, & naturalis.* *De spirituali* agit Titulus præsens.

§. I.

Definitur cognatio spiritualis, quòd sit pro- 1
pinquitas personarum orta ex administratione, vel susceptione baptismi, aut confirmationis, inducens impedimentum dirimens matrimonii.

§. II.

Dividitur cognatio spiritualis attento jure 2
communi in paternitatem, compaternitatem, & confraternitatem.

Paternitas est cognatio spiritualis inter baptizantem, & baptizatum: inter confirmantem, & confirmatum: inter patrinum baptizati, vel confirmati, & baptizatum, aut confirmatum. *c. de eo. 5. causâ 30. q. 1. c. ita diligere. 1. causâ 30. q. 3.* Et hæc duplex est: directa scilicet, & indirecta; directam contrahit baptizans, & confirmans, aut suscipiens, cum baptizato, vel confirmato; indirectam cum eodem contrahit baptizantis, confirmantis, aut patrini uxor, ante administrationem, aut susceptionem carnaliter cognita. *c. 1. h. t. in 6.*

Compaternitas est cognatio spiritualis inter naturales parentes baptizati, vel confirmati ex una parte, & baptizantem, vel confirmantem, ac patrinos ex altera parte. *c. 3. 4. & 5. causâ 30. q. 4. c. 1. h. t. in 6.* Et hæc iterum est alia di-

directa, alia indirecta. Directa conspicitur inter naturales parentes baptizati, vel confirmati, & baptizantem, confirmantem, vel patrinos. *c.* 1. *cum seqq. causâ* 30. *q.* 4. Indirecta extenditur ad uxorem baptizantis, confirmantis, & patrinorum, modò priùs fuerit cognita. *c.* 4. *h. t. d. c.* 1. 2. *&* 3. *causâ* 30. *q.* 4.

Fraternitas est cognatio spiritualis inter baptizatum vel confirmatum ex una, & filios naturales baptizantis, ac patrinorum ex altera partibus. *c.* 1. *&* 3. *h. t.*

Verùm post Concilium Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 2. duplex duntaxat manet spiritualis cognationis species, paternitas, scilicet, & compaternitas, eadémque directa: nempe paternitas inter baptizantem, confirmantem, ac patrinos cum ipsomet baptizato, vel confirmato: & compaternitas inter baptizantem, confirmantem, ac patrinos cum patre, & matre baptizati.

§. III.

3 *Causa efficiens* cognationis spiritualis hujúsque impedimenti est vel remota, vel proxima.

Remota est jus Ecclesiasticum: hanc enim cognationem, & impedimentum esse inventum Ecclesiæ, & ex ejus arbitrio dependere, constat ex *toto hoc tit.* & *totâ causâ* 30. *q.* 1. & 4. idque docent Zoës. *h. t. n.* 1. Covar. *de Matr. p.* 2. *c.* 6. *§.* 4. cum aliis. Habet tamen in lege Divina fundamentum aliquod, ex quo baptismus appellatur *regeneratio per Christum facta.* 1. *Petr.* 1. atque ideo Zacharias Pontifex in *c.* 3. *causâ* 30. *q.* 3. ait: *non oportet filiam, quam de sacro fonte susceperit, aliquando filio suo in matrimonium tradere, quia in Divina sententia germani esse inveniuntur.*

4 *Causa efficiens proxima* hujus cognationis & impedimenti est administratio baptismi, vel confirmationis, & susceptio à Patrinis facta. *c.* 1. *h. t. in* 6. Ex aliis Sacramentis nec respectu administrantis, neque respectu alterius cooperantis ullam cognationem spiritualem, vel impedimentum dirimens matrimonii nasci, perspicuè habetur in *c. fin. Eod. in* 6. Ratio differentiæ in eo sita est, quòd baptismus, & confirmatio specialiter dent esse spirituale, & sint quasi spiritualis generatio, non item alia Sacramenta; uti igitur ex generatione naturali vera, & naturalis paternitas, vel cognatio, ita ex spirituali spiritualis parentela, & cognatio progignitur per *cap.* 1. *& seqq. causâ* 30. *q.* 3.

§. IV.

Subjectum cognationis spiritualis sunt personæ, inter quas contrahitur, quásque ad matrimonium contrahendum reddit inhabiles. 5
Est autem hodie observandum Concilium Tridentinum, quod in *d. sess.* 24. *de Reform. matrim. c.* 2. statuit, ut cognatio hæc solùm baptizantem, confirmantem, & patrinos ex una, & ipsum baptizatum, vel confirmatum, ejúsque parentes ex altera parte afficiat, omnibùs inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Unde

Sequitur I. Baptizatum, vel ipsius patrem hodie non impediri contrahere matrimonium 6
cum uxore levantis, aut baptizantis: quandoquidem cognatio spiritualis personas prænominatas non egreditur, neque ad uxores earum extendenda est, ut determinavit Pius V. in Bulla sua edita 4. Calend. Decemb. 1566. quæ incipit: *Cùm illius vicem.* licèt olim secùs fuerit juxta *c. Martinus. h. t.*

Sequitur II. Pari ratione, si vir, & fœmina simul infantem ex sacro fonte levent, eos 7
nullam inter se contrahere cognationem, ac propterea sine peccato, aut impedimento usûs matrimonialis maritum, & uxorem posse simul suscipere infantem. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 57. *n.* 5. Bonacin. *Eod. q.* 3. *punct.* 5. *§.* 2. *n.* 6. Secùs olim propter *c. fin. causâ* 30. *q.* 4.

8.

8 *Sequitur* III. Etiam inter baptizantem, vel confirmantem, & levantem nullum nasci impedimentum: cùm & de his nulla fiat mentio in *d. decreto Tridentini*, & econtra omnis alia cognatio spiritualis ibi non expressa abrogetur.

9 *Sequitur* IV. Nec inter baptizatum, aut confirmatum, & filiam baptizantis, confirmantis, aut suscipientis ullam hodie intercedere cognationem spiritualem, aut impedimentum, prout declaravit S. Congregatio teste Barb. *de Offic. & potest Episc. alleg.* 30. *n.* 56. quamvis de jure communi contrarium sit decisum in *c.* 3. *& c. fin. h. t.* An verò standum sit juris communis dispositioni in locis, ubi Tridentinum receptum non est? latè exponit Zypræus *Consult. Can. lib.* 4. *h. t. caus. un.*

10 *Sequitur* V. Infidelem sive baptizantem, sive tenentem in baptismo, aut confirmatione nullam contrahere cognationem spiritualem, consequenter in casu subsequentis conversionis eum posse ducere puellam ipsam à se baptizatam, vel ejus matrem: quia cùm hæc cognatio sit inducta solo jure Ecclesiastico, non potest afficere infidelem, qui non subditur juri Ecclesiastico. Layman. in *Theol. mor. lib.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 2. Sanchez *de Matr. lib.* 7. *disp.* 60. *n.* 11. *&* 15. Aliud statuendum de hæreticis, ut qui baptizati, ac Ecclesiæ subjecti, ideóque hujus cognationis capaces sunt, utut ordinariè, ac sine gravi causa & necessitate ad munus patrini admitti prohibeantur. Layman. *d. c.* 9. *n.* 7. Reginald. *lib.* 31. *n.* 157.

11 Porro ne cognatio spiritualis, ac impedimentum ejus nimiùm multiplicetur, Trident. *loc. cit.* decernit, ut nonnisi unus, sive vir, sive fœmina juxta SS. Canonum statuta, vel ad summum unus & una, duo scilicet disparis sexûs (ut generatio spiritualis naturalem imitetur) baptizatum de baptismo suscipiant, & si contingat plures comitari infantem ad baptismum, Parochus diligenter sciscitetur, quem, vel quos elegerint in patrinos, & eum, vel eos tantùm ad suscipiendum baptizatum de sacro fonte admittat, eorúmque nomina in libro describat, doceátque eos, quam cognationem contraxerint. Interim si contra hanc prohibitionem juris plures designati sint, & infantem baptizatum teneant, vel suscipiant, omnes contrahere cognationem, verius est: ita namque expressim cautum fuit in *c. fin. h. t. in* 6. cui Tridentinum nequaquam derogat, imò id ipsum, dum Patrinorum numerum ita restringit, ne aliàs cognatio spiritualis nimiùm propagetur, supponit, hoc impedimentum ad plures extendendum, & juxta numerum Patrinorum multiplicandum esse, si plures fuerint designati, & admissi. Quod addo: quia si alii ultra eos, quos Parentes, vel illi, quorum tunc temporis pueri cura erat, designârunt, & Parochus admisit, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullô pactô contrahunt. Bonacin. *de Matrim. q.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 24. *& seq.* P. Engl *h. t. n.* 4. Zoës. *Eod. num.* 7.

§. V.

Forma cognationis spiritualis, ac impedi- 12
menti hujus posita est in requisitis necessariis ad hoc, ut tum ex administratione baptismi, & confirmationis, tum ex susceptione oriatur.

Ut quis ex *administratione baptismi*, aut *confirmationis* contrahat hanc cognationem, & impedimentum, requiritur valida eorundem administratio: quippe quando sacramentum tanquam principale nullum est, cognatio spiritualis, quæ sacramento est accessoria, subsistere nequit.

An autem etiam ex privato, & in necessitate collato baptismo spiritualis cognatio nascatur, ita ut baptizans cum baptizato, ejusque parentibus matrimonium inire nequeat? non levis DD. *pugna* est.

Negantium argumenta potissimùm duo sunt. *Primum* petitur ex *c. ult. h. t.* ibi: *pro eo, quòd ipsum pater mulieris ejusdem, qui su-*

Sacerdos extitit, baptizavit; ubi ponderatur, baptizantem fuisse Sacerdotem, ut cognatio spiritualis contraheretur. *Secundum ex c. 7. causâ 30. q. 1.* ubi dicitur, eum, qui proprium filium in necessitate baptizat, non arceri à petitione debiti, quòd injustum sit, propter actũ præcepti pœnam subire; quæ ratio æquè militat in casu proposito, si enim ob id inter baptizantem, & baptizatum, ejúsque Parentes oriretur cognatio spiritualis, privaretur propter actum præcepti libertate ineundi matrimonii cum illis, ac proinde pœnam incurreret.

Mihi tamen affirmandum videtur; quia jura non distinguunt inter Baptismum solennem, & non solennem, & eadem ubique est ratio Sacramenti, quod per baptizantem conferetur. Accedit, quòd frustra aliàs inter baptizantem, & baptizatum impedimentum oriri diceretur, cùm Sacerdos, vel Diaconus, qui soli solemniter baptizant, per se matrimonium contrahere non possint. Ad hæc, quòd baptizans cognationem contrahat, non fit in pœnam, sed, sive Parochus, sive quicunque alius, sive in casu necessitatis sive in casu ordinario licitè baptizet ex natura regenerationis spiritualis cognatio nascitur, & aliunde tam cognatio ista, quàm affinitas, aliáve impedimenta, si ante matrimonium contractum nascuntur, licèt sine omni culpa alterius, vel utriusq; semper obstant matrimonio contrahendo, idque (si solum impedimentum publicæ honestatis excipias) etsi post contracta jam sponsalia superveniant.

Argumenta, & Textus oppositi parùm stringunt: nam in *c. fin. h. t.* narratur duntaxat factum, nec vis ad contrahendam cognationem spiritualem ponitur in sacerdotio ministri baptizantis. Ad *secundum* resolutio patet ex dictis: quia privatio juris petendi debitum conjugale est pœna delicti admissi baptizando filium conjugis, cui subjici propter observantiam præcepti, iniquum est; at cognatio spiritualis, quæ subsequens matrimonium dirimit cum baptizata, vel ejus parentibus, nullatenus habet rationem pœnæ, sed pertinet ad quoddam genus conjunctionis.

13 Ut *ex susceptione* consurgat cognatio spiritualis, requiritur I. intentio obeundi munus patrini: sicut enim baptizando sine intentione quis verè non baptizat, neque contrahit cognationem, ita neque levando sine intentione quis verè munus patrini obit, aut cognationem contrahit. Ut verò hæc intentio explicitè feratur in cognationem spiritualem, necessarium non est: quoniam ex natura connexorum ad intentionem unius sequitur etiam alterum, quod illi necessariò connexum est; quare quantumvis quis protestetur, quòd quidem velit præstare munus patrini, nullô modô autem contrahere cognationem spiritualem, eandem contrahet protestatione non obstante, cùm ab ipsius voluntate, ac potestate non dependeat, unum ab altero pro libitu separare in iis, quæ statuto, & authoritate Ecclesiæ coñexa sunt. Sanch. *lib. 7. de Matr. disp. 58.*

14 II. Requiritur, ut patrinus baptizandum, aut confirmandum teneat, dum Baptismus, ac confirmatio revera administratur. Hinc singulariter notandum, quòdsi puer domi necessitate ita compellente privatim baptizatus sit, eum, qui postmodum in Ecclesia illum tenet, dum supplentur solennitates, hanc cognationem non contracturum, ex quo dici non potest illum ex Baptismo suscepisse. Gutierez *de Matr. c. 100. n. 7.* Coninck *disp. 30. dub. 3. n. 24.* & sic fuisse à S. Congregatione decisum, refert Corrad. *in Prax. disp. Apost. lib. 8. c. 8 n. 6.* Aliud est, si tunc ob Baptismum dubium infans sub conditione rebaptizaretur, eúmque patrinus teneret, siquidem non constat, utrùm Baptismus antea collatus fuerit validus, consequenter fieri potest, ut secundò collatus validus existat, ac ex eo cognatio, & impedimentum resultet. Vincent. de Just. *de Dispens. matr. lib. 2. c. 5. n. 42.*

Opportunè hic *quæritur*: num etiam contrahat cognationem spiritualem, qui infantem ab obstetrice, vel alio Laico baptizatum tenuit, aut suscepit?

Affirmant Navar. *in Man. c.* 16. *n.* 34. & *c.* 22. *n.* 40. Suarez 3. *p. q.* 67. *de Baptismo. a.* 8. & alii moti: quia tam jus commune, quàm Tridentinum eôdem loquendi modô de baptizante, & levante ad propositum disponit; ergo sicut baptizans privatim, etsi Laicus sit, cognationem spiritualem contrahit cum baptizato, ejúsque Patre, & Matre, ita similiter contrahet susceptor in privato Baptismo.

Attamen negantibus patrocinium polliceor: quia adhibere susceptorem, spondere, & respondere pro infante, quod officium patrini est, est solenitas Ecclesiastica tantùm pro solenni Baptismo ab Ecclesia instituta; in casu necessitatis autem, & quando Laicus baptizat, sicut unctiones, & reliquæ ceremoniæ omittuntur, ita etiam solennis illa susceptio, aut levatio, quæ cognationem spiritualem causat, locum non habet, sed si aliquis tunc infantem teneat, id merè per accidens, & commoditatis causâ, non tanquam à Patrino fieri censetur, tametsi verè habeat animum exercendi munus patrini, cùm intentio non efficiat, ut actus ille sit ceremonialis. Patrit. Sporer *de Matr. n.* 89. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 62. *n.* 14. Gutierrez *de Matr. d. c.* 100. *n.* 7.

Nec in contrarium me movet ratio in contrarium allata: licèt enim jura de baptizante, ac de suscipiente eôdem modô, & generaliter loquantur quoad impedimentum cognationis spiritualis, singula tamen de singulis accipienda sunt; de baptizante, quandocunque fuerit Baptismus revera collatus, ex quo æquè Baptismus privatus, ac solennis est Sacramentum regenerationis; de suscipiente, si suscipiat solenniter, & eô modô, quô ab Ecclesia statutum est, quandoquidem susceptio est ceremonia instituta pro Baptismo solenni, ac proinde solennitate deficiente, deficit quoque veræ susceptionis ratio.

III Requiritur, ut Patrinus eum, qui baptizatur, aut confirmatur, in ipso actu formaliter & verè teneat, aut si in Baptismo consuetudo loci habeat, ut solus Sacerdos in actu Baptismi infantem teneat, vel immergat, saltem immediatè ex baptizantis manibus suscipiat, ac levet per *c.* 5. *causâ* 30. *q.* 3. *c.* 3. *eâd. causâ. q.* 4. *c.* 1. *h. t. in* 6. ubi hæc cognatio præcisè sustentationi, levationi, susceptioni, aut tactui attribuitur. Idcirco non sufficit sola assistentia, vel responsio, aut sponsio ad interrogationem baptizantis, ut declarárunt Cardinales teste Bonacina *d.* §. 2. *n.* 14. Nec etiam sufficit mediatè suscepisse baptizatum, & propterea nec compater, nec commater cognationem spiritualem contraheret, si hæc baptizatum primùm è compatris, aut iste è commatris manibus susciperet. Vincent. de Just. *de Dispensat. matr. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 49.

Non ignobilis *controversia* est: an patrinus, qui non personaliter, sed (quod frequens est apud Magnates) per Procuratorem, aut nuntium infantem è sacro fonte levat, ad baptizatum, ac parentes ipsius spiritualem cognationem contrahat?

Ita putant Panorm. *in c. veniens n.* 4. *h. t.* Felin. *in c. licèt n.* 1. *de Testib.* quamplures apud Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *num.* 5. ex ea ratione: quia is, cujus nomine infans ab alio suscipitur, verè patrinus efficitur ex communi fidelium persuasione, & consuetudine: ergo qui per Procuratorem exercet munus patrini, contrahit cognationem spiritualem, ut quæ muneri illi annexa est. Neque adversantur Canones, qui actionem personalem sonare videntur, v. g. *suscipiat, levet, teneat*; istæ namque actiones, licèt per Procuratorem fiant, à nobis fieri dicuntur, cùm quod quis per alium facit, per se ipsum facere censeatur. *c.* 72. *de R. J. in* 6.

Ex

Ex adversa acie militant Joan. Andr. *in c. 1. n. 1. h. t. in 6.* Navar. *Eod. consil* 6. Sanchez *lib. 7. disp. 59. n. 4.* cum relatis, propterea: quia licèt contractus & alii actus, qui principaliter & ex dispositione juris à consensu, & voluntate partium vires, & valorem suum habent, per Procuratorem fieri possint, actus tamen naturales, & quæ directè in facto, ac actione naturali consistunt, non æquè possunt per alium expediri; cùm ergo cognatio spiritualis directè, & principaliter ex eo oriatur, quòd quis baptizatum teneat, levet, aut suscipiat, hæc autem actum naturalem, & contactum proprium importent, non apparet, qua ratione per Procuratorem fieri possit. Deinde cognatio legalis non potest contrahi per Procuratorem. *l. post mortem. 25. §. 1. ff. de Adopt.* ergo neque cognatio spiritualis. Et certè omnes fatentur, eum, qui alium constituit, ut suo nomine baptizet, ex Baptismo à suo commissario collato non contrahere hanc cognationem; cur diversum obtineat in illo, qui per alium tenet, & suscipit de fonte baptizatum? ad hæc non oportet asserere impedimentū matrimonii, nisi in casibus nominatim à Jure expressis.

Ego vix non vereor, meam in hac controversia mentem aperire; si tamen verum est, ut fertur teste Patritio Sporer *de Matr. n. 96.* affirmativam sæpè decisam esse à S. Congregatione Cardinalium, & declaratio in forma authentica appareat, ei omnino standum erit.

16 Planè ipse Procurator tali casu nullam cognationem spiritualem contrahit: etenim non omnes, qui quacunque ratione baptizatum attingunt, vel tenent, fiunt cognati spirituales, sed ii duntaxat, qui cum intentione se gerendi, ut patrinos id faciunt; cùm itaque in casu præsenti Procurator levans non intendat suo nomine infantem suscipere, nec se per actum istum ullô modô obligare, sequitur, eum cognationem spiritualem nequaquam contrahere. Nec impedit, quòd baptizans ex licentia, & commissione alterius hanc cognationem contrahat: quia baptizans ex licentia alterius baptizat verè nomine proprio, ut minister Christi, jurisdictione ab alio accepta; secùs est in Procuratore, qui tantùm nomine alterius tenet, vel levat baptizatum, aut confirmatum, dum baptizatur, aut confirmatur. Coninck *disp. 31. n. 41.* Vincent. de Just. *d. c. 5. n. 34.*

IV. Ut Patrinus ex susceptione in confir- 17
matione spiritualem cognationem contrahat, specialiter requiritur, ut ipse quoque antea fuerit confirmatus, prout S. Congregatio Concilii *in una Licien. die 13. Junii. 1654.* declaravit, nimirum, *non confirmatum non contrahere cognationem spiritualem.* Jacob. Pignatell. *tom. 1. consult. 10. per tot.*

§. VI.

Effectus hujus cognationis spiritualis, ac 18
impedimenti alius est, si cognatio spiritualis præcedit matrimonium, alius si sequitur.

Effectus cognationis spiritualis præcedentis matrimonium est, quòd inter personas, quas inter contrahitur, impediat matrimonium contrahendum, & dirimat jam contractum, idque in perpetuum, adeò ut nec morte personæ, qua mediante contracta fuit, extinguatur; quamobrem licèt moriatur baptizatus, aut confirmatus, eóque ipsô desinat paternitas, remanet tamen compaternitas spiritualis inter baptizantem, confirmantem, ac patrinos, & parentes baptizati, ac confirmati. Sanchez *lib. 7. disp. 54. n. 8.*

Effectus cognationis spiritualis matrimo- 19
nio supervenientis est, quòd salvô conjugiô actum conjugii reddat illicitum: si enim quis filium, aut filiam suam scienter extra casum necessitatis baptizet, vel teneat in Baptismo, seu confirmatione, jure petendi debitum privatur, licèt reddere teneatur, ne sua fraus ei

prosit, & alteri obsit, ut docet communis cum Panorm. in *c. 2. in fin. h. t.* cui non improbabiliter contradicit Coninck *disp. 34 dub. 8. n.* 69. propter *d. c. 2.* ubi dicitur, conjugem conjugi in tali casu debitum non debere subtrahere, consequenter supponitur, utrumque conjugem retinere jus exigendi. Quidquid sit, hoc certum est, quòd si pater ex necessitate, vel per ignorantiam baptizet, aut suscipiat propriam prolem, debiti petitionem non impediri, cùm per actum inculpabilem, aut necessarium non debeat præjudicari matrimonio stanti. *d. c. 2. h. t. c. ad limina. causâ* 30. *q.* 1.

§. VII.

20 *Contraria* cognationi spirituali, & ejus impedimento est dispensatio, quâ tollitur. Ubi secernenda paternitas spiritualis à compaternitate: in illa S. Pontifex nunquam, vel difficillimè, in ista verò facilè dispensat, modò subsit justa aliqua causa; eò quòd indecentius sit contrahere cum filia spirituali, quàm cum compatre, seu commatre: quippe regeneratio spiritualis, ex qua hujusmodi filiatio consurgit, assimilatur generationi carnali, ex qua filiatio naturalis oritur, quæ dispensationem omnino non admittit. Hinc necesse est ad impetrandam dispensationem circa impedimentum cognationis spiritualis exprimere in supplicatione provenientiam hujusce impedimenti ad hoc, ut sciri possit, an super compaternitate, vel paternitate petatur dispensatio. Vinc. de Just. *de Dispens. matr. lib. 2. c. 5. n.* 72.

TITULUS XII.

De Cognatione legali.

SUMMARIA.

1. Descriptio cognationis legalis. 2. Divisio. 3. 4. Origo. 5. usque 9. Inter quas personas obtineat? 9. 10. An etiam ex Adoptione, vel unione prolium proveniat? 11. Ejus effectus. 12. Quomodo tollatur?

ALtera species cognationis, quæ matrimonium impedit, dirimitque, est *cognatio legalis.*

§. I.

Definitur cognatio legalis, quòd sit propinquitas, sive conjunctio personarum, per adoptionem legitimam contracta, ob quam inter certas personas matrimonium non admittitur. 1

§. II.

Dividitur cognatio legalis in paternitatem, 2
fraternitatem, & affinitatem.

Paternitas legalis est inter Patrem adoptantem, & adoptatum, ejúsque liberos, aut descendentes, si in ejus potestate existant, sicut existunt nati ex filio, non item nati ex filia: cùm enim hi non sequantur conditionem, & familiam matris, sed patris, ideo inter illos, & patrem adoptivum, qui arrogavit matrem, nulla videtur esse cognatio, & impedimentum *§. ergo non omnes. 1. Instit. de Nupt. l. quin etiam 5 5. ff. de Ritu nupt.* Glos. *in c. un. h. t.*

Fraternitas legalis contrahitur inter eos, qui à latere per adoptionem conjuncti sunt: nempe inter liberos adoptivos, & liberos naturales in potestate Patris adoptivi adhuc constitutos. Inter ipsos verò fratres adoptivos, id est, adoptatos ab eodem Parente, & liberos naturales cæteros, qui potestati Patris adoptivi subjecti non sunt, & tantò magis illegitimos nulla jure statuta est legalis cognatio, aut impedimentum. *§. inter eas 2. Instit. de Nupt. l. 17. ff. de Ritu nupt.* Zoës. *h. t. n. 4. & 6.* Dissentit Panorm. *in c. un. n. 4. & 6. Eod.* hanc legalem cognationem, & prohibitionem ad liberos quoque illegitimos extendens.

Affinitas legalis reperitur inter adoptantem, & uxorem adoptati, quæ est illi instar nurûs; & econtra inter adoptatum, & uxorem adoptantis, quæ est ipsi instar novercæ. *l. adoptivus. 14. ff. de Ritu nupt.* item inter adoptatum, & matrem adoptantis, ejúsque ma-

materteram. *d. l. quin etiam. 55. §. 1. ff. de Ritu nupt.*

§. III.

Causa efficiens cognationis legalis, hujúsq; impedimenti, alia est remota, alia proxima.

Remota est Jus Civile, & Canonicum: nam primitus hæc cognatio, ac impedimentum inventum, & introductum est à Jure Civili, atque hinc nomen *cognationis legalis* traxit. Deinde verò à Jure Canonico receptum, & approbatum est, quoad *paternitatem in c. ita diligere. 1. causâ 30. q. 3.* quoad *fraternitatem in c. per adoptionem. 6. eâd. q. 3. & c. un. h. t.* quoad *affinitatem* autem consuetudine Ecclesiæ, nullo S. Pontifice contradicente. Sylvester *V. matrimonium 8. q. 8 dic. 1.* Panorm. *ad Rubr. h. t. n. 1.*

Causa efficiens proxima hujus cognationis, & impedimenti est adoptio, cujus duæ sunt species, *arrogatio* scilicet, quâ paterfamilias, sive homo sui juris auctoritate Principis in filium, vel nepotem assumitur, & *adoptio in specie*, quâ filiusfamilias, seu is, qui sub patria potestate constitutus est, auctoritate tantùm inferioris Magistratûs in filium adscisitur. Quoad effectum hæ duæ species in eo differunt, quòd arrogatus transeat in potestatem, ac familiam arrogantis, non autem adoptatus nisi ab avo paterno, vel materno adoptetur. *§. sed hodie. 2. Instit. de Adopt. l. 10. C. eod.*

§. IV.

Subjectum cognationis legalis sunt personæ quas inter contrahitur, & dirimit matrimonium. Ut verò constet, quænam sint personæ illæ.

Dico I. In linea recta contrahi cognationem legalem, & impedimentum matrimonii inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati legitimos, & naturales, qui tempore adoptionis erant in ipsius potestate, vel postea durante adoptione nati sunt, usque ad quartum gradum, imò probabiliter in infinitum. arg. §. 1. *Instit. de Nupt. l. quin etiam, 55. ff. de Ritu nupt.* Sanchez *lib. 7. disp. 63. n.* 34. Inter adoptantem, & parentes adoptati nulla est cognatio: cùm enim parentes per filii adoptionem non transeant in familiam adoptantis, & non fiant agnati, neque cognati legales fieri, & esse possunt, per Text. *in l. qui in adoptionem. 23. ff. de Adopt.*

Dico II. In linea collaterali vinculum cognationis legalis matrimonio impedimento esse inter ipsum adoptatum, & omnes illos, quibus agnascitur, id est, qui sunt in potestate & de familia ipsius adoptantis, ipsi adoptato ex latere venientes, ut filii naturales, & legitimi adoptantis, & nepotes ex filiis non etiam nepotes ex filiabus, aut alii quicunque cognati, præsertim illegitimi. *§. 3. Instit. de Nupt. d. l. quin etiam. 55. ff de Ritu nupt. c. per adoptionem. causâ 30. q. 3. c. un. h. t.* 6

Dico III. Cognationem legalem per modum affinitatis dirimere matrimonium inter adoptantem, & uxorem adoptati, item inter adoptatum, & uxorem adoptantis. *l. adoptivus. 14. ff. de Ritu nupt.* imò etiam inter adoptatum, & matrem adoptantis, ejúsque materteram, ut quæ Parentum locò habentur. *§. item amitam. 5. Instit. de Nupt. l. 55. ff. de Ritu nupt.* 7

Cæterùm cognatio legalis, & hujus impedimentum maximè inter personas illustres obtinet: Legimus enim, quòd Julius Cæsar olim Augustum, Augustus Tiberium, Nerva Trajanum, Justinus Justinianum adoptaverit. Schneidew. & Rittershus. *ad tit. Instit. de Adopt. n. 3.* Harprecht *Eod. n. 2. & 3.* Idem invenimus factum esse à Friderico I. Electore Palatino, qui etiam filio suo adoptivo omnes regiones reliquit. Et licèt hodie adoptionem, & consequenter legalem cognationem ab aula recessisse, multi contendant cum Grænewegen *de Legib. abrogat. ad Instit. de Adopt.* meritò tamen de eo dubitatur: nam 8

etsi moribùs nostris non adeò solitæ sint veræ adoptiones, eapropter tamen nondum penitus earum usus sublatus est, ut optimè probat Samuel Stryk *de Usu modern. Pandect. lib. 1. tit. 7. §. 1. & seqq.*

§. V.

9 *Forma* cognationis legalis, ac impedimenti hujus consistit in vinculo quodam ex legitima adoptione contracto. Ubi se insinuat *controversia:* an cognatio legalis, quatenus est impedimentum dirimens, tam ex adoptione in specie, quàm ex arrogatione nascatur?

Quòd hæc cognatio etiam ex pura adoptione oriatur, tenent Gutierrez *de Matr. c.* 102. *n.* 5. Navarr. *in Sum. c.* 22. *n.* 44. Panorm. *in c. un. h. t. num.* 5. propterea, quia jus utrumque Civile, & Canonicum, ubi de hoc impedimento disponit, loquitur generaliter de adoptione, nec distinguit inter adoptionem, & arrogationem; quando autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, arg. *l.* 32. *ff. de Recept. qui arbitr. & l. de pretio ff. de Public. in rem act.*

Econtra Layman *in Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 120. Canis. & Zoës. *t. t.* docent, solùm ex arrogatione, & adoptione ab ascendente facta nasci impedimentum matrimonii, quibus subscribo: quia hoc impedimentum à jure tam Civili, quàm Canonico primò quidem, & principaliter introductum est propter subjectionem, & potestatem patriam, secundariò autem ad præcavendum periculum fornicationis, quod alioquin imminet inter personas sub eadem patria potestate, & in eadem domo assiduè commorantes, ut tradit S. Th. 4. *sent. d.* 42. *q.* 2. *a.* 2. atqui in adoptione in specie, nisi facta sit ab aliquo ascendentium, cessat utraq; ratio, cùm adoptatus nec in potestatem, nec in familiam, aut domum adoptantis transeat. *§.* 2. *Instit. de Adopt.* Aliunde etiam impedimenta matrimonii, utpote odiosa, potiùs restringenda, quàm extendenda sunt, consequenter quæ de adoptione dicuntur, de perfecta solùm adoptione, seu de arrogatione accipi debent.

In argumento contrario supponitur, non probatur, quòd leges, aut Canones indistinctè loquantur de quavis adoptione, quando sermo est de impedimento matrimonii, etenim, ut expendenti facilè patebit, *§.* 1. & 2. *Instit. de Nupt. l.* 14. 17. *& 55. ff. de Ritu nupt.* quibus potissimùm innititur impedimentum cognationis legalis, expresè loquuntur de arrogatione, & ad sensum horum Textuum quoque loquuntur SS. Canones generaliores, ut qui ad jus Civile se referunt. *per c. ita diligere. causâ* 30. *q.* 3.

Certè ad unionem prolium, quâ liberi utri- 10
usque conjugis ex alio matrimonio jam susceptî ita parificantur, ut æqualiter in bonis utriusque tam paternis scilicet, quàm maternis succedant, impedimentum cognationis legalis, tanquam strictæ interpretationis, nullatenus extendendum est, siquidem propriè hæc unio adoptio non est, quamvis adoptioni assimiletur, cùm privigni, & privignæ hoc modo quasi in naturales liberos assumantur. De hac, ejúsque requisitis videatur Gail. 1. *observ.* 125. Stryk *l. cit. §.* 9. *& seqq.*

§. VI.

Effectus cognationis legalis, atq; hujus im- 11
pedimenti est, quòd impediat, & dirimat matrimonium subsequens, sed diversimodè: enimverò paternitas legalis matrimonium dirimit in perpetuum, etiam adoptione legitimè dissolutâ. *c.* 1. *causâ* 30. *q.* 3. *§.* 1. *l. de Nupt. l.* 55. *de Ritu nupt.* Idem DD. communiter tradunt de affinitate legali, quæ est inter adoptatum, & uxorem adoptantis. *d. l.* 55. *& l.* 14. *ff. Eod.* idque ob specialem reverentiam, & honorem legitimis parentibus, & qui eorum locò habentur, debitum, in quo hoc impedimentum potissimùm fundatur. Fraternitas verò

rò legalis, quæ datur inter carnales filios adoptantis & adoptatum, inter eos matrimonium in perpetuum non dirimit, sed tam diu tantùm, quamdiu durat adoptio, & filii sive carnales sive adoptivi sunt sub potestate adoptantis. *arg. c. un. h. t. l. 17. ff. de Ritu nupt.* Rmus Maurus Oberascher *de Matr. c. 4. §. 5.*

§. VII.

12 *Contraria* cognationi legali, ejúsque impedimento est dispensatio, quâ tollitur; quamvis verò prorsùs dubitandum non sit, S. Pontificem posse in hoc impedimento dispensare, in linea tamen recta, sicut & in affinitate legali difficillimè, & nonnisi gravi ex causa dispensat. Quod lineam transversalem, seu fraternitatem legalem attinet, in ea ratò petitur dispensatio, quandoquidem in promptu est emancipatio, quâ cognationis legalis impedimentum amoveatur ita, ut adoptatus citra ullam dispensationem cum filia carnali adoptantis matrimonium inire possit. Sanchez *lib. 7. disp. 63. n. 24.*

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

PErspectâ cognatione *spirituali*, & *legali* videndum porro *de cognatione naturali*, quæ in vulgari sermone *consanguinitatem*, & *affinitatem* complectitur juxta *c. quòd autem. 5. causâ 35. q. 5.* ubi ita Alexander: *quòd autem frater, sorórve uxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit.* Ecquidem S. Pontifex hic attingit affinitatem contractam ex copula habita cum consanguinea uxoris, vel sponsæ, nos verò, quia hæc cum consanguinitate, & affinitate legitima omnino connexa est, de iis simul tractabimus *titulo sequenti.*

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

DUæ ergo sunt partes hujus *tituli*: prima exhibet impedimentum *consanguinitatis*; altera impedimentum *affinitatis.*

Pars I.

De Consanguinitate.

SUMMARIA.

1. Consanguinitas quid nominis? 2. Quid rei? 3. 4. 5. Quotuplex? 6. 7. 8. Origo consanguinitatis, & quo jure dirimat matrimonium? 9. 10. 11. Quos inhabilitet ad matrimonium contrahendum? 12. 13. 14. Traduntur regulæ computandi gradus consanguinitatis. 15. 16. Adducuntur ejus effectus. 17. 18. An, & quando in impedimento consanguinitatis locus sit dispensationi?

§. I.

Consanguinitas dicitur quasi *una & cõmunis sanguinitas, seu sanguinis unitas*, vernaculâ ein Blutsverwandtnus/Blut-Freundschafft. Unde *consanguinei*, qui quasi ex uno & communi sanguine propagati sunt, sive qui unum, & communem sanguinem habuerunt, sicut *cognati* ab eo dici putantur, quasi qui unà, communitérve orti, progenitique sunt, teste Modestino *in l. non facilè. 4. §. 1. ff. de Gradib. & affinit.* 1

§. II.

Definitur Consanguinitas, quòd sit propinquitas, seu vinculum personarum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. D. Thom. *in 4. dist. 40. q. un a. 1.* 2

Verba hujus definitionis: *ab eodem stipite*, intelligenda sunt de stipite propinquo: nam descendentes ab eodem stipite, seu parente planè remoto, non sunt consanguinei: alioquin omnes homines, utpote ab eodem stipite Adamo,

Adamo, & Eva descendentes, consanguinei forent. Covar. *de Matr. lib.* 1. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Neque, si communis stipes nimiô intervallô distat, ob diversam commixtionem judiciô hominum idem sanguis ampliùs censetur moraliter participari, nec singularis aliquis affectus durare, saltem inter collaterales. Quod addo; quia in linea ascendentium, & descendentium naturalis ratio, & respectus filiorum erga Parentes singularem affectum dictat, & consanguinitatem, seu sanguinis communicationem manifestè connotat, quanquam gradus ampliùs numerari, & satis distingui nequeant, adeo ut Protoparens Adamus omnium suorum Posterorum verè adhuc sit cognatus.

Præterea in eadem definitione adjicitur: *carnali propagatione contractum*: ad differentiam affinitatis, quæ est necessitudo personarum ex carnali copula proveniens, & ad differentiam etiam cognationis spiritualis, prout & legalis. Vincent. de Just. *de Dispensationibus matrimonialibus lib.* 2. *cap.* 3.

§. III.

3 *Dividitur* Consanguinitas I. in naturalem tantùm, & in naturalem ac civilem simul. Naturalis tantùm est, quam sola natura non autem lex novit, aut approbat, vel quæ ex sola fœmina æstimatur. *d. l.* 4. *§.* 2. *ff. de Gradib.* Qualis est cognatio servilis, qua de *tit. Instit. de Cognat. servili.* & cognatio concubinaria, aut fornicaria. *d. l.* 4. §. 2. *l.* 2. *ff. Unde cognati. l.* 14. §. 1. *de Ritunupt.* Naturalis & civilis simul est, quæ ex justis & legitimis, id est, legibus approbatis nuptiis ortum trahit, & propterea legitima nuncupatur. *d. l.* 4. §. 2. *ff. de Gradib.*

Planè ratione matrimonii contrahendi præsertim de Jure Canonico nulla diversitas, aut differentia est inter consanguineos, liberos, aut servos, legitimos, aut illegitimos. Proinde sanguinis conjunctio æquè inter hos, ac illos impedit matrimonii copulationem. *c.* 10. *de Probat. l.* 14. *§.* 2. *l.* 54. *ff. de Ritunupt.* §. *illud.* 10. *& ibi* DD. communiter. *Instit. de Nuptiis.* Quoniam in matrimoniis contrahendis naturale jus, & pudor inspiciendus est. *cit. l.* 14. *§.* 2. & quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt. *l. quod attinet.* 32. *ff. de R. J.*

II. Dividitur Consanguinitas in cognationem, & agnationem. Cognatio in specie sic dicta est, quæ per lineam fœmininam contingit. *§.* 1. *Instit. de Legit. agnat. tut. l.* 10. *§.* 2. *ff. de Gradib.* ubi traditur, eos, qui per fœminini sexûs personas cognatione junguntur, agnatos non esse, sed aliàs naturali jure cognatos; quales sunt fratres, aut sorores uterini tantùm, qui scilicet ex eadem matre, sed diversis Patribus nati sunt: item consobrini, amitini, avunculus, matertera, & reliqui cognati materni, die von der Mutter Blut-Freund seynd. *d. l.* 10. *§.* 2. 6. *&* 13. Agnatio est cognatio, aut consanguinitas per lineam paternam, & virilis sexûs personas, seu mares tantùm; quales sunt fratres ex eodem Patre nati, frater, fratris filius, nepósque ex eo: item patruus, & patrui filius, nepósve ex eo, & reliqui cognati paterni. *d.* §. 1. *Instit. de Legit. agnat. tut. d. l.* 10. §. 2. 4. *&* 13. *l.* 2. §. 1. *ff. de Suis & Legit.* Qui scilicet idem gentilitatis nomen, eandem familiam, & eadem insignia habent, die eines Nahmens/ Geschlechts/ Schild/ und Helms seynd. 4

Verùm & hoc vocum discrimen in materia matrimoniali non observatur, sed una pro altera liberè ponitur. *c.* 1. *&* 2. *causâ* 35. *q.* 2. An, & quatenus in successionibus hæreditariis velut in feudis attendatur? alibi diximus.

III. Consanguinitas solet dividi in stipitem, lineam, & gradum. 5

Stipes est caput, seu initium cognationis, unde cæteri descendunt: sive, est persona illa, ex qua immediatè, vel mediatè, ortum tra-

trahunt personæ consanguineæ, sive sit mas, sive fœmina. Sic pater, vel mater est communis stipes respectu duorum fratrum; avus, vel avia respectu duorum patruelium, vel consobrinorum, &c.

Linea est ordinata collectio, & subordinatio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, & cognationes distinguens. Et hæc linea alia *recta*, alia *obliqua*, seu *collateralis* dicitur. *l. fin. ff. de Ritu nupt. l. 1. & 9. ff. de Gradib. & affin.* Linea *recta* continet liberos, & parentes, éstque vel descendens, vel ascendens. Descendens est, quæ deorsum versùs rectà tendit, & in qua rectà descendimus à persona generante ad personam generatam; ut à patre, vel matre ad filium, & filiam, inde ad nepotem, & neptem pronepotem, proneptem, &c. Ascendens est, quæ sursum versùs rectà tendit, & in qua rectà ascendimus à persona generata ad personam generantem; ut à filio & filia ad patrem, & matrem, indè ad avum, & aviam, proavum, & proaviam, abavum, & abaviam, &c. Linea *obliqua*, seu *collateralis* complectitur fratres, sorores, ac cæteros cognatos, qui nec à nobis geniti sunt, neque nos genuerunt, sed tamen ab uno stipite, seu sanguine proveniunt. Quæ linea rursus dividitur in æqualem, & inæqualem. Æqualis est, in qua concurrunt ii, qui pari gradu distant à communi stipite; ut duo fratres, aut sorores, duorum fratrum, aut sororum filii, &c. Inæqualis est, in qua collocantur ii, quorum alter remotior est à communi stipite, alter stipiti propinquior; ut frater, & fratris filius.

Gradus nil aliud est, quàm distantia unius personæ ab altera in eadem linea, quatenus scilicet plures, vel pauciores sunt personæ, quibus mediantibus pervenitur ad stipitem communem, à quo consanguinitas, & ejusdem sanguinis origo derivatur: finguntur enim gradus ad modum, ac similitudinem scalarum, quas ita ingredimur, ut à gradu in gradum proximum, qui ex illo quasi nascitur, transeamus. *l. 10. §. 10. ff. de Gradib. & affin.*

§. IV.

Causa efficiens consanguinitatis, ejúsque impedimenti est duplex: remota, & proxima. 6

Remota est jus. Quamvis autem consanguinitas ipsa inter quascunque personas, etiam infideles, consurgat ex jure naturali, cùm natura dictet ex sanguinum communicatione oriri conjunctionem, & reverentiam quandam naturalem; attamen vim dirimendi matrimonium universim à jure naturæ non habet, sed eo jure juxta probabiliorem sententiam solùm dirimit matrimonium in gradibus lineæ rectæ, & in primo gradu lineæ obliquæ, seu collateralis: ex quo actus conjugalis, ob turpitudinem, quam præsefert, per se est contra naturalem pudorem, & reverentiam, quam descendentes debent suis progenitoribus, & fratres sororibus. Latè *Rmus* Maurus Oberascher *de Matr. tr. 2. c. 4. §. 4. q. 2.* In reliquis autem gradibus nonnisi Jure Ecclesiastico matrimonio obstat per *c. gaudemus 8. de Divortiis.* Ubi Innocentius III. decernit, non esse separandos conjuges, qui tempore infidelitatis in secundo, & aliis ulterioribus consanguinitatis gradibus matrimonium contraxerunt, eò quòd licitè id contraxerint, utpote Canonicis constitutionibus non adstricti. 7

Causa efficiens proxima est carnalis propagatio: quia consanguinitas non oritur ex quacunque dependentia: quippe alioquin Angeli essent consanguinei DEI, cùm ab ipso creati sint: & Eva consanguinea Protoparentis Adami, ut quæ de ejus costa formata est. Est tamen Christus consanguineus B. V. Mariæ, cùm ex ejus purissimo sanguine quoad naturam humanam conceptus sit, ab eáque acceperit id, quòd cæteræ matres ex parte sua solent filiis communicare. S. Thom. *3. part. q. 33. art. 4. in C.* 8

§. V.

9 *Subjectum* consanguinitatis, hujúsque impedimenti sunt personæ, quæ sanguinis vinculo colligantur, & propterea inter se invicem matrimonia contrahere prohibentur. Quod ut plenè appareat, distinctè per lineas, ac gradus discurro, &

Dico I. In *linea recta* matrimonium contrahere prohibentur in *primo gradu* Pater cum filia, & mater cum filio: in *secundo* avus cum nepte, & avia cum nepote: in *tertio* proavus cum pronepte, & proavia cum pronepote: in *quarto* abavus cum abnepte, & abavia cum abnepote: nec non reliqui majores, seu ascendentes cum suis posteris, ac descendentibus in infinitum. §. 1. *Instit. de Nupt. l.* 53. *& ult. ff. de Ritu nupt. c.* 17. 18. *&* 19. *causâ* 35. *q.* 3. Navar. in *Sum. c.* 22. *num.* 28. Bellarm. *de Matr. tom.* 3. *controvers. c.* 28. Neque obstat *c. non debet h. t.* ubi dicitur, quòd prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cætero excedere non debeat; hoc namque de collateralibus accipiendum est: neque jus Civile, quod hoc in casu super honestate naturali fundatum est, per generalem dispositionem canonicam correctum esse, inquit Panormit. in *d. c. non debet.*

10 *Dico* II. In *linea obliqua*, seu *collaterali* nequit matrimonium consistere in *primo gradu* inter fratrem, & sororem: in *secundo* inter duos patrueles, id est, duorum frattum liberos; vel inter consobrinum, & consobrinam, id est, duarum sororum, aut etiam fratris, & sororis filium, & filiam: in *tertio* inter sobrinum, & sobrinam, id est, inter patruelium, vel consobrinorum liberos: in *quarto* inter sobrinorum filium, & filiam, sive inter patruelium, & consobrinorum nepotem, ac neptem. In reliquis ulterioribus gradibus lineæ obliquæ hodie cessat impedimentum consanguinitatis per *d. c. non debet* 8. *h. t.* etsi olim usque ad septimum gradum se extenderit, ut constat ex *c. nulli* 19. *causâ* 35. *q.* 3. *c. ad sedem* 2. *ead. causâ q.* 5.

Dico III. In *linea obliqua inæquali* consanguinitas dirimit matrimonium in *secundo gradu* inter patruum, aut avunculum, & fratris, vel sororis filiam; inter amitam, aut materteram, & sororis, vel fratris filium: in *tertio* I. inter fratrem, (qui patruus magnus, aut avunculus magnus dicitur) & fratris, vel sororis neptem; inter sororem (id est, amitam, aut materteram magnam) & fratris, vel sororis nepotem: II. inter fratris, vel sororis filium, & fratris, vel sororis neptem; inter fratris, vel sororis filiam, & fratris, vel sororis nepotem: in *quarto gradu* I. inter fratrem (scilicet propatruum, aut proavunculum) & fratris, vel sororis proneptem; inter sororem (id est, proamitam, aut promateterteram) & fratris, vel sororis pronepotem: II. inter fratris, vel sororis filium, & fratris, vel sororis proneptem; inter fratris, vel sororis filiam, & fratris, vel sororis pronepotem. III. inter fratris, vel sororis nepotem, & fratris, vel sororis proneptem; inter fratris, vel sororis neptem, & fratris, vel sororis pronepotem. In reliquis gradibus ulterioribus nullum matrimonio ponitur obstaculum *d. c. non debet h. t.* Unde si remotior gradus extra quartum sit, nullâ opus erit dispensatione. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 53. *n.* 5. Pontius *lib.* 8 *c.* 17. §. 5. *n.* 26. referens, à S. Congregatione ita decisum fuisse.

11 In facto *dubitatum* scio: an consanguinei in tertio, aut quarto gradu saltem eo casu matrimonium contrahere possint, quo consanguinitas est illegitima, ac ex copula illicita ortum habet?

Ratio dubitandi est, quòd ex dispositione juris communis æquiparentur consanguinitas, & affinitas, nec latiùs una, quàm altera extendenda sit; affinitas verò ex copula illicita non egrediatur secundum gradum juxta Trident.

dent. sess. 24. de Reform. matrim. c. 3. Sed negativa tenenda est, ex quo de jure Canonico in ordine ad matrimonium nulla fit distinctio inter consanguinitatem legitimam, & illegitimam, seu ex copula illicita ortam. Neque juvat, quòd affinitas ex copula illicita matrimonium solum usque ad secundum gradum dirimat: hoc enim ad consanguinitatem porrigi nequit: cùm idem de illa nullibi statuatur. Nec in omnibus, & per omnia cognatio & affinitas æquiparantur: major namque est conjunctio ex consanguinitate, quàm affinitate: & frequentiùs nascitur affinitas ex copula illicita, quàm consanguinitas, ut adeò potiùs illa, quàm consanguinitas matrimonio periculosa sit, consequenter ad pauciores gradus restringenda. Confer. Vincent. de Just. de Dispens. matr. lib 2. c. 3. n. 14.

§. VI.

1 *Forma* consanguinitatis consistit in attinentia cognatorum, quæ ut appareat, graduum supputatio ritè instituatur, oportet. Computantur autem gradus aliter secundùm Jus Civile, aliter secundum Jus Canonicum.

Jure Civili prodita est unica, & perpetua regula: *quot sunt generationes inter personas, à quarum consanguinitate quæritur, tot sunt gradus. §. hactenus 7. Instit. de Gradib. cogn.* Unde in *linea recta* si quæratur, quoto gradu distet patet à pronepote, connumera generationes, ut: pater genuit filium, filius nepotem, nepos pronepotem; & dic, sunt tres generationes, ergo pater à pronepote tertio distat gradu. Similiter si quæratur, quoto gradu filius distet ab abavo, iterum connumera generationes, ut: filium genuit pater, patrem avus, avum proavus, proavum abavus, & dic. inter filium & abavum sunt quatuor generationes, ergo etiam tot gradus. In *linea obliqua* si quæratur, quoto gradu frater tuus distet a te, connumera generationes, ut: pater meus genuit me, & idem genuit fratrem meum, & dic: duæ sunt generationes inter me & fratrem meum, ergo quoque duo gradus. Si porro quæratur, quoto gradu distet à te fratris tui filius, iterum connumera generationes, ut: pater meus me genuit, idem pater genuit fratrem meum, & frater meus filium; & dic: sunt tres generationes, ergo tertio gradu à me distat fratris mei filius.

Jure Canonico extant tres regulæ. *Prima* 13
in linea *recta*, puta ascendente, vel descendente: *quot sunt personæ, tot sunt gradus unâ demptâ, nempe stipite communi.* Cur autem hæc persona negligenda sit, hæc allegatur ratio, quòd personæ hic non absolutè considerentur, sed relatè, quatenus vel hæ illas generant, vel hæ ab illis generantur, ut adeò generationes intercedentes hic æquè considerentur, quàm in Jure Civili, & hæc regula coincidat cum regula Juris Civilis. *Secunda* in linea *collaterali æquali: quoto gradu utraque persona, vel altera earum distat à communi stipite, eodem gradu distant inter se.* Sic duo fratres, & sorores distant à se invicem primo gradu, quia reducti ad lineam rectam primo gradu distant à patre suo, qui est communis stipes: patrueles, vel consobrini sunt in secundo gradu, quia in linea recta distant duobus gradibus à communi stipite, avo videlicet, vel avia; & sic deinceps. *Tertia* in linea *collaterali inæquali: quoto gradu remotior distat à stipite communi, eodem gradu distant inter se.* Hinc scire vis, quo gradu distes à patruo tuo, examina, quoto gradu distes à communi stipite vestro, qui est avus, & invenies, te distare secundo gradu, ergo etiam distabis à patruo tuo secundo gradu, & ita ulteriùs. *c. ad sedem 2. c. parentela 4. causâ 35. q. 5. c. fin. h. t.*

Porro in matrimonio ad effectum impe 14
dimenti dirimentis constituendi supputatio graduum ad ductum Juris Canonici instituenda est, utpote in materia spirituali, in qua

leges Civiles SS. Canonibus assurgunt. Clariss. D. D. Woller, Magnum Themidos Decus *Select. qq. Juris. q.* 1. *n.* 16. In materia autem successionis ab intestato, tutelæ legitimæ, retractûs, & ubicunque vel ex dispositione juris, vel statuto, aut conventione hominum de certo consanguinitatis gradu mentio fit, num secundùm Leges, vel Canones hæc supputatio graduum fieri debeat? non una omnium opinio est. Aliqui contendunt, quodlibet jus servandum esse in suo foro, ceu in materia indifferenti, adeóque in terris Pontificiis, & tribunalibus Ecclesiasticis inter Clericos, & in omnibus causis Ecclesiasticis gradus cognationis juxta regulas SS. Canonum dinumerandos esse. Alii sustinent, in causis matrimonialibus indistinctè Jus Canonicum, & in materia successionum ab intestato indifferenter Jus Civile etiam in terris Papæ, ac inter Clericos attendendum esse, in aliis verò contractibus, & dispositionibus jus quodlibet in suo foro. Ita Covar. *de Matr. p.* 2. *c.* 6. §. 6. *n.* 8. Gutierrez *c.* 98. *n.* 11 Sanchez *lib* 7. *disp.* 50. *n.* 8. Mihi probatur eorum sententia, qui docent, etiam in tutela, & quibuscunque causis, aut contractibus, solâ materiâ matrimoniali exceptâ, indistincte secundùm leges Civiles consanguinitatis gradus computandos esse tam in foro sæculari, quàm Ecclesiastico: cùm Jus Canonicum præcisè in ordine ad matrimonium allegatas regulas præscripserit, per *d. c. ad sedem. causa* 35. *q.* 5. & *c. fin. h. t.* quoad alios autem casus nihil omnino statuerit; ut proinde locus non sit illi regulæ: quodlibet jus in suo foro servandum; sed illi: quòd ubi Jus Canonicum in re aliqua profana deficit, recurrendum sit ad Jus Civile. Barb. in *c. fin. h. t. n.* 4. Stephan. Gratian. *discept. forens. lib.* 1. *c.* 87. *n.* 1. cum Baldo, Decio, & aliis citatis.

§. VII.

15 *Effectus* consanguinitatis, ejúsque impedimenti est vel primarius, vel secundarius.

Primarius est, quòd inter personas consanguineas saltem usque ad quartum gradum inclusivè tam in linea recta, quàm obliqua dirimat matrimonium. *c.* 8. *& 9. h. t.* Cujus rationes variæ assignantur, quas videre est apud Zoël. *h. t. n.* 7. inter alias tamen ista valde notabilis est, quam depromit D. Gregor. *in c. quædam.* 20. *causâ* 35. *q.* 3. ubi dicit, experimento esse compertum, ex conjugio propinquorum sobolem minùs bene succrescere; quod sanè & hodierni temporis frequentia exempla confirmant.

Secundarius effectus est pœna, quam in- 16
currunt consanguinei, qui in gradu prohibito matrimonium ineunt, ac incestas nuptias contrahunt. Est autem contra hos in Jure Canonico statuta excommunicatio, quam ipso facto incurrunt, nisi probabilis ignorantia, vel metus excuset. *Clem. un. h. t.* ubi & aliæ pœnæ contra tales latæ confirmantur; quales de Jure Civili contra incestas nuptias contrahentes sunt bonorum publicatio, exilium, & verberatio, si sit persona vilis. *auth. incestas. C. de Incest. nupt. c. cùm secundùm leges.* 19 *de Hæret. in* 6. Covar. *de Matr. d. c.* 6. §. 8. Quæ pœnæ, maximè canonicæ locum habere videntur, etiamsi nuptiæ non sint consummatæ. Zoël. *h. t. n* 16. Bene tamen advertit Canis. *in c. non debet* 8. *Eod.* cum Julio Claro *in §. incestus n.* 3. cùm de Jure Civili nuptiæ incestæ inter consanguineos tantùm sint inter ascendentes, & descendentes, vel inter fratrem, & sororem, ejúsque filiam. §. 1. *& segq. Inst. de Nupt.* pœnas à Jure Civili statutas non esse extendendas ad illas nuptias, quæ duntaxat de Jure Canonico sunt incestæ, non autem de Jure Civili, arg. *l. Gracchus.* 4. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* quamvis Covar. *l. cit.* & quidam alii DD. in hac parte dissentiant.

§. VIII.

Contraria consanguinitati, & ejus impedi- 17
mento est dispensatio, quâ tollitur. Ubi pro pra-

graxi notandum, S. Pontificem in linea recta in infinitum, & inter fratres & sorores in nullo casu dispensare posse, aut debere. In secundo gradu lineæ collateralis dispensat solùm inter Magnos Principes, & ob publicam causam etiam in combinatione primi & secundi gradûs lineæ inæqualis; cujus exemplum est in Invictissimo Imperatore Nostro Leopoldo qui Anno 1666. 12. Decembris, Margaretham Theresiam Sororis suæ Mariæ Annæ, & Philippi IV. Hispaniarum Regis filiam in uxorem duxit. Idque decrevit Tridentinum *sess. 24. de Reform. matr. c. 5. in fin.* In tertio & quarto gradu S. Pontifex etiam inter privatos dispensare solet, facilè quidem, & sine alia causa, si defacto matrimonium in gradu prohibito bonâ fide & solemnitatibus Tridentini servatis contractum sit; nequaquam verò si sit celebratum scienter cum consanguinea, vel solennitate Parochi, & testium neglecta: non enim est dignus, ut Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit, ut loquitur Trident. *ubi supra.* Quòd si matrimonium necdum sit contractum, sed de eo contrahendo agatur, licèt dispensatio concedi possit, rarò tamen, & nunquam sine justa causa concedenda est. 18 Qualis causa censetur extinctio magnæ litis, pax consanguineorum, evitatio scandali, defectus dotis competentis, ut fœmina juxta conditionem nubat extraneo, loci angustia, vel familiæ amplitudo, conservatio illustris familiæ in eodem semine, excellentia meritorum dispensationem petentis, & si quæ alia. Gutierrez *Can. qq. lib. 2. c. 15.* & DD. ab eo laudati.

Pars II.

De Affinitate.

SUMMARIA.

19. Affinitatis etymologia. 20. Definitio. 21. 22. 23. Divisio. 24. 25. Origo. 26. 27. 28. Quos afficiat affinitas, & affinitatis impedimentum? 29. Ratio computandi gradus affinitatis. 30. 31. Ejusdem effectus. 32. De Dispensatione in impedimento affinitatis.

§. I.

AFfinitas appellatur, quasi duorum ad unum finem unitas, eò quòd duæ cognationes diversæ per nuptias, vel coitum copulentur, & altera ad alterius cognationis finem accedat: cùm enim per copulam vir, & fœmina efficiantur una caro, sanguis unius dicitur alterius sanguinem tangere. *l. 4. §. 3. ff. de Gradib. & affin.* Germanis significat ein Schwagerschafft. 19

§. II.

Definitur affinitas, quòd sit proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentelâ. Hostiens. *in summa h. t.* 20

§. III.

Dividitur affinitas I. in justam, seu legitimam, & injustam, seu illegitimam. Justa, sive legitima est, quæ causatur ex matrimonio, ita ut affines tantùm dicantur conjux, & alterius conjugis consanguinei. *d. l. 4. §. 3. ff. de Gradib. & affin.* Illegitima, quæ nascitur ex scortatione, adulterio, vel ex alio illegitimo coitu. *c. discretionem. 6. De eo, qui cognov. consang. uxor. sua.* In quo differt Jus Canonicum à Jure Civili, quô affinitas duntaxat ex justis nuptiis oritur. *d. l. 4. §. 8.* 21

II. Dividitur affinitas in tria genera. *Primum* est inter consanguineos viri, & uxorem ab eo cognitam, ac vice versâ inter consanguineos uxoris, & virum cognoscentem. *Secundum* genus dicitur, quando aliquis est affinis primi affinis, atque constituitur inter proximos affines, & maritum, vel uxorem affinis. *Tertium* genus reperitur inter affines, & conjugem illius, qui erat in secundo genere affinis. Ut ecce! si Titia meo fratri sit matrimonio consummato juncta, est mihi affinis in 22

primo genere: si postea defuncto meo fratre eadem Titia nubat Cajo, fiet mihi Cajus ex secundo genere affinis: & tandem si defunctâ Titiâ Cajus ducat Mæviam, hæc mihi fiet affinis in tertio genere. Verùm hodie secundum, & tertium genus affinitatis penitus sublatum est in *c.* 8. *h. t.* Quamobrem ducere licet novercam uxoris suæ defunctæ, vel ejus privignam, utpote in secundo genere affinitatis conjunctam, quidquid olim tum leges civiles, tum antiqui Canones in contrarium disposuerint.

23 III. Affinitas adinstar consanguinitatis dividitur in stipitem, lineam, & gradus.

Stipes est duplex illa persona, quæ per carnalem copulam commiscetur, in licita quidem uxor, & maritus; in illicita mas & fœmina ab eo cognita, qui affines non sunt, sed principium affinitatis. arg. *c.* 5. *h. t. l.* 4. §. 3. *ff. de Grad. & affin.*

Linea est vel recta, vel obliqua. Recta iterum ascendens, vel descendens. In linea recta *ascendente* ponuntur *vitricus*, id est, secundus maritus matris tuæ, & *noverca*, id est, secunda uxor patris tui; *socer*, id est, mariti, vel uxoris pater, & *socrus*, id est, uxoris, vel mariti mater; *prosocer*, sive *socer magnus*, & *prosocrus*, sive *socrus magna*, id est, uxoris & mariti avus, & avia; & cæteri ascendentes utriusque conjugis. In linea recta *descendente* collocantur *privignus*, & *privigna*, hoc est, filius & filia ex priore conjugio; *gener* id est, filiæ maritus, & *nurus*, id est, filii uxor; *progener*, id est, neptis maritus, & *pronurus*, id est, uxor nepotis; & reliqui cognatorum descendentium conjuges. In linea *obliqua*, seu *transversa* constituuntur collateralium cognatorum conjuges, & conjugum cognati collaterales; nimirum *levis*, id est, frater, mariti, & *glos*, id est, soror mariti; *sororius*, id est, maritus sororis, & *fratrissa*, id est, uxor fratris; & reliqui, qui nomina peculiaria in jure non habent. *d. l.* 4. §. 9. *ff. de Gradib. & affin.*

Gradus affinitas similiter ad modum consanguinitatis habet, & non alios, quàm cognationis continet; cùm inter affines nulla sit generatio, unde gradus desumantur. §. 7. *Inst. de Grad. cognat.*

§. IV.

Causa efficiens affinitatis, ejúsque impedi- 24
menti alia est remota, alia proxima.

Remota est Jus. Ut verò consanguinitas, ita etiam affinitas tam legitima, quàm illegitima est aliquod vinculum juris naturalis, quandoquidem natura ipsa instillat quandam conjunctionem, ac amicitiam ad ejus consanguineos, cum quo per commixtionem carnalem quis una caro, ac corpus unum factus est. Joan. Andr. in *c.* 1. *n.* 3 *de Convers. infid.* at quòd matrimonium dirimat, hoc habet à solo jure Ecclesiastico, ut docent communiter DD. Bonacin. *de Matrim. q.* 3. *punct.* 12. *prop.* 37. *n.* 7. Gutierrez *c.* 99. *n.* 9. Pont. *lib.* 7. *c.* 34. *n.* 5. Quamvis alii constanter, & valdè probabiliter defendant, affinitatem legitimam saltem in primo gradu lineæ rectæ, scilicet inter vitricum, & privignam, inter novercam, & privignum, inter socerum, & nurum, inter socrum, & generum, jure naturali matrimonium irritare proter text. 1. *ad Cor.* 5. & in *c. si vir, & uxor. causâ* 35. *q.* 3. Sylvest. *V. Papa. q.* 17. Coninck. *disp.* 32. *dub.* 4. *concluſ.* 3 *n.* 43. & Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 5.

Causa efficiens proxima affinitatis atque 25
impedimenti hujus est qualiscunque copula carnalis, sive licita, sive illicita, modò fuerit perfecta, ac consummata, id est, apta ad generationem prolis: quia per omnem, & solam talem copulam vir & fœmina fiunt una caro, utrumque principium generationis, in qua unitate fundatur propinquitas affinitatis. *c. porro.* 3. *causa* 35. *q.* 5. *c. fraterni-*

tas.

tit. 1. causâ 35. q. 10. Sanchez *de Matrim. disp.* 64. *num.* 1.

§. V.

16 *Subjectum* affinitatis, ac hujusce impedimenti sunt personæ, nempe vir, & fœminæ cognitæ consanguinei; & fœmina cognita, atqui viri cognati, quas inter est hujusmodi conjunctio, & obstaculum matrimonii usque ad quartum gradum, si oriatur ex copula conjugali; *c. non debet.* 8. *h. t.* usque ad secundum gradum verò, si ex concubitu illicito originem trahat. Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 4. quamvis olim indistinctè usque ad septimum gradum matrimonium irritaverit juxta *c.* 2. 7. *&* 13. *causâ* 35. *q.* 3. Pro cujus pleniori notitia lubet sigillatim eas personas recensere, quas affinitas legitima à contractu matrimoniali arcet. Itaque

Dico I. In *linea rectâ* affinitas dirimit matrimonium in *primo gradu* inter vitricum & privignam; inter novercam, & privignum: inter socerum, & nurum: inter socrum, & generum; in *secundo* Prosocer cum pronuru, & prosocrus cum progenero; in *tertio* Absocer cum abnuru, & absocrus cum abgenero; in *quarto* Atsocer cum atnuru, & atsocrus cum atgenero. Imò sunt, qui doceant inter affines ascendentes, & descendentes matrimonium jure naturali in infinitum esse prohibitum, eò quòd tales personæ sibi invicem parentum, liberorúmque locò sint. Sylvester *V. matrimonium.* 8. *num.* 15. *dic.* 6. cui accinit Coninck *disp.* 32. *dub.* 4. *concl.* 3. *num.* 54.

17 *Dico* II. In *linea obliqua æquali* ob affinitatem matrimonium consistere nequit inter fratrem & fratriam, seu fratris defuncti uxorem: inter sororem & sororium, seu sororis defunctæ maritum; in *secundo* inter consobrinam, (accipiendo nomen hoc in sensu lato juxta *l.* 19. *C. de Nuptiis*) & consobrinæ viduum, inter consobrinum, & consobrini viduam: in *tertio* inter consobrini, vel consobrinæ filium, & consobrini, vel consobrinæ filii viduam; inter consobrini, vel consobrinæ filiam, & consobrini, vel consobrinæ filiæ viduum: in *quarto* inter consobrinorum nepotem, & consobrinorum nepotis viduam, & inter consobrinorum neptem, & consobrinorum neptis viduam, per *c. non debet.* 8. *h. t.*

Dico III. In *linea obliqua inæquali* affinitas irritat matrimonium in *secundo gradu* inter fratris viduam, & fratris, vel sororis filium; inter sororis viduum, & fratris, vel sororis filiam; inter fratrem, & sororis, vel fratris filii viduam; inter sororem, & fratris, vel sororis filiæ viduum; in *tertio gradu* I. inter fratris viduam, & fratris, vel sororis nepotem; inter sororis viduum, & inter fratris, vel sororis neptem; inter fratrem, & fratris, vel sororis nepotis viduam; inter sororem, & fratris, vel sororis neptis viduum. II. Inter fratris, vel sororis filii viduam, & fratris, vel sororis nepotem; inter fratris, vel sororis filiæ viduum, & fratris, vel sororis nepotem; inter fratris, vel sororis filium, & fratris, vel sororis nepotis viduam; inter fratris, vel sororis filiam, & fratris, vel sororis neptis viduum. In *quarto* I. Inter fratris viduam, & fratris, vel sororis pronepotem; inter sororis viduum, & fratris, vel sororis proneptem; inter fratrem, & fratris, vel sororis pronepotis viduam, inter sororem, & fratris, vel sororis proneptis viduum: II. inter consobrini viduam, vel consobrini, vel consobrinæ nepotem; inter consobrinæ viduum, & consobrini, vel consobrinæ neptem; inter consobrinum, & consobrini, vel consobrinæ nepotis viduam; inter consobrinam, vel consobrini, vel consobrinæ nepotis viduum. III. Inter consobrini, vel consobrinæ filii viduam, & consobrini, vel consobrinæ nepotem: inter con-

consobrini, vel consobrinæ filiæ viduum, & consobrini, vel consobrinæ neptem; inter consobrini, vel consobrinæ filium, & consobrini, vel consobrinæ nepotis viduam; inter consobrini, vel consobrinæ filiam, & consobrini, vel consobrinæ neptis viduum, per *d. c. non debet.* 8. *h. t.*

28 Ex his patet, ex matrimonio (& proportionaliter ex copula fornicaria) affinitatem solùm nasci inter maritum, & consanguineos uxoris, & econtra inter uxorem, & consanguineos mariti, non verò inter utriusque, id est, mariti, & uxoris consanguineos; quamvis enim populariter, & communi loquendi usu, vel potiùs abusu conjugum quoque consanguinei se invicem affines salutare soleant, revera tamen non sunt, neque dictitia illa affinitas matrimonium inter eos impedit; hinc omnes consanguinei mariti; & consanguinei uxoris, sive sint ascendentes, sive descendentes, sive collaterales, & comprivigni inter se, & etiam pater & filius cum matre, & filia, & duo fratres cum duabus sororibus tam licitè, quàm validè matrimonium contrahere possunt. *c. quod super his.* 5. *h. t.* §. 8. *Instit. de Nuptiis.* Reverendissimus Maurus Oberascher *de Matr. d. c* 4. §. 6. *q.* 2.

§. VI.

29 *Forma* Affinitatis, & impedimenti affinitatis spectatur in proximitate personarum affinium juxta graduum distantiam. Supputantur autem affinium gradus ex generationibus cognatorum juxta hanc regulam: *in quo gradu aliquis est consanguineus mariti, in eodem gradu intelligitur esse affinis uxoris;* & è converso: *in quo gradu aliqua est consanguinea uxoris, in eodem censetur esse affinis mariti. c. porro causâ* 35. *q.* 5. Unde consanguinei viri in primo gradu sunt affines uxoris in primo etiam gradu; & consanguinei viri in secundo gradu sunt affines item uxoris secundo, & sic deinceps. Idémque est de consanguineis uxoris.

Planè sicut in linea collaterali cognatorum gradus aliter computantur secundùm Jus Civile, aliter secundùm Jus Canonicum, ita etiam ratione affinium canonica graduum computatio differt à Civili. Sic namque Jure Civili Levir, glos, fratria, & sororius sunt in secundo affinitatis gradu, jure verò Canonico tantùm in primo; quia hoc jure etiam fratres & sorores in primo sunt gradu consanguinitatis. Et quemadmodum computatio Canonica in consanguinitate solùm procedit in causis matrimonialibus, in reliquis autem computatio civilis, ut *supra n.* 14. probavimus, ita pariter in causis matrimonialibus ratione affinitatis gradus ad ductum Juris Canonici computandi sunt, in reliquis secundùm Jus Civile. Carpz. *de Arb. consang. disp.* 1. *th.* 20. *n.* 46. & DD. passim

§. VII.

Effectus affinitatis, ac ejusdem impedimenti alius est, si affinitas consideretur ut præcedens matrimonium; alius, si ut subsequens. 30

Affinitas *præcedens* matrimonium in gradibus prohibitis non tantùm impedit sponsalia, ac matrimonium contrahendum, sed post sponsalia superveniens, licèt sit illegitima, illa etiam dissolvit, ita ut inter sponsum & sponsam matrimonium absque dispensatione ampliùs consistere non possit, si unus ex sponsis alterius consanguineam in primo, vel secundo gradu carnaliter, & perfectè cognoverit. *c.* 2. 8. *&* 9. *De eo, qui cognovit consang. uxor. suæ.* Quòd si affinis defacto in gradu prohibito matrimonium contrahat, incurrit illas pœnas, quas incurrit contrahens in prohibito gradu consanguinitatis. *Clem. un. h. t. & ibi* Interpp. 31

Affinitas *subsequens* matrimonium sive consummatum, sive ratum tantùm, id quidem non dissolvit. *c.* 6. *De eo, qui cognovit consang. ux.* conjugem tamen incestuosum privat jure petendi debitum conjugale, licèt red-

reddere teneatur. *cap. 6. penult. & ult. Eod.* Modò tamen persona cognita fuerit in primo, vel secundo gradu consanguinitatis uxori conjuncta: quòdsi in remotiori eam attigerit, nullum nascetur impedimentum etiam debitum exigendi; cùm affinitas ex copula illicita, qualis est in dicto casu, ad secundum tantummodò gradum per restrictionem Tridentini extendatur. Insuper conjux contrahit ob delictum incestûs cum affine commissum impedimentum perpetuum impediens, nec etiam cum alia contrahere licitè possit. *cap. si causa 35. q. 2. c. 1. 2. & 4. De eo, qui cognovit consang. ux. sua.*

§. VIII.

1 *Contraria* Affinitati, & ejus impedimento est dispensatio quâ tollitur. Et verò cùm affinitas saltem in linea transversali solo Jure Ecclesiastico dirimat matrimonium, ideo etiam in primo gradu hujus lineæ S. Pontifex dispensare potest, arg. *c. fin. de Divortiis.* prout de facto Alexander VI. dispensavit cum Emanuele Rege Lusitaniæ, ut acciperet viduam fratris; Julius II. cum Henrico VIII. Rege Angliæ, ut duceret Catharinam Arragoniam viduam Arthuri fratris, à quo tamen dicunt, quidam fuisse intactam, idque approbante totius orbis; quam dispensationem postea confirmavit Clemens VII. Sic etiam Innocentius X. dispensavit cum Rege Poloniæ, ut acciperet viduam fratris. Quin imò in Veteri Lege *Deuter. 25.* præcipitur, ut frater fratri semen suscitet. Nec obstat, quòd S. Joannes Baptista *Matth. 14.* & *Marci. 6.* reprehenderit Herodem, eique dixerit: *non licet tibi, accipere uxorem fratris tui*: quia is adhuc vivebat, teste D. Thoma in *cit. locum Matthæi.*

)o(

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coëundi.

SUMMARIA.

1. Definitur impotentia. 2. 3. 4. Dividitur. 5. 6. Quo jure dirimat matrimonium, & unde oriatur? 7. 8. 9. 10. 11. Quinam censeantur impotentes? 12. 13. 14. Recensentur requisita necessaria ad hoc, ut dirimat matrimonium. 15. Impotentiæ effectus. 16. Sitne matrimonium restaurandum, si ob temporalem impotentiam dissolutum sit?

ULtimum inter impedimenta dirimentia matrimonii est *impotentia*, qua de sub *præsenti rubrica* ea duntaxat, quæ scitu necessaria, adferemus. 1

§. I.

Definitur impotentia, quòd sit inhabilitas, seu ineptitudo ad exercendam copulam carnalem, aptam ad generationem humanam, inter impotentes matrimonium dirimens. 1

§. II.

Dividitur impotentia I. in naturalem, & accidentalem. Naturalis, seu, ut alii appellant, intrinseca est, quæ ex ipsius naturæ defectu oritur, & in viro plerumque est *frigiditas*, in fœmina *arctitudo*. Accidentalis, seu, ut alii nuncupant, extrinseca est, quæ vel per dæmonis maleficium vel per hominis operam procurata, effectáque est. 2

II. Dividitur impotentia in perpetuam, & temporalem. Illa dicitur, quæ humana arte, seu etiam ordinariis Ecclesiæ remediis sine miraculo aut peccato, vel gravi corporis periculo tolli non potest. *c. 2. & 3. h. t.* Temporalis verò, quæ successu temporis, ut puta, crescente ætate, vel per artem chirurgicam absque gravi periculo, quamvis cum magno cruciatu (ad hunc enim perferendum conjugem ex charitate & justitia obligatum esse, docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 93. n. 30. & seqq.*) aut per consuetas orationes, ac 3

exorcismos, vel per aliam maleficii sublationem, absque novo tamen dæmonis concursu amoveri potest.

4 III. Dividitur impotentia in absolutam & respectivam. Absoluta est, cùm quis est impotens respectu omnium, & cujuscunque; ut si vir sit eviratus, seu eunuchus. Respectiva, cùm quis solùm impotens est respectu hujus, vel illius personæ, cum qua matrimonium contraxit, prout sæpiùs contingit ex maleficio.

§. III.

5 *Causa efficiens* impotentiæ, ac impedimenti ejus est vel remota, vel proxima.

Remota est jus naturale, à quo impotentia vim dirimendi matrimonium sortita est, ut tradunt DD. uno ore; sine dubio ideo: quia essentialis materia matrimonii est corpus, non quodlibet, sed ad generationem aptum, cùm hîc detur potestas in corpus mutua, quæ potestatis traditio nulla est, si intersit impotentia: nemo enim potest tradere alteri potestatem ejus rei, quam nullô modô habet per c. 79. *de R. J. in 6.*

6 *Proxima* est varia: nam aliquando oritur ex naturali complexione; nonnunquam ex vitio conformationis; interdum ex morbo; sæpè ex defectu membrorum generationi deservientium, sæpissimè ex maleficio, aut veneficio, dequibus & aliis Medicos consule.

§. IV.

7 *Subjectum* impotentiæ, & impedimenti impotentiæ sunt, quibus partes generationi destinatæ vel deficiunt, vel malè conformatæ sunt, vel congenita frigiditate flaccescunt, aut vitiô aliquô incorrigibili afficiuntur: quippe tales, cùm impotentes sint ad copulam carnalem, hôc ipsô inepti sunt ad matrimonium contrahendum juxta *c. 2. h. tit.* Hinc

Deduco I. Eunuchos & spadones utrôque testiculô privatos esse impotentes, & inhabiles ad ineundum matrimonium, prout definivit Sixtus Papa V. dato ad eam rem rescripto ad Hispaniarum Legatum, cujus decisiva verba ita habent: *Fraternitati tuæ præsentes committimus, & mandamus, ut conjugia per eunuchos, & spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum prædictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eôsque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares.* Si qui uno duntaxat testiculo carent, matrimonium contrahere possunt. Panormit. in *c. 2. num. 5. h. t.* ubi ita interpretatur *l. si serva. 40. §. si spadoni. ff. de jure dot.*

Deduco II. Hermaphroditos validè posse contrahere matrimonium eos nimirum, in quibus præpollet sexus virilis, cum fœminis; in quibus sexus fœmineus, cum viris: illius enim sexûs æstimantur, quô prævalent. *l. quæritur. 10. ff. de Statu hom.* Quòd si in Hermaphrodito æqualis sit, in optione ejus erit, juxta quem sexum contrahere velit. Parochus autem licitè nuptiis illius interesse non potest nisi prius coram Judice Ecclesiastico sexum alterutrum præstitô juramentô, se alterô nunquam usurum, elegerit. Sanchez *lib. 7. de Matrim disp. 106. n. 5.*

Deduco III. Nec senes etiam decrepitos esse impotentes, ac ineptos ad ineundum matrimonium; id quod colligitur ex *c. nuptiarum. 41. causâ 27. q. 1.* ubi S. Augustinus ait: *nuptiarum bonum in quibusdam esse humanitatis solatium.* ubi Glossa in *V. quibusdam* explicat, *in senibus.* Ratio est: quia licèt senes non habeant generandi facultatem tam propinquam & expeditam, sicut juvenes, habent tamen radicalem, & possunt exercere perfectum actum conjugalem, etsi infæcundum. Imò non desunt exempla eorum, qui in decrepita ætate filios genuerunt. Accedit praxis Ecclesiæ, quæ nulli seni, si aliud non obstet, matrimonium dene-

denegat. Vincentius de Justis *de Dispens. matr. lib.* 2. *c.* 17. *num.* 96.

10 *Deduco* IV. Inter steriles quoque matrimonium consistere, nec uxorem ob sterilitatem, ceu ob impotentiam, dimitti posse. Textus in hanc rem apertus in *cap.* 27. *causâ* 32. *q.* 7. ita habet: *Tantùm valet illud sociale vinculum conjugum, ut cùm causâ procreandi colligetur, nec ipsâ causâ procreandi solvatur, posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & aliam ducere, de qua filios habeat, & tamen non licet.* Et meritò non licet: quia tametsi sterile conjugium non attingat finem primarium, qui est prolis procreatio, attingit tamen finem secundarium, qui est solatium humanitatis, & remedium concupiscentiæ juxta *d. c. nuptiarum.* 41. *causâ* 27. *q.* 1. Urget, quòd sæpe sterilitas progressu temporis corrigatur, ut præter exempla sacra Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Elisabethæ, aliarúmve, recentiora exempla comprobant. Boseralo Polono uxor Adlhaidis Henrici IV. Imperatoris filia post decennii sterilitatem quinque filios, unámque filiam peperit. Salome Gabrielis Basilii Magni Moschorum Ducis uxor post annum 21. adhuc enixa est Georgium filium; quod ipsum Ludovico XIV. moderno Galliæ Regi contigisse, fertur. Ad hæc cùm causa sterilitatis ut plurimùm lateat abdita, & omninò incertum sit, an marito, vel uxori imputari queat, inhumanum foret, uxorem fortè innocentem suo jure in corpus mariti quæsito privare, & maculam inurere fictitiæ sterilitatis. Unde fallunt, & falluntur Politici quidam, qui dicunt, Principi uxore sterili dimissa ob spem prolis, & firmandi principatûs gratiâ, licere aliam ducere; quo de prolixè Nicol. Myler. in *Gamol. princ. c.* 4. *num.* 8. *& seqq.*

11 *Deduco* V. Etiam in articulo mortis constitutum posse contrahere matrimonium: ex quo potentia generandi adhuc perseverat, quamvis pro hoc tempore per accidens sit impedita, ut in actum deduci non possit; idque confirmat usus Ecclesiæ, quæ permittit, ut quis in agone ducat concubinam. Sanchez *lib.* 7 *disp.* 105. *num.* 3.

§. V.

Forma impotentiæ, & hujus impedimenti stat in conditionibus requisitis ad hoc, ut matrimonium dirimat. 12

Prima est, ut impotentia sit perpetua: nam impotentia temporalis, quæ per licita, & ordinaria media sive spiritualia, sive naturalia tolli potest, matrimonium subsequens non dirimit. *cap.* 6. *h. t.* optima ratione; quia ad tempus aliquod impotens absolutè potens est, ideóque absolute etiam potest obligari ad actum conjugalem. At nec marito, nec uxori, nec utrique simul perpetuam impotentiam alleganti credi debet, juxta Gloss. in *c. fin. in fin. h. t.* sed probatione opus est; quæ si statim ex solo aspectu corporis per evidentia signa appareat, illicò judiciô Ecclesiæ conjuges separandi sunt; sin non, iis triennium (à tempore intentatæ copulæ computandum) conceditur, intra quod matrimonii consummationem tentare possint, eô verò transactô, si nihil effecerint, matrimonium declarabitur nullum, ita tamen, ut priùs conjuges jurent unà cum septima manu propinquorum, id est, cum septem propinquis, vel cum septima manu vicinorum bonæ famæ, si desint tot propinqui, se post omnem oparam adhibitam non potuisse consummare matrimonium. *c.* 1. *& ult. h. t.* Mascard. *de Prob. concl.* 8: 6. *n.* 8.

Secunda conditio est, ut impotentia matrimonium præcedat: etenim si matrimonio semel contracto, licèt nondum consummato, supervenerit: non solvit conjugale vinculum: quia matrimonium non ad tempus, sed ad 13

perpetuam vitæ consuetudinem contrahitur, & nihil tam humanum est in fortuitis casibus, quàm mulieris maritum, vel uxorem viri esse participem. *l. si cùm dotem. 22. §. 7. ff. Solut. matrim.* Gloss. in *c. ex literis. 3. h. t.*

Sed quid præsumendum, aut judicandum, si dubitetur, an impotentia præcesserit, aut subsecuta sit matrimonium?

Mascard. in *d. conclus* 816. *n.* 19. Panorm. in *c. fraternitatis. n.* 16. *h. t.* & alii apud Sanch. *l. 7. disp.* 103. *num.* 1. autumant, præsumendum esse, quòd præcesserit. Ego existimem, secernendam esse impotentiam naturalem ab accidentali, & illam præsumi præcessisse, hanc verò subsecutam esse: ratio primæ partis est: quòd qualitas, quæ à natura inest, semper inesse præsumatur, ut probat Menoch. *de Præsumption. lib. 1. præsumpt.* 14. *n.* 3. Ratio partis secundæ: quòd cùm natura potentem producat, quilibet supponatur potens, & asserenti, quòd quis aliquando impotens fuerit, incumbat onus probandi, utpote cui adversatur præsumptio à natura ipsa descendens. Sanchez *ubi supra n.* 5.

14 *Tertia* conditio est, ut impotentia sit absoluta, & generalis respectu omnium, siquidem impotentia perpetua, & respectiva tantùm dirimit quidem matrimonium cum iis, respectu quorum est, non verò respectu aliorum, propterea: quia matrimonium respicit individuam, & determinatam personam, cum qua ineundum est, ideóque si quis respectu hujus vel illius personæ sit impotens, respectu autem aliarum potens, non erit possibilis obligatio ad copulam cum hac, vel illa certa persona, erit verò possibilis cum aliis, & quod consequitur, non poterit contrahere matrimonium cum illa certa persona, poterit verò cum aliis, respectu quarum cessat ratio illud dirimendi, arg. *cap. 6. h. t. cap. fin. causâ* 33. *q.* 1. Reverend. Maurus Oberascher *de Matr. c.* 4. §. 11.

§. VI.

Effectus impotentiæ, ejúsque impedimenti est, quòd matrimonium dirimat, ita tamen 15
ut impotentes, præsertim qui conscii impotentiæ matrimonium contraxerunt, non debeant contra voluntatem separari, sed siquidem velint, possint tanquam fratres & sorores convivere, abstinentes ab omni carnis commixtione, & quibuscunque tactibus impudicis. *c.* 4. *&* 5. *& ibi* DD. *h. t.*

Dubitari hic potest, utrùm dissoluto pro- 16
pter impotentiam matrimonio, prius matrimonium instaurandum sit, si postea deprehendatur, illam impotentiam non esse perpetuam?

℟. I. Si conjux absolutè, & perpetuò impotens judicatus, dissolutô primô matrimoniô contrahat, & consummet aliud, vel extra matrimonium sit fornicatus, in pœnam perjurii incidit, cogiturque ad priorem uxorem redire; quamvis ipsa, si per se vivere voluerit, compelli neutiquam possit, ut ad virum redeat, sed manente vinculo conjugali propter adulterium à viro commissum, in divortio perseverare queat. *c.* 5. *&* 6. *h. t.*

℟. II. Si impotentia respectiva sit judicata perpetua, & matrimonium ideo dissolutum, hoc instaurandum non erit, tametsi vir, cujus impotentia est allegata, consummaverit aliud subsequens matrimonium, vel fornicatus sit. Idque ideo: quia non est instaurandum prius matrimonium, nisi constet Ecclesiam fuisse deceptam, judicando de perpetuitate impotentiæ; atqui ex copula cum aliis personis nequit constare, respectivam illam impotentiam non fuisse perpetuam. Secùs dicendum foret; si se commiscuisset cum illa, à qua fuit separatus tanquam impotens: quippe ex subsequenti copula manifestè constat, impotentiam respectivam temporalem fuisse. Layman in *Theol. mor. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 5.

TITU-

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

SUMMARIA.

1. Definiuntur impedimenta impedientia. 2. Usque 14 Recensentur, & explicantur singula. 14. Unde oriantur? 15. Quos impediant? 16. Quomodo differant ab impedimentis dirimentibus? 17. Eorum effectus. 18. Quis in his impedimentis dispensare possit?

DAtis de impedimentis dirimentibus matrimonium. Sub specie *interdicti Ecclesiæ* in scenam nunc prodeunt *impedientia.*

§. I.

Definiuntur impedimenta impedientia, quòd sint obstacula, quæ matrimonium quidem reddunt illicitum, non tamen invalidum.

§. II.

Dividuntur impedimenta impedientia in ea, quæ sunt sine, & in ea, quæ sunt ex delicto. Sine delicto sunt:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum, Atque Catechismus, Sponsalia; jungito votum.

Ecclesiæ vetitum, seu *interdictum* dupliciter sumitur: *primò* generaliter, prout complectitur omnia reliqua matrimonii impedimenta ab Ecclesia introducta, & sic omne matrimonium laborans impedimento quocunque, sive dirimente, sive impediente potest dici contractum contra interdictum Ecclesiæ. *Secundo* specialiter, & in præsenti accipitur pro speciali prohibitione, qua superior Ecclesiasticus ob justam causam certis personis matrimonium interdicit. Potest autem non tantùm Episcopus, sed etiam Parochus aliquando interdicere & ad certum tempus suspendere matrimonium; ut si sponsus priùs cum alia contraxerit sponsalia; si non vana suspicio sit latentis impedimenti; vel si ex futuro matrimonio timeantur graves rixæ, scandala, aliáve incommoda secutura, arg. *cap. 1. & 2. h. t.* Neque officit, quòd causæ matrimoniales ad Judices solùm Ecclesiasticos, non ad Parochos spectent juxta *c. 1. de Consang. & affinit.* nam etsi eas judicialiter cognoscere, & per sententiam terminare Parochus non possit, potest tamen, imò prædictis casibus debet matrimonium prohibere, donec causa ad Ordinarium delata, & cognita decidatur per *c. fin. § sanè de Clandest. desponsat.* Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 6. n. 6.*

3 Per *tempus feriarum* intelligitur certum anni tempus, quo nuptiarum solennitates interdicuntur. Tametsi verò olim pluribus temporibus nuptiæ prohibitæ fuerint, ut in diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, & tribus septimanis ante festũ S. Joannis Baptistæ. *c. 8. & passim causâ 33. q. 4. c. de Feriis.* hodie tamen Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reform. matr. c. 10.* abrogatis aliis feriis constituit, ut solùm à Dominica prima Adventûs usque ad Festum Epiphaniæ, & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè solennis nuptiarum celebratio intermitteretur; *solennis*, inquam, *nuptiarum celebratio*: etenim in hisce feriis spectato jure non ipsum contractum matrimonii, & ejus consummationem, sed duntaxat solennitates, convivia, saltationes, traductiones ad domum, aliáve signa lætitiæ prohiberi, egregiè probat Jacob. Pignatel. *tom. 6. consul. 47.* Usus autem per omnem propemodum Germaniam invaluit, ut Parochi prædictis temporibus matrimonio non assistant extra casum necessitatis, atque ea etiam urgente Ordinarii consensum, ubi possunt, requirere soleant. Layman in *Theol. lib. 5. tr. 10. c. ult. n. 1.*

4 *Catechismi* nomine venit Institutio in fide Christiana, quæ tempore baptismi alicui impenditur, & ordinariè baptismum præcedere, & ante fores Ecclesiæ fieri debet juxta *c. 54. dist.*

dist. 4. de Consecr. cap. 5. de Cognat. spirit. c. 1. Eod. in 6. Est enim illa catechizatio initium quoddam spiritualis regenerationis, quæ per baptismum fit, ideóque minùs decens Ecclesiæ videbatur, inter catechizantem, & catechizatum iniri matrimonium. Verùm hoc impedimentum juxta receptam sententiam per Tridentinum *sess. 24. de Reform. matrim. c. 2.* sublatum est: quoniam cùm post designatas personas, quas inter voluit contrahi cognationem spiritualem concluserit: *omnibus inter alias personas hujusmodi cognationis spiritualis impedimentis omninò sublatis;* & inter personas ibi expressas non sit catechizans, consequens est, ex Catechismo impedimentum nullum ampliùs induci. Zoës. *de Cognat. spirit. num.* 14.

5 *Sponsalia* semel legitimè contracta tollere licentiam contrahendi matrimonium cum alia persona, per se patet: siquidem qui contrahit sponsalia cum una, gravem contrahit obligationem ex justitia ad ineundum cum eadem matrimonium, nisi hæc obligatio remittatur, aut ex justa causa dissolvatur. Quamvis autem stantibus sponsalibus cum alia matrimonium illicitè contrahatur, valet tamen contractum, non obstante, quòd cæteroquin pacta de re illicita sint invalida: enimverò aliud est in meris pactis, & promissionibus in futurum, aliud in contractibus, & actibus mediante traditione jus in re tribuentibus; hi enim, nisi sint de objecto in se illicito subsistunt, ut tradunt Interpp. in *c. in malis. 69. de R. J. in 6.* cùm in his non solùm sit obligatio in futurum, quæ ad illicitum esse non potest, sed constituatur effectus distinctus, nempe translatio juris, & dominii, quæ modo etiam illicito fieri potest, arg. *l. quoties. C. de Rei vind.*

6 *Votum* impediens matrimonium est votum simplex castitatis, votum ingrediendi religionem, votum suscipiendi SS. Ordines, & votum non nubendi, seu cœlibatûs: tali namque voto obstrictus, si matrimonium contrahat, graviter peccat contra fidem DEO datam. *c. 4. & 6. Qui Clerici, vel venerit. c. un. de Voto, & vovi redempt. in 6.* Quod verissimum est, si hujusmodi votum emissum sit ante contracta sponsalia. Si primùm post sponsalia emissum sit, probabiliùs in præjudicium alterius sponsi, vel sponsæ non obligat, nec matrimonio respectu hujus impedimento est, ex quo DEUS tale votum tanquam injustum, utpote promissionem rei alteri jam ex justitia debitæ, non acceptat. Panormit. in *c. veniens. 5. num. 5. Qui Clerici, vel vovent.* & alii Canonistæ *ibid.* Nisi fuerit votum ingrediendi religionem, quòd per se loquendo etiam obligat post contractum matrimonium ratum, sed non consummatum. *cap. 2. & 7. de Convers. conjug.* Sanchez *de Matr. lib. 1. disp. 43. num. 7.*

7 Impedimenta impedientia ex delicto orta, recensentur versibus sequentibus:

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulierit,
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solenniter, aut Monialem:
Accipiat. Prohibent hæc conjugium sociandum.

Incestus impedit matrimonium cum quacunque, si quis habuerit copulam cum consanguinea uxoris, vel sponsæ suæ saltem intra secundum gradum. *c. 20. causâ 32. q. 7. c. 1. & 2. de Eo, qui cogn. consang. ux.* juncto Trident. *sess. 24. de Ref. matr. c. 4.* Incestus cum Consanguinea propria tale impedimentum non inducit: cùm textus illud inducens non extet, nec impedimenta extendenda sint. Zoës. *d. t. de Eo, qui cognovit. n. 9.* Rmus Maurus Oberascher *de Matr. c. 4. §. 1.*

8 Per *raptum sponsatæ* intelligitur raptus sponsæ alienæ juxta *c. statutum. 34. causa 27. q. 2.* ubi dicitur: *statutum est à S. Conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, sine se conjugii*

junii maneat. Et quidem Sanch. *lib. 7. disp. 12. n. 45.* existimat nomine sponsæ hîc venire solùm sponsam de præsenti, eò quòd materia sit pœnalis. At Gloss. in *d. c. statutum V. rapuerit.* docet contrarium, & rectè: quia sine fundamento textus generaliter loquens de eo, qui sponsam alterius rapuerit; ad sponsam de præsenti restringitur, ex quo sponsa de futuro propriissimè sponsa salutatur.

9 *Mors mulieris* inducit impedimentum impediens, si quis uxorem suam ex ira, odio, aut vindicta occiderit. *c. interfectores. causâ 33. q. 2.* tametsi in adulterio deprehensam. *c. quicunque.* in verbis, *absque lege, & absque certa probatione d. q. 2.* non tamen incurreret, qui adulteram traderet Judici occidendam, ex quo id non faceret *absque lege.* An etiam ex viricidio, seu cæde mariti impedimentum hoc oriatur? in utramque partem probabiliter disputatur, magis tamen propendeo in affirmativam propter textum in *cap. 1. de Divortiis.*

10 De *susceptione propriæ sobolis* ex sacro fonte in *c. de eo. 5 causâ 30. q. 1.* habetur: *si conjuges legitimi, unus, aut ambo ex industria fecerint, aut filium suum de fonte susciperent, sin innupti permanere voluerint, bonum est: si autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur & simul maneant: & si prævaricator conjugii supervixerit, acerrimâ pœnitentiâ multetur, & sine spe conjugii maneat.* Quod procedit etiam, si parens malô animô filium suum ipse baptizet, vel in confirmatione levet. Bonacin. *de Matrim. q. 3 punct. 14. n. 17.*

11 *Presbytericidium* est impedimentum impediens, quando quis de eo convictus est. *c. 2. de Pœnit. & Remiss. & ibi* Panorm. *n. 1.* Barb. *n. 4.* contra Innocentium, & multos alios, qui immeritò, & contra juris regulas. pœnam præcisè de eo statutam, qui de presbytericidio convictus fuit ad alios non convictos, vel admodùm impropriè, sive (ut loquuntur) in foro conscientiæ convictos extendunt. Sanchez *lib. 7. disp. 7. n. 8.*

12 *Pœnitentia solennis*, ac *publica*, quæ antiquitus ob diversa crimina imponebatur, prohibet matrimonium duntaxat contrahere, quàm diu durat. *c. de his. 12. causâ 33. q. 2.* hodie verò, cùm pœnitentiæ publicæ in usu non sint, penitus cessat. Zoës. *h. t. n. 9.*

13 Ut *conjugium cum moniali*, seu virgine DEO consecrata impedimentum causet, non sufficit simplex solùm contractus matrimonii, quod inter tales ob impedimentum dirimens voti irritum est, sed requiritur contractus cum copula sacrilega subsecuta, ut innuit textus in *c. hi ergo. 13. causâ 27. quæst. 1.* & Gloss. *ibid.*

Cæterùm de impedimentis hujus generis, id est, de iis, quæ ex delicto proveniunt, tradunt DD. qui in diversis orbis partibus scripserunt, impedimenta ista per consuetudinem esse abrogata; sed quia consuetudo facti est, & DD. alibi scribentes vix de facto nostrorum locorum Germaniæ testari potuerunt, maximè cùm casus illi delictorum impedientium matrimonium rarò contingant, & inde vix consuetudo, vel desuetudo probari possit, tutiùs videtur, ut emergente tali casu saltem dispensatio ab Episcopo petatur, qui eam utique dare poterit, ut cum Nav. *lib. 4. consil. 9. de Consang. n. 5.* docet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. in fin.*

§. III.

14 *Causa efficiens* impedimentorum impediendum, alia est remota, alia proxima.

Remota est jus; insurgunt verò omnia impedimenta impedientia ex jure Ecclesiastico, exceptô impedimentô voti, & sponsalium, quod utrumque non tam ex dispositione, aut speciali SS. Canonum prohibitione, quàm ex natura rei & jure naturali impedit matrimonium, quandoquidem promissio sive DEO sive homini facta servanda est. Unde quoties de abrogatione impedimentorum impe-

impedientium quæritur, hæc duo impedimenta excipienda sunt, & extra quæstionem ponenda, ut quæ nec statuto, nec consuetudine, nec auctoritate Judicis (nisi quòd in votis dispensatio locum habeat) tolli possunt.

Causa efficiens proxima impedimentorum impedientium quænam sit? relucet ex dictis: etenim satis ostendimus, horum impedimentorum quædam non ex delicto, pleraque ex delicto originem trahere.

§. IV.

15 *Subjectum* impedimentorum impedientium sunt ii, quos impediunt à contrahendo matrimonio; cùm autem pleraque sint juris Ecclesiastici, solos fideles, ac baptizatos afficiunt.

§. V.

16 *Forma* horum impedimentorum consistit in eo, quòd citra irritationem matrimonii id reddant illicitum: in quo discriminantur ab impedimentis dirimentibus, utpote quæ obstant, ne matrimonium licitè, ac validè contrahatur.

§. VI.

17 *Effectus* impedimentorum impedientium est, quòd matrimonium impediant, id est, illicitum reddant, ita nimirum, ut ordinariè mortaliter peccet, qui cum aliquo impedimento impediente matrimonium contrahit: licèt enim SS. Canones id non exprimant, quia tamen versantur in materia gravi, & absolutè matrimonium interdicunt, vel spem conjugii adimunt, non minùs gravem obligationem inducent, quàm alia juris præcepta, quæ similiter absolutè prolata reperiuntur, & vix unquam determinant, an sub mortali, aut veniali peccato aliquid prohibeant. Dissentit Armilla *V. matrim. n.* 60. cum Ledesma, & aliis. Addidi verò: *ordinariè;* primum namque impedimentum impediens, scilicet interdictum Ecclesiæ, potest aliquando ex levi aut falsò præsumpta causa fieri, ita ut in foro conscientiæ, cessante scandalo, gravem obligationem non inducat, ut rectè notat Sanch. *l. 7. disp. 17.*

§. VII.

18 *Contraria* impedimentis impedientibus est dispensatio, quâ tolluntur. Potest autem in his ex justa causa dispensare non solum S. Pontifex, sed ex recepta consuetudine (quæ jus, & jurisdictionem tribuit per *cap. 4. de Arbitr.*) etiam Episcopus, seu Ordinarius, excepto impedimento voti perpetuæ castitatis, & religionis, & impedimento sponsalium, quorum dispensatio S. Pontifici reservata est. Armilla *l. cit. n.* 60. Bonacin. *de Matrim. q. 3. punct.* 15. *n.* 3. Sanch. *d. disp.* 17. *num.* 15. & Nos in *tit. I. n.* 127.

TITULUS XVII.
Qui Filii sint legitimi.

FRuctus, & effectus matrimonii sunt *filii legitimi;* qui tales sunt vel ex *legitimitate:* vel ex *legitimatione*, eâque vel *per subsequens matrimonium*, vel *per Rescriptum Principis*, vel *per oblationem Curiæ.*

Pars I.
De Legitimitate.

SUMMARIA.

1. Quid sit legitimitas? 2. Ex quo jure? 3. Usque 12. & ex quo matrimonio originem trahat? 12. Usque 16. Quinam liberi censeantur legitimi? 16. Legitima nativitas qua ratione probitur? 17. Quæ sint jura, ac prærogativa legitimorum?

§. I.

Definitur legitimitas, quòd sit legalis conditio natalium ex justis nuptiis parentum contracta. Brevius: quòd sit legitima nativitas. 1

§. II.

Causa efficiens legitimitatis duplex est: remota & proxima. 2

Remota est jus non tam naturale, quàm humana-

manum: *non enim fuit in principio* (inquit Justinianus *Novell.* 89. *c.* 1. *&* 9.) *quando natura hominibus sanciebat sola, antequam scripta procederent leges, quædam differentia naturalis, atque legitimi? sed primis parentibus primi filii etiam in ipso processu nati legitimi fiebant: & sicut in liberis, natura quidem fecit liberos omnes, bella verò servitutem advenerunt, sic etiam hinc nobis natura legitimos protulit soboles.*

Causa efficiens proxima legitimitatis est matrimonium: nam sicut matrimonium artificiosè introducit generi humano immortalitatem, *Novell.* 22. *in præfat.* & civitatem replet liberis hominibus. *l. dotium.* 1. *ff. Soluto matrim.* ita etiam facit, ut soboles in lucem edita legitimos aspiciat natales. *l. filium* 6. *ff. dubii, qui sui, vel alien. jur. sunt.*

Nec refert I. verum sit matrimonium, an præsumptum? quia matrimonium præsumptum quoad sui effectum nihil differt à matrimonio vero, cùm lex admittens præsumptiones, seu conjecturas ad probandum aliquem actum, eum sic probatum habet pro vero. Bald. in *l. cùm citra. C. de Jure dot.* Panorm. in *c.* 30. *de Sponsal.* Hinc filius susceptus ex sponsâ de futuro inter legitimos computatur. *c. per tuas.* 12. *& ibi* Fagnan. *n.* 2. *h. t.* Quod procedit in iis locis, ubi decretum Tridentini *sess.* 24. *de Ref. matr. c.* 1. publicatum, vel receptum non est: ubi enim promulgatum, receptúmque est, sublata sunt omnia matrimonia præsumpta, nec prosunt ad legitimitatem prolis, ut teste Fagnano *l. cit.* sæpiùs censuit S. Congregatio.

II. Nihil refert, verum sit matrimonium, an putativum? etenim impedimenti ignorantia Parentum, vel etiam alterius eorum filios legimos efficit, si præmissis, aut ex justa causa remissis denuntiationibus palam in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerint, & antequam iis impedimentum innotuit, liberos susceperint. *c.* 2. 8. 11. *&* 14. *h. t.*

An verò legitimi sint liberi concepti, aut nati ex matrimonio, de cujus valore coram Judice Ecclesiastico lis est? meritò quis *dubitet*: quandoquidem legitimitas liberorum fundatur in bona fide Parentum, vel saltem unius eorum. Gonzal. in *c.* 2. *h. t. n.* 7. Lite autem pendente & contestatâ præsumitur mala fides. *l.* 25. §. 7. *& ibi* Gloss. *ff. de Hæredit. pet.* Attamen cum affirmativa tranſeo, modò alter saltem conjux adhuc sit in bona fide, propter textum luculentum in *c.* 2. *h. t.* & rationem, quòd pendente lite ab Ecclesia toleretur usus matrimonii. *c.* 2. *ut lite pend. nihil iñovetur.* Covar. 2. *p. de Sponsal. c.* 8. §. 1. *n.* 7. ubi asserit filios legitimos esse, quantumvis eorum Parentes ob contumaciam in non comparendo durante lite essent excomunicati, & postea eis comparentibus sententia nullitatis fuisset sublecuta; imò etsi suscepti fuerint post primam sententiam, dum ab ea est appellatum, vel pendet terminus decem dierum ad appellandum à jure concessus. Nec obstat, quòd aliàs lite pendente & contestatâ præsumatur mala fides: id namque tantùm procedit in ordine ad restitutionem fructuum à possessore durante lite perceptorum, non quoad alios effectus, exceptâ fortè præscriptione: & speciatim in matrimonio obtinere non potest, ex quo lite durante matrimonii exercitium permissum est juxta *d. c.* 2. *Ut lite pendente.* 6

Nec refert III. an matrimonium inter personas æquales, vel inæquales, an cum, vel sine instrumentis dotalibus celebratum sit: siquidem matrimonium etiam inter personas impares honestate, vel maximis decoratas dignitatibus sine dotalibus instrumentis initum validum est, & per consequens liberi ex eodem progeniti legitimi sunt, non obstante *l.* 23. §. 7. *&* 8. *C. de Nuptiis. Novell.* 117. *c.* 4. relatâ in *auth. maximis decorati. C. d. tit.* tum quia 7

jus Civile, postquam contractus matrimonialis elevatus est ad esse Sacramenti, quoad ejus validitatem, & invaliditatem nihil omnino potest disponere; tum quia jus Canonicum *citatam legem, Novellam illam, & authenticam* absolutè corrigit hòc ipsò, quod inter impedimenta dirimentia non ponat inæqualitatem personarum, & defectum instrumentorum dotalium.

8 Nec refert IV. solenne sit matrimonium, sive clandestinum? cùm enim matrimonium clandestinum jure Decretalium verum, & proprium matrimonium sit, adeò, ut dissolvi non possit juxta *c. nec illud causâ* 30. *q.* 5 ideo Panorm. in *c.* 2. *de Clandest. desponsat.* expressè decidit, quòd proles nata ante publicationem matrimonii sit legitima, tametsi matrimonium nunquam fuerit publicatum, cùm publicatio non sit de matrimonii substantia. Aliud statuendum, si in loco aliquo vigeat decretum Tridentini, quo matrimonia clandestina penitus sunt annullata.

9 Connexa *controversia* est, an filii nati ex matrimonio invalido bonâ quidem fide, sed clandestinè contracto, sint legitimi, si post ipsorum nativitatem illud matrimonium ab Ecclesia approbetur?

Difficultatem facessit *c. quod nobis* 9. *h. t.* ubi dicitur: *si qui autem de clandestino matrimonio postmodum ab Ecclesia comprobato geniti fuerint, eos legitimos judices filios, & hæredes.* Cujus duplex sensus esse potest: *primus*, quòd nati, postquam matrimonium clandestinum, & quidem ex se invalidum, ab Ecclesia ob ignorantiam impedimenti approbatum est, sint legitimi; quod sine dubio verum, quandoquidem post approbationem Ecclesiæ matrimonium desinit esse clandestinum. *Secundus*, quòd legitimi sint liberi nati ex matrimonio clandestinè, & invalidè contracto ante approbationem Ecclesiæ, quæ deinde primùm subsequitur; quem sensum negat Glossa in *d. c. quod nobis. V. fuerint.* Panorm. *ibid. n.* 5. cum plurib. aliis, propterea: quòd cum tales filii ab initio sint nati ex matrimonio clandestino & invalido, & initio consequenter sint illegitimi, nec legitimentur per approbationem Ecclesiæ respectu matrimonii re ipsâ invalidi erroneè factam, ut quæ non est modus legitimandi. Verùm quia in pœnalibus & 10 odiosis benignior interpretatio sequenda est, & *d. c. quod nobis.* commodè recipit secundum sensum, existimem cum Sanchez *lib.* 3. *de Matri. disp.* 43. *num.* 4. & Covarr. *d. c.* 8. § 2. *n.* 16. ejusmodi liberos post approbationem Ecclesiæ legitimos esse censendos, maximè quia hæc approbatio facit, ut interpretatione juris tale matrimonium intelligatur ab initio in facie Ecclesiæ contractum juxta *c.* 2. *de Clandest. desponsat.* & purgat vitium clandestinitatis, tollitq; præsumptionem scientiæ, seu affectatæ ignorantiæ, quæ fuit motivum, ut tales liberi judicarentur illegitimi. *c. fin.* § *si quis verò Eod.*

Nec refert V. num inter fideles, vel infide- 11 les matrimonium contractum sit? *c. fin. h. t.* ubi disertè habetur, prolem natam ex matrimonio infidelium cum impedimento juris solùm Ecclesiastici contracto legitimam esse, & manere, etiam postquam ad fidem vel ipsa, vel parentes sunt conversi, idque ideo: quia ante conversionem lege Ecclesiasticâ non adstringebantur, & post conversionem matrimonium remanet indissolubile juxta *c.* 4. *Consang. & aff. c.* 8. *de Divortiis.* Pirrhing. *h. t. num.* 7.

§. III.

Subjectum legitimitatis, est partus, qui ex 12 justo matrimonio editus est *l. filium.* 6. *ff. de his, qui sui, vel al. jur.* Et talis habetur.

1. Partus, qui à die nuptiarum natus est mense septimo, *l.* 12. *ff. de Statu hom.* vel ad initium istius mensis: nam & qui 182. die nascitur, partus justus putatur, *l.* 3. *§. fin. ff. de Suis, & legit.* hi enim menses (ut aliàs in jure) lunares sunt, id est, continentes 30. dies, &

& sic 180. conficiunt sex menses, quibus si unam, alteramve diem addas, habebis initium mensis septimi, consequenter justum terminum nativitatis. Mynsing. *cent.* 6. *observ.* 40. *in fin.* imò ut hodie partus ex justo matrimonio natus censeatur, sufficit, quòd editus sit eo tempore, quo parentes in justo matrimonio degebant, licèt editus fuerit altero mox die: siquidem non tempus conceptionis, sed nativitatis attenditur, si hoc partui utilius, per famosum textum in *l. nuper.* 11. *C. de Natural. lib.* Richter *decis.* 80.

II. Partus, qui mense decimo post mortem viri ex vidua nascitur, justus nascitur, & prioris matrimonii partus esse creditur. *l.* 29 *pr. ff. de Liber. & posth. d. l.* 3. *§. penult. ff. de Suis, & legit.* Partus viduæ ultra undecim menses præsumitur ex alio, quàm ex marito conceptus, *Nov.* 39. *c.* 2. nisi adhuc in principio undecimi mensis natus sit. Clariss. D.D. Someting. *ad Instit. dissert.* 2. §. 1. aut vidua sit honestæ vitæ, & extra omnem suspicionem illiciti concubitûs vixerit. Sic enim aliquando Senatus Parisiensis partum 14. mensium legitimum judicavit, eò quòd mater esset matrona honestissimis moribus prædita: Gothofred. *ad d. Novel.* 39. *c.* 2. *lit. C.* Unde tota hæc res prudenti arbitrio Judicis relinquenda est; qui pro diversa mulierum existimatione, moribus, habitu, & valetudine æstimabit, quid de justitia, vel injustitia partûs judicandum sit?

III. Ut momentosa, ita difficilis *quæstio* est: quænam in dubio capienda sit præsumptio circa filiorum legitimitatem, & illegitimitatem? Mascard. *de Prob. concl.* 682. *n.* 1. & Covar. *de Matrim. p.* 2. *c.* 8. *§.* 3. *n.* 1. cum aliis generaliter docent, filium in dubio non præsumi legitimum, sed illegitimum: quia legitimitas pendet à matrimonio justo, & legitimo, nec potest præsumi pro legitimitate, quin præsumatur pro matrimonio; matrimonium autem, cùm sit quid facti, non præsumitur, ut tradit Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 1. Cui sententiæ tunc adstipulantur Cravett. *consil.* 166. & Castropal. *p.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 5. *n.* 3. si filius, de cujus legitimitate dubitatur, sit actor, ut si agat ad hæreditatem parentum capiendam; tali quippe casu existimant filio incumbere probare suam legitimitatem, per quam est capax successionis tanquam fundamentum suæ intentionis juxta *l.* 5. *& 22. ff. de Probat.*

Mihi absolutè hæc sententia displicet *primò*: quia honesta conjectura inhonestam præsumptionem elidit favore innocentis prolis, arg. *l. miles.* 11. *§.* 9. *ff. Ad Leg. Jul. de Adult.* ubi filius natus ex uxore, de adulterio convicta, præsumitur partus viri, & legitimus: & in dubio judicandum est pro legitimitate. arg. *c. later.* 5. *h. t.* ubi adversario opponenti illegitimitatem imponitur onus probandi, & præsumitur matrimonium in favorem liberorum. *Secundò*: quia in dubio præsumendum, quod honestum est, non quod inhonestum. Bald. in *d. l. filium. n.* 1. *ff. de his, qui sui, vel alien. jur.* & delictum non præsumitur, donec probetur. *l. meritò. ff. pro Socio.* Quare cùm necessum sit, filium nasci ex coitu licito, vel illicito, præsumendum est, natum esse ex licito, ac legitimo. Ita Gail. *lib.* 2. *Observ.* 97. *n.* 19. Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 54. *num.* 20. ubi testatur, hanc sententiam esse magis receptam.

Ad rationem oppositam expedita solutio est: nam, ut probavimus, in dubio, quando agitur de liberorum statu, præsumitur matrimonium. Et nunquid æquè concubitus illicitus, quàm matrimonialis est quid facti, quod præsumi non debet? ergo, cùm necessum sit, filium ex alterutro prognatum esse, & utrobique aliquid facti præsumendum sit, melius, & juri conformius est præsumere factum honestum, quàm inhonestum. Neque

verum est, filium actorem teneri probare legitimitatem, ceu fundamentum suæ intentionis: quoniam pro eo stat juris præsumptio, quæ onus probandi illegitimitatem in adversarium rejicit. *l.* 12. *ff. de Probat. l.* 16. *C. Eod.* Gail. *d. n.* 19.

15 Ex his efficitur, filios expositos legitimis accensendos, & consequenter Ordinum Claricalium, dignitatum, & successionum capaces esse: ex quo enim origo expositorum est incerta, & dubia, cùm constet, multos legitimos exponi, præsumi debet, illorum originem fuisse potiùs honestam, quàm turpem. Felin. in *c. cùm deputati* 16. *n.* 8. *de Judiciis.* Menochius, quem citat, & sequitur Clariss. D.D. Christoph. Chlingensperger *ad Instit. de Ingenuis. q.* 6.

§. IV.

16 *Forma* legitimitatis sita est in legitima nativitate, quæ dependet ex matrimonio parentum, & naturali procreatione fœtûs. Idcirco qui probat inter parentes legitimum fuisse contractum matrimonium, & post illud se ex iisdem per naturalem generationem descendisse, is simul probat, se legitimè natum esse per *d. l. filium.* 6. *ff. de his, qui sui, vel alien. jur.* ibi *filium eum definimus, qui ex viro, & uxore ejus nascitur.*

§. V.

17 *Effectus* legitimitatis sunt prærogativæ, quibus gaudent legitimi, quas inter principalis est, quòd quantùm ad dignitatem, gentem, & familiam patris, non matris conditionem sequantur. *l.* 19. *ff. de Statu hom. l.* 9. *ff. de Senatorib. l.* 36. *C. de Decurionib.* Et hinc jure feudali etiam nati ex patre nobili, matre verò ignobili, succedunt in feuda, licèt concurrant cum liberis æquali dignitate natis, ut servatur in Camera Imperiali teste Schurf. *cent.* 1. *consil.* 1. *n.* 17. Et etiam nati ex matrimonio putativo admittuntur ad fideicommissa, majoratus, & primogenituras, aliisque postea ex vero matrimonio natis præferuntur. Clariss. D. Hermanus Hermes in *Fasciculo Juris publ. c.* 18. *q.* 10. *n.* 18. ubi refert ita in facti contingentia judicatum esse.

PARS II.

De Legitimatione per subsequens Matrimonium.

SUMMARIA.

18. Definitur legitimatio per subsequens matrimonium. 19. Quo jure sit introducta? 20. Usque 25. Quale debeat esse matrimonium, ut per id proles naturalis legitimetur? 25. 26. Quinam legitimentur per subsequens matrimonium? 27. 28. Recensentur hujus legitimationis requisita. 29. Ejus effectus.

§. I.

Definitur legitimatio per subsequens matri-18 monium, quòd sit actus, quo liberi naturales per subsequens matrimonium cum eorum matre contractum efficiuntur legitimi.

§. II.

Causa efficiens legitimationis per subse-19 quens matrimonium est vel remota, vel proxima.

Remota est jus tum Canonicum, tum Civile: cùm legitimatio per subsequens matrimonium utroq; jure recepta sit, & approbata. Quòdsi jus Canonicum à jure Civili in causa legitimationis liberorum discordet, & agatur non de valore matrimonii, sed de ratione bonorum, & successionis, & super legitimatione incidenter, ac propter aliud, tenendum est jus Civile. Panormit. in *c. tanta n.* 12. *h.t.* ubi apertè fatetur, in legitimationibus quoad hæreditates & jura successionum inspici jus Civile, & non Ecclesiasticum.

Causa efficiens proxima hujus legitimatio-20 nis est matrimonium subsequens cum liberorum naturalium matre ritè & legitimè contractum: ea enim vis tributa est matrimonio, ut qui antea sunt geniti, post contractum inter paren-

parentes illorum matrimonium legitimi habeantur. *c.* 1. *&* 6. *h. t. l.* 5. 10. *&* 11. *C. de Naturalibus liber. Novel.* 74. *in prin.*

Neque refert I. matrimonium consummatum sit, an ratum tantùm? sufficit quippe solum ratum: tum quia legitimatio hæc pendet non à copula matrimoniali, sed à matrimonio: tum quia proles legitimari potest etiam per matrimonium in articulo mortis initum, de quo nulla spes est, consummatum iri. Barb. in *d. c.* 6. *t. n.* 8. P. Engel *Eod. n.* 9.

Neque refert II. sive immediatum, sive mediatum fuerit matrimonium? etenim si quis concubinam, ex qua naturales habet liberos, repudiat, & aliam in uxorem accipit, eâque mortuâ priorem concubinam ducit, nihil obstat, quò minùs liberi antea ex ea nati hòc ipsò fiant legitimi: quia nec leges, nec Canones plùs exigunt, quàm ut cum matre matrimonium contrahatur. Panorm. in *d. c.* 6. *n.* 3. *h. t.* Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 16. *th.* 2. *lit. A.* ubi argumenta contraria subvertit.

Nec refert III. num inter pares, vel impares genere matrimonium contractum sit? nam Patris nobilitas, ut matrimonio, ita nec legitimationi impedimento est, etiamsi concubina sit plebeiæ conditionis, ideóque liberos, qui ex vilissima fœmina, & nobilissimo viro ante contractum cum ea matrimoniũ procreati sunt, legitimos fieri, docent Natt. *consil.* 473 *n.* 38. Gail. *lib.* 2. *observ.* 141. *n.* 4. *&* 5. Franc. Bursat. *consil.* 10. *n.* 9. ubi asserit, ita à Rota Romana judicatum esse.

Utrùm verò legitimatio hæc procedat per matrimonium putativum? *biceps & anceps* est definire.

Affirmativæ patrocinatur Henric. Canis. in *d. c. tanta* 6. *h. t.* & Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 42. *n.* 2. ideo: quia matrimonium putativum bonâ fide contractum æquiparatur vero matrimonio in ordine ad legitimitatem prolis per *c.* 2. *&* 14. *h. t.* cur non etiam quoad legitimationem?

Negativam tuetur Zoës. *h. t. n.* 13. & Panorm. in *d. c. tanta. n.* 9. qui & rationem affert, assignando discrimen inter prolem ex matrimonio ab initio invalidè, bonâ tamen fide contracto, natam, quæ est legitima; & inter prolem natam extra matrimonium, cùm cujus matre deinde primum matrimonium bonâ fide, sed invalidè à parente contractum est: quòd in priori casu parentes operam dederint rei licitæ, non verò in posteriori. Alii suggerunt aliam rationem: quia vis legitimandi concessa est matrimonio, quod propriè tale est, cùm verba legum regulariter non secundùm quid, sed simpliciter, & in proprio significato accipienda sint. *l. non aliter.* 69. *ff. de Legat.* 3. & quod de jure nullum est, nullum sortitur effectum. *l.* 4. *§. condemnatum. ff. de Re judic.* atqui matrimonium putativum, ut constat, non est propriè matrimonium, sed secundùm quid, éstque de jure nullum. Ergo non potest habere vim, & effectum legitimationis.

Nec quempiam turbet ratio opposita: quandoquidem nullo jure evinci potest, matrimonium putativum æquiparari vero quoad legitimationem liberorum, aliud namq; est, matrimonio putativo concessum esse, ut proles inde nata sit legitima, quod est verum; aliud, prolem extra matrimonium illegitimè prognatam per matrimonium putativum legitimari, quod nullo textu expressum invenies, ejúsq; ratio diversitatis à Panormitano nostro indicata est, nimirum quia in matrimonio putativo ab initio est bona fides, unde proles inde nata non solùm legitimata, sed revera legima; in copula autem præcedente non est bona fides, ac proinde nec proles inde nata legitima, & quia nullum subsequitur propriè dictum matrimonium, nec ex pòst facto legitimabitur. §. III.

Objectum legitimationis per subsequens matrimonium sunt liberi naturales. Quam-

vis autem de rigore juris Civilis illi tantùm naturales legitimentur, qui ex concubina, quam quis unicam domi suæ retinebat, nascuntur. *d. § fin. Inst. de Nupt. t. t. C. de Natural. lib.* de jure Canonico tamen (quod praxis sequitur) omnes illi ad effectum legitimationis naturales dicuntur, qui ex talibus parentibus nati sunt, quos inter poterat consistere matrimonium, ita scilicet, ut nec consanguinitas, nec matrimonium cum alio contractum, nec aliud impedimentum dirimens intercesserit per *c. tanta. 6. h. t.* & *c. 20. ubi* Gloss. *de Electione.*

26 De eo *altercari* DD. video: an legitimatio hæc locum habeat, si proles ex incestuosa, aut adulterina copula sit concepta, sed ante nativitatem impedimentum per dispensationem, vel mortem uxoris adulteri sublatum fuerit?

Pro parte affirmante militant textus in *l. 5. in fin.* & *l. 8. ff. de Statu hom.* ubi regula traditur, quòd quoties de statu partûs agitur, illud inspiciatur tempus, quod proli est utilius, sive illud sit conceptionis, sive nativitatis, sive tempus intermedium. Et licèt leges illæ potissimùm de libertate prolis loquantur, idem tamen esse circa legitimationem, constat ex *l. nuper. 11. C. de Natural. lib.* ubi circa hanc ipsam materiam Imperator ita statuit: *Generaliter definimus, ut semper in hujusmodi quæstionibus, in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partûs tempus inspiciatur, exceptis his tantummodò casibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium conditionis utilitas exposcit.* Similia habentur in *Novel. 89. c. 8. ¶. insuper.* Et hanc sententiam tenent Sanch. *lib. 8. disp. 7. n. 19.* Covar. *de Matr. p. 2. c. 8. §. 2. n. 2.* Christoph. Blumlach. *de Retract. gentil. p. 1. th. 6. n. 14.*

Ab altera verò, & parte negante stant primò textus in *d. c. tanta. 6. h. t.* qui ita habent: *si autem vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & ex ea prolem suscepterit, licèt post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius*, ubi non distinguitur, an ante, vel post nativitatem prolis uxor sit mortua. *Secundò l. Paulus 11. ff. de Statu hom.* ubi dicitur, *eum qui vivente patre, & ignorante de conjunctione filia conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justum filium ei, ex quo conceptus est, esse non videri.* Unde, ut explicat Gloss. *ibid.* habetur, quòd proles ex filia, quæ sine consensu patris de jure Civili invalidè nupsit, concepta maneat illegitima, quantumvis tempore nativitatis patre jam mortuo matrimonium potuerit subsistere. *Tertiò*: quia ut proles dicatur naturalis, vel adulterina, aut ex damnato coitu nata, non dependet quomodocunque à conditione parentum, sed à qualitate copulæ inter eos habitæ, quæ qualitas semel conjuncta copulæ semper eam denominat, quantumcunque conditio parentum mutetur; consequenter proles adulterina dicitur, quæ ex adulterio nata est, tametsi ante ejus nativitatem pater uxore suâ mortuâ fuerit solutus. Atque hujus sententiæ sunt Suarez, Layman, Pirrhing, Perez, & cum his Clarissimus D.D. Gletle in *qq. select. ex 1. p. ff. q. 7. num. 4.*

Ego putem, in praxi sequendam esse affirmativam, ut innocentium liberorum legitimitati consulatur; in theoria verò utramque probabiliter sustineri posse.

§. IV.

Forma legitimationis per subsequens matri- 27
monium desumitur à requisitis: quæ inter

Primum est, matrimonium inter parentes, ex quibus concepti, vel nati sunt liberi ante matrimonium legitimè contractum: nam sola sponsalia non sufficiunt: ratio est, quia legitimationis effectus nominatim adscribitur matrimonio. *d. c. tanta. h. t. §. fin. Inst. de Nupt. l. 5. 10. & 11. C. de Natural. lib. Novel. 19. & 89. c. 11.*

Alterum requisitum est, ut si libori ejus

ætatis

gnatis sint, ut consentire possint, ipsi assensum suum legitimationi peragendæ interponant, vel adulti facti eandem non revocent, si enim solvere jus patriæ potestatis invitis filiis non est permissum patribus, multò magis sub potestatem redigere invitum, & nolentem per quamlibet machinationem justum non est. *Novel.* 89. *c.* 11. Nec hoc jure Canonico mutatum est, ut solidè probat Clariss. D D. Gletle *ubi supra q.* 8.

Tertiò nonnulli dotalia, sive nuptialia instrumenta desiderant, eò quòd in omnibus legibus, ubi de legitimatione agitur, horum instrumentorum fiat mentio, positis sæpe duobus ablativis absolutis, qui in conditionem resolvuntur *d.* §. *fin. Inst. de Nupt.* §. 2. *Inst. de hæred. quæ ab intest. defer. l.* 5. 6. 10. *&* 11. *C de Natural. lib. Nov.* 12. *c.* 4. *Novel.* 18. *c. fin. Novel.* 19. *Nov.* 74. *Nov.* 78. *c.* 3. *Novel.* 89. *c.* 8. Quibus tamen omnibus non obstantibus, hujusmodi instrumenta ad legitimationis effectum nec jure Civili, nec jure Canonico requiri docet Zoës. *ad ff. de Concub. n.* 5. Certè moribus nostris his opus non esse testatur Wesenbec. *consil.* 44. *n.* 44. Samuel Stryk. in *Usu modern. Pandect. ad tit. de his, qui sui, vel alien. jur. n.* 9.

§. V.

29 *Effectus* legitimationis per subsequens matrimonium est, quòd purget vitia præcedentia, & legitimatis plenum jus liberorum legitimorum tribuat Gloss. & D. D. in *c. tanta. h t.* Hinc sic legitimati I. in dispositione hominis, & statutorum veniunt sub nomine legitimorum, der vollbürtigen/ und ehrlich gebohrnen Kinder/ iisque literæ natalitiæ, Geburts-Brief dari possunt, quòd nati sint ex probis, honestisque parentibus, ac thoro legitimo. Richter *p.* 2. *decis.* 80. *n.* 17. II. Patris quantumvis illustris nobilitatem consequuntur, & arma, ac insignia paterna, seu familiæ deferre possunt, omniáque jura agnationis habent. Myler. ab Ehrenbach in *Gamol. Princip. c.* 24. *n.* 2. III. Parentibus, & aliis agnatis, aut cognatis unà cum liberis legitimè natis ex æquo succedunt. *l.* 10. *& seqq. C. de Natural. lib. Novel.* 12. *c. fin. Novel.* 74 *c.* 2. *Nov* 89. *c.* 8. & non solùm in bonis allodialibus, sed etiam generali consuetudine, quæ optima legum interpres, in feudalibus. Gail. 2. *observ.* 140. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 42. ubi Cameram Imperialem ita judicâsse refert: in Regnis; Besold. *de Success. regia l.* 1. *dissert.* 9. *n.* 8. in Electoratibus; Martin. Rumælin. *ad aur. Bull. dissert.* 6. *concl.* 12. & in aliis dignitatibus Regalibus, Bursat. *consil.* 10. *n.* 8. *vol.* 1. atque etiam in jure primogenituræ, & majoratûs. Besold. *d. dissert.* 9. *n.* 8. IV. Admittuntur ad officia, & dignitates in utroque foro, tam politico, quàm Ecclesiastico, & quidem etiam ad dignitatem Episcopalem, quamvis in *c. cùm in cunctis.* 7. *de Elect.* requiratur, ut eligendus sit legitimè natus. Barb. in *d. c. tanta. n.* 24. cum communi; quidquid dubitet Fachinæus 4 *controv. c.* 54. Excipitur solùm dignitas Cardinalitia, ad quam tales legitimati aspirare specialiter prohibentur in Bulla Sixti V. quæ incipit: *Postquam*, edita Anno 1590.

PARS III.

De Legitimatione per Rescriptum Principis.

SUMMARIA.

30. Definitio legitimationis per rescriptum Principis. 31. Origo. 32. 33. 34. Quibus competat jus legitimandi per rescriptum? 35. 36. Quinam per rescriptum legitimari possint? 37. Usque 41. Requisita hujus legitimationis. 41. 42. Ejusdem Effectus.

§ I.

Definitur legitimatio per rescriptum Prin-30 cipis, quòd sit actus, quo Princeps liberos naturales jubet esse legitimos.

§. II.

§. II.

31 *Causa efficiens* legitimationis per rescriptum Principis alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Civile Romanum: siquidem modus iste legitimandi à Justiniano Imperatore primò inventus est juxta *Novell.* 89. *c.* 9. deinde verò ab Innocentio III. Pontifice receptus, & approbatus in *c. per venerabilem.* 13. *h. t.*

32 *Causa efficiens proxima* hujus legitimationis est princeps; quo nomine hìc venit Princeps supremus, aut alia potestas non recognoscens superiorē: quia legitimatio naturalium est ex linea præcipuorum jurium Majestatis, éstque de reservatis Principis per *l.* 3. *ff. de Natalib. restit. d. Novell.* 89. *c.* 9. & *c.* 13. *h. t.* Alii verò inferiores legitimare non possunt, nisi ex privilegio, vel commissione. Clariss. D. Hermes in *Fascic. jur. publ. c.* 11. *n.* 125. In specie potestas legitimandi jure proprio competit.

33 I. S. Pontifici, qui quoad Ordines, dignitates, & beneficia Ecclesiastica legitimare potest Christianos omnes ubicunque existentes, cùm in spiritualibus habeat supremam potestatem in quoscunque Christianos. Quoad temporalia, puta quoad successiones & politica munera regulariter non legitimat, nisi eos qui etiā temporali jurisdictioni Ecclesiæ sunt subjecti, aut quando Summi Principes ultrò suos illegitimos ejus potestati subdunt *d. c.* 13. *h. t.* aut nisi aliàs communis necessitas Ecclesiæ, & salus animarum id requirat, quo casu etiam potestatem circa temporalia exercere solet. DD. in *c. novit.* 13. *de Judiciis.* aut nisi prolē legitimet dispensando in radice matrimonii: quippe talis legitimatio plenissima est, & respectu omnium etiam alioquin Ecclesiæ quoad temporalia non subditorum effectum habet tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. Dicitur autem tunc fieri legitimatio in, vel ex radice matrimonii, quando S. Pontifex post matrimonium invalidè contractum non tantùm dispensat super impedimento matrimonii, sed insuper legitimat ipsum matrimonium, & prolem, tollendo retrò omnem defectum, & impedimentum, quasi ab initio matrimonium validum fuisset: quam potestatem S. Pontifici competere probat Barb. *in d. c.* 13. *n.* 4. *h. t.* Sanchez *l.* 8. *disp.* 7. ubi latè ostendit, quando S. Pontifex in radice matrimonii dispensare, & prolem legitimare censeatur. Certè nisi id sufficienter exprimat in literis dispensationis, non creditur uti hâc potestate.

34 II. Jus legitimandi in Imperio nostro competit Imperatori, qui id exercet vel ipse, vel per alios, etiam per Judicium Imperii Aulicum, & Comites Palatinos. Attamen isti illegitimos Nobilium legitimare non possunt, nisi specialiter eis hoc concessum fuerit, quo ipso tamen casu hæc facultas nobiles legitimandi ad Baronum, Comitum, aliarúmque Illustrium personarum filios legitimandos non porrigitur. Nolden *de Statu nobil. c.* 16. *th.* 15. Sed prout diplomata super concessis comitivis testantur, S. C. Majestas hanc potestatem sibi soli reservat, eámque expedit per Judicium suum Aulicum, cui supplicantes preces suas offerre debent, & hoc deinde S. C. Majestati referri curat, atque demum id, quod S. C. Majestas desuper decrevit, per Cancellarium Imperialem expediri facit. *Capit. Leopold. art.* 44.

Porro Electores, Principes, & cæteri Status Imperii stando in jure communi legitimandi potestatem non habent. Ast hodierna observantia sicut aliàs sæpe, ita etiam hìc defecit à communi jure. Vid. Myler. *de Princip. & Statib. Imp. p.* 2. *c.* 54. Limnæus *lib.* 2. *Juris Publ. c.* 9. *n.* 142. Sam. Stryck. *in usu modern. Pand. ad titulum de his, qui sui, vel alien.* §. 14.

§. III.

35 *Objectum* legitimationis per rescriptum; Prin-

Principis constituunt liberi, qui per eam in numerum legitimorum referuntur. Debent autem ii esse naturales, & subditi.

Naturales: quoniam ex damnato coitu sive incestuoso, sive adulterino, sive sacrilego nati de jure legitimari non possunt, ut colligitur ex *Novel.* 74. & *Novel.* 89. *c. ult.* Si tamen Princeps utatur plenitudine potestatis, potest etiam ex damnato concubitu natos legitimare: ex quo enim omnis differentia inter legitimos, & illegitimos est jure tantùm humano introducta, poterit illud Princeps, utpote superior abrogare. Quod & usus Germaniæ comprobat, dum passim spurii, seu ex damnata conjunctione nati legitimantur, & ipsis quoque Comitibus Palatinis hæcce facultas legitimandi tribui solet ab imperatore, teste Sam. Stryk. *l. cit.* §. 15. Exigunt verò hìc DD. ut in supplicatione ab impetrante exprimatur qualitas prolis illegitimæ, an sit naturalis, an spuria? & nec hoc satìs, si ita in genere dictum fuerit, esse spuriam; sed ulteriùs exprimendum in specie, ex quo vitio sit spuria. Covarr. *de Matr. p.* 2. *c.* 8. §. 9. *n.* 1. *& seqq.*

Debent etiam liberi, ut per rescriptum Principis legitimari possint, esse *subditi* legitimantis: tum ob textum expressum in *c.* 13. *h. t.* tum quia legitimatio est actus jurisdictionis, qui nonnisi in subditum exerceri potest. *t. t. C. Si non à compet. jud.* Hinc Princeps subditum alterius nec quoad bona, quæ sunt in suo territorio, etiam patre consentiente, legitimare potest. Panorm. in *d. c.* 13. *n.* 23. Potest tamen legitimare proprium suum filium, ut videtur innuere Pontifex, licèt sub aliquali dubio in *cit. c.* 13. & facit *l.* 3. *C. de Natural. lib.* ibi: *indignum est, ut qui sacratissimæ urbis ubere gloriatur, naturales suos non illustri ordine civitatis illuminet.* Quamvis meliùs fecerit Princeps, si à tali legitimatione abstineat. Gloss. in *d. cap.* 13. *V. tanquam Princeps.*

§. IV.

Forma legitimationis per rescriptum Prin- 37
cipis consistit in requisitis, quæ plura.

Primum est, ut filii per matrimonium legìtimari non possint, fortè quòd mulier mortua, aut cum honore duci nequeat; si enim mediante matrimonio legitimari possint, non est locus legitimationi per rescriptum Principis. *Novell.* 74. *c* 1. & *Novell.* 89. *c.* 9. propterea, quia legitimatio per rescriptum est remedium extraordinarium, quod cessat suppetente remedio ordinario. *l.* 16. *ff. de Minorib.*

Secundum est, ut nulli adsint liberi legitimi. 38
d. Novel. 74. *c.* 1. *&* 2. Ratio est in promptu: quia aliàs hæc legitimatio cederet in præjudicium legitimorum liberorum, quibus regulariter Principes nolunt favoribus suis præjudicare. *Regulariter*, inquam: nam absolutè loquendo potest Princeps ex plenitudine potestatis illegitimum elevare ad statum legitimorum, licèt extent liberi legitimi, vel concubina in uxorem duci possit; sed non intelligitur id voluisse facere, nisi supplicans in supplicatione, & Princeps in rescripto expresserit. Mynsing. *cent.* 1. *observat.* 15. Zoël. *ad ff. de Concub. n.* 19.

Tertium requisitum est, ut vel pater libello 39
supplici legitimationem à Principe exoret, vel filius post mortem patris productô testamentô, quô, ut legitimaretur filius, pater desideravit. *Novel.* 74. *c.* 2. §. 1. *Nov.* 89. *c.* 9. §. 1. *& c.* 10. Potest tamen Princeps, & moribus hodiernis solet, absoluta potestate ad solam instantiam liberorum illos legitimare, ita tamen ut legitimationis effectus solùm restringatur ad legitimatum, nec extendatur in patris, aliorumque præjudicium. Sam. Stryk *ubi supra* §. 18.

Quartum requisitum est, ut liberi consen- 40
tiant: quoniam invitis beneficium legitimationis non confertur. *d. Novel.* 89. *c.* 11. Sufficit tamen tacitus consensus, & quòd non

contradicant, aut si ex pòst facto legitimationem ratificent; quamobrem etiam infans legitimari potest, ut benè notat Zoës. *h. t. n.* 17.

Scrupulò non caret: an ad valorem hujus legitimationis requiratur consensus agnatorum, & cognatorum alias ab intestato succedentium? Quod nego, partim quia nulla lex hunc consensum exigit, erubescimus autem sine lege loqui: partim quia agnati, & cognati nondum habent jus aliquod, sed tantùm spem ad bona, eámque remotam. Ad hæc cùm pater ipse bona, quæ ultra legitimam liberis debitam habet, cuivis extraneo liberè relinquere valeat, quid prohibet, si à Principe impetret, ut liberi naturales tanquam legitimè nati in reliquis bonis succedant? Zoël. *ad ff. de Concub. n.* 21. Myler. *de Princip. & Statib. Imper. p.* 2. *c.* 54. *n.* 3.

§. V.

41 *Effectus* legitimationis per rescriptum Principis est, quod liberos illegitimos justos faciat, & legitimos. Pro cujus exactiore notitia.

Dico I. Si legitimatio fit à S. Pontifice in radice matrimonii, legitimatus plenè quoad omnia quasi ab initio legitimus habetur. Panorm. in *c.* 13. *n.* 22. *h. t.* Covar. *d. c.* 8 §. 8. *n.* 42. Extra hunc casum legitimatus per rescriptum Pontificium legitimus est in ordine ad officia, honores, & dignitates Ecclesiasticas, nisi ubi de jure, vel statuto specialiter requiritur, aliquem esse legitimè natum; quocirca hodie juxta statuta particularia talis legitimatus à Canonicatibus Germaniæ repellitur, & jure communi ad Episcopatum admitti non posset propter text. in *c.* 7. *de Elect.* ibi: *de legitimo matrimonio sit natus.* Similiter non recipitur ad Prætorium Rotæ Romanæ, ut refert Ludovic. Gomez in *Regul. Cancell. de Possessore triennali. q.* 2. atque hac de causa Philippus Decius, tametsi à Romano Pontifice hoc munus ei delatum esset, ab eodem Prætorio rejectus est.

Dico II. Si legitimatio fiat à Principe sæcu- 42
lari legitimatus instar legitimi habilitatur ad officia, & dignitates sæculares, nisi speciali statuto, vel consuetudine obtentum sit, ut quis ex legitimo matrimonio prognatus sit; qua de causa ejusmodi legitimatus nec Assessoris officio in Camera Imperiali, nec Consiliarii Principis munere defungi, aut Doctoris titulò insigniri potest. Mynsing. 4. *observ.* 31. Blum. *Process. Cameral. tit* 7. *n.* 31. Præterea talis legitimatus admittitur ad successionem legitimam, sed non ita plenè, sicut legitimatus per subsequens matrimonium: quippe in bonis allodialibus tum demum parenti suo naturali succedit, si justi, & legitimi liberi deficiant. *Novel.* 89. *c.* 9. *& c.* 11. *§.* 1. à feudis autem præcipuè Regalibus majoribus, atque dignitatibus penitus excluditur. *§. naturales* 2. *feud.* 26. Myler. *in Gamol. Princip. c.* 25. *n.* 2. *& seq.* neque ad jus primogenituræ, vel majoratûs admittitur. Covar. *var. resol. lib.* 3 *c.* 7. *n.* 7. nisi in ordine ad illa speciali gratia legitimatus sit, quod Princeps absolutus potest ex causa necessitatis, vel utilitatis publicæ. Clariss. D.D. Hermes *in Fascic. Juris publ. t.* 11. *n.* 130. Gail. 2. *observ.* 142. *n.* 15.

PARS IV.

De Legitimatione per oblationem Curiæ.

POstremus legitimandi modus fit *oblatione Curiæ*, qua pater liberos naturales, vel defuncto patre liberi semetipsos Curiæ, seu ordini Decurionum offerunt, aut si pater filias hominibus curialis conditionis copulat. *§. fin. Inst. de Nupt. l.* 3. *C. de Natural. lib. Novell.* 89. *c.* 2. At mutatâ hodie Reip. formâ hic modus à Curia recessit, nec oblatio Monasterii, & ingressus religionis in ejus locum (ut quidam volunt apud Card. Tusch. *lit. L. conclus.* 228. *n.* 10. *&* 47.) successit. Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 2. *th.* 6. *lit. c.*

Ti-

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari?

SUMMARIA.

1. Quid sit accusatio matrimonii? 2. quo jure. 3. 4. quibus. 5. contra quos competat? 6. usque 11. quæ sint ejus requisita? 11. quis effectus?

HActenus de Matrimonio, ejus impedimentis, ac effectibus. Nunc de illius dissolutione acturus S. Pontifex præmittit matrimonii accusationem.

§. I.

1 *Definitur* accusatio matrimonii, quòd sit impedimenti, ob quod matrimonium inter conjuges consistere nequit, coram competente Judice legitimè facta allegatio.

§. II.

2 *Causa efficiens* accusationis matrimonii est jus Canonicum permittens hanc accusationem, eò quòd Reip. intersit, ne conjuges, quos inter aliquod impedimentum matrimonii intercedit, sub specie conjugii impunè adulteria, & incestus committant.

§. III.

3 *Subjectum* accusationis matrimonii aliud est activum, aliud passivum.

Subjectum activum sunt, qui matrimonium accusant. Possunt autem accusare matrimonium non tantùm conjuges, vel ii, quorum interest, sed etiam extranei quicunque, quibus fortè impedimentum aliquod innotuit, dummodo aliunde talis accusatio non præsumatur malitiola. *c. 3. h.t.* Idcirco repelluntur ab accusando matrimonium, qui ad extorquendam pecuniam accusationem intentant, aut minantur *c. 5. Eod.* sicut & illi, qui tempore denuntiationis factæ tacuerunt, nisi denuntiationem probabiliter ignorârint, vel jurent de calumnia, quòd ea, de quibus deposituri sunt, primùm postea didicerint. *c. fin. h.t.*

Quæstionis est: sitne audiendus accusator, 4
si post lapsum 30. vel 40. annorum à die contracti matrimonii accusationem intentet? Et quòd audiendus sit, non dubito, si modò paratas probationes offerat, vel aliàs suspicionem purget: neque enim matrimonium ab initio invalidum tractu temporis convalescit, aut mediante præscriptione impedimentum tollitur. Ex quo sequitur, quòd etiam actioni, vel accusationi præscribi nequeat, ex quo causa accusandi, & delictum conjugum contrahentium in statu adulterii, & incestûs perdurat: neque accusator contractum matrimonii ante triginta annos factum, sed statum præsentem conjugum accusare intendit. In eo tamen præscriptio obtinere potest, ut post mortem conjugum 30. imò 20. elapsis non possit disputari de valore matrimonii præteriti etiam ab iis, quorum interest, matrimonium nullum fuisse, v. g. ad effectum excludendi filios, aut nepotes, tanquam illegitimos, à successione fratrum, & consanguineorum, patris, aut avi, ut advertit Oldentorp. in *Consil. Marburg. vol. 2. consil. 2.* quandoquidem hocce casu nihil obstat, quò minùs dispositio juris communis locum habeat, quo actiones civiles quæcunque post 30 aut 40. annos, accusationes criminum verò 20. annorum spatiô extinguuntur juxta textum, & receptissimam doctrinam Bartol. in *l. querela. 12. C. Ad Leg. Cornel. de fals.*

Subjectum passivum accusationis matrimo- 5
nii sunt conjuges, quorum matrimonium per accusationem arguitur, & impugnatur: ii scilicet, qui cum periculo animæ, aut peccato instar conjugum cohabitant, cùm conjuges non sint. Unde ab extraneis accusari non potest matrimonium eorum, cujus nullitas provenit ex defectu consensûs, ut puta ex errore statûs, metu, fictione: quia si scienter conjuges cohabitare velint, & ita consensum matrimonialem redintegrare, modò aliud

impedimentum non subsit, possunt, nec Ecclesia se debet opponere, per *c. si quis ingenuus. §. si voluerit. causâ 29. q. 2. c. 2. de Conjugio servor.*

§. IV.

6 *Objectum* hujus accusationis est matrimonium, quod ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis, vel alium defectum rescindi petitur. *c. 1. h. t.* Potest autem accusatio proponi, & impedimentum allegari pluries, etiam postquam jam pro matrimonio judicatum fuit: nam si aliàs non sit præsumptio contra accusantem, quòd malitiosè quæstionem moveat, per exceptionem rei semel, aut læpiùs judicatæ, accusatio excludi non potest: cùm sententia circa matrimonium nunquam transeat in rem judicatam: quidquid enim pronuntiet judex, si à parte rei subsit impedimentum, non convalescet tale matrimonium, sed tales putativi conjuges re ipsâ in perpetuo incestu vivent, consequenter cognitâ quandocunque rei veritate separari debent. *c. lator. 7. & ibi* Gloss. & DD. *de Sentent. & re judic.*

§. V.

7 *Forma* accusationis matrimonii stat in modo eam deducendi in judicium. Ut verò ritè deducatur.

Requiritur I. Ut proponatur coram judice competente, qui est Episcopus, seu Ordinarius. Quare si factâ publicatione matrimonii aliquod impedimentum opponatur, licèt possit Parochus interdicere matrimonium, non tamen debet de impedimento cognoscere, sed res deferenda est ad Ordinarium per *c. fin. in fin. de Clandest. desponſ.* Etenim causæ matrimoniales non sunt tractandæ per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi. *c. 1. de Consang. & affinit.* & ibi Gloss. in *V. potestatem.* Nempe per Episcopos, ut disertè constituit Trident. *sess. 24. de Reform. c. 20.* Non tamen improbandum est, si in Diœcesibus majoribus extra urbem principalem Archidiaconis quoque dictæ causæ ab Ordinariis committantur, ut in Salisburgensi fieri solet. P. Engel *de Officio Archidiaconi n. 4.*

II. Requiritur, ut accusator ipse, sicut & testes personaliter compareant coram judice, & de impedimento deponant unà cum circumstantiis, non per litteras, nisi alia legitima adminicula suffragentur. *c. 2. h. t.* sicut in causa criminali, cui ut plurimùm coæquatur causa matrimonialis propter grande præjudicium, & periculum, quod involvit. 8

III. Requiritur, ut tam accusatores, quàm testes juramentum præstent, quòd neque gratiâ, neque pretiô, neque timore, vel odio alicujus matrimonium accusent, aut contra eos, de quorum conjugio agitur, testimonium perhibeant, sed potiùs, quia credunt ita verum esse, ut à suis antecessoribus audiverunt. *c. 5. & 8. causâ 35. q. 6.* 9

IV. Requiritur, ut impedimentum allegatum, seu oppositum legitimè probetur. Ubi matrimonium contrahendum secernendum est à matrimonio defacto contracto. Si agatur de impedimento, quando contractus matrimonialis de præsenti celebratus nondum est, sufficiunt etiam semiplenæ probationes, unus v. g. testis, etiamsi ille sit denuntiator impedimenti. *c. 12. de Sponsal. c. 2. de Consang. & Affin.* Item communis, ac publica fama. *d. c. 2. & ibi* Panorm. *n. 4 & 5.* aut alia indicia, & conjecturæ morales, non etiam sola fama privata, quamvis hæc non immeritò inducat judicem ad inquirendum ex officio super impedimentum. *c. 3. de Divortiis.* Sin verò agatur de matrimonio defacto jam contracto dissolvendo, tum plenæ, & completæ probationes necessariæ sunt, puta, duo testes jurati, & omni exceptione majores. *c. 1. de Consanguinitate, & affinitate. c. super eo 22. de Testibus.* Covar. 4. *Decretal. 2. p. c. 8. §. 12. n. 7. & 8.* Est enim causa ardua, ac magni præjudicii, & plerumque faciliùs aliquid impe- 10

peditur fieri, quàm factum resolvatur: unde quoque in dubio semper magis pro matrimonio semel contracto, quàm contra est pronuntiandum per *c. fin. de Sent. & re judic.*

§. VI.

1 *Effectus* hujus accusationis est rescissio matrimonii, impedimentô, quod obstabat, legitimè probatô. *c. consanguineos. 1. causâ* 35. q. 7. Judex tamen, antequam divortii sententiam pronuntiat, omnes circumstantias, tam accusatoris, & testium, quàm conjugum diligenter expendet.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

SUMMARIA.

1. Divortium quid nominis? 3. Quid rei? 4. Quotuplex? 5. Quæ ejus origo? 6. Causa divortii quoad vinculum. 7. Usque 13. Causa divortii quoad thorum. 13. Divortii objectum. 14. Requisita. 15. Et seqq. Effectus.

POst accusationem matrimonii, & legitimam allegati impedimenti probationem sequitur sententia *divortii*, quo de in præsenti.

§. I.

1 *Divortium* vel à diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. Text. in *l. 2. pr. ff. h. t.* & *l.* 191. *ff. de Verb. signif.*

§. II.

2 *Synonymum* Divortii est repudium: solent enim hæc duo promiscuè accipi, & passim confundi, ut in *l. 3. & 4. ff. h. t.* revera tamen differunt: siquidem divortium propriè consistit inter eos, qui jam actu matrimonium contraxerunt, repudium verò inter illos, qui solùm sponsalia celebrârunt. Unde si sponsa recedat à sponso, dicitur repudiâsse, non divortisse & uxor si recedat à viro, non propriè dicitur repudiâsse, sed divortisse. *l.* 101. §. 1. & *d. l.* 191. *ff. de V. S. l. quidquid* 48. *ff. de R. J.*

§. III.

Definitur Divortium, quòd sit legitima mariti, & uxoris separatio. Colligitur ex *d. l.* 101. *§.* 1. *& l.* 191. *ff. de V. S.* 3

§. IV.

Dividitur Divortium in divortium quoad vinculum, & in divortium quoad thorum & cohabitationem. Divortium quoad vinculum contingit, si matrimonium quoad substantiam penitus & in perpetuum rescinditur, ita ut ad secunda vota transire liceat. Quoad thorum, seu cohabitationem divortium fieri dicitur, cùm conversatio mutua conjugum ad tempus, vel nullâ temporis habitâ ratione dissolvitur, salvo manente vinculo conjugali, ita ut altero vivente neutri liceat cum alio iterare nuptias. 4

§. V.

Causa efficiens divortii est vel remota, vel proxima. 5

Remota est jus, quo divortendi licentia, ac potestas tribuitur: quamvis enim eâ mente, eáque animi destinatione matrimonium contrahatur, ut nonnisi morte dirimatur, conjuges perpetuò usque ad finem vitæ sibi cohabitent, omniáque tam divina, quàm humana jura communia habeant, juxta *l. 1. ff. de Ritu nuptiarum*, jure tamen permissum esse, & ex justis causis licere divortium, quotidiana Ecclesiæ praxis ostendit.

Causa efficiens proxima divortii, sunt modi, quibus divortium tum quoad vinculum, tum quoad thorum & cohabitationem inducitur. 6

Divortium *quoad vinculum* inducitur *primò*, morte naturali alterutrius conjugis. *Ad Rom. 7. ℣. 2. & 1. ad Cor. 7. ℣. 39. Secundò* conversione infidelis ad fidem, si alter maneat infidelis, & fideli vel omninò nolit cohabitare, vel non sine gravi scandalo, & injuria fidei. *c. 7. & 8. h. t. Tertiò* solenni professione religionis emissâ ante consummationem matrimonii. *cap. 7. de Convers. conjug.* Tridentin.

sess. 24. de Matrim. can. 6. Quartò dispensatione S. Pontificis: eum enim in matrimonio rato tantùm dispensare posse, cum communi docet Zoël. *h. t. n. 9.* Quintò sententiâ Judicis, quâ conjugium propter aliquod impedimentum dirimens declaratur nullum, & conjuges separantur juxta *c. 3. h. t.*

7 Causæ, quibus *quoad thorum, & cohabitationem* divortium inducitur, sunt plures.

Prima est periculum animæ, ut si conjux conjugem sollicitet ad gravia peccata, puta hæresim, veneficium, aut sacrilegium; atque hac de causa etiam peti potest divortium, si alter conjugum post contractum matrimonium labatur in hæresim, vel apostasiam, ob maximum periculum perversionis: paradoxum namque est, cum heterodoxo vivere orthodoxum. *c. 2. 6. & 7. h. t. c. idololatria. causâ 28. q. 1.* P. Engl. *h. t. num. 20. & 22.*

8 *Altera* causa est periculum vitæ, & corporis. Hinc si alter conjugum incidat in morbum contagiosum, ex quo judiciò Medicorum alteri periculum imminet, sanus ab illo separari poterit. Sanchez. *lib. 9. de Matr. disp. 24. n. 26. & seqq.* Similiter divortium, seu separatio conjugum fieri potest, si sævitia viri talis sit, ut uxor vel de vita, vel de alio gravi corporis malo periclitetur; nisi maritus sufficienter caveat de non offendendo, per pignora scilicet, aut fidejussores, vel si hæc non habeat per proprium juramentum, modò talis sit ejus persona, ut juramento ipsius, vel alii cautioni verisimiliter credi possit. Text. & DD. in *c. literas 13. de Restit. spoliat.*

9 *Tertia* & potissima causa divortii quoad thorum est alterius conjugis (sive mariti, sive uxoris) culpabile adulterium. *Matth. 5. ℣ 32. & c. 19. ℣ 9.* Ratio est: quia qui fidem conjugalem non servat, sed eandem perfectè frangit, carnem dividendo in alium, vel aliam, eidem meritò conjugale debitum, & cohabitatio denegatur, arg. *c. pervenit. 5. de Jurejur.*

Verùm ut hoc ita se habeat, ita certis casibus fallit. Sic enim I. ob adulterium non dissolvitur matrimonium, si adulterium solùm sit materiale, & sine culpa; veluti si uxor falsis probationibus persuasa, virum jam esse mortuum, vel propter legitimum impedimentum dirimens matrimonium esse separatum, alteri nupserit, & cum eo matrimonium consummaverit per *c. 1. & 5. causâ 34. q. 1.* vel si ab alio sub mariti specie cognoscatur, inscia, & ex errore credens esse proprium maritum. Sanch. *lib. 10. de Matrim. disp. 5. n. 17.* vel si vi sit oppressa, cui resistere non potuit per *c. 9. causâ 32. q. 5. l. 39. ff. Ad Leg. Jul. de Adult.* An etiam justus & gravis metus excusset à divortio, si propter illum conjux in adulterium consenserit? dissident DD. In praxi propter sententiam practicè dubiam suadendum, ut conjux alter injuriam ex metu illatam condonet, nec propterea divortium petat.

II. Divortium ob adulterium peti non po- 11
test, si conjux conjugi ansam, aut licentiam adulterandi dederit. *c. 6. de eo, qui cogn. consang. uxor. suæ.* Idque procedit, licèt indirectè tantùm causam adulterii dederit, puta injustè denegando debitum coniugale cum proximo incontinentiæ periculo. *c. si tu 24. causâ 27. q. 2.*

III. Cessat divortium ex causa adulterii, si conjux innocens nocenti injuriam, vel expressè condonet ex charitate, quod potest arg. *l. pen. C. de Pactis.* vel tacitè saltem remittat, quod tunc censetur factum, si nocentem in consortio suo retineat, osculis & amplexibus excipiat, vel post intellectum adulterium sponte iterum cum ea consuescat: P. Engel *h. t. n. 18.*

IV. Propter adulterium non conceditur 12
divortium, si uterque conjux in eodem luto hæserit, & adulterium commiserit. *c. 4. & 8. h. t.*

h.t. c.6. & 7. de Adulteriis. paria enim delicta quoad interesse partis, & si civiliter agitur, mutuâ compensatione tolluntur. *l.* 30. *ff. Soluto matrim. l.* 13. *§.* 5. *ff. Ad Leg. Jul. de Adult.* Neque interest sive delicta eodem tempore, sive diversis temporibus sint commissa; imò videtur locus esse huic compensationi, si conjux priùs innocens post latam sententiam divortii idem crimen commiserit. Covar. *de Matr. p.* 2. *c.* 7. §. 6. & alii. Dissentit Sanchez *lib.* 10. *de Matr. disp.* 9. *n.* 30.

§. VI.

Objectum divortii est matrimonium, quod ob impedimentum aliquod dirimens, aut delictum aliquod, aliúmve defectum vel quoad vinculum, vel quoad thorum rescindi petitur.

§. VII.

Forma divortii sita est in debita matrimonii dissolutione; qualis ut sit, Judex præmissâ causæ legitima cognitione, & sufficienti probatione, conjuges separet, oportet: certissimum enim est, conjuges propria auctoritate divortium facere non posse, ut post alios supponit Henriquez *lib.* 11. *de Matr. c.* 8. *n.* 13. ex ratione: quòd nemo possit in sua causa jus sibi dicere. Exceptio habetur in *c. de illa* 6. *h.t.* ubi docetur, ob hæresin, in quam lapsus est maritus, posse uxorem illum propriâ auctoritate dimittere propter instans periculum perversionis. Num idem liceat ob notorium alterius conjugis adulterium? consule Gonzalez in *c.* 3. *n.* 8. *h.t.*

§. VIII.

Effectus divortii alius est divortii quoad vinculum, alius divortii quoad thorum.

Divortium quoad vinculum rescindit vinculum matrimonii, ita ut conjuges desinant esse conjuges, & liberè ad secunda vota transire, vel religionem alterâ parte invitâ intrare queant. Et propterea etiam dos ipsi mulieri, vel iis, quibus debetur, restituenda est, & bona dividenda sunt, quæ communiter conjugibus durante matrimonio obvenerunt. *c.* 1. *&* 2. *& ibi* Interpp. *de Donat. inter vir. & uxor.*

Divortium quoad thorum, seu cohabitationem manente vinculo matrimonii liberat à debito conjugalis societatis, & conjuges separat quoad jus thori, & cohabitationis; hac tamen notabili differentiâ, quòd separatio facta ex causa adulterii sit perpetua, nisi conjux innocens ultrò velit reconciliari nocenti, *c.* 4. *h.t.* separatio autem ex aliis causis facta non sit perpetua, nisi per accidens, quatenus periculum animæ aut corporis, ob quod fit separatio, semper durat. P. Engl. *h.t. n.* 11. 16

De causa hæresis specialiter *dubitari* solet; an conjugi hæretico ad Ecclesiam, & fidem reverso uxor sit restituenda? Textus in *d. c. de illa* 6. *h.t.* distinguit: an mulier propriâ auctoritate à viro divortiêrit, an verò judicio Ecclesiæ fuerit separata? primo casu jubetur, virum ab hæresi reversum recipere, non autem in secundo. Et huic distinctioni ita simpliciter inhærendum autumat Covar. *de Matr. p.* 2. *c.* 7. *§.* 5. *n.* 8. cum citatis. Alii verò cum Gloss. in *c. ult. de Convers. conjug.* temperant eandem, asserúntque, quòd uxor maritum etiam per judicium Ecclesiæ separatum, & postea ad Catholicam Religionem reversum recipere teneatur, nisi velit ingredi religionem, quod ipso etiam invito poterit juxta text. in *d. c. ult.* Quæ opinio multùm æquitatis habet, sed prior videtur juri conformior. 17

Porro si divortium fiat ex causa adulterii, tunc is, qui dedit causam divortio suô delictô, perdit dotem, aut donationem propter nuptias ita ut illa manere debeat penes innocentem. *c. plerumque* 4. *h.t. l.* 8. §. 5. *C. de Repud.* ita tamen, ut si extent ex eodem vel alio matrimonio liberi legitimi, dos, & donatio propter nuptias quoad proprietatem servanda sit. *Novel.* 117. *c.* 8. Sed de hoc alibi. 18

TITULUS XX.
De Donationibus inter Virum, & Uxorem, & de Dote post divortium restituenda.

INter accessoria sponsalium eminet *Arrha sponsalitia, Donatio inter Virum, & Uxorem, & Dos.*

Pars I.
De Arrha sponsalitia.

SUMMARIA.

1. Arrha quid nominis? 2. Definitur Arrha sponsalitia. 3. Ejus origo. 4. Quinam possint constituere Arrham? 5. In quibus rebus? 6. quomodo? 7. cur constituatur? 8. 9. Inter sponsos quem effectum obtineat? 10. Sponsalitia largitas quid sit, & qui ejus effectus? 11. an valeat pœna conventionalis sponsalibus adjecta?

§. I.

1 *Arrha* vox ab Hebræis ad Romanos profecta, in usu juris significat pignus. Hinc arrha sponsalitia dicitur pignus, quod datur in sponsaliorum fidem, promissique matrimonii argumentum. Vernaculâ, ein Mahlschatz / vel Handtreu.

§. II.

2 *Definitur* Arrha sponsalitia, quòd sit datio rei alicujus in argumentum, & firmitatem futuri matrimonii. Zoës. *ad ff. de Sponsal. n. 7.*

§. III.

3 *Causa efficiens* Arrhæ sponsalitiæ duplex est: remota, & proxima.

Remota est jus utrumque: ex quo utrumque arrharum usum in sponsalibus approbavit, ipsisque singulares effectus attribuit. Jus Canonicum in *c. 14. & 15. causâ 27. q. 2. c. 3. & 7. causâ 30. q. 5.* Jus Civile in *l. 3. & fin. C. de Sponsalib.*

4 *Proxima* sunt sponsus, & sponsa, qui arrham hanc dat, aut accipit. Ut plurimùm dat sponsus sponsæ, rariùs sponsa sponso: an verò uterque dare, & accipere possit? inter Juris Interpp. non omnino constat. Negat Zoës. *ubi supra.* eò quòd mutua arrharum traditio videatur esse superflua; superfluum quippe est, aliquid dare, ut tantundem recipiatur, arg. *l. qui sic. 55. ff. de Solut.* ibi: *non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur.* Affirmat Covarr. *de Matr. p. 2. c. 3. §. 7. n. 8.* cui subscribo: tum quia reciproca arrharum datio nullâ lege reperitur prohibita: tum quia hæc mutua arrharum traditio utilis est, ex quo qui resilit, amittit datam, & acceptam restituere tenetur; quod certè securiùs est, quàm si nullam dedisset, sed solùm accepisset. Neque moror *l. 55. ff. de Solutionib.* ut quæ loquitur de negotio simulato, quo res traditur eâ lege, ut statim restituatur, idque ex nulla alia causa, quàm ut tradens recipiat, & accipiens illam non retineat, nullúsque effectus, & commodum nullum apud accipientem maneat, qualis simulatio non est in mutua arrharum datione.

§. IV.

Objectum Arrhæ sponsalitiæ constituunt res, quæ in fidem sponsalium à sponso sponsæ, aut vicissim dantur: puta nummi tum argentei, tum aurei, catenæ aureæ, armillæ, & similia ornamenta; In Germania ferè ubivis locorum usus obtinet, ut sponsus in tesseram sponsionis sponsæ, & hæc vicissim sponso annulum offerat, qui dicitur *annulus pronubus*, vulgò Jawortz-Ring / vel *annulus fidei* der Treu-Ring. Planè cujus generis, quantitatis, aut pretii sint res, quæ arrharum nomine à sponsis dantur, nil refert: cùm enim in jure nulla earum extet definitio, pro arbitrio sponsorum in quacunque quantitate, ac pretio constitui possunt, ex receptiore sententia testæ Alciato in *l. Titia 134. pr. ff. de V. O.* Dissentit Panorm. in *c. gemma 29. de Sponsalib.* qui negat, inter plebejos magni pretii arrhas sponsalibus apponi posse.

§. V.

§. V.

6 *Forma* Arrhæ sponsalitiæ consistit in traditione rei facta in signum initorum sponsalium; in traditione, inquam: quandoquidem arrha sponsalitia non verbis, sed ipsius rei præstatione constituitur. *l. 3. & 5. C. de Sponsalib.* Gutierrez *de Matrim. c. 18. n. 2.*

§. VI.

7 *Finis* Arrhæ sponsalitiæ est, ut tam testes ipsi, quàm qui testium locò adhibentur, certiores affirmare queant, sponsalia verè contracta esse. Cypræ. *de Sponsal. c. 11. §. 4. n. 5.*

§. VII.

8 *Effectus* Arrhæ sponsalitiæ alius est, si matrimonium fuerit subsecutum, alius si subsecutum non fuerit.

Secutô matrimoniô arrha restituenda est illi, qui dedit. *l. 3. C. de Sponsal.* arrha namque sponsalitia est instar pignoris data in securitatem matrimonii; quare sicut pignus facta solutione revertitur ad debitorem, ita secutô matrimoniô arrha sponsalitia reverti debet ad dantem. Hodie tamen in plerisque Germaniæ ditionibus contrarium observari, testatur Laym. *lib. 5. Theol. moral. tr. 10. p. 1. c. 1 n. 5.* ita ut arrhæ accipienti maneant. Christin. *dec. 127. n. 12.*

9 Matrimoniô non secutô, si ex parte dantis hoc steterit, arrhæ penes accipientem manent. Sin ex parte accipientis, redeunt ad dantem duplicatæ, vel si ita partes paciscantur, triplicatæ, vel quadruplicatæ. *l. mulier. 5. C. de Sponsalib.* dummodo contrahens sponsalia sit major viginti quinque annis: etenim minor 25. annis ampliùs, quàm accepit, restituere non tenetur. *d. l. 5.*

§. VIII.

10 *Affinis* arrhæ sponsalitiæ est I. *Sponsalitia largitas*, quæ est donatio inter sponsos de futura matrimonii ineundi spe, ejúsque causâ facta. Sanchez *lib. 6. de Matr. disp. 1. n. 1.* Et hæc donatio secutô matrimoniô firma, & pura remanet. *l. 12. C. de Donationib. ante nupt.* Quòdsi matrimonium secutum non fuerit, refert, an non fuerit sequutum culpâ donantis, an culpâ donatarii, an sine culpa utriusque? Primo casu donatarius integrè eam acquirit; casu secundo integra restituenda est ei, qui eam contulit; & similiter tertio casu, si facta est à sponsa sponso, secùs si à sponso sponsæ facta fuit, & post sponsalia osculum interceßit: osculo quippe interveniente sponsa, vel ejus hæres retinent dimidiam partem largitatis sponsalitiæ, eò quòd osculo sponsæ pudicitia quodammodo delibari videatur, & ex severa Romanorum gravitate oscula ad conjugalem licentiam pertineant. *l. 15. & 16. C. Eod.* Cov. *de Matr. p. 2 c. 7. §. 2. n. 12.*

II. Arrhæ sponsalitiæ affinis est *pœna conventionalis;* quam tamen sponsalia non admittunt, præsertim si ita adjiciatur, ut etiam qui ex justa causa resilit, teneatur ad solutionem pœnæ; id quod colligitur ex *c. gemma. 29. de Sponsalib.* ubi disertè dicitur: cùm matrimonia debeant esse libera, stipulationem pœnæ interpositam reprobari: & ex *l. Titia. 134. pr. ff. de Verb. oblig.* ubi habetur, talem stipulationem esse contra bonos mores, subjuncta ratione: *quia inhonestum visum est, vinculô pœna matrimonia obstringi, sive futura, sive jam contracta.* Cur autem arrhæ licitæ sint in contractu sponsalium, non autem pœna conventionalis? difficile est, disparitatem assignare, congrua tamen illa, quòd pœna simpliciter tantùm promittatur, arrhæ verò actualiter tradantur, de eo autem, quod actualiter tradimus, maturiore consilio tractemus, quàm de eo, quod tantùm promittimus, non enim sumus tam faciles ad dandum, quàm ad promittendum adcóque pœna promissa magis potest impedire libertatem matrimonii, quàm arrha actualiter tradita. Confer P. Engl *ad tit. de Sponsal. §. 2. n. 7.*

PARS II.

De Donatione inter virum & uxorem.

SUMMARIA.

12. Definitur Donatio inter virum & uxorem. 13. Quo jure? 14. inter quos conjuges? 15. quarum rerum? 16. usque 20. qualis donatio? 20. & cur sit prohibita? 21. 22. 23. Quid opitetur, & quomodo confirmetur hæc donatio?

§. I.

12 *Definitur* donatio inter virum & uxorem, quòd sit actus aliquis jure prohibitus, quô conjux liberalitatem suam erga alterum conjugem exercet.

§. II.

13 *Causa Efficiens* donationis inter virum & uxorem alia est remota, alia proxima.

Remota est jus moribûs introductum, ut insinuat JC. in *l.* 1. *ff. h. t.* ibi: *moribus apud nos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valerent.* & in *l.* 2. *ff. Eod.* ibi: *mores nostri inter virum, & uxorem donationem prohibuerunt.*

14 *Causa Efficiens proxima* hujus donationis est conjunx donans, & donataria, quos inter pura, & simplex donatio est prohibita. Pertinet autem prohibitio hæc solùm ad conjuges privatos: nam in Imperio Romano Germanico donatio Principis, seu conjugis Illustris, quam confert in Augustam, seu uxorem Illustrem, omnino valet; quandoquidem ejusdem liberalitas nullis legum frænis, nullísve solennitatum cancellis coërceri debet, arg. *l. penult. C. h. t.* Andr. Tiraquell. in *tr. de Nobilit. c.* 37. *n.* 45. & Principes, ac Comites in suis territoriis vicem Imperatoris gerunt. Zas. in *consil.* 1. *n.* 21. & *consil.* 15. *num.* 51. 52. 53. *vol.* 2. Non tamen uxor illustris habens adhuc patrem viventem marito Principi omnia sua pretiosa (jocalia vulgò dicta) donare potest, juxta communem DD. sententiam, arg. *l.* 28. *§.* 2. *ff. de Pact. l.* 7. *in pr. ff. de Donat.* Besold. *consil.* 44. *per tot.*

§. III.

15 *Materia*, seu *objectum* donationis inter virum, & uxorem sunt res propriæ ipsorum conjugum: Res namque alienas donare invicem conjuges possunt, ita ut transferant conditionem usucapiendi in alterum. *l. sed et si.* 25. *ff. h. t.* & possunt præterea juri sibi nondum acquisito in favorem alterius renuntiare; ut si maritus hæres institutus hæreditatem repudiet donationis causâ. *l. si sponsus. §. si maritus.* 13. *ff. Eod.*

§. IV.

16 *Forma* donationis inter virum, & uxorem consistit in requisitis necessariis ad hoc, ut procedat in ea juris prohibitio. Requiritur autem

I. Ut donatio inter conjuges fiat tempore matrimonii, aut, si fiat ante matrimonium contractum, effectus ejus differatur in tempus matrimonii jam initi. *l. quod sponsa. C. h. t.* quia idem est aliquid fieri tempore inhabili, & in tempus inhabile, ac prohibitum referri. *l. in tempus.* 62. *ff. de Hæred. instit.*

17 II. Requiritur, ut donatio inter conjuges fiat solius liberalitatis causâ. Hinc donatio, quæ fit remunerationis gratiâ, valida est. *l. quod autem. §. si vir. & ibi* Gloss. *ff. h. t.* Dec. *consil.* 202. *vol.* 3. *n.* 6. & *consil.* 232. *n.* 6. *in fin.* ubi concludit donationem inter maritum & uxorem valere propter merita, etiamsi essent merita obsequialia in gravi, & longa infirmitate mariti posita. Assertio tamen meritorum etiam jurata non sufficit, sed merita probentur, vel saltem in specie exprimantur oportet, arg. *l.* 15. *§.* 1. *ff. de Manumiss. vind.* Curt. Sen. *consil.* 57. *in pr.*

18 III Requiritur ut conjux donans ex donatione fiat pauperior, & accipiens locupletior. *l.* 25. *l.* 28. *§.* 3. *l.* 32. *§.* 9. *l.* 50. *§.* 1. *ff. h. t.* Si ille non fiat pauperior, nec iste locupletior, donatio tenet. Porro donans non

fit

fit pauperior *primò*, si rem alienam donet. *d. l. 25. ff. Eod.* *Secundo*, si maritus uxori donet, ut comptior, & ornatior incedat, quia suâ potius quàm uxoris causâ dedisse creditur. *l. sunt certò. 5. §. interdum. ff. Commodati.* *Tertiò*, si uxor marito donet ad consequendam dignitatem. *l. 41. & 2. seqq. ff. h. t.* Uxor enim fit ditior, ex quo ex dignitate mariti ei splendor, & honor accedit. *l. 8. ff. de Senatorib.* Donatarius non fit locupletior, si quid donatur, ut rursus pro alio expendatur. *l. si sponsus. §. ult. ff. h. t.* ut si uxori servus donatur ea conditione, ut manumittatur. *l. 7. §. fin. ff. Eod.* vel si quid sepulturæ causâ donatur, non enim fit locupletior in ea re, quam religioni dedicavit. *d. l. si sponsus. 5. §. concessa.* vel si quid donatur ad eleemosynam, aut emptionem rei familiaris. *d. l. 7. §. si maritus.* & *l. 31. §. pen. & ult ff. Eod.* quia quod donatarius accipit, statim rursus expendere cogitur.

19 IV. Requiritur, ne donatio concepta sit in casum soluti matrimonii: nam collata in tempus mortis, aut casum divortii sustinetur: quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir & uxor esse desinunt. *l. 10. & l. 60. §. 1. h. tit.* Quapropter inter conjuges valet donatio mortis causâ. *l. 9. §. fin. ff. Eod.* sicut & legatum, quod est donatio quædam. *c. si pater. de Testam. in 6.*

§. V.

20 *Finis*, ob quem prohibetur donatio inter virum, & uxorem, est, ne conjuges mutuo amore se invicem spoliarent, aut matrimonia, si non donet conjux, distraherentur, ipsáque conjugalis concordia venalis esse, & pretio conciliari posse videretur. *l. 1. 2. & 3. ff. h. t.*

§. VI.

21 *Effectus* donationis inter virum, & uxorem est, quod licèt per eam, utpote invalidam, non transferatur dominium. *l. 18. & 20. C. h. t.* transeat tamen in accipientem possessio, quia facti est. *l. 1. §. 4. ff. de Acquir. vel amitt. Possess.* Et ideo conjugi procedit usucapio rei donatæ, si res aliena donata sit, & qui donavit ex hoc non fiat pauperior. *l. 25. ff. h. t. l. 3. ff. Pro donato.* Deinde conjux donatarius acquirit fructus rei donatæ, quos factô, seu industriâ suâ percepit. *l. 17. ff. h. t.* Alia ratio est fructuum naturalium: hi enim donatori servandi sunt, ne alter inde fiat locupletior contra prohibitionem legis.

22 Planè etsi regulariter donatio hæc invalida sit, tamen ex communi Interpretum sententia firmatur I. morte donantis, si moriatur ante donatarium non facta ante mortem tacita, vel expressa revocatione doni. *c. fin. h. t. l. 32. §. 2. ff. l. 1. & 3. C. Eod.* quia tunc cessat ratio prohibitionis: & donans voluisse censetur, donatarium rem donatam quasi ex testamento accipere. Nec verò refert, an res ante mortem donantis sit tradita, vel solùm promissa? nam donationem conjugalem simpliciter morte donantis confirmari, evincunt textus generales in *l. 32. §. 1. & 23. l. 33. ff h. t. l. 2. C. de Dote cauta.* & *Novel. 162. cap. 1.* Quòdsi donatarius præmoriatur, donatio concidit ex præsumpta donantis mente, quòd voluerit soli donatario, non etiam ejus hæredibus donare. *d. c. fin. h. t. l. 18. C. Eod.*

23 II. Confirmatur donatio conjugum invalida juramentô donatoris: quia licitum est conjugi, talem donationem non revocare; ergo etiam licitum, & consequenter obligatorium est juramentum tale per *c. quamvis. de pactis in 6.* Ita communis apud Canis. in *c. fin. h. t.* & Gail. 1. *obser. v. 40. n. 2.* Ego existimem in particulari rem æstimationi, seu arbitrio Judicis committendam esse, qui arbitrari debebit, an in facto donatio sit excessiva, vel talis, quæ amorem, & concordiam conjugum lædere, vel studium prolis imminuere, aut liberis præjudicare possit, vel non? Primo casu verius censebitur, donationem juramentô non confirmari, arg. *c. cùm quidam. 12. de Jure jurando*, cum Gloss. *ibid.* Posteriore casu con-

confirmatam esse juramentò, rectiùs judicabitur per text. & tradita DD. in *d. c. quamvis.*

PARS III.

De Dote.

SUMMARIA.

24. Dotis homonymia 25. Definitio. 26. Origo. 27. Usque 35. Quinam dotem teneantur, aut possint constituere? 35. In quibus rebus? 36 Quibus modis? 37. Ob quàm finem dos constituatur? 38. 39. Quinam dotis effectus? 40. de Donatione propter nuptias, aliisq; dotis affinibus.

§. I.

24 DOs vox est variæ significationis, ut videre est apud Boss. in *tr. de Dote. c. 1. n. 1.* Ad matrimonium relata aliquando significat titulum, seu actum, quo constituitur. *t. t. ff pro dote.* quandoque ipsum jus. *t. t. ff. de Jure dotium.* nonnunquam rem dotalem. *l. 40. & seqq. Soluto matr.* quæ vulgò dicitur ein Braut-Schatz / Ehe-Geld / Ehe-Steur / Heyrath-Gut / vel Mitgifft. In hac significatione.

§. II.

25 *Definitur* dos, quòd sit species, vel quantitas certa, quæ uxoris nomine marito promittitur, vel datur ad sustinenda matrimonii onera. Tulden. *ad C. de Dot. promiss. n. 1.*

§. III.

26 *Dividitur* dos in profectitiam, & adventitiam. Illa est, quæ proficiscitur, vel provenit à patre, vel ab ascendente paterno, vel quæ datur à quocunque alio, sed intuitu, ac contemplatione patris. *l. 5. ff. de Jure dot.* Adventitia est, quæ nec à patre, nec ab ascendente paterno, nec illius intuitu advenit, sive deinde habeatur ex propriis bonis, sive à matre, sive ab avo materno, sive à fratre, aut alio consanguineo, sive ab extraneo, per *d. l. 5. §. 11.* Eckolt *eod. tit. §. 2.*

§. VI.

Causa Efficiens dotis est vel remota, vel 27
proxima.

Remota est jus. Nec difficile est dotis originem ducere à jure Gentium. per *l. 8. ff. de Capit. minut.* & à Jure Divino *Exod. 22. v. 16. & seqq. Deuter. 22. v. 29. Tob. 6. v. 11. & 8. v. 24.* à Civili denique & Canonico ratione formæ, & singularium effectuum.

Causa Efficiens proxima dotis est is, qui do- 28
tem constituit. Constituit autem dotem non ipsa solùm mulier per se, sed quivis alius pro ea dotem ritè & utiliter constituere potest. *l. promittendo. 42. ff. de Jure dot.* Nec interest filiusfamilias sit, an paterfamilias, masculus, an fœmina, modò non sit minor 25. annis. *l. ult. C. ad SC. Vellejan.* At non omnium, qui dotem constituunt, eadem est ratio: quippe alii dotem dare tenentur, alii non tenentur.

Dotem dare tenentur I. Pater: paterni 29
enim est officii, dotem, vel donationem propter nuptias pro sua dare progenie. *l. fin. C. de Dotis promiss.* Neque solùm dotare tenetur filiam, quam in potestate habet, sed probabiliter etiam emancipatam, maximè, si ea inops esset, nec posset sine dote invenire honestam conditionem nubendi. Struv. *ad ff. de Jure dot. Exerc. 30. th. 3.* cum aliis.

II. Avus quoque paternus dotem nepti con- 30
stituere cogitur, quoties pater dotem filiæ ob inopiam constituere non potest. *l. 6. ff. de Collat. bonor.* ubi Celsus scribit, avum propter patrem hoc facere, officiúmque avi circa neptem ex officio patris erga filiam pendere. Unde si huic tantum in facultatibus supersit, unde dotem, deducto ære alieno, salva dignitate constituere valeat, avus hoc nexu censetur esse liberatus. Menoch. *consil. 88. n. 49. & 55.* Fachin. *lib. 10. controv. c. 40.* Dissentit Zoës. *ad ff. de Jure dot. n. 14.*

III. Mater filiæ dotem dare cogitur, non 31
tamen aliter, quàm in subsidium, nimirum, quando

quando pater, & avus inops est, vel mortuis his filia manet inops, & legitima ei ad dotem non sufficit. *l.* 14. *C. de Jure dot.* Idem juris obtinet in avo materno, qui pariter tenetur dotare neptem ex filia, si ipse dives sit, & neptis à patre, vel avo paterno, aut matre dotem consequi non possit. Alex. *lib.* 6. *consil.* 117. n. 8 Farinac. *tom.* 3. *dec.* 233.

III. Frater quoq; in defectum ascendentium tenetur dotare sororem inopem ex eodem patre natam, arg. *l.* 12. §. 3. *ff. de Administ. & pric. tutor.* cùm enim ibi negetur, dotandam esse sororem alio patre natam, seu uterinam: haud obscurè innuitur sororem eodem patre natam dotandam esse, argumento à sensu contrario, quòd procedit toties, quoties inde non emergit absurdus, vel legibus contrarius sensus, & intellectus. Layman. in *Theol. mor. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 5. Burghaber in *Casib. select. cent.* 3. *casu* 16. ubi docet, Clericum teneri ad dotandam sororem inopem

IV. De Jure Canonico tenetur stuprator dotare stupratam, aut eam, nisi ipsa, aut parens ejus dissenserint, in uxorem ducere. *c.* 1. & 2. *de Adult.* Quantam autem dotem dare debeat? relinquitur arbitrio Judicis, qui considerata qualitate virginis, & ipsius deflotatoris, eandem determinabit. Menoch. *de arbitr. Jud. cent.* 3. *casu* 288. *n.* 16. *cum. seq.* & nos alibi.

Reliqui omnes dotem dare non tenentur: est enim in ipsorum arbitrio dotem de suo dare, vel non dare. *l. un.* §. *accedit. C. de Rei uxor. act.* An verò subditi pro elocanda, & dotanda filia Principis collectas, seu, ut vocant, tallias præstare teneantur? jam non vacat excutere. Si lubet, consule Barthold. Musculum *de Success. conventional. membr.* 2. *class.* 1. *concl.* 5. *n.* 222. *& seqq.*

§. V.

Materia dotis unico verbo *pecunie* exprimi potest: ut quo res tam solidæ, quàm mobiles, & tam corpora, quam jura continentur. *l.* 4. 5. *&* 122. *ff. de Verb. signif.*

Nobilis *controversia* est: num & bona feudalia in dotem dari possint? Nam in *cap. est autem.* §. *donare.* 2. *feud.* 9. expressè sancitum est, feudum in dotem pro filia dari non posse. Econtra in *c. Titius.* 2. *feud.* 13. *& c. qui sibi.* 2. *feud.* 17. mulier à Domino investita dicitur feudum paternum in dotem dedisse. Ego pro his juribus conciliandis, puto dicendum: vasallo quidem non permitti, feudum in dotem dare, aut dotis constituendæ causâ distrahere. *d. c. est autem.* §. *donare.* eò quòd dotis datio sit species quædam alienationis, quæ sine consensu Domini vasallo est prohibita; posse tamen ipsam mulierem feudum, si quòd habet, per se loquendo, marito dotis nomine concedere, juxta *d. tit.* 13. *&* 17. *feud.* 2. ideò: quia feudum hoc casu non alienatur, & in maritum transmittitur, sed naturaliter manet in Dominio, & patrimonio uxoris. Eckolt *ad ff. de Jure dot.* §. 5. addens, à tertio quoque fructus feudi ad mortem usque in dotem dari posse.

§. VI.

Forma dotis stat in modo, quô constituitur. 36
Ubi secernenda promissio dotis à constitutione strictè dicta: Promissio dotis fit vel stipulatione. *l.* 20. *ff. de Jure dot.* vel nuda conventione, quæ tamen per *l.* 6. *C. de Dotis promiss.* evasit in pactum legitimum. Constitutio dotis (sumendo constitutionem strictè) fit vel actu inter vivos per traditionem tum veram, tũ fictam; vel ultima voluntate, puta in testamento, aut codicillis. Struv. *d. Exerc.* 30. *th.* 9.

Præterea quemadmodum reliquis conventionibus, sic promissioni, ac constitutioni dotis pacta adjecta legem, & formam dant, de quibus agitur in *c. fin. h. t. tot. t. ff. de Pactis dotal. & t. t. C. de Pactis convent.*

§. VII.

Finis dotis est sublevatio onerum matri- 37
monii;

monii: quia nisi dos matrimonii oneribus serviat, dos nulla est. *l.* 76. *in fin. ff. de Jure dot. l.* 20. *C. Eod.*

§. VIII.

38 *Effectus* dotis variat, prout dos vel promissa tantùm est, vel insuper constituta, seu tradita.

Effectus dotis promissæ est obligatio promissoris ad solvendam, & actio ad obtinendam dotem promissam, nimirum actio ex stipulatu, si stipulatio intervenerit. *t. t. ff. de Verb. oblig.* vel condictio ex lege, si dos pactò tantùm promissa sit. *l.* 6. *C. de Dotis promiss.*

39 *Effectus* dotis constitutæ, seu traditæ est dominium mariti in rebus dotalibus. *pr. Instit. quib. alien. licet, vel non. l.* 1. §. 1. *l.* 13. §. 2. *ff. de Fundo dotal. l.* 7. §. 3 *ff. l.* 23. *C. de Jure dotium.* Et si quidem hæ res mobiles sint, maritus earum fit absolutè, & perfectè dominus, quamvis pretiosæ sint, & servando servari possint. *l.* 42 *ff. l.* 3. *C. de Jure dot.* ac proinde liberè eas alienare potest, modò tamen ex ejus bonis dos refarciri possit. Vin. *ad pr. Instit. Quib. alien. lic. vel non.* Idem dicendum, si sint immobiles, æstimatæ æstimatione faciente venditionem. *l.* 5. *&* 10. *C. Eod.* Sin verò sint immobiles inæstimatæ, vel æstimatæ etiam, sed solùm taxationis gratiâ, maritus quidem itidem dominus fit. *l.* 13. §. 2. *ff. de Fundo dotal. l.* 23. *C. de Jure dot.* eas tamen alienare non potest, ne quidem cum consensu mulieris. *pr. Instit. Quib. alien. licet,* nisi ea consentiret juratò; quo casu alienatio valeret. *c.* 28. *de Jurejur.*

§. IX.

40 *Affinia* dotis sunt I. *Donatio propter nuptias;* quâ maritus, vel alius ejus nomine res mobiles, vel immobiles propter dotem, & nuptiarum affectionem mulieri confert: nam ut mulier marito affert dotem, ita maritus uxori affert donationem propter nuptias, quæ hinc nuncupatur *contra dos*, vernaculâ, ein Widerlag / Gegensteuer / Gegensvermachung. De hac donatione methodicè agit Wolfgang. Adam. Lauterbach *Vol.* 1. *Disp. jurid. disp.* 10. II. *Dotalitium*, quod est usufructus quidam à marito uxori in compensationem dotis post mortem in bonis quibusdam constitutus. Wesenbec. *ad ff. de Jure dot.* Durat autem hic usufructus ad dies vitæ viduæ. Berlich. *pract. concl. p.* 2. *concl.* 50. *n.* 45. & hinc satis convenienter latinè vocatur *victilitium*, seu *vitalitium;* germanicè ein Leib-Geding / Leibs Zucht / Leib-Gut / Wittumb. Manz. ad §. 3. *Instit. de Donat. n.* 42. latè Nicol. Myler. *in Gamol. Princ. c.* 10 *per tot.* III. *Morgengaba*, seu *Morganatica*, quam facit maritus, præcipuè nobilis, uxori alteranuptiarum die in compensationē delibatæ virginitatis. Struv. *Syntagm. jur. feud. c.* 9. *th.* 4. *n.* 8. Hujus usus præsertim inter nobiles viget: nam plebeii rarò pudicitiam singulari afficiunt præmio; si tamen reperias tantum virginitatis æstimatorem, qui sponsæ suæ castitatem singulari dono matutinali devenerandam crediderit, nullus dubito ejusmodi donationem subsistere, cùm nusquam præcisè ad nobiles restringatur, vel plebeiis interdicatur; imò donatio maritalis, tanquam pudicitiæ præmium in uxorem collata, perspicuè approbatur in *l. res uxoris.* 24. *C. h. t.* IV. Affinia sunt *munera nuptialia*, Hochzeit-Geschenck / *bona paraphernalia*, & *receptitia*, *ac quæstus conjugales*, seu bona constante matrimonio acquisita. Verum instituti ratio, atque temporis angustia vela nos contrahere jubent.

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.

SUMMARIA.

1. Quæ nuptiæ dicantur secundæ? 2. An sint licitæ? 3. Qualis certitudo requiratur, ut liceat matrimonium repetere? 4. Proponitur objectum secunda-

undarum nuptiarum. 5. Nuptiæ secundæ non sint benedicendæ. 6. Quis earum finis? 7. 8. Qui effectus, ac earum pœnæ?

DEnique ipsa methodi ratio postulare videtur, ut à primis ad *secundas nuptias* accedamus.

§. I.

Nuptiæ secundæ hic dicuntur non tantùm illæ, quæ sunt secundæ numerô, sed etiam tertiæ, quartæ, ac ulteriores, quæ primum matrimonium subsequuntur, arg. *l. si quis viris.* 8. §. 1. *&* 3. *C. h. t.*

§. II.

Causa efficiens secundarum nuptiarum est vel remota, vel proxima.

Remota est jus. Et verò omnia jura approbant secundas, & ulteriores nuptias prioribus dissolutis, licitásque efficiunt, ac honestas. Jus Divinum per textus 1. *ad Corinth.* 7. *v.* 9. *&* 39. *ad Roman. cap.* 7. *v.* 2. *&* 3. 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 14. Canonicum in *cap.* 10. 11. 12. *&* 13. *causâ* 31. *quæst.* 1. *c. penult. & ult. h. t.* Imò etiam jus Civile, modò nuptiæ non sint præproperæ, & viduæ non nubant intra annum luctûs. *t. t. C. Eod.* Et certè, qua honestate primæ, eadem contrahuntur secundæ, ut per quas matrimonii honestas non tam tollitur, quàm iteratur. Neque obstat *c. hac ratione. d. causâ* 31. *q.* 1. ubi secundæ nuptiæ honesta fornicatio nuncupantur: præterquam enim, quòd textus ille non sit magnæ authoritatis, ut ex Bellarm. notat Canis. *in rubr. h. t.* explicari potest juxta Gloss. *ibid.* quòd secundæ nuptiæ fornicatio appellentur, non quæ à Viduis licitè fieri possunt, sed quæ secundum antiquam permissionem Moysis in Antiquo Testamento, dato libello repudii, celebrabantur, quod correctum est à Christo Domino *Matth.* 19.

Causa efficiens proxima secundarum nuptiarum est conjux, vir, aut uxor, qui matrimonium repetit. Ut verò validè quis matrimonium repetat, necessum est, ut vinculum prioris matrimonii sit dissolutum, ut autem licitè hoc possit, insuper requiritur, ut de hoc certa notitia habeatur, quanquam non omninò physica, sed moralis certitudo desideretur, ac sufficiat; de quo textus est in *c. in præsentia.* 19. *de Sponsal.* ubi requiritur *certum nuntium*, id est, plena certitudo de morte conjugis; & in *c. dominus. h. t.* ubi exigitur, ut constet, quòd ab hac vita migraverit conjux. Et talis certitudo censetur I. si adsint duo testes de visu, id est, testes, qui interfuerunt exequiis, Septimo, Trigesimo, Anniversario, aut qui viderunt conjugis sepulchrum, audierúntque, eum in illo sepultum. Mascard. *de Prob. concl.* 175. Etsi verò etiam consanguineos ad testimonium in tali casu admittat Menochius, uxorem tamen ejus, cujus mors probanda est, tanquam testem in propria causa, repellit Gobat in *Theol. experim. tr.* 9. *n.* 310. II. Si maritum à se sepultum testetur Parochus, ei namque, utpote de re ad suum officium spectante, attestanti venit omnino deferendum, sicut & ejus liber, seu registrum mortuorum plenam fidem meretur, ut post alios probat Gratian. *discept. forens. c.* 653. *n.* 59. Rota *dec.* 273. *num.* 1. *p.* 4. *divers.* III. Quando cum uno teste de visu, aut cum fama, vel cum plurib⁹ testibus de auditu concurrunt alia notabilia mortis indicia, seu conjecturæ, puta si maritus senex, aut æger, cùm posset, aut etiam promisisset, non rediit: si prælium, aut periculosam navigationem ingressus, vel naufragium passus in quo multos periisse constat, diu non comparuit. Gobat. *l. cit. n.* 314.

§. III.

Materia seu *objectum* secundarum nuptiarum duplex est: *remotum* & *proximum*. *Remotum* sunt corpora contrahentium per copulam legitimè jungenda. *Proximum* est mutua, ac perpetua eorundem corporum traditio juxta dicta *tit.* 1. *n.* 102. 4

§. IV.

§. IV.

5 *Forma* secundarum nuptiarum consistit in differentia, quâ discriminantur à primis; quæ ex parte in eo sita est, quòd ex communi SS. Canonum interpretatione secundis nuptiis benedictio adhiberi non debeat, ubi alter, vel uterque sponsorum jam priùs benedictus fuit. *c.* 1. *& 3. h. t. & ibi* DD. Generaliter tamen statuit Navar. in *Man. c.* 22. *n.* 83. consuetudine induci posse, ut secundæ nuptiæ benedicantur.

§. V.

6 *Finis* secundarum nuptiarum est procreatio, & honesta educatio liberorum, mutuum adjutorium, & remedium concupiscentiæ.

§. VI.

7 *Effectus* secundarum nuptiarum generalis idem est, qui primarum, quo de prolixè in *tit.* 1. *à n.* 114. Specialis spectatur in pœnis secundò nubentium; quæ duplicis generis: aliquæ respiciunt odium secundarũ nuptiarum, aliæ favorem liberorum prioris matrimonii.

Primi generis pœnæ sunt, quòd fœmina si intra annum luctûs nubat alteri, primò reddatur infamis; *secundò* sit incapax cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi, aliorúmque suprema voluntate relictorum; *tertiò* nemini ab intestato succedere possit ultra tertium gradum; *quartò* privetur omnibus relictis à priore marito tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum; & *quintò* in secundum maritum non possit ultra partem tertiam bonorum conferre titulo lucrativo, nullîs etiam ex priore matrimonio liberîs extantibûs. *l.* 1. *& 2. C. h. t.*

8 *Secundi generis* pœnæ sunt, quòd binuba amittat proprietatem lucrorum à defuncto conjuge acceptorum, retento solo usufructu ad dies vitæ. *l.* 3. *C. Eod. Novel.* 22. *c.* 23. Deinde, quòd vir, mulierque, qui, quæque existentibus liberis ad secundas nuptias transit, non possit in novum conjugem dotis, vel donationis sponsalitiæ, vel alio titulo plus transferre, quàm in unum ex liberis prioris matrimonii, & si inæqualis divisio inter liberos facta sit, non possit plus in secundum conjugem conferre, quàm acceperit filius, cui minor portio relicta est. *l.* 6. *C. h. t.* Reverendiss. Christophorus Prigl in *Man. Pract. de Appell. in additam. q.* 1. *per tot.* Denique quòd transiens ad secundas nuptias privetur tutelâ legitimâ liberorum prioris matrimonii. *l. fin. & auth. Sacramentum. C. Quando mul. tutel. off. fung. pot.* Alias omittimus.

Porro pœnæ *primi generis* per Jus Canonicum sublatæ sunt juxta *c. penult. & ult. h. t.* quæ licèt loquantur solùm de pœna infamiæ, authoritate tamen DD. & praxi Ecclesiæ etiã ad reliquas pœnas extenduntur, & meritò: quia causa tollendi pœnã infamiæ est libertas matrimonii, quam indulget Apostolus *ad Rom.* 7. *v.* 2. *& 3. & 1. ad Cor.* 7. *v.* 39. quæ causa æquè militat quoad alias pœnas odio binubentium introductas. Econtra *secundi generis* pœnæ, quæ principaliter tendunt in favorem liberorum prioris matrimonii, per Jus Canonicum correctæ non sunt, eò quod correctio juris sit strictæ interpretationis, nec trahenda ultra casus expressos per *l.* 32. *§. fin. C. de Appell.* Neque fuisset ratio, ut Pontifex illas pœnas abrogaret, ut quæ non sunt strictè loquendo pœnæ, sed potiùs beneficia & favores concessi liberis prioris matrimonii in casu, si superstes parens iterum nuptias contrahat. Laymann. in *Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 10. Gail. 2. *Obs.* 98. *n.* 8. P. Engl. *h. t.*

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,

In hoc IV. Libro Decret. contentorum, ubi prior numerus paginam, alter numerum marginalem denotat.

Accusatio Matrimonii vide Matrimonii accusatio.

Affinitas vide Impedimentum affinitatis.

Arrha sponsalitia.

QUid nominis? pag. 176. n. 1. ejus definitio. n. 2. ejus origo. n. 3. quinam possint constituere arrham? n. 4. in quibus rebus? n. 5. quomodo? pag. 177. n. 6. tur constituatur? n. 7. inter sponsos quem effectum obtineat? n. 8. & 9. Sponsalitia largitas quid sit, & quis ejus effectus? num. 10. An valeat pœna conventionalis sponsalibus adjecta? n. 11.

Benedictio nuptiarum, vide Desponsatio clandestina & secundæ nuptiæ.

Coactionis Impedimentum, vide Impedimentum Coactionis.

Clandestina Desponsatio, vide Desponsatio Clandestina.

Cognatio legalis, vide Impedimentum Cognationis legalis.

Cognatio spiritualis, vide Impedimentum Cognationis spiritualis.

Conditiones appositæ in desponsatione, vel aliis contractibus.

Conditionis diversa acceptio. pag. 100. n. 1. definitio. n. 2. dividitur multipliciter I. in conditionem de præsenti, de præterito & de futuro. n. 3. II. in conditionem possibilem & impossibilem. n. 4. 5. 6. 7. & 8. III. in suspensivam & resolutivam. p. 101. n. 9. IV. in expressam & tacitam. n. 10. an liceat. n. 11. & 12. & quibus actibus adjicere conditionem? n. 13. 14. & p. 102. n. 15. quando concipiatur conditio? n. 16. effectus conditionis de præsenti vel præterito. p. 103. n. 17. conditionis necessariæ. n. 18. conditionis possibilis. n. 19. an matrimonium contractum per verbum de præsenti sub conditione de futuro honesta eâ completâ, fiat validum? n. 20. & 21. effectus conditionis impossibilis sive de natura, sive de facto, sive de jure p. 104: n. 22. quâ ratione conditiones impossibiles vel turpes in matrimonio pro non adjectis haberi possint? p. 105. n. 23. qualiter in sponsalibus? n. 24. effectus conditionis resolutivæ. p. 106. n. 25. effectus conditionis tacitæ. n. 26. quid operetur causa. n. 27. demonstratio. p. 107. n. 28. Modus. n. 29.

Conditionis Impedimentum, vide Impedimentum Conditionis.

Conjuges.

Qui veniant nomine conjugum? p. 2. n. 4.

Conjugium leprosorum.

Lepra vel alius morbus non impedit matrimonium. p. 128. n. 1. Superveniens dissolvit quidem Sponsalia, n. 2. non item matrimonium, 129. n. 3.

Conjugium Servorum, vide Impedimentum conditionis.

Consanguinitas, vide Impedimentum Consanguinitatis.

Criminis Impedimentum, vide Impedimentum Criminis.

Cultûs disparitas, vide Impedimentum Cultûs disparitatis.

Desponsatio Clandestina.

Quid? p. 78. n. 1. quotuplex. n. 2 quo jure prohibita? p. 79. n. 3. & utrùm annulata sit desponsatio clandestina? ibid. an hæretici teneantur observare formam à Tridentino matrimoniis contrahendis præscriptam? p. 79. num. 4. quæ sit materia clandestinæ desponsationis? p. 80. n. 5. quæ forma? n. 6. Quando fieri debeant denuntiationes? n. 7. in qua Parochia? p. 81. n. 8. an quandoque omitti possint. n. 9. 10. clandestina desponsatio est, si deest præsentia Parochi vel ejus substituti. p. 82. n. 11. quis Parochus assistere possit matrimonio? n. 12. quis in ordine ad contrahendum matrimonium proprius Parochus esse censeatur? n. 13. & p. 83. n. 14. quis sit proprius Parochus respectu matrimonii vagorum? n. 15. an Parochus validè assistat, si non sit Sacerdos, vel excommunicatus, suspensus, interdictus? p. 84. n. 16. an & cui dari possit licentia assistendi? n. 17. qualis licentia sit necessaria? n. 18. desponsatio simpliciter clandestina. p. 85. n. 19. quot & quales testes debeant intervenire matrimonio? n. 20. & p. 86. n. 21. Desponsatio impropriè clandestina. p. 86. n. 22. de benedictione nuptiarum. ibid. & n. 23. cur prohibita sit clandestina desponsatio. p. 87. n. 24. quæ ejus pœnæ? n. 25. 26. an & in quibus casibus subsistat? n. 27. an saltem habeat vim sponsalium? p. 88. n. 28. an valeant sponsalia clandestina? p. 89. n. 29.

Desponsatio Impuberum.

Quid? p. 72. n. 1. quo jure? n. 2. & num sub peccato gravi prohibita sit desponsatio Impuberum? n. 3. an & quâ ætate Impuberes possint contrahere sponsalia de futuro? p. 73. n. 4. & 5. quomodo septennium completum esse debeat? p. 75. n. 6. Pubertas quando incipiat, & utrùm ad matrimonium sit necessaria? n. 7. & p. 76. n. 8. quæ sit materia desponsationis impuberum? n. 9. quæ forma? n. 10. quis finis? n. 11. quem effectum habeant sponsalia impuberum? n. 12. & seq. & quomodo contrahentes exinde obligentur? ibid.

Divortium.

Quid nominis? p. 137. n. 1. & 2. quid rei? n. 3. quotuplex? n. 4. quæ ejus origo? n. 5. Causæ divortii quoad vinculum. n. 6. Causæ divortii quoad thorum. p. 174. à n. 7. usque 13. Divortii objectum. p. 175. n. 13. Requisita. n. 14. effectus. n. 15. & seqq.

Donatio inter Virum & Uxorem.

Ejus definitio. p. 178. n. 12. quo jure. n. 13. inter quos conjuges. n. 14. quarum rerum. n. 15. qualis donatio. n. 16. & seqq. & cur sit prohibita? p. 179. n. 20. quid operetur, & quomodo confirmetur hæc donatio? n. 21. & seqq.

Donatio propter nuptias vide Dos.

Dotis homonymia, p. 180. n. 24. definitio. n. 25. origo. n. 26. quinam dotem teneantur, aut possint constituere? à n. 27. usque 35. in quibus rebus? p. 181. n. 35. quibus modis? n. 36. ob quem finem dos constituatur? n. 37. quinam dotis effectus? p. 182. n. 38. & 39. de donatione propter nuptias, aliisque dotis affinibus. n. 40.

Erroris Impedimentum, vide Impedimentum Erroris.

Filii Legitimi, vide Legitimitas, Legitimatio.

Frigidi & maleficiati, vide Impedimentum impotentia.

Honestas publica, vide Impedimentum publicæ honestatis.

Im-

Impedimenta matrimonii.

Alia dirimentia, alia impedientia. p. 68. n. 122. penes quos resideat potestas constituendi impedimenta? p. 69. n. 123. & n. 124. & seq. quinam in iis possint dispensare? p. 70. n. 126. & 127. quomodo matrimonium nulliter contractum reconvalidetur? n. 128.

Impedimenta Impedientia.

Definiuntur. p. 157. n. 1. dividuntur in ea quæ sunt sine, & in ea quæ sunt ex delicto, & recensentur, à n. 2. usque 13. unde oriantur? p. 159. n. 14. quos impediant? p. 160. n. 15. quomodo differant ab impedimentis dirimentibus? n. 16. eorum effectus. n. 17. qui in his impedimentis dispensare possint? n. 18.

Impedimentum affinitatis.

Affinitatis Etymologia. p. 149. n. 19. definitio. n. 20. divisio. n. 21. 22. & 23. origo. p. 150. n. 24. & 25. quos afficiat affinitas & affinitatis impedimentum? p. 151. n. 26. & seq. Ratio computandi gradus affinitatis. p. 152. n. 29. ejusdem effectus n. 30. 31. de dispensatione in impedimento affinitatis. p. 153. n. 32.

Impedimentum Coactionis.

Quid sit? p. 120. n. 15. quo jure matrimonium dirimat? n. 16. ex qua vi aut metu oriatur? p. 122. n. 17. 19. & seq. quorum matrimonia dissolvat? n. 18. Effectus hujus impedimenti. p. 123. n. 23. & 24. quomodo metus purgetur? n. 25. & 26.

Impedimentum Cognationis legalis.

Quid sit? p. 140. n. 1. divisio. n. 2. origo. n. 3. p. 141. & seq. inter quas personas obtineat? p. 141. à n. 5. usque 8. an etiam ex adoptione vel unione prolium proveniat? p. 142. n. 9. 10. ejus effectus? n. 11. quomodo tollatur? p. 143. n. 12.

Impedimentum Cognationis spiritualis.

Quid sit? p. 134. n. 1. ejusdem divisio. n. 2. origo. p. 135. n. 3. quos inter contrahatur, & matrimonium dirimat? n. 5. usque 11. quæ sint accessoria, ad hoc. ut contrahatur hæc cognatio? p. 136. à n. 12. usque 17. ejus effectus p. 138. n. 18. 19. an & quando dispensari possit in hoc impedimento? p. 140. n. 20

Impedimentum Conditionis.

Quid sit: p. 129. n. 1. quo jure dirimat matrimonium? n. 2. qualis Servitus inducat impedimentum? p. 130. n. 3. 6. & 7. quorum matrimoniis obstet? p. 130. n. 4. & 5. hujus impedimenti effectus. p. 130. n. 8. quomodo tollatur? p. 131. n. 9.

Impedimentum Consanguinitatis.

Quid nominis? p. 142. n. 1. quid rei? n. 2. quotuplex? n. 3. 4. 5. origo consanguinitatis, & quo jure dirimat matrimonium? p. 144. n. 6. 7. 8. quos inhabilitet ad matrimonium contrahendum? p. 146. n. 9. & seq. regulæ computandi gradus consanguinitatis. p. 147. n. 12. 13. 14. ejus effectus. p. 148. n. 15. 16. an & quando in impedimento consanguinitatis locus sit dispensationi? n. 17. 18.

Impedimentum Criminis.

Quid sit? p. 116. n. 1. quo jure sit constitutum? n. 2. ex quo & quali crimine oriatur? n. 3. & p. 117. n. 8. ex conjugicidio. n. 9. ex adulterio p. 118. n. 10. & seq. quos inhabilitet ad matrimonium? p. 116. n. 4. & p. 117. n. 5. 6. 7. hujus impedimenti effectus. p. 119. n. 13. an admittat dispensationem. n. 14.

Impedimentum cultûs disparitatis.

Quid sit? p. 113. n. 20. quo jure dirimat matrimonium? p. 114. n. 21. quænam inducant impedimentum matrimonii? n. 22. & 25. quorum matrimoniis obstet? n. 23. & 24. an valeant sponsalia inter Catechumenum nondum baptizatum & Catholicam contracta? p. 115. n. 26. quid dicendum, si disparitas cultûs sequatur matrimonium? n. 28. an S. Pontifex in hoc impedimento dispensare possit? n. 29.

Impedimentum erroris.

Quid sit? p. 131. n. 10. quo jure introductum? n. 11. qualis error dirimat matrimonium? p. 132. n. 12. I. Error personæ. n. 14. II. Error qualitatis redundantis in personam. p. 133. n. 15. III. non error alterius qualitatis. n. 16. Quomodo matrimoniis obstet? p. 132. num. 13. Ejus effectus. p. 133. n. 17. an recipiat dispensationem? n. 18.

Impedimentum impotentiæ.

Definitur. p. 153. n. 1. dividitur. n. 2. usque 4. quo jure dirimat matrimonium, & unde oriatur? n. 5. & seq. quinam censeantur impotentes? n. 7. & seqq. Requisita necessaria ad hoc, ut dirimat matrimonium. p. 155. n. 12. & seqq. Impotentiæ effectus p. 156. n. 15. utrùm matrimonium restaurandum, si ob temporalem impotentiam dissolutum sit? n. 16.

Impedimentum Ligaminis.

Quid sit? p. 91. n. 1. quo jure dirimat matrimonium? n. 2. ex quo matrimonio oriatur? n. 3. & p. 92. n. 5. quorum & quali matrimonio obstet? p. 91. n. 4. & p. 93. n. 6. solvitur hoc ligamen I. morte naturali. p. 93. n. 7. II. solenni professione religionis. num. 8. III. Dispensatione S. Pontificis. p. 94. n. 9. IV. inter infideles. ibid.

Impedimentum Ordinis.

Quid sit? p. 108. n. 1. quo jure dirimat matrimonium? n. 2. quibus Ordinibus annexum sit? n. 3 p. 110. n. 6. & 7. quos Clericos reddat inhabiles ad matrimonium? p. 108. n. 4. p. 109. n. 5. qui sint effectus hujus impedimenti? p. 110. n. 8, & 9. an & quando in eo dispensari possit? p. 111. n. 10.

Impedimentum publicæ honestatis.

Quid sit? p. 95. n. 1. introductum jure Ecclesiastico. n. 2. ex quibus sponsalibus nascatur? n. 3. & 4. an extendatur etiam ad infideles? p. 96. n. 5. ut ex sponsalibus oriatur, oportet esse certa. p. 97. n. 6. ut ex matrimonio rato oriatur, oportet esse purè & absolutè initum. n. 7. ut matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum sit. n. 8. quid in casu, quo sponsalia vel matrimonia sunt publica & impedimentum occultum? p. 98. n. 9. quorum matrimonia & sponsalia sint invalida? p. 99. n. 10. & 11. quibus modis tollatur? n. 12. & 13.

Impedimentum Raptûs.

Quid sit? p. 125. n. 27. quo jure introductum? n. 28. ex quo raptu oriatur? n. 29. & seq. quorũ matrimoniis obstet? p. 125. n. 30. & p. 126. n. 31. effectus raptûs. p. 127. n. 36. & 37. Quomodo hoc impedimentum cesset? p. 128. n. 38.

Impedimentum Voti.

Quid sit? p. 111. n. 11. quo jure sit introductum? n. 12. quali voto vis dirimendi matrimonium competat? p. 112. n. 13. & 14. quorum matrimoniis obstet? n. 15. & 16. qui sint effectus hujus impedimenti? n. 17. & 18. an summus Pontifex in eo dispensare possit? p. 131. n. 18.

Impotentia, vide Impedimentum Impotentiæ.

Impuberes, vide Desponsatio Impuberum.

Lepra, vide Conjugium Leprosorum.

Leprosorum Conjugium, vide Conjugium Leprosorum.

Legitimitas.

Quid sit? p. 160. n. 1. ex quo jure à n. 2. usque 11. quinam liberi censeantur legitimi? p. 162. à n. 12. usque 15. Legitima nativitas quâ ratione probetur? p. 164. n. 16. quæ sint jura ac prærogativæ legitimorum? num. 17.

Legitimatio per oblationem curiæ.

Quid sit mutatâ hodie Reipubl. forma? p. 170.

Legitimatio per Rescriptum Principis.

Quid sit? p. 167. n. 30. ejus origo. 168. n. 31. quibus competat jus legitimandi per rescriptum? n. 32. & seqq. quinam per rescri-

scriptum legitimari possint? p. 169. n. 35. & 36. Requisita legitimationis. n. 37. & seqq. ejusdem effectus. p. 170. n. 41. & 42.

Legitimatio per subsequens matrimonium.

Ejus definitio. p. 164. n. 18. quo jure sit introducta. n. 19. quale debeat esse matrimoniũ, ut per id proles naturalis legitimetur? à n. 20. usq; 24 quinam legitimentur per subsequens matrimoniũ? p. 165. n. 25. & 26. requisita hujus legitimatiõis. p. 166. n. 27. 28.

Ligamen, vide Impedimentum Ligaminis.

Matrimonii accusatio.

Quid sit? p. 171. n. 1. quo jure. n. 2. quibus. n. 3. & 4. & contra quos competat? n. 5. Ejus requisita. p. 172. n. 6. & seqq. quis effectus? p. 173. n. 11.

Matrimonium.

Quid nominis? p. 44. n. 81. Synonyma Matrimonii. p. 45. n. 82. 83. An contrahi possit inter fideles præcisè in ratione contractûs? n. 84. quid rei sit? p. 46. n. 85. dividitur matrimonium in legitimum. n. 86. ratum p. 47. n. 87. consummatum. n. 88. item in verum. p. 48. n. 89. præsumptum & putativum. p. 49. n. 90. quid sit matrimonium ad Morganaticam. p. 49. n. 91.

Quæ sit origo institutionis matrimonii? p. 51. n. 92. quantum circa id valeant leges civiles? n. 93. Causa efficiens matrimonialis principalis sunt ipsi contrahentes. n. 94. prohibentur contrahere, qui laborant defectu judicii. p. 51. n. 94. vitio corporis. p. 52. n. 95. defectu ætatis. Ibid. item ob personæ conditionem & statum. n. 96. ob inæqualitatem dignitatis. n. 97. ob utilitatem publicam. p. 53. ob quodcunque impedimentum sive impediens, sive dirimens. n. 98 inter quas p. 54. n. 99. & per quas personas matrimoniũ contrahi possit? n. 100. & n. 101.

Quod sit objectum proprium consensus matrimonialis? p. 56. n. 102.

Forma matrimonii consistit in consensu de præsenti p. 57. n. 103. vero, n. 104. libero non coacto. p. 58. n. 105. non spe præmii, lucri, dotis &c. n. 106. per verba, literas aut alia signa manifestato. p. 59. n. 107. quænam verba apta sint? n. 108. quæ signa? p. 60. n. 109. an ad contrahendum matrimonium parentûm consensus adhibendus sit? n. 110. an Principes sæculares in liberos sine præscitu ipsorum nubentes pœnam exhæredationis vel aliam statuere possint? n. 111. de Illustrium matrimoniis. p. 61. n. 112.

Finis matrimonii primarius est liberorũ procreatio. p. 61. n. 113. effectus matrimonii communes utriq; conjugi, n. 114. p. 62. n. 115. & seq. effectus proprii marito. p. 65. n. 117. & p. 66. n. 118, item proprii uxori. p. 67. n. 119. n. 120. & p. 68. n. 121. quomodo matrimonium nulliter contractum reconvalidetur? p. 70. n. 128. lepra superveniens non dissolvit matrimonium. p. 149. n. 3. *vide* impedimenta *matrimonii.*

Matrimonium contractum contra interdictum Ecclesiæ, vide Impedimenta Impedientia.

Nati ex libero ventre.

Quoad statum proles sequitur matris conditionem. p. 133. n. 1. quoad dignitatem ac familiã sequitur patris conditionẽ. p. 134. n. 2.

Nuptiæ.

Quæ nuptiæ dicantur secundæ? p. 183. n. 1. an sint licitæ? n. 2. qualis certitudo requiratur, ut liceat matrimonium repetere? n. 3. proponitur objectum secundarum nuptiarum. n. 4. Nuptiæ secundæ non sunt benedicendæ. p. 184. n. 5. quis earum finis? n. 6. qui effectus, ac earum pœnæ? n. 7. & 8.

Ordo, vide impedimentum Ordinis.

Pubertas, vide Desponsatio Impuberum.

Publica honestas, vide Impedimentum publicæ honestatis.

Raptûs Impedimentum, vide Impedimentum Raptûs.

Secunda Nuptiæ, vide Nuptiæ.
Servitus, Servus, vide impedimentum conditionis & nati ex libero ventre.
Sponsa duorum, vide Impedimentum Ligaminis.

Sponsalia.

Sponsalium etymologia. p. 2. n. 2. Synonymia. n. 2. homonymia. n. 3. Quid sint sponsalia? p. 3. n. 5. an necessariò matrimonio præmittenda? n. 6. quinam possint contrahere sponsalia? p. 3. n. 7. an infantes vel eorum nomine parentes aut agnati? n. 8. & 9. an amentes, rudes, vel melancholici? p. 5. n. 10. 11. an ebrii? p. 6. n. 12. an sensibus destituti? n. 13. an persona indeterminata? n. 14. & p. 7. n. 15. an impediti impedimento seu dirimente seu impediente. n. 16. p. 8. n. 17. an parentes aut tutores locò liberorum, vel pupillorum? p. 9. n. 18. & seq. an & qualiter absentes per Procuratorem? p. 11. n. 22. & seq.

Objectum sponsalium est matrimonium futurum, quod licitè contrahi potest & validè. p. 12. n. 24. an teneat inter Catholicum & hæreticam vel hæreticum & Catholicam? n. 25. non potest validè contrahere obstrictus voto. p. 13. n. 26. sponsalia simpliciter aut sub conditione inita cum una, invalidè contrahuntur cum alia, etiam jurata. p. 14. n. 27. irrita sunt sponsalia, si tendant in matrimonium irritum. p. 15. n. 28. ut sponsalia subsistant, requiritur promissio. p. 16. n. 29. & quidem vera p. 16. n. 30. & p. 17. n. 31. libera & deliberata. p. 18. n. 32. non ex impuro ac cæco amore inita. p. 18. n. 33. Signo sensibili sponsalitia promissio exprimi debet. p. 19. n. 34. etiam per epistolam confessatam tenent. n. 35. Verborum quæ in constituendis sponsalibus intercedunt, accurata ratio habenda. p. 20. n. 36. & seq. debent esse ab altera parte accepta. p. 22. n. 41. & seq. ex parte alterius necessaria est repromissio. p. 23. n. 44. & p. 24. n. 45. an quoque consensus, in quorum potestate sunt? p. 25. n. 46. utrùm sponsalia insciis parentibus sint valida? n. 47.

Finis sponsalium quis? p. 26. n. 48. an & qualis obligatio & actio ex sponsalibus oriatur? n. 49. 50. 51. quo tempore sint implenda sponsalia? p. 27. n. 52. num sponsi ad contrahendum censuris cogi possint? p. 27. n. 53. Indirecta obligatio sponsalium quæ? p. 28. n. 54. quinam effectus eorum speciales? p. 29. n. 55 & seq.

Sponsalia ex multis causis dissolvuntur. p. 29. n. 58. nimirũ mutuo consensu. n. 59. & 60. matrimonio cum alia contracto. p. 30. n. 61. 62. Professione religionis. p. 31. n. 63. & seq. impedimento dirimente superveniente. p. 33. n. 67. & p. 34. n. 68. lapsu temporis præfixiti ad contrahendum matrimonium. p. 35. n. 69. propter discessum sponsi in terras remotas. p. 36. n. 70. propter dolum. p. 37. n. 71. propter fornicationem supervenientem. p. 38. n. 72. & seq. qualis probatio stupri seu fornicationis requiratur p. 41. n. 74. propter notabilem mutationem supervenientem. n. 75. ùt in bonis animi. n. 76. in bonis corporis. p. 42. n. 77. in bonis fortunæ. p. 43. n. 78. & seq. an sponsi privatâ authoritate possint resilire? p. 43. n. 80. an valeant sponsalia inter Catechumenum nondum baptizatum & Catholicam contracta? p. 115. n. 26. lepra superveniens dissolvit sponsalia. p. 128. n. 2. an valeat pœna conventionalis sponsalibus adjecta? p. 205. n. 11.

Vide Arrha sponsalitia.

Sponsus, Sponsa.

Qui veniant nomine sponsorum? p. 2. n. 4.

Voti Impedimentum, vide Impedimentum Voti.

O. A. M. D. G.

APPRO-

APPROBATIO
S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

CRimina, Diis, hominibúsque infesta nunquam placere poſſunt, niſi quando *ad aram Juſtitiæ* ſacrificantur, ſive cultro pœnitentiæ in foro Divino, & interno animæ; ſive vindice gladio in foro externo Jurisdictionis humanæ; ſive ſtylo litterato in foro Scholaſtico Jurisprudentiæ. Ecce in hoc *Tractatu* mactata ad aram Themidis *criminum* monſtra, quæ eruditiſſimus ſtylus Clariſſimi Authoris Juris tam Canonici, quàm Civilis lectiſſimâ Doctrinâ feliciter configit, imò eorum viſcera, omnésque cauſas penitiſſimè haruſpicatur: dúmque perſpicuâ brevitate paucis plurima complexus, *Criminalis Proceſsûs* viam, ordinémque exactè deſignat, forenſi quoque, & Vindicativæ Themidi ad jugulanda *criminum* monſtra auxiliarem manum præbet. Prodeat igitur in lucem publicam hujus *Tractatûs Canonico-Civilis* illibata Doctrina, inſpiciatur litteratorum oculis, teratur manibus, ſtudiúmque Juridicum Domini Defendentis gloriosè coronet. Ita cenſeo.

P. PAULUS MEZGER,
Benedict. è S Petro Sal. SS. Theol. D. & S. Script. Prof. Ord. Celſiſſ. & Rev. Princ. & Archi Epiſc. Salisb. Conſil. Eccleſ. Univ. Pro-Cancell. & S. Fac. Th. p. t. Decan.

APPROBATIO
FACULTATIS JURIDICÆ.

PRæſens Tractatus Theorico-Practicus de Criminibus juxta ordinem Decretalium Libri V. quemadmodum delictorum materiam pari laude, ac præcedentes Tractatus continuat, ingenium inſuper exhibet ſummum, & laborem, ac induſtriam indefeſſam, ita jure meritiſſimo lucem publicam aſpicit, ac concertationi Academicæ ſubjicitur. Ita cenſeo.

ANTONIUS HERMES,
U. J. D. Celſiſſ & Reverendiſſ. Principis & Archi Epiſc. Salisburgenſis Conſiliarius, Pandectarum Profeſſ. Publ. ens., & Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.

SERIES TITULORUM
IN LIBRO V. DECRETALIUM.

1. De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.
2. De Calumniatoribus.
3. De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.
4. Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.
5. De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.
6. De Judæis, Saracenis, & eorum Servis.
7. De Hæreticis.
8. De Schismaticis, & ordinatis ab eis.
9. De Apostatis & reiterantibus baptisma.
10. De his, qui Filios occiderunt.
11. De Infantibus, & languidis expositis.
12. De Homicidio voluntario, casuali.
13. De Torneamentis.
14. De Clericis pugnantibus in duello.
15. De Sagittariis.
16. De Adulteriis, & Stupro.
17. De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.
18. De Furtis.
19. De Usuris.
20. De Crimine falsi.
21. De Sortilegiis.
22. De Collusione detegenda.
23. De Delictis puerorum.
24. De Clerico venatore.
25. De Clerico percussore.
26. De Maledicis.
27. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.
28. De Clerico non ordinato ministrante.
29. De Clerico per saltum promoto.
30. De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.
31. De Excessibus Prælatorum, & subditorum.
32. De novi Operis Nuntiatione.
33. De Privilegiis, & excessibus privilegiatorum.
34. De Purgatione Canonica.
35. De Purgatione vulgari.
36. De injuriis & Damno dato.
37. De Pœnis.
38. De Pœnitentiis, & Remissionibus.
39. De Sententia excommunicationis.
40. De Verborum significatione.
41. De Regulis Juris.

RESPONDENTE

Pro Gradu Doctoratûs ex Utroque Jure

Admodùm Reverendo, Nobili, Clarissimo

JACOBO VITALI PRIGGL, Juris Utriusque Licentiato.

LIBER

LIBER V.
DECRETALIUM.
Gregorii IX. Pontificis M.
TITULUS I.
De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

POstremus hic Liber delicta, ac causas criminales exhibet: & cùm istæ vel per *accusationem*, vel per *inquisitionem*, vel per *denuntiationem* in judicium deducantur juxta *c. qualiter. 24. §. pen. h. t. licet. 31. in pr. ℣. contra quos. de Simon.* de his in vestibulo sigillatim agitur.

PARS I.
De Accusationibus.

SUMMARIA.

1. 2. *Accusationis onomatologia.* 3. *Definitio.* 4. 5. *Necessitas, ac obligatio.* 6. *Qui possint accusare?* 7. *An fœmina?* 8. *An pupillus?* 9. *An minor?* 10. *An servus?* 11. *An filiusfam.* 12. *An miles?* 13. *An Clericus?* 14. *An Monachus?* 15. *An Magistratus?* 16. *An furiosus, vel Melancholicus?* 17. *An surdus & mutus?* 18. *An cæcus?* 19. *An excommunicatus?* 20. *An infamis?* 21. *An accusatus?* 22. *An inimicus?* 23. *An pauper?* 24. *An paganus, hæreticus, &c.?* 25. *An Filius Patrem?* 26. *An pater filium?* 27. *An Frater Fratrem?* 28. *An Laicus Clericum?* 29. *An libertus Patronum &c.?* 30. *An vasallus Dominum?* 31. *An plures unum?* 32. *Accusari possunt regulariter omnes delinquentes.* 33. *An infans, vel furiosus?* 34. *An minorennis?* 35. *An servus?* 36. *An S. Pontifex?* 37. *An Imperator, tanquam supremus Princeps?* 38. *An Magistratus?* 39. *An absens?* 40. *An ab alio accusatus?* 41. 42. 43. *An semel absolutus vel condemnatus?* 44. *An præscriptione munitus?* 45. *An mortuus?* 46. *An procurator admittatur?* 47 *Usque* 51. *Accusatio de quibus delictis instituì possit?* 52. *Usque* 55. *Qualiter institui debeat?* 56. *Quis ejus finis?* 57. *Quinam effectus ex parte Judicis?* 58. 59. 60. *Ex parte accusatoris?* 61. 62. *Ex parte accusati?*

§. I.

ACcusatio natales suos trahit à verbo *accusare*, quod generaliter significat aliquem ad causam dicendam urgere. *c. 10. §. accusator. de V. S.* Unde accusationis nomine quandoque etiam civilis actio, ac persecutio venit. *l. 4. C. de Edendo. l. 39. ff. Solut. Matr.* Propriè tamen, & hìc tam accusare, quàm accusatio ad delationes delictorum, causasve criminales restringitur.

§. II.

2 Quod *Synonyma* concernit, accusatio audit delatio. *l.* 11. §. 2. *ff. l.* 9. *C. h. t.* insimulatio. *l.* 2. *C. de Exhib. reis.* crimen. *l.* 7. *ff. h. t. l.* 13. *C. ad l. Jul. de adult.* criminatio. *l.* 4. *C. h. t.* criminalis querimonia. *d. l.* 4. *l.* 3. §. 3. *C. Ubi Senatores*, criminis persecutio, aut executio *l.* 13. §. 1. *ff. de Publ. judic. l.* 11. *C. de His, qui accusare.* Item actio. *l.* 1. *ff. Stellionatûs. l.* 15. §. 1 *ff. Ad l. Jul. de adult. t. t. C. Quando civil. actio crimin. præjud.* Quamvis in dubio actio semper pro civili sumenda sit persequutione, uti accusatio pro criminali: quandoquidem regulariter verba in proprio significatu accipienda sunt. *c.* 6. *de Rescript. in* 6. *l.* 69. *ff. de Legat.* 3. Tiber. Decian. *in tr. crim. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 10. Quod & moribus nostris comprobatur, quibus actio dicitur die Klag/ accusatio die Anklag/ actor der Kläger/ accusator der Ankläger/ accusatus der Angeklagte. Theodoric. *in Colleg. crim. c.* 4. *aphor.* 1. *n.* 4.

§. III.

3 *Definitur* accusatio, quòd sit criminis alicujus apud competentem judicem publicæ vindictæ causâ solemniter facta delatio. Colligitur ex *l. fin. C. h. t.*

§. IV.

4 *Causa efficiens* accusationis est jus, quà Divinum, quà humanum: etenim accusatio, utpote actus justitiæ vindicativæ, utroque jure licita est, atque permissa. 1. *ad Tim.* 5. ℣. 19. *c.* 19. *causâ* 2. *q.* 7. *l.* 10. *&* 28. §. *fin C. de Episc. & Cler.* Modò accusator delictum probare possit, rerúmque non ex odio, rancore, aut privatæ vindictæ, vel lucri cujusdam cupiditate, sed ex bono zelo, & intentione impediendi delicta, ac promovendi salutem publicam accuset. Alioquin graviter peccat per *c.* 8. *& ibi* Gonzalez *n.* 5. *& seqq. h. t. c.* 50. *causâ* 2. *q.* 7. *c.* 7. *causâ* 6. *q.* 1. 2. *causâ* 23. *q.* 3.

Planè ea Juris necessitas non est, ut quis § privatorum ad accusandum obligatus sit, & invitus compellatur, *l. un. & rubr. C. Ut nemo invitus agere, vel accusare cog.* Nisi ex crimine damnum in Rempublicam, aut in proximum redundare, idque nonnisi judicis auctoritate impediri posse videat: illud quippe ex lege charitatis per accusationem, aut potiùs per denuntiationem, præcavere tenetur, si sine proprio gravi damno possit, vel si damnum commune tantum sit, ut etiam proprio privato præferri debeat, arg. *c.* 47. *causâ* 2. *q.* 7. *c.* 7. *causâ* 23. *q.* 3. Clariss. P. Paul. Mezger *in Theol. Schol. Salisburg. tom.* 3. *tr.* 13. *disp.* 47. *a.* 3. *n.* 3. & Theologi Gallenses *tom.* 6. *tr.* 4. *q.* 2. *dub.* 1. *concl.* 3. quorum signifer est S. Thom. 2. 2. *q.* 68. *n.* 1. Olim jure Romano etiam hæres necem occisi sub pœna privationis hæreditatis vindicare debebat. *l.* 1. §. 3. *l.* 15. §. 1. & 2. *ff. de SCto. Silan. l.* 17. *ff. de His, quib. ut indign. l.* 9. *C. Eod.* Quod hodie non obtinet. Clar. *lib.* 5. §. *fin. q.* 79 *n.* 8. Peregrin. *de Jure fisc. l.* 2. *tit.* 5. *in fin.* & cum his Clariss. D D. Hermes in *Fascic. J. P. c.* 9. *n.* 233.

§. V.

Subjectum accusationis est vel *activum*, vel § *passivum.*

Activum est accusator, circa quem regula est, quòd omnis accusare possit, qui ob *sexum, ætatem, statum officium, morbum, delictum, suspicionem calumnia, sanguinis conjunctionem, vel reverentiam* non prohibetur. *c.* 14 *causâ.* 2. *q.* 1. *l.* 8. *ff. h. t.*

Ob *sexum* prohibetur *fœmina*, ne contra § pudicitiam sexui congruentem causis forensibus se immisceat, ac virilibus officiis fungetur *d. c.* 14. *& d. l.* 8. Eadem tamen auditur in criminibus atrocissimis, seu exceptis, veluti læsæ Majestatis. *l.* 8. *ff. Ad l. Jul. Majest.* hæresis. arg. *c.* 10. *de Hæretic.* & *l.* 4. *C. Fol.* fraudatæ annonæ, *l.* 13. *ff. h. t. l. fin.* §. 2. *ff. De*

Leg.

Leg. Jul. de annon. falsi testamenti. *l. 2. ff. h. t.* suspecti tutoris. *§. 4. Instit. de Suspect. tutor.* simoniæ. *c. 7. de Simon. l. 31. C. de Episc. & Cler.* Sacrilegii *l. 10. C. Eod.* & dilapidationis bonorum Ecclesiæ. *c. licet. 31. X. aliis. de Simon.* Decian. *in tr. crim. lib. 3. c. 7. n. 18. & seqq.* Haunold. *de J. & J. tom. 6. tr. 3. c. 2. n. 26.* Præterea jus accusandi habet fœmina, quoties suam, suorúmque injuriam persequitur, id est, eorum, in quos ex lege testimonium invita non dicit. *c. 1. causâ 15. q. 3. l. 1. & 2. ff. h. t. l. 4. 5. 9. 12. & 14. C. De his, qui accus.* Atque ita potest accusare homicidam de morte mariti, & reliquorum, qui consanguinitate, vel affinitate junguntur; quales sunt parentes & liberi, fratres & sorores, eorúmque descendentes, socer & socrus, gener & nurus, vitricus & noverca, privignus & privigna per *l. 4. ff. de Testibus.* Bartol. in *d. l. 2. n. 2. ff. h. t.* Molin. *de J. & J. tr. 3. disp. 44. n. 12.* Decian. *cit. lib. 3. c. 5. à n. 10. & c. 7. à. n. 8.*

Utrùm verò mulier maritum de adulterio accusare possit? in *quæstionem* venit. Ad quam Severus, & Antoninus in *l. 1. C. ad Leg. Jul. de adult.* rescripserunt: *publico judicio non habere mulieres adulterii accusationem, quamvis de matrimonio suo violato queri velint.* Quo non obstante uxor potest agere contra maritum ad pœnam canonicam, ac separationem thori *c. 4. causâ 32. q. 1.* & injuriarum nomine. Gloss. & DD. in *d. l. 1. & l. 18. C. Eod.* Imò in Constitutione Criminali Caroli *V. art. 120.* perspicuè constituitur, virum ab uxore de adulterio accusari posse, non minùs, quàm à marito uxorem.

8 Ob *ætatem* accusare prohibetur *impubes*, seu *pupillus*, ne ex imbecillitate intellectûs, ac judicii periculo talionis, ac expensis temerè se subjiciat. *l. 8. ff. h. t.* Verùm & ipse potest authore tutore suam, vel suorum injuriam persequi, ut puta mortem patris, vel avi. *l. 2. §. 1. ff. Eod.* item potest de testamento patris adulterato, & de vitiato instrumento agere. *d. l. 2. §. 1. l. 5. C. de His, qui accus.* Imò potest etiam deferre reum hæresis, & læsæ Majestatis: siquidem alii, qui alioquin jure accusandi destituti sunt, eo casu admittuntur *l. 7. & 8. ff. ad l. Jul. Majest.* Gonzal. *in c. 1. n. 7. h. t.*

Porro *pubes*, seu *minor* 25. *annis* lege Julia 9
specialiter excluditur ab accusatione adulterii exceptô, si de suo matrimonio violato queratur: nec enim visus est idoneus accusator, qui nondum robustæ ætatis est. Textus in *l. 15. §. 6. ff. Ad leg. Jul. de adult.* Ex quo efficitur, extra hanc causam minorem accusare posse, modò eam ætatem expleverit, quâ postulare, ac in publicum procedere potest, nempe annum decimum septimum *l. 1. §. 3. ff. de Postulando.* eique curator adsit. *l. clarum. 4. C. de Auctorit. præstanda.* Enimverò cùm exclusio unius sit inclusio alterius, & minor *specialiter* accusationem adulterii movere inhibeatur, consequens est, extra hunc casum eum ad accusandum esse idoneum. Zoël. *ad ff. h. t. n. 4.* Clar. in *Pract. crim. §. fin. q. 14. num. 7.* ubi tradit, consuetudine indistinctè admitti minores ad accusandum, dummodò decimum quartum ætatis annum excesserint. Dissentit Theodoric. in *Colleg. crimin. c. 4. aphor. 4. n. 17.*

Ob *statum* accusare prohibetur *servus*, ut 10
qui nec in civilibus causis personam standi in judicio habet. *l. 6. & 7. C. de judiciis*, & civiliter pro nullo, ac mortuo habetur. *l. 32. ff. de R. J.* Excipitur crimen læsæ Majestatis, falsæ monetæ, fraudatæ annonæ, fraudati censûs, & testamenti suppressi; ex quibus causis jure *Digestorum* servo quoque adversus dominum consistere permissum est *l. 35. ff. de Judiciis. l. 7. §. 2. ff. Ad leg. Jul. Majest. Jure.* inquam, *Digestorum*: quoniam in *l. penult. C. De his, qui accus. non poss.* servus, ac familiaris quod-

cunque crimen domini sub pœna ultimi supplicii detegere vetatur, excepto tantùm crimine læsæ Majestatis; cui jungo crimen simoniæ *c. 7. de Simon.* & crimen hæresis. arg. *c. 10. de Hæretic.* Certè hodie inter Christianos unà cum servitute hæc prohibitio penitus in desuetudinem abiit, & ne quidem homines proprios, die Leibeigene/ comprehendit: hi namque rectè in judicio consistunt, ut docui *ad tit. de Judiciis. n. 26.* & si operis insolitis graventur, ipsis contra Dominos succurrendum est. Mevius *p. 4. dec. 133. num. 2.*

11 Sed quid de *filiofamilias*? Ei statum non obstare, quin consentiente patre accusare possit, inter accuratiores JCtos est contestatissimum. An vero etiam possit sine consensu patris? difficilis putatur *Controversia.*

Bartol. in *l. inter liberas. 6. ff. ad leg. Jul. de Adult.* Decian. *in tr. crim. l. 3. c. 9.* & Farinac. *in pr. crim. tit. de accusat. q. 12. n. 10.* cum communi affirmant, hâc præcipuè ex ratione: quia accusatio in causa criminali ad jus publicum, videlicet ad vindictam publicam, pertinet, in illis autem, quæ ad jus publicum pertinent, non attenditur jus patriæ potestatis, & filiusfamilias habetur locò patrisfamilias. *l. filiusfam. 9. ff. De his, qui sui, vel alien. jur. l. in privatis. 77. cum seqq. ff. de Judiciis. l. nam quod. 14. ff. Ad SCtum Trebell.*

Negant contra Gloss. in *l. fin. in pr. & necessitate. C. de Bon. quæ lib.* Anton. Matth. *ad ff. h. t. c. 1. n. 5.* Bachovius *ad Treutl. vol. 2. disp. 31. th. 3. lit. F.* & alii plures, moti auctoritate: *l. 6. §. 2. & l. 37. ff. Ad leg. Jul. de Adult.* in quibus constitutum est, filiumfamilias propter vindictam proprii doloris publico judicio adulterium in uxorem sine voluntate patris, imò invito patre, arguere posse, facili argumento, quòd in aliis delictis, in quibus filiusfamilias vindictam proprii doloris non prosequitur, is accusationem absque consensu patris instituere nequeat. *Leges* in contrarium adductæ saltem indicant, quòd filiusfamilias possit magistratum gerere, judex esse, aut tutor dari patre non consentiente, non etiam quòd possit accusare, ideóque accusare munus publicum non est, cujus gratiâ filiusfamilias pro patrefamilias debeat haberi.

Verùm utut in hac controversia pars utraque theoricè haud improbabiliter sustineri possit, tamen in practica, & in judicando prævalet affirmativa teste Claro in *Pract. Crim. §. fin. q. 14. num. 5.* ubi ait, se nunquam in praxi dubitari vidisse, an filiusfamilias sive agendo, sive defendendo sine consensu patris posset stare in judicio, sive crimen fuisset publicum, sive privatum? Cui accedit Haunold *de J. & J. tom. 6. tr. 3. c. 2. n. 23.*

12 Ob *officium* qui ab accusando repelluntur, plures occurrunt. Primo *milites Romanni*, qui stipendia meret, & in castris, ac expeditione versatur. *l. 8. ff. h. t.* Quia cùm in ingressu militiæ juret, se à signis suis nunquam recessurum, eáque curaturum, quæ ad disciplinam militarem spectant, non debet criminalibus litibus implicari arg. *l. 7. C. de Procurat. l. 15. & 16. C. de Re milit.* Nisi se, suósque vindicet, aut crimen læsæ Majestatis, aut fraudatæ annonæ, vel delictum militare deferat. *l. 11. ff. h. t. l. 8. & 10. C. De his, qui accus. l. 7. §. 1. ff. Ad leg. Jul. Majest.* Quod ad milites nostri temporis attinet, à D. D. vulgò creditur, eos indistinctè audiendos esse, eò quòd prædicto juramento se non obstringant. Gigas & Speculator apud Fragos. *de Regim. Reipubl. Christiana pag. 1. lib. 5. disp. 12. n. 82.* Quibus non libenter subscribo; præterquam enim, quòd hodiedum milites in certas legiones referantur, & ad signa jurare soleant, prohibitionis hujus causa non fuit forma receptionis, sed forma militaris, & armorum occupatio, quæ accura-

ritior in modernis, quàm veteribus militibus desideratur, propter indies noviter excogitata stratagemata, & tormenta bellica.

13 *Secundo* huic classi accensetur miles militiæ cœlestis, sive *Clericus:* utpote cujus officium est, precibus, & functionibus sacris assiduè vacare, non odiosis litigiis, & minùs laudabilibus accusationibus se immiscete, maximè ubi pœna sanguinis irrogaretur *c. Sacerdotes. 51. causâ 2. q. 7. c. his, & quibus 30. causâ 23. q. 8. c. 9. Ne Clerici, vel Monachi.* Et quamvis Clericus ad repetendam suam, suorum, aut Ecclesiæ suæ injuriam agere possit, si tamen sit causa sanguinis, expressè protestetur, oportet, quòd hic & nunc non velit agere ad vindictam publicam, sed præcisè ad damni per delictum illati reparationem. Alioquin si absque dicta expressa protestatione accusationem proposuerit, mortale peccatum committit, cùm in gravi materia jura sacra violet. Navarr. in *Enchirid Confessar. c. 27. n. 226.* & sequutâ pœnâ mortis, aut mutilationis irregularitatẽ incurrit. *c. 21. de Homicid. & c. 2. Eod. in 6. ubi* D.D. Reginald. in *Prax. for. pœnit. lib. 24. c. 7. sect. 2. n. 128.* Jacob. Pignatel. *tom. 1. consult. 377.* & 378. ubi refert, ita à S. Congregatione Concilii declaratum esse die 4. Febr. 1651. *ad c. 6. sess. 24. de Reform.*

14 *Tertiò* eâdem ex causa ab accusatione semovetur *Monachus*, seu *Religiosus;* ita tamen, ut possit accusare, causâ rationabili præcognitâ, Abbatem suum, eique si proprium peculium non habeat, expensæ ad litem talem necessariæ ex rebus Monasterii suppeditari debeant; *c. ex parte 11. h. t. & ibi* Felin. *num. 4.* Panormitan. *n. 9.* quin & alios extraneos, si Monasterii intersit, atque utilitas ejusdem postulet, & licentia Prælati accedat per *c. Monachi 35. causâ 16. q. 1.* Henric. Wagnereck ad *d. c. ex parte. h. t.* Pirhing. *ibid. n. 10.*

Quartò ob officium, & potestatem, quam 15
gerit, nec *Magistratus* ad accusandum durante officio procedere potest. *l 8. ff. h. t.* Ratio est: quia sicut hic sine fraude in jus vocari nequit, *d. l. 8. §. 2. ff. De injus vocando. l. 32. ff. de injuriis.* sic æquum est, ne alios interea in jus vocet, vel accuset. Quod D.D. communiter intelligunt de Magistratu Romanorum majore, non etiam inferiore, qui sine imperio, & potestate est, ut magistratus municipalis, & judex ordinarius. *d. l. 32. ff. de Injuriis. l. de ordinario. 4. C. de Offic. præfect. Prætorio. Orient. & Illyrici.* Tiber. Decian. *tr. crim. lib. 3. c. 15. n. 4. 5. 6.* ubi contraria subvertit.

Morbus, ob quem accusatio denegatur, 16
est vel *animi*, vel *corporis.*

Ob *morbum animi* denegatur *furioso*, vel *mente capto*, adeò ut nec suæ, nec suorum injuriæ causâ accusare valeat: quia rerum, quæ geruntur, intellectum non habet, *l. 2. §. 1. ff. de Procuratorib.* & mortuis æquiparantur. *l. 14. ff. Locati l. 24. §. 1. ff. Ratam rem. hab.* Bald. *in rubr. C. De his, qui accus. n. 3.* Quibus meritò accenseas *melancholicum*, qui rationis obfuscationem patitur, & se gallum, lupum, acephalum, aut mortuum esse putet: siquidem ubi morbus melancholiæ jam radices egit, & ratio imaginationis errorem non cognoscit, melancholicus pro insano habetur, & in illo, ut in cæteris dementibus, procedendum est, sive circa plura, sive circa particularia quædam insaniat. Zachias *quæst. Medico Legal. lib. 2. tit. 1. q. 9. n. 28.* Oldekop. *Observat. crim. tit. 3. observ. 23. n. 5.* Idem quoque de *prodigo* dixero, ut qui, cùm furiosum rerum suarum faciat exitum, furioso assimilatur in *l. 1. ff. de Curatorib. furios. l. 6. ff. de V. O. l. 40. ff. de Reg. Jur.* Theodoric. in *Colleg. crim. c. 4. aph. 4. num. 25.*

Ob *morbum corporis* accusatio denegatur 17
fur-

surdo, & *muto*: cùm enim in judicio agendi potestatem penitus non habeant, & tam pro se, quàm pro aliis postulare prohibeantur. *l.* 1. *§.* 3. *ff. propter casum ff. De postulando. l.* 43. *pr. ff. de Procuratorib.* nec jus accusandi ipsis competere potest, ex quo ob gravitatem causæ criminalis major utique personæ habilitas in accusante, quàm agente exigitur. Angel. Aretin. *de Malefic. Rubr. & ad querelam. n.* 30. ubi tamen surdastro accusandi potestatem concedit. Novell. in *tr. ad defensam. rubr. quæ personæ accus. poss. n.* 9. Nihilominus surdum, & mutum ex accidente accusare posse, si crimen ad ipsorum, vel propinquorum injuriam propriè pertineat, & ille verbis, hic literis desiderium suum exponere queat, communis, usúque fori firmata sententia est in quam propendet Tib. Decian. *d. lib* 3. *c.* 11. *n.* 14. *& seqq.*

18 Ecquidem sunt, qui etiam *cæco* accusandi facultatem denegent, idque ex eo deducant, quòd uti surdus, ita cœcus quoque jure Romano à postulando submoveatur. *l.* 1. *§.* 5. *ff. casum. ff. de Postulando.* At meo judicio perperam, quoniam accusatio cæco nuspiam interdicta legitur, éstque ejusmodi actus, qui commodè ab illo expediri potest, nimirum libellum accusatorium voce suâ dictando juxta *l.* 3. *ff. h. t.* & per Notarium ad talionis pœnam se subscribendo juxta Tiber. Decian. *cit. l. n.* 8. Ad hæc, quia in *d. l.* 1. *§.* 5. cæcus non in totum, quemadmodum surdus, sed *pro aliis* duntaxat postulare prohibetur, inde à sensu contrario potiùs arguitur, quòd cæcus pro se possit postulare, & per consequens etiam accusare. Samuel Stryck. *tr. de Jure sens. dissert.* 2. *c.* 5. *n.* 9.

19 In censum eorum, quos *delictum* ab accusatione arcet, pertinet *excommunicatus, infamis*, & *criminaliter accusatus.*

Excommunicatus, majore scilicet excommunicatione, non auditur, imò si toleratus non sit, à Judice ex officio repellendus est, quamvis vellet accusare suæ suorúmque injuriæ causâ, vel de criminibus exceptis. *c.* 6. & 7. *causâ.* 3. *q.* 4. *c.* 1. *& 2. causâ* 4. *q.* 1. *c.* 2. *& 12. de Except.* Decian. *ubi supra cap.* 20. *n.* 4. *& 6.* Atque hæc prohibitio quoque in foro civili procedit. Pirrhing. *h. t. n.* 6. Clar. *§. Sentent. §. fin. q.* 14 *n.* 16. Ratio peremptoria est: quia ut censura Ecclesiastica magis timeatur, communionis periculum evitetur, & contumaciæ vitium reprimatur, excommunicatus potest ac debet repelli ab agendo. *c.* 7. *de Judic. c.* 1. *de Except. in* 6. Reverendiss. D Christoph. Priggl. in *Manual. pract. de Appellat. observ.* 3. *n.* 4. ergo iisdem ex causis repelli potest ac debet ab accusando: qui enim idoneus non habetur, ut proprio nomine injuriam exequatur, id multò minus ei licet nomine publico. Gilhausen in *arbitr. judic. crim. c.* 3 *p.* 2. *sub. n.* 6. ubi & hanc rationem assignat, quòd excommunicatus æquiparetur mortuo & bannito, quem ab accusatione excludit Bartol. in *l. servos. ff. h. t.*

Infamem accusatoris officio fungi non pos-20 se, differti textus sunt in *cap.* 17. *cap.* 18. *causâ* 2. *q.* 7. *c. infames.* 17. *causâ.* 6. *quæst.* 1. *l.* 4. *& 8. ff. h. t. l.* 15. *C. de his, qui accus. non poss.* Id ipsum tamen fallit, si infamis liberorũ, vel patronorum suorum mortem, vel rem suam defendat, *cap.* 14. *causâ* 2. *q.* 1. *d. l.* 4. *& l.* 11. *ff. h. t.* aut de hæresi, simoniâ, læsa Majestate, fraudata annona, alióve crimine exceptorum deferat. *c.* 7. *de Simon. l.* 7. *ubi* Bartol. & D. D. *ff. Ad leg. Jul. Majest.* Carpz. in *Pract. crim. p.* 3. *q.* 104. *n.* 38. Insuper diversa juris utriusque ratio est: etenim *Jure Civili* accusare prohibetur solùm infamis infamiâ juris, per legem videlicet notatus, vel judicio publico, aut famoso condemnatus, quo de *l.* 4. *ff. h. t. l.* 1. *§.* 6. *ff. de Postul.* & *t. t. ff. de his, qui not. infam.* At *Jure Canonico*, & in foro Ecclesiastico etiam infamis infamiâ facti, seu cri-

criminosus, cujus existimatio sinistra honestorum virorum opinione minuitur, per *d. c.* 17. & 18. *causâ* 2. *quæst.* 7. Pirrhing. *h. t. n.* 5. Tiber. Decian. *cit. lib.* 3. *c.* 17. *num.* 12. & 13.

11 Circa *criminaliter accusatum* breviter ita distinguendum est: sitne lis contestata, & nomen accusati inter reos relatum, vel non? Hoc *posteriore* casu tam accusatorem suum, quàm extraneum de quovis crimine, tum majori, tum etiam probabiliter pari, aut minori, accusandi potestatem habet, quandoquidem nullo jure scripto reperitur prohibitus, & jure non scripto, seu consuetudine multis in locis indiscretim ad accusandum admittitur, teste Fragoso de *Regim. Reip. Christ. p.* 1. *lib.* 5. *disp.* 12. *sub n.* 83. Casu *priore*, antequam accusatus se purgaverit, fuerintque excusatus, potest quidem æquè accusatori suo, ac alii cuicunque inferre crimen gravius eô, de quo ipse accusatus est, ne minus graviori præjudicet. *l.* 1. *C. de his qui accus. non poss.* nulli verò potest inferre crimen par, vel minus, nisi agat de prosecutione suæ, aut suorum injuriæ, vel in hunc finem, ut accusatio sit inchoata, sicque interrumpatur præscriptio, seu tempus concessum ad accusandum. *cap* 1. 2. & 3. *causâ* 3. *q.* 11. *c.* 2. *in fin. causâ* 4. *q.* 1. *c. fin. de Testib. l.* 5. *ff. de Publ. judic. l.* 19. *C. de his, qui accus. non poss.* P. Engl *h. t. n.* 10.

12 *Suspicio calumniæ* imprimis non permittit, ut *inimicus capitalis*, licèt reconciliatus, ejúsve *familiaris*, ac *convictor* accuset inimicum. *c.* 2. & 3. *causâ* 3. *q.* 5. *c.* 7. 10. 13. & 19. *h. t.* Ad quorum Canonum normam etiam jus Civile, quô non extat decisio contraria, inflectendum est, arg. *c.* 1. *de N. O. N.* Carpzov. in *Pract. crim. p.* 3. *q.* 104. *n.* 30. Neque hìc excipiuntur crimina notoria, & atrocissima: Nam etsi Reip. intersit, ne ejusmodi delicta maneant impunita, non minùs tamen eidem expedit, ne cives calumniis vexentur, nec ex inimicitia, sed æstimatione vera, & commodo Reip. accusatio fiat. Fragos. *d. disp.* 12. *n.* 85. Decian. in *tr. crim. lib.* 3. *c.* 25. *n.* 6. & 8. Auditur tamen inimicus, si propriam injuriam prosequi velit. Jul. Clar. *l.* 5. *sent.* §. *fin. q.* 14. *n.* 17. *in fin.* Quia alioquin nemo posset ex injuria, vulnere, vel cæde sibi, suisque illata accusationem instituere, cum ex gravibus injuriis inimicitia capitalis præsumatur, ut speciatim notat Mascard. *de Prob concl.* 899. *à n.* 1. *usque ad* 26. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 5. *præs.* 43.

Simili ratione nonnisi suæ injuriæ causâ ad 13
accusandum admittitur *pauper*, qui minùs, quàm 50. aureos in bonis habet. *c. prohibentur.* 14. *causâ* 2. *q.* 1. *l.* 10. & 11. *ff. h. t.* Quippe de eo est suspicio, quòd potiùs spe lucrii, ac præmii, quàm studio utilitatis publicæ reum deferret. Verùm hæc prohibitio non videtur in praxi obtinere, nisi pauper sit malæ famæ, & inhonestæ vitæ. Qui integer vitæ, scelerisque purus est, sicuti testis idoneus, & omni exceptione major quandoque reputatur per *l.* 3. *ff. de Testib.* ita quoque legitimus accusator censetur. Menoch. *de Arbitr. Judic. lib.* 2. *cent.* 1. *cas.* 165. Carpzov. *d. q.* 104. *n.* 29. Quamobrem hìc multùm arbitrio judicis tribuendum, cui de omnibus incumbit cognoscere, & an suspicione quadam accusans laboret, dijudicare, & utrùm audiendus sit, priùs dispicere, arg. *c.* 17. 18. & 49. *causâ* 2. *q.* 7. Tiber. Decian. *cit. lib.* 3. *c.* 22. *n.* 20.

Rursus tanquam suspecti accusatores reji- 14
ciuntur paganus, judæus, & hæreticus, si accusent Christianos. *c.* 25. *causâ* 2. *q.* 7. Item qui aliquando subornatus falsum dixit testimonium. *l.* 9. *ff. h. t.* qui semel calumniatus est. *l.* 7. §. 3. *ff. Eod. c.* 10. & 11. *causâ* 3. *q.* 5. qui nummos, ut reum impeteret, aut eidem crimen non intentaret, recepit.

l. 4. & 8. *ff. h. t.* aut qui duo judicia adversùs duos subscripsit, utpote cui tertia, imò nec secunda accusatio permittitur, nisi ob injuriam propriam. *d. l.* 8. & 12. §. 2. *ff. Eod. l.* 16. *C. De his, qui accus. non poss. & ibi* Tulden. *n.* 5.

25 Propter *sanguinis conjunctionem* sub pœna exhæreditationis *liberi* prohibentur accusare parentes. *l.* 11. §. 1. *ff. h. t. Novell.* 115. *c.* 3. §. 3. Quod extenditur ad omnes descendentes per *l.* 220. *ff. de V. S.* Nec interest, naturales sint tantùm, an legitimi, & naturales simul? arg. *l.* 4. §. 1. & *l.* 6. *ff. de in jus voc.* Limitatur autem, si tale sit delictum, quod ad eversionem Reipublicæ tenderet, veluti crimen læsæ Majestatis, perduellionis, latrocinii, veneficii, &c. Nam si filius patrem ad delendam patriam, aut occidendos parentes, vel liberos venientem impunè potest occidere. *l.* 35. *ff. de Relig. & sumptib. fun.* quidni accusare licebit? Idque olim duos Nobiles de Falckenstein fecisse, commemorat Zasius ad *l.* 19. *n.* 12. *ff. de Captiv. & postlim. revers.* teste Godofr. *in not.*

26 Eôdem modô ex natura correlatorum *parentes* accusare nequeunt liberos. *l.* 3. *C. de Patr. potest.* ubi Alexander Imp. Artemidoro rescripsit: *si filius tuus pietatem patri debitam non agnoscit, castigare jure patriæ potestatis non prohiberis: acriorì remediô usurus, si in pari contumacia perseveraverit: eúmque præsidi provinciæ oblaturus, dicturo sententiam, quam tu quoque dici volueris.* Ex quo sanè textu abunde elucescit, quòd pater filium solenniter non accuset, sed Magistratui duntaxat offerat, præscribátque sententiam. Verùm & hoc limitationem recipit in criminibus, quibûs salus Reip. impetitur, ut in crimine læsæ Majestatis, ubi salus publica saluti liberorum anteferenda, arg. *l.* 5. §. *ult. C. ad Leg. Jul. Majest. l.* 35. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* Item si filius patri, vel matri insidias struxerit, aut manus violentas intulerit. *l.* 14. *C. de His, qui accus. non poss.* Attamen hoc casu honestati, ac pietati magis convenit, ab accusatione liberorum abstinere, prout exemplis Davidis, L. Gellii & Fulvii Senatoris illustrat Decianus in *tr. crim. lib.* 3. *c.* 13. *num.* 5.

Circa *fratres*, & *sorores* distinguit jus Ci- 27
vile inter crimina capitalia, & levia. Horum accusationem iis permittit in *l.* 18. *C. de his, qui accus. non poss.* Illorum sub pœna exilii interdicit in *l.* 13. *C. Eod.* Haud dubiè fraternæ amicitiæ servandæ gratiâ, quæ maxima est, ut contrà, dum in inimicitiam degenerat, odium ferè habet implacabile, & Domorum, ac Familiarum subruit fundamenta. Quamvis autem hìc nulla sit statuenda differentia inter fratres germanos, consanguineos, aut uterinos, item inter fratres naturales tantùm, & naturales ac legitimos simul, cùm *cit. l.* 13. indistinctè loquatur, ejúsque ratio in jure sanguinis fundetur; fratrum tamen nomine non veniunt fratres patrueles, fratres adoptivi, fratres spirituales, & multò minùs comprivigni, die zusammen gebrachte Kinder, & fratres conventionales, seu compotatorii die Dutz-Brûder: quia lex disponens de fratribus locum non habet in hisce imaginariis, fictis, & abusivis fratribus, cùm regulariter facienda sit interpretatio secundum naturalem verborum proprietatem, arg. *l.* 7. §. 2. *ff. de Suppel. leg. l* 76 *ff. de Condit. & demonstr. l.* 227. *ff. de Verb. signific.* Decian. *d. cap.* 13. *à n.* 12.

Denique *reverentia* ab accusatione arcet 28
eos, qui illis, quos accusare intendunt, observantiam, honorem, ac gratitudinem debent. Igitur *nullus Laicus audet Clericos crimen inferre. c.* 1. *cum seqq. causâ* 2. *q.* 7. *cap.* 5. *causâ* 6. *q.* 1. *c.* 10. *h. t.* Nisi fortè Clericus crimen atrox, seu exceptum perpetraverit, veluti crimen hæresis. *c.* 8. & 13. *causâ*

causâ 2. *q.* 7. crimen læsæ Majestatis. *cap.* 4. *causâ* 15. *q.* 3. crimen simoniæ. *c.* 7. *de Simon.* Vel Laicus injuriam sibi, aut suis à Clerico illatam vindicet. *c. de cætero* 14. *de Testib.* Aliqui etiam sustinent, Parochianos, ac Patronum posse accusare suum Parochum, aut subditos suum Prælatum, eò quòd ipsorum interfit, bonum habere Pastorem; sed vehementer reclamant textus in *d. c.* 13. *&* 14. *causâ* 2. *q.* 7. Hostiens. in *Sum. h. tit. n.* 5. Rectè verò notat Jul. Clarus *l.* 5. *sent. §. fin. q.* 7. *num.* 9. ab illis ex ratione data excessus Parochi, ac Prælati denuntiari posse.

29 Similiter audiendus non est *Thaumasius*, id est, *alumnus* contra *educatorem*, ut qui parentis locô habetur. *l.* 17. *C. De his, qui accus. non poss. Discipulus* contra *Præceptorem*, ac *Magistrum:* cùm gratus homo iis nihil non debeat, quorum curâ melior est effectus, atque adolescentiæ, & pueritiæ pernicioso mores evitavit, arg. §. 5. *I. Quib. ex caus. manumitt. non lic. l.* 13. *ff. de Manumiss. vind. Servus* contra *Dominum*, adeò ut si eum de capitali crimine (excepto crimine læsæ Majestatis tam Divinæ, quàm humanæ) detulerit, gladio ultore feriendus sit. *l.* 20. *C. de his qui accus. non poss.* Quod etiam ad *libertum* extenditur, qui sub eadem pœna *Patronum*, ejúsque *hæredes* accusare prohibetur in *l. fin. C. Eod.* Imò generaliter eas personas, quibus reverentia præstanda est, ut sine jussu Prætoris in jus vocare non possumus. *l.* 13. *ff. De in jus voc.* ita nec accusare, argumentô à minori ad majus; quod argumentandi genus, præsertim si ab eo, in quo est minor ratio, ad id, in quo est major, concludatur fortissimum, frequens, & utile vocat Everhard. in *Top loc. à minori.* Decian. *d. lib.* 3. *c.* 14. *per tot.*

30 Porro nec *Vasallus*, qui liberto non prorsus dissimilis, accusare debet feudi *dominum*, & si accuset, feudô privatur. 2. *Feud.* 33. §. 1. *v. similiter.* Nec accusatorem illum excusabit criminis veritas. Curt. *de feud. p.* 4. *n.* 62. Sonsbeck *p.* 12. *num.* 47. nec criminis levitas, aut gravitas. Rittershus. *de Feud. lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 19. Wesenbec. *p.* 7. *consil.* 305. *n.* 26. Nisi illud esset crimen læsæ Majestatis. DD. in §. *item delator.* 2. *Feud.* 24. vel suam, suorúmve prosequeretur injuriam, quod omnibus integrum est per *l.* 11. *pr. ff. h. t.* Sonsbeck. *p.* 10. *de feud. n.* 36. vel id ex officii necessitate faceret. Vultejus *de Feud. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 27. vel tempestivè ab accusatione desisteret impetrata absolutione. Zas. *de Feud. p.* 10. *n.* 47. Sonsbeck. *d. p.* 12. *n.* 50. vel minoris adhuc ætatis esset, quam malitia non adimpleret, arg. *l.* 14. §. 1. *& 2. ff. de Bon. libert.* Schrader. *de Feud, p.* 9. *c.* 8. *n.* 5.

Et hæ ferè sunt personæ, quæ accusare 31
prohibentur, & ab accusatione non tantùm per exceptionem accusati, sed etiam à Judice ex officio repelli possunt, ne, si legitimus non fuerit accusator, frustra fatigetur accusatus. *c.* 1. *h. t. & ibi* Pirrhing. *n.* 15. *l.* 9. *&* 12. *C. De his, qui accus. non poss.* Oldrad. *consil.* 124. *n.* 1. Quòdsi tamen nemine opponente ad accusandum admittantur, judicium & processus valet, arg. *l.* 13. *C. de Procurat.* Jul. Clar. *cit. §. fin. q.* 15. *n.* 4. De illis, qui accusare possunt, hic illud obiter insinuo, quòd si plures existant, qui eundem in publicis judiciis accusare volunt, omnes simul admitti non debeant, sed Judicis sit, ex his magis idoneum eligere, causâ scilicet cognitâ, æstimatis accusatorum personis vel de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia justa de causa *l. si plures.* 16. *ff. h. t. l.* 2. *&* 3. §. 1. *ff. de Popul. act.* Tiber. Decian. *d. lib.* 3. *c.* 12. *per tot.* Nisi fortassis omnium interfit vel ratione officii, vel injuriæ communis; tunc enim jus

non obesse, quò minùs ab initio statim, & in eodem libello omnes unum deferant, ex *l.* 3. §. 9. *ff. de Sepulch. viol.* & *l.* 4. *C. h. t.* colligit Clar. *cit.* §. *fin. q.* 13 *n.* 1. Carpz. *in Pr. crim. p.* 3. *q.* 104. *n.* 47.

32 *Subjectum passivum* accusationis est reus, qui in judicio criminali ad subeundam pœnam, ac vindictam publicam accusatur. Sicut autem non omnes accusare, ita nec omnes accusari possunt. Et verò

33 I. Accusari nequeunt, qui rationis usu carent, ac doli capaces non sunt, ut sunt *infantes*, & *infantiæ proximi; furiosi*, & *mente capti*: quippe illos innocentia consilii, hos calamitas, & fati infelicitas excusat. *l. quod infans.* 60. *ff. de Rei vindic. l. infans.* 12. *ff. Ad leg. Cornel. de Sicar.* Speculator *in tit. de accusato. n.* 6. Et hoc adeò verum est, ut furiosus, qui ante furorem homicidium, vel aliud delictum capitale commisit, donec resipiscat, nec reus postulari, nec ultimo supplicio, ac pœnæ corporali addici possit, cùm satis ipso furore puniatur. *l.* 14. *ff. de Offic. præsid.* Gail. 2. *observ.* 110. *n.* 22. Bald & Jason. in *l. furiosum. C. Qui testam. fac.* Quidquid contradicat Fachin. *lib.* 9. *Controvers.* 3.

34 II. *Minores* 25. *annis*, si puberes, aut pubertati proximi, & doli capaces sunt, accusari quidem possunt, sed non aliter, quàm dato à Judice curatore, qui liti, ac causæ assistat, in eáque authoritatem præstet. Aliàs processus, & judicium irritum, ac nullum erit. *l. clarum.* 4. *C. de Authorit. præst.* Cujus *ibi* hæc ratio assignatur: *cùm cautius, & melius fit, cum suasione perfectissima & responsa facere minores, litémque inferre, ne ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod, si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis poterat, & à deteriore calculo eos eripere.* Idque obtinet, quantumvis minor accusatus patrem habeat, qui legitimus ejusdem administrator est: nam & tunc Judex in causa criminali illi curatorem dabit, vel ipsum patrem, vel alium quemcunque idoneum, si ita visum fuerit; siquidem legitima patris administratio solùm pertinet ad bona adventitia filii, & lites super his motas. *l.* 1. *C. de Bon. matern.* At praxis nullum penitùs curatorem minori adesse sinit teste Carpz. *Pr. cr. p.* 3. *q.* 145. *n.* 32. Clar. *d. §. fin. q.* 50. *n.* 2.

III. Frustra accusantur servi de criminibus, 35
quæ vel civitatis amissionem vel pœnam pecuniariam secum ferunt: quia cùm nec civitatem, nec proprii quicquam habeant, pœna ejusmodi in eos non cadit, sed durior eis extra ordinem imminebit. *l.* 12. *§. fin. ff. h. t.*

IV. Ab accusatione immunes sunt, quisu- 36
periorem non reverentur, coram quo accusentur; ut

S. Pontifex, quamdiu talis est: utpote qui in terris à nemine, ne quidem Concilio Generali, judicari potest. *c. si Papa.* 6. *dist.* 40. *c. nemo.* 13. *cum tribus seqq. causâ* 9. *q.* 3. *Extravag. unam sanctam. de Majorit. & obed. inter Com.* Quapropter cùm in Concilio Romano Anno 432. celebrato Patres in causa Sixti III. Pontificis, qui calumniosè stupri cum sacra virgine accusabatur, dicerent: *non licere adversus Pontificem dare sententiam, surrexit protinus Imperator* Valentinianus, *& in arbitrio præfati Pontificis tribuit judicare judicium suum*, teste Nicolao Pontifice in *Epist. ad Michaëlem Imperat.* relata in *c. nunc autem.* 7. *dist.* 21. Exceptio habetur in *d. c. si Papa* 6. *dist.* 40. nempe, si Papa deprehendatur à fide devius, quo casu coram Concilio accusari, & ab Eodem judicari, deponique potest. Bellarm. *de Rom. Pontif. l.* 2. *c.* 30.

Imperator Germaniæ: ipse namque non 37
modò super omnes, & singulos Imperii Status, sed universos etiam Orbis Principes eminet. Unde nec ab Imperatore, nec ab Imperii Statibus in Comitiis congregatis, ulli Regi Majestatis titulus tribuitur; ab iis verò

ple-

plerumque Imperatorem hoc nomine compellari, testatur Reink. *class.* 3. *c.* 9. Ad quod etiam alludit Poëta:

Astra DEO nil majus habent, nil Cæsare terra,

Sic Cæsar terras, ut regit astra DEUS.

Neque huic sententiæ quicquam derogat Aurea Bulla *c.* 5. §. 3. ubi asseritur, quòd *Imperator, sive Rex Romanorum super causis, pro quibus impeditus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, sacri Imperii Archi-Dapifero, Electore Principe respondere*: siquidem hæc constitutio ad causas modò civiles restringi, nec ad causas criminales, aut casus malè administrati Imperii trahi debet; cùm enim sit derogatoria juris communis utique strictè interpretanda est, & ut quàm minimum præjudicet libertati summæ potestatis. Wehner in *Observ. pract. sub V.* Austrag. Knipschild *de Jurib. & privil. Civ. Imper. lib.* 2. *c.* 33. *n.* 102. An autem illa prærogativa etiamnum competat Palatino, an verò Bavaro? cogitandum relinquo.

38 V. Jure Romanorum, durante officio, *accusare non licet legatum Imperatoris, id est, Præsidem Provinciæ: item legatum provincialem, ejus duntaxat criminis, quod ante commiserit, quàm in legationem venerit: item Magistratum populi Romani*, puta Consulem, Præfectum, Prætorem, aliósve mero imperio insignes. *l.* 12. *pr. ff. h. t.* junctâ *l.* 24. §. 1 & *l.* 48. *ff. de Judiciis.* ita scilicet, ut procedatur in accusatione; at bene ut eâ receptâ differatur processus, donec deponant officium, interim præstita cautione de judicio sisti. *l.* 38. *§. ult. ff. Ad leg. Jul. de adult.* Hodie mutata Reip. Romanæ facie expeditum est, quoslibet Officiales, ac Magistratus inferiores etiam durante officio accusari posse, ne iis sub velo potestatis, quam habent, impunè grassandi, ac delinquendi licentia detur. Cautus tamen, & circumspectus sit Magistratus superior, nec ante decernat processum, quàm de delicto delato validis, ac certis indiciis instruatur, ne alioquin quisque subditorum pravo affectu, vel odio correptus adversùs Magistratum insurgere præsumat, arg. *l. Prator. 7. §. 2. ff. nec patietur. ff. de Injuriis.* Gail. 1. *Observ.* 17. *n.* 6. & 7.

39 VI. Accusari prohibetur *absens* à loco judicii, sive Reip. sive alia quacunque ex causa absit, *l.* 12. *ff. & l. absentem.* 6. *C. h. t. cap.* 5. *causâ* 2. *q.* 8. *c.* 1. *& seqq. causâ* 3. *q.* 9. Sed hoc ita, ut contra absentem formetur processus, & sententia feratur. *l.* 1. *pr. ff. de Requir. vel absent. damn.* exceptis criminibus, ex quibus ad pœnam pecuniariam infamiæ, relegationis, vel excommunicationis agitur. *l.* 5. *pr. ff. de Pœnis. c.* 8. *de Dolo, & contum.* Rectè autem contra eum libellus, seu querela offertur, & accusatus citatur, eóque ad diem instituendæ accusationis non comparente, bona, si quæ habet, annotantur, id est, in inventario distinctè describuntur, obsignantur, aut arrestantur. *l.* 1. §. 2. *ff. de Requir. vel absent. damn.* Constit. crim. Caroli V. *a.* 206. Inde ei annus competit, intra quem si se defenderit, vel etiam mortuus fuerit, bona annotata salva sunt, eíque, vel hæredibus ejus restituuntur. *d l.* 1. §. *fin. & l.* 1. *C. de Requir. reis.* post annum verò defensio quidem admittitur. *l.* 18. §. 9. *ff. de Quæstionib.* at bona, etiam demonstratâ innocentiâ, penes fiscum remanent in pœnam contumaciæ. *l.* 5. *ff. & l.* 2. *C. de Requir. reis.* Klok. *vol.* 1. *consil.* 24. *n.* 65. Farinac. *pr. crim. q.* 11. *n.* 2. Clar. §. *fin. q.* 44. *n.* 2. nisi à contumacia quoque se purgaverit ostendendo legitimum comparendi impedimentum, per *l. succurritur.* 9. *ff. Ex quib. caus. major.* P. Engel *h. tit. num.* 19.

40 VII. Qui de crimine publico in Judicium deductus est, ab alio super eodem crimine

deferri non potest. *l.* 11. *§.* 2 *ff. l.* 9. *C. h.t.* Licèt crimen illud generis, ac speciei naturam assumat, ac vario respectu diversis legibus coërceatur, ut parricidium, quod quà homicidium lege Cornelia de sicariis, quâ parricidium lege Pompejâ de parricidiis punitur. *l.* 14. *ff. Eod.* Planè si de diverso crimine agitur, etsi ex eodem facto nascatur, nihil obstat, quin de uno accusatus, de altero ab alio accusetur. *d. l.* 9. *C. h. tit.* Sic qui occidit hominem in Ecclesia, & homicidii, & sacrilegii; qui vitiavit sororem alii nuptam, & adulterii & incestûs à diversis accusatoribus reus fieri potest. *l.* 2. *ff. de Privat. delict. l. si quis.* 10. *C. de Episc. & Cleric. l.* 38. *ff. Ad leg. Jul. de adult.* Schneidew. *ad Instit. de Publ. judic. num.* 7. Fallit itidem dicta prohibitio, quando prior accusator decessit, vel destitit; ut si abolitio privata intervenerit, aut pactum & transactio, utpote quæ eundem quidem ab accusatione excludunt. *l.* 2. *ff. ad SCtum Turpil.* non verò alium *d. l.* 11. *§.* 2. *ff. h. tit.* præsertim si suæ, suorúmque injuriæ causâ accusare vellet *l.* 4. *§.* 2. *ff. Ad leg. Jul. de adult.* Theodoric. in *Colleg. crim. c.* 4. *aphor.* 5. *n.* 21.

41 VIII. Multò minùs institui, aut repeti potest accusatio contra eum, qui semel condemnatus, vel definitivè absolutus est, quia sæpius de ejusdem hominis delicto quæri non debet. *c. de his,* 6. *h. t. l. si cui.* 7. *§.* 2. *ff. Eod, l. licet.* 6. *§. ult. ff. Naut. caup. l. sanctio.* 41. *ff. de Pœnis.* Bald. *consil.* 31. *lib.* 4. & *consil.* 124. *lib.* 5. Nisi fortè quis ignorans priùs de eo crimine institutam fuisse accusationem, suam, vel suorum prosequatur injuriam. *d. l. si cui* 7. *§.* 2. Covarruv. *lib.* 2. *variar. resolution. c.* 10. *post num.* 1. vel doceat, primum accusatorem prævaricatum fuisse. *l.* 3. *§.* 1. *ff. de Prævaricat. l. si quis.* 11. *C. h. t. l.* 4. *§. ult. ff. Ad leg. Jul. de adulter.* aut collusionem intercessisse, *c.* 1. 2. *& fin. de Colluf. deteg.* P. Engl. *h. t. num.* 15.

Gravis interpretum *dissensio* est: num laicus de crimine mixti fori in judicio Ecclesiastico absolutus, vel condemnatus denùo possit accusari in foro sæculari? 42

Affirmativam Nostri magno consensu tradunt: Panormit. in *c. tua.* 5. *de Procurat. n.* 5. & in *c. de his.* 6. *n.* 4. *h.t.* Pirrhing. *Eod. n.* 27. Covar. *cit. c.* 10. *n.* 6. Quibus patrocinatur textus in *cap. fœlicis. §. per hoc, de Pœnis in* 6. quò decisum, etiam punitos in foro Ecclesiastico adhuc in foro sæculari processari, & puniri posse. Ratio est: quia jurisdictio Ecclesiastica & sæcularis sunt prorsus separatæ, & distinctæ, ideóque sententia lata ab una potestate non parit exceptionem rei judicatæ quoad alteram; & pœna spiritualis non tollit temporalem, nec è converso.

Negativam sustinent Hostiens. Joan. Andr. Bald. & Barbatia in *c.* 1. *de Offic. Ordin.* eíque communis legistarum apud Boërium *dec.* 269. Pro qua imprimis militat generalis regula, quòd de uno, eodémque delicto bis cognosci, & semel punitus iterum, vel bis puniri non debeat per jura *supra n.* 41. allegata. Accedit textus specialis *c. fin. de Except. in* 6. quo perspicuè statuitur, sententiam latam in foro Ecclesiastico parere exceptionem rei judicatæ in foro sæculari, & econtra, optimâ ratione, ne aliàs jus prævention is inutile, ac otiosum sit, & Judex sæcularis per indirectum fiat cognitor, & revisor sententiarum fori Ecclesiastici. Nec quempiam turbet decisio *c. fœlicis. §. per hoc. de Pœnis in* 6. loquitur enim de casu speciali, quò quis Cardinali violentas manus injecit, ac proinde ad consequentiam non est trahenda, ut illis placet Glossæ.

Ego hanc *dissensionem* sic compono: ut 43 *primam* sententiam veram judicem, quando

pœna

pœna condigna in foro Ecclesiastico absoluto imponi non potuit, vel condemnato imposita non fuit, maximè, quando solùm imposita est aliqua pœna medicinalis, & potiùs ad animæ salutem, quam ad publicam vindictam per *l. 5. ¥. si quis contravenerit. & ibi* DD. *C. de Sacrosanct. Eccles. Alteram* verò putem procedere, quando in foro Ecclesiastico pœna temporalis sufficiens ad punitionem criminis, & culpæ mensuram infligi potuit absoluto, aut inflicta est condemnato. Vid. Clar. *5. sent. §. fin. q. 57. n. 11. & seqq.* Alex. Sperell. *Decis. fori Eccl. p. 1. dec. 92.* ubi etiam decidit, in delictis mixti fori contra punitum, vel absolutum à Judice laico, iterum per Ecclesiasticum procedi posse ad excommunicationem, aliásve pœnas spirituales.

14 IX. Accusari nequit, qui ante plures annos delictum perpetravit: sicut namque actionibus civilibus certa præfinita sunt tempora, intra quæ possunt institui. *Instit. de Perpet. & temp. act.* ita & in causis criminalibus certum constitutum est tempus, quô elapsô delictum obliteratur, & nulla ampliùs accusatio, vel inquisitio admittitur, usque adeò, ut Judex hujus exceptionis etiam à reo non oppositæ, aut allegatæ rationem habere teneatur: cùm ex officio pro defensione rei laborare debeat. *l. 19. ff. de Pœnis.* Carpz. *Jurisp for. p. 1 const. 25. def. 3.* Est autem tempus præscriptionis in omnibus delictis unum, idémque, ordinariè tamen est viginti annorum. *l. 12. C. Ad leg. Cornel. de fals.* ubi Impp. *querela falsi*, inquiunt, *temporalibus præscriptionibus non excluditur nisi viginti annorum exceptione: sicut catera quoque fere crimina.* Idque etiam jure Canonico obtinere, constat ex *c. 6. de Except.* Verumtamen hoc perpetuum non est: enimverò peculatus. *l. 7. ff. ad l. Jul. de pecul.* & delicta carnis regulariter abolentur lapsu quinquennii. *l. 29. §. 6. ff. Ad leg. Jul. de Adult.* nisi stuprum cum vi publica. *d. l. mariti §. ult.* aut adulterium cum incestu conjunctum sit. *l. 39. §. 5. ff. Eod.* P. Engel. *h. t. n. 16.* Præterea sunt crimina, quorum accusatio nullo tempore depellitur, ut crimen parricidii. *l. fin. ff. Ad leg. Pomp. de parricid. l. 13. ff. de SCto Silan.* suppositi partûs. *l. 19. §. 1. ff. Ad leg. Cornel. de fals.* Quibus nonnulli adjiciunt crimen hæresis, læsæ Majestatis, assassinii, falsæ monetæ, simoniæ, concussionis, abortûs, & blasphemiæ, licèt sine expresso textu. Prosp. Farinac. *lib. 1. q. 10. à. n. 29.* Theodoric. *in Colleg. crim. c. 10. aphor. 7. lit. D.*

X. Ab accusatione liberatur mortuus. *l. fin.* 45 *ff. Ad leg. Jul. Majest.* & nec accusatio, nec pœna in hæredes transit. *l. 20. ff. h. t. l. 20. l. 26. ff. de Pœnis.* etenim æquitas ipsa postulat, ut delicta suos teneant authores, nec ulteriùs progrediatur metus pœnæ, quàm delictum reperiatur. *l. 22. C. Eodem.* Exceptô repetundarum, & Majestatis judiciô, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur. *d. l. 20. ff. h. t. l. fin. ff. Ad leg. Jul. Majest.* Item fallit, & cessat prohibitio, si lis contestata, & condemnatio, præsertim ad pœnam pecuniariam secuta fuerit, antequam condemnatus obiit, vel accusatus sibi mortem conscivit. *cit. l. 20. ff. h. t.* Jul. Clarus *5. sent. §. fin. q. 51. n. 16.*

Pro coronide *quæres:* núnne ex parte 46 accusatoris, vel accusati procurator admittatur? Affirmari videtur in *l. 33. §. 2. ff. de Procuratorib. & l. 3. C. h. t.* Negari verò in *l. 1. ff. An per alium causa appell. in l. 13. ff. de Publ. judic. in l. 71. ff. de Procuratorib. in c. 40. causâ 2. q. 6. in c. 2. causâ 5. q. 3. in c. 15. h. t.* Pro his juribus conciliandis varii variè distinguunt. Ego censeo, in criminibus, quæ statutam habent pœnam pecuniariam, & relegatione minorem,

in-

intervenire posse procuratorem, tum ex parte accusatoris, tum ex parte rei accusati. *d. l. 1. ff. An per al. caus. appell.* item in aliis, si absens reus condemnari possit, nec non si absentiæ tantùm causam reddere, aut defendere velit procurator. *d. l. 33. § 2. & l. 71. ff. de Procurat. l. 3. C. h. t. & l. 13. in fin. ff. de Publ. jud.* non si ipsum negotium principale peragere intendat. Camill. Borell. *dec. 66. n. 116. & multis seqq.* Joan. Parlador. *l. 1. rer. quotid. c. 20.* Certè hodierno jure in quibuslibet causis criminalibus ex parte accusatoris procurator admittitur ex constitutione criminali Caroli V. *art. 12. ℣.* Soll der Ankläger/ oder sein Gewalthaber. Carpz. in *pr. crim. p. 3. q. 105. n. 2.*

§. VI.

47 *Materia*, seu *objectum* accusationis sunt causæ criminales, id est, delicta, ex quibus agitur vel ad pœnam capitis, vel ad pœnam corporis afflictivam, vel ad pœnam infamiæ, vel etiam ad mulctam pecuniariam, sed fisco inferendam; verbô, ad vindictam publicam, sive ad commodum, & interesse Reipublicæ, arg. §. 11. *Inst. de injur. l. 3. §. 5. ff. de Sepulch. viol.* Sunt autem diversa delictorum genera, & in his nonnunquam etiam quoad accusationem diversum jus.

48 *Primò.* Alia sunt delicta fori interni, seu conscientiæ, ut pravæ cogitationes; alia fori externi, seu humani. Notandum verò, de delictis cogitationum, quatenus actus mentis elicitos non egrediuntur, seu quatenus in terminis cogitationum manent, in foro exteriori neminem accusari, aut puniri posse: nam, ut habet vulgaris regula: *cogitationis pœnam nemo patitur. c. 14. dist. 1. de Pœnit. l. 18. ff. de Pœnis.* Ant. Matth. *de Crimin. prolegom. c. 1. n. 5.* Farinac. *q. 124. n. 104.*

Secundò delicta alia sunt facti transeuntis, quæ ex se, & sui natura nullum post se relinquunt vestigium; ut *adulterium, stuprum, injuria verbalis*; alia facti permanentis, quæ sensibus præcipuè oculorum subjiciuntur, & quorum remanent vestigia post admissionem, ut sunt *homicidium, incendium, furtum, falsificatio moneta.* Clasenius *ad const. crim. Carol. V. proleg. c. 3. n. 3.* Et hæc distinctio in processu inquisitorio in determinanda quæstione de necessitate corporis delicti ad formandam inquisitionem specialem adhiberi solet, ut dicemus.

Tertiò aliqua delicta dicuntur Ecclesiastica, aliqua sæcularia, aliqua mixta. Ecclesiastica sunt, quorum persecutio debet institui in foro Ecclesiastico, esto etiam per laicos commissa sint; quò pertinent *hæresis. c. 18. de Hæret. in 6. Apostasia* tanquam hæresis species. Decian. in *tr. crim. lib. 6. c. 70. n. 3. Simonia*, & *violatio censuræ Ecclesiasticæ.* Gloss. & Panorm. in *c. 8. de Foro compet.* Sæcularia sunt, quorum, si laici rei sunt, persecutio institui debet in foro sæculari; quò pertinent *rapina, furtum, homicidium, parricidium, crimen læsæ Majestatis*, & similia. Clariss. D.D. Gletle in *Jurisp. terrib. tom. 1. p. 1. c. un. §. 2. n. 3.* Mixta, seu mixti fori sunt, quorum, si laici rei sunt, persecutio potest institui in utroque foro: Ecclesiastico, & seculari; quò pertinent *usura, adulterium, incestus, sodomia, concubinatus, perjurium, sacrilegium*, & si quæ alia. Jul. Clar. *l. 5. sent. §. 1. n. 7. & §. fin. q. 37. n. 1. & seqq.*

Scrupulus hîc incidit: utrùm Judex Ecclesiasticus in criminibus mixti fori laicum per suos executores comprehendere, & in carcerem detrudere possit?

Non posse, sed id per auxilium brachii sæcularis facere debere, sentiunt Felin. in *c. cùm sit generale. de Foro compet.* Panormit. in *c. significâsti. n. ult. de Offic. jud. deleg.* Boërus *dec. 264.* & cum pluribus citatis Jul. Clar. *d. q. 37. n. 8.* Quorum ratio est: quia ad Judicem Ecclesiasticum quà talem non pertinet gla-

gladius temporalis, sed spiritualis, captura autem, & incarceratio ad jus gladii temporalis, non spiritualis spectant.

Ex adversa acie militant Martha *de Jurisd. p. 2. c. 29.* Covar. *Pract. qq. c. 10. n. 2. &* Alex. Sperell. *Decis. for. Eccl. p. 1. dec. 4. n. 10.* Quibus accedo propter *cap. attendendum. 13. causâ 17. q. 4. c. contra. 10. causâ 26. q. 5. c. 2. de Adulter.* ubi Episcopo etiam in laicos corporalis coërcitio permittitur; maximè verò propter ordinationem Tridentin. *sess. 25. c. 3. de reform.* ubi màndatur Judicibus Ecclesiasticis, ut non solùm in causis civilibus contra contumaces, sed & in causis criminalibus, priusquàm ad censuras deveniant, contra laicos quoque per mulctas pecuniarias, captionem pignorum, *personarúmque districtionem* (quo nomine captura venit) *per suos proprios, aut alienos executores faciendam* procedant. Moneo tamen, in praxi attendendam, servandámque esse consuetudinem cujuslibet loci, ac Provinciæ, & in Germania, quia ibi plerique Episcopi etiam jurisdictione temporali instructi sunt, quæstionem hanc penè cessare.

1) *Quartò* delicta alia sunt nominata, alia innominata. Nominata sunt, quæ exemplo contractuum nominatorum habent certum, & speciale nomen sibi à lege impositum, veluti *homicidium, sortilegium, simonia, adulterium*, & sexcenta alia. Innominata sunt, quæ carent nomine proprio, soléntque communi nomine *stellionatus* appellari, à stellione, serpente quodam variis coloribus quasi stellato, & teste Plinio *lib. 30. c. 10.* oppidò homini invisо. Quòd igitur in civilibus est actio doli subsidiaria, illud in delictis est persecutio stellionatûs, &, ut generaliter dixerim, ubi certa accusatio, certúsque titulus criminis deficit, hæc ex hoc crimine accusatio locum habet, *l. 3. §. 1. ff. Stellionatus*, in qua lege etiam referuntur variæ species hujus criminis.

Quintò aliqua delicta dicuntur privata, aliqua publica, aliqua popularia.

Privata sunt, quæ proximè tendunt ad læsionem privati, nec legibus judiciorum publicorum annotata reperiuntur; ut *furtum, rapina, damnum injuriâ datum, injuria, pr. Inst. de Oblig. quæ ex del.* & omnia pene *delicta extraordinaria*, quibus scilicet nulla pœna præstituta est, sed extra ordinem arbitriò judicis irrogatur. *t. t. ff. de Extraord. crim. l. 1. §. 1. ff. de Effractorib. l. 3. ff. Expil. hæreditat. l. 3. ff. Ad SCtum Turpill. l. 13. ff. de Pœnis.* Agitur autem ordinariè in privatis delictis civiliter, seu ad interesse partis, & accusatio, sive criminalis actio ad pœnam arbitrariam nonnisi parti læsæ conceditur. *§. 11. Inst. de Injur. l. fin. ff. l. fin. C. Eod. l. fin. ff. de Privat. del. l. fin. ff. de Furt.* Quæ juris dispositio, ex quo jure Canon. mutata non est, etiam in foro Ecclesiastico servanda est, arg. *c. 1. de N. O. N.* Theodoric. in *Colleg. crim. cap. 1. aphor. 15.* contra Clarum, Farinac. aliósque.

Delicta *publica* (aliàs in specie *crimina*, seu *maleficia* dicta) sunt, quæ principaliter ferè offendunt Rempublicam, quæque peculiari aliquâ lege publicorum judiciorum vindicantur. *l. 1. ff. de Publ. jud.* Qualia sunt *crimen læsæ Majestatis, hæresis, apostasia, adulterium, homicidium, parricidium, veneficium, incendium, falsum, sacrilegium, delictum de vi publica, & privata, crimen repetundarum, fraudatæ annonæ, peculatûs, residuorum, ambitûs, simoniæ, & plagii*, ut est concors D. D. traditio, & colligitur ex *d. l. 1.* Horum delictorum executio, id est, accusatio non solùm illis, quorum interest, sed cuivis ex populo *plerumque* datur §. 1. *Instit. de Publ. judic.* Addo, *plerumque:* quia sunt delicta publica, de quibus quilibet accusare non

non potest; sic enim accusatio adulterii ad maritum, patrem, fratrem, patruum, & avunculum restricta est per *l.* 30. *pr. C. Ad leg. Jul. de adult.* Accusatio de partu supposito parentibus tantùm, aut iis, ad quos ea res pertinet, indulgetur *in l.* 30. §. 2. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* Imò hodie promiscua illa accusandi libertas ferè cessat, mandato hoc necessario munere Advocatis, seu Procuratoribus fisci, qui vulgò *Fiscales*, peynliche Ambts-Kläger / salutantur. Vid. Carpzov. in *pr. crim. q.* 103. *n.* 17. *& q.* 104. *n.* 22. *& seqq.*

Popularia delicta nuncupantur illa, ex quibus oriuntur actiones populares, quæ jus suum populo tuentur. *l.* 1. *ff. de Popul. act.* Talia sunt *crimen moti termini, dolosa violatio sepulchri, delictum de albo corrupto*, & alia, de quibus, in *lib.* 43. *ff. tit.* 6. *& seqq.* agitur. Competunt autem actiones populares cuivis ex populo, modò sit persona integra, cui per edictum postulare liceat. *l.* 4. *ff. de Popul. act.* qualis hic non est mulier, nec pupillus. *l.* 6. *ff. Eod.* Quòdsi plures concurrant, is, cujus interest, præfertur. *l.* 3. §. 1. vel magis idoneus eligitur à Magistratu. *l.* 2. *ff. Eod.* Moribus hæ actiones exoleverunt, & vel is agit, cujus interest, vel crimine ad Magistratum delato per Procuratorem fisci causa peragitur. Gronevveg. *ad Tit. C. de his, qui accus. non poss.* Struv. *ad ff. Exerc.* 48. *th.* 115.

50 *Sextò* delicta sunt vel levia, vel atrocia, gravia, seu atrociora, vel atrocissima. Pro *levibus* aliqui habent, quæ sine dolo committuntur, veluti est damnum injuriâ datum, quod lex Aquilia coërcet, vel quæ dolo quidem perpetrantur, sed in re modica, ut furtum rei modicæ. *l.* 11. §. 1. *ff. de Pœn.* *Gravia* verò, seu *atrocia* ea reputant, quæ dolo committuntur, & magnum afferunt præjudicium, quale est furtum rei magnæ, & injuria personæ illata. *l.* 10. §. *ult. ff. Eod.* *Atrocissima* autem, quæ pœnam mortis merentur. Gilhaus. *arbitr. judic. crim. in proleg. n.* 30. Alii aliter distinguunt, & nonnulli qualitatem delictorum relinquunt Judici æstimandam ex circumstantiis personæ offendentis, vel offensæ, armorum, loci, temporis, eventûs, &c. arg. *l.* 16. *ff. de Pœn.* Bartol. in *l. levia ff. h. t.* Mihi præ reliquis placet sententia Julii Clari. *l.* 5. *Sentent.* §. 1. *n.* 9. ubi dicit, delicta *gravia*, seu *atrocia* esse illa, pro quibus à lege, vel statuto simpliciter pœna mortis naturalis, vel civilis imponitur; addit Carpz. *pr. crim. p.* 3. *q.* 102. *n.* 63. aut alia corporis afflictiva; adde, præsertim si perilam corpus membro aliquo, naso, aure, manu, &c. mutiletur; *atrocissima*, seu *gravissima* esse illa, quæ graviori genere ultimi supplicii, ac peculiari pœnæ augmento vindicantur, ut puta, si reus comburatur, culeo insuatur, rotâ contundatur, trahæ imponatur, aut in frustra dissecetur, &c. Reliqua ergo delicta, quæ habent impositam mitiorem pœnam, censenda erunt levia. Vid. Haunold. *de J. & J. tom.* 6. *tr.* 2. *c.* 1. *controv.* 3. ubi *n.* 23. notat, in eo hujus distinctionis utilitatem versari, quòd nempe personæ prohibitæ accusare in atrocioribus possint accusare in levibus arg. *l.* 18. *C. De his, qui accus.*

Septimò delicta alia excepta, alia non excepta vocantur. Illa sunt, quæ generali legis dispositione non continentur: veluti *hæresis, simonia, sacrilegium, crimen læsæ Majestatis, fraudata annonæ, fraudati census, falsa moneta*, & similia. Theodoric. in *Col. crim. c.* 1. *aphor.* 22. Atque in horum delictorum detestationem singulariter in jure cautum est, etiam accusatores aliàs minùs idoneos admitendos esse, prout *supra* passim comprobavimus. *Non excepta* dicuntur, quæ generali legis dispositione comprehenduntur. Clariss. D. D. Gletle in *Jure pr. terrib. tom.* 1.

p. 1.

p. 1. c. un. §. 2. n. 6. ubi demonstrat., pro materiæ diversitate exceptorum delictorum numerum variare.

¶ *Octavò* delicta sunt aut notoria, aut famosa, seu publica, aut occulta.

Notoria vocitantur, quæ nulla tergiversatione celari, aut probabili ratione negari, vel in dubium vocari possunt. Eáque iterum notoria sunt vel notoreitate juris, vel notoreitate facti. Notoreitas juris sumitur à jure, seu judicio, puta ex confessione propria judiciali, ex actis, quæ impugnari nequeunt, aut ex sententia judicis, quæ transiit in rem judicatam. *c. fin. de Cohabit. Cleric. & mul.* Notoreitas verò facti inde, quòd delictum commissum sit in oculis plurium hominum, ita ut nullâ tergiversatione celari possit. *d. c. fin. & c. 8. Eod.* Quot autem homines requirantur ad constituendam hanc notoreitatem? non una omnium opinio est. Zerol. in *2. p. Prax. V. excommunic. dub. 9.* saltem sex: Farinac. in *Pr. crim. lib. 1. tit. 3. q. 21. n. 47.* decem personarum præsentiam, ac scientiam exigit: Ego cum P. Haunold. *d. c. 1. contr. 4. n. 29.* & Clariss. D. D. Gletle *d. §. 2. n. 5.* discretioni prudentis Judicis remitto. Cæterùm in his neque accusatione, neque inquisitione, neque denuntiatione opus est. *c. 9. h. t. d. c. 8. de Cohab. Cler. & mul. c. 15. causâ 2. q. 1.*

Famosa, seu *publica* delicta hìc appello, de quorum authore publica vox, ac fama, ein gemein Geschrey/ eine gemeine Rede est, ex certa scientia, & à certis authoribus proveniens. *c. 8. De Cohabit. Cler. & mul.* Ut igitur famosum, ac publicum sit delictum, hæc potissimùm requiruntur: *Primò*, ut originem suam non malevolis, & maledicis, sed viris honestis debeat. *c. qualiter. 24. h. t. c. licet. 47. de Testib.* Const. crim. Caroli V. *art. 25. §.* Ersilich. nisi quòd in causa turpi à turpi quoque persona fama oriri possit. arg. *l. 3. C. de Naufragiis.* *Secundò*, ut sit constans, non vaga, non levis, non sibi contraria per *l. ult. ff. de Haredib. instit.* Gilhaus. in *Arb. Judic. crim. c. 6. p. 5. n. 1. & seqq.* *Tertiò*, ut sufficienter probetur; quod fit per duos testes honestæ vitæ, & probatæ fidei. Farinac. in *Pr. cr. lib. 1. t. 5. q. 49. n. 201.* Carpz. *p. 3. q. 120. n. 22.* Quamvis etiam unum testem hìc admitti velit Jason ad *l. 31. ff. de Injur.* secùs ac Farinac. qui *q. 27. n. 209.* testem singularem suspectum habet. Utut verò probetur fama, sola tamen ad damnandum, sed duntaxat ad inquirendum sufficit. *d. c. 8. de Cohabit. Cler. & mul.* Gilhaus. *d. p. 5. n. 47.*

Delicta *occulta* dupliciter ita dicuntur: propriè, & impropriè. Propriè, seu simpliciter occulta sunt, quæ juridicè per duos testes probari nequeunt. Panormit. in *c. vestra. de Cohabit. Cler. & mul.* Ideóque in foro humano eorundem accusatio non datur, sed DEI judicio relinquuntur. *c. erubescant. 11. dist. 32. c. confuluisti. 20. §. spontanea. causâ. 2. q. 5. c. 33. & 34. de Simon.* & consequenter Adam Burghab. *Select. cas. conf. cent. 3. casu 10.* infert, quòd in flagranti ab aliquo deprehensus, móxque ab eo de scelere accusatus, id fateri non teneatur, esto inde accusator tanquam calumniator infamiam incurrat. Minùs propriè, seu secundùm quid occulta sunt delicta, quæ per paucos, vel difficulter probari possunt Hostiens. Panorm. & alii, quos refert, & sequitur Fagnan. in *d. c. vestra. 7. de Cohabit. Cler. & mul. n. 121.* Quæ & *secreta* audiunt, etsi in præsentia quinque personarum facta sint. *c. quis aliquando. 87. §. econtra. v. non sunt hæc. dist. 1. de Pœnit.* Gloss. in *c. manifesta. causâ 2. q. 1.*

Atque hæc præcipua delictorum genera, & species sunt, ex quibus omnibus ferè duplex actio competit: civilis, & criminalis, seu accusatio. *§. 11. Inst. & l. fin. ff. de Injur. l. fin. ff. de delict. priv. l. fin. ff. de Furtis.* Illa rem

familiarem, aut pœnam actori applicandam; ista interesse, & vindictam publicam, sive pœnam fisco inferendam persequitur. arg. *l. 9. §. 5. ff. de Publ. & vectig.* Quin imò si hæ actiones ad diversa tendant, civilis ad persecutionem rei familiaris, criminalis ad vindictam, utrâque simul experiri, aut si unâ actum sit, alterâ adhuc agere licet. *l. un. C. Quando civil. actio crim. præjud.* Aliàs si ad idem, ac utraque ad vindictam, seu pœnam comparata sit, non cumulativè, sed electivè concurrunt, ita ut electione unius altera tollatur. *l. 6. in fin. ff. de Injuriis. l. 56. §. 1. ff. de Furtis.* Gail. 1. *observ.* 65. *n.* 3. Adde, quæ supra *lib.* 2. *ad tit. de libel. oblat. n.* 27. diximus.

§. VII.

§2 *Forma*, accusationis stat in modo eam deducendi in Judicium. Ut verò ritè in judicium deducatur, sequentia concurrant, oportet.

Primum est, ut accusator offerat libellum accusatorium, die peynliche Klag/ & quidem in scriptis. *c. 1. causâ. 2. q. 8. l. 3. ff. h. t.* præterquam in levioribus delictis, in quibus vindicandis plena causæ cognitio, & solitus judiciorum ordo non adhibetur, sed audita discutiuntur de plano. *l. levia. 6. ff. Eod. l. unius.* 18. *§. ult. ff. de Quæst. l. nec quicquam.* 9. §. 5. *ff. de Officio Proconsul.* Certè hodie ex communi consuetudine liberum relinquitur accusatori, accusationem vel in scriptis offerre, vel oretenus proponere. Salicet. in *l. penult. n* 2. *C. h. t.* Clarus *lib.* 5. *§. fin. q.* 12. *num.* 6. modò verbalis querela per Notarium publicum, actuarium, vel Archigrammatæum audita in scriptis redigatur, & in cæteris serventur servanda, prout innuit Constitutio Criminalis Caroli V. *art.* 5. 89. *& aliquot seqq.* Clar. *cit. n.* 6.

§3 *Alterum* requisitum est legitima libelli accusatorii conceptio; ad quam duo necessaria. I. ut accusator, præter suum, accusati, & Judicis nomen, graphicè exprimat speciem delicti cum designatione complicum, circumstantiarum, loci, ac temporis, nempe anni, & mensis, non etiam diei, aut horæ, nisi reus requisiverit. *c. fin. §. libellorum. causâ.* 2. *q.* 8. *l. l. 3. ff. & l.* 16. *C. h. t.* Constit. crim. Caroli V. *art.* 89. Si unum horum omissum fuerit, accusatio ipso jure nulla est, & libellus accusatorius, ceu vitiosus ex officio rejici debet, Gail. 1. *Observ.* 64. *n.* 9. *& seqq.* Clar. *cit. q.* 12. *u.* 9. Ægid. Poss, *Pr. crim. tit. de Inquisit n.* 95. Sine dubio ideo: ne alioquin accusatio reddatur incerta, & reo se defendendi, ac negativam, loco aut tempore coarctatam, probandi facultas eripiatur.

II. Ut accusator vinculum inscriptionis ar- §4
ripiat, id est, ut nomen suum in libello profiteatur, sese obstringens ad similitudinem supplicii reo intentati, si crimen delatum non probaverit, & deprehensus fuerit, falsò arguisse. *c.* 3. *causâ* 2. *q.* 8. *c. super his.* 16. *h. t. l.* 3. *& 7. ff. l. fin. C. Eod.*. Quæ res ad id inventa est, ne facilè quis prosiliat ad accusationem, cùm sciat, inultam sibi accusationem non futuram. Text. in *d. l.* 7. *pr.* Verùm hodiernis moribus inscriptio illa ad talionem obsolevit, tum ne quis metu propriæ salutis ab accusatione desisteret, & sic crimina impunita manerent: tum quia pleræque accusationes hodie ex officii religione per Procuratores, ac Promotores fiscales obeuntur. Scacc. *lib.* 1. *de Judic. c.* 51. *n.* 14. Covar. *lib.* 2. *Var. resolut. c.* 13. *n.* 3. Gail. *lib.* 1. *de Pax publ. c.* 9. *n.* 3.

Quæstionis est: an in libello accusatorio necessaria sit conclusio? Quod nego: cùm enim Judici ex officio incumbat, ut nemine etiam petente, contra delinquentes procedat. *l.* 13. *ff. de Offic. Præsid.* ideo licèt accusator non petat reum puniri, nihilominus crimine probato Judex pœnam ordinariam, aut extraordinariam adversus eum exer-

exercere tenetur. *l.* 1. § *quorum* 4. *ff. adSCtum Turpill. l.* 15. *ff. Ad municipal. l. fin. ff. de Debit. privat. l. fin. ff. de Furtis.* Gail. 1. *Observ.* 61. *num.* 18. Mynsing. *cent.* 4. *Observ.* 81. Unde regula illa, quòd *sententia debeat esse libello conformis*, solùm in civilibus, non item in criminalibus locum sibi vendicat. Quòdsi tamen petitio, seu conclusio adjiciatur, propterea non vitiatur libellus. Græveus *p.* 1. *Obser.* 61. *n.* 20. Quin & de usu, ac praxi fori libellus criminalis ita concluditur: *Quare peto ipsum puniri juxta formam juris, & statutorum:* Den Beklagten der begangenen Missethat halber / nach Anweisung der Rechten zu bestraffen; ut patet ex Ordinat. crimin. Caroli V. *art.* 89. Decian. *tr. cr. lib.* 7. *c.* 43. *num.* 4. Clar. *d.* § *fin. q.* 31. *n.* 13. Addit præterea Gail. *d. Observ.* 61. *n.* 19. consultò conclusionem, ac petitionem certæ pœnæ addi, si tale sit delictum, cujus pœna pecuniaria est, & partim accusatori, partim fisco applicanda.

55 *Tertium* requisitum est, ut accusator idoneis fidejussoribus, vel pignoribus caveat de accusatione ad finem judicii usque prosequenda, de solvendis in casu succumbentiæ expensis, déque resarcienda injuria, & omni damno. *l.* 7. § 1. *ff. h. t. l. qui crimen.* 3. *C. De his, qui accus.* Constit. crimin. Caroli V. *art.* 12. ubi Legislator glorios. mem. simul adjungit formam & qualitatem hujus cautionis his verbis: Sobald der Angeklagte zur Gefängnuß angenommen ist / soll der Ankläger / oder sein Gewalthaber / mit seinem Leib verwahret werden / biß er mit Bürgen / Caution, Vorstand / und Sicherung / die der Richter mit samt 4. Schöpffen / nach Gelegenheit der Sachen / und Achtung bey der Person / genugsam erkennet / gethan hat. Quod non modò verum est in casu, quo reus crimen planè negat, sed & quo fatetur, legitimâ tamen ratione illud defensurus. Constit. crim. Carolin. *art.* 13. Imò utut notorium sit delictum rei, ita ut defendi à reo nequeat, attamen saltem de prosequenda lite cavendum est. Constit. crim. Carol. *art.* 15. Vid. Christoph. Blumlacher *ad cit. art.* 12. Porro si accusator idoneam cautionem præstare nequeat, ab accusatione verò desistere nolit, unà cum reo in custodia detinendus est, usque dum delictum probaverit, vel indicia quædam urgentia commissi criminis demonstraverit. Nisi accusator sit persona in magna dignitate constituta, quippe talis vadem, qui cum accusato sit paris conditionis, judicio sistere potest, qui locô illius custodiæ committatur. d. Constit. Carol. *art.* 14.

§. VIII.

56 *Finis* accusationis est vindicta publica: ideo namque accusatio instituitur, ut reus legitimis criminis probationibus convictus condemnetur, & pœnis promeritis in exemplum castigetur. *l.* 28. § 15. *ff. de Pœn.*

§. IX.

57 *Effectus* accusationis concernunt vel Judicem, vel accusatorem, vel accusatum.

Ex parte *Judicis effectus* accusationis est, quòd eâ propositâ possit accusatum citare, ut personaliter compareat. *c.* 1. *de Jud. in* 6. imò per apparitorem in judicium rapere, & in carcerem custodiæ causâ conjicere. Modò delictum sit atrox, seu pœnam corporalem post se trahat, & Judici antea constet per certa, & sufficientia quædam indicia, ac conjecturas, vel alias probationes, accusatum hujusmodi delicti reum esse; aliàs namque incarcerari non debet, etiamsi accusator cupiat, & offerat se unà cum accusato mancipari carceri, donec maleficium legitimè comprobet. Constit. Carolina *art.* 6. & 11. *l.* 3. 5. & 6. *ff. de Custod. & exhib. reor. l.* 6. § 3. *C. Eod.* Porro si Judex temerè aliquem incarcerat, vel innocentem diutiùs detinet, incidit in syndicatum. Carpz. in *Pr. crim. p.* 3. *q.* 111. *n.* 70. Et quia

capto gravem ignominiam, ac irreparabile damnum infert, hìc meritò ad injuriarum actionem admittitur per *l.* 32. *ff. de Injur.* Farinac. in *Pr. cr. lib.* 1. *q.* 27. *n.* 135. Joan. Andr. in *c. si clericos. de Sent. excom. in* 6. Ubi Prælatos monet, ut sibi caveant, ne statim ad accusationem, vel denuntiationem alicujus etiam de gravi crimine ad capturam Clerici procedant, ìndéque Canonis excommunicationem incurrant.

58 *Effectus* accusationis respectu *accusatoris* tres sunt. *Primus* est, quòd subscriptione in crimen factâ in similem custodiam conjiciatur, ibidémque detineatur, donec judicium finiatur, ut si fortè in probatione deficiat, pœnæ talionis subjici possit. *l. nullus.* 2. *C. de Exhibend. reis. l. fin. C. h.t.* Verùm hæc similitudo custodiæ eâdem ratione, quâ subscriptio ad pœnam talionis, à foro recessit, & accusator tam diu solùm in carcere detinetur, quousque cautionem præstiterit de expensis, & injuria in casum succumbentiæ præstandis. Constit. crim. Caròli V. *art.* 12. Jul. Clar. §. *fin. q.* 18 *n.* 4.

59 *Alter* est, quòd accusator crimen, cujus accusationem adornat, teneatur probare. *c.* 2. *& 4. causâ.* 2. *q.* 8. *l.* 6. *ff. de Cust. reor. l.* 6. *§.* 3. *ff. ad SCtum Turpill.* & per consequens etiam ad expensas, si in probatione defecerit, temeréque litigaverit. arg. *l.* 79. *pr. ff. de Judiciis. l.* 13. *§.* 6. *C. Eod. l.* 3. *C. de his, qui accus. non poss.* Constit. crim. Caroli V. *art.* 12. *&* 13. Mevius *part.* 3. *dec.* 295. *part.* 4. *dec.* 31. *& part.* 5. *dec.* 30. Cautus proinde sit accusator, neque enim quævis probatio in causis criminalibus, & atrocibus delictis Judici de re aliqua fidem facere potest, sed tantummodo ea, quæ fit vel per evidentiam ipsius facti, aut per petrati facinoris proptiam, spontaneam, ac liberam ipsius rei confessionem. *c. evidentia.* 9. *h.t. l. ea quidem.* 7. *C. Eod. c. super eo.* 3. *de Testib. cogend.* vel per duos testes, qui de proprio sensu visûs, vel auditûs deponunt, ut traditur in Constit. cr. Caroli V. *artic.* 67. Gilhaus. in *Arb. judic. crim. c.* 6. *part.* 3. *n.* 128. Sichard. *ad rubr. C. de Prob. num.* 4. Et hoc est, quod dicitur, in causis criminalibus probationem luce meridianâ debere esse clariorem. *l. ult. C. de Prob. l. absentem ff. de Pœn.* Gail. *lib.* 1. *observ.* 108. *n.* 3. & *lib.* 2. *de Pac. publ. c.* 7. *n.* 14. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 33.

In sollicitam hìc *dubietatis* revocatur aleam, quot testes requirantur in judicio criminali Canonico?

Difficultatem facessunt textus in speciem contrarii: nam in *c. Præsul.* 2. *& c. nullam* 3. *causâ* 2. *q.* 4. pro condemnatione Episcopi septuaginta duo: pro condemnatione Presbyteri Cardinalis quadraginta quatuor: pro condemnatione Diaconi Cardinalis viginti septem: & pro condemnatione aliorum etiam Clericorum Urbis Romæ septem testes desiderantur. Econtra juxta *c.* 1. *ead. causa & quæst.* pro condemnando Clerico accusato duo, vel tria testimonia sufficiunt.

Gratianus ad *c. nullam.* & plerique alii DD. opinantur, prædicta jura accipienda esse de peculiari privilegio Ecclesiæ Romanæ, vel tum potiùs obtinere quando testes sunt improbæ vitæ, & suspectæ fidei. Sed convincitur hæc opinio ex ultimis verbis *d. c. Præsul.* quibus cavetur, ut *testes, & accusatores sint aliqua sint infamia.* Mihi videtur, decreta illa apud Veteres in usu, eáque non immerito constituta fuisse: tum quòd ejus dignitatis homines tantâ sanctitate esse debeant, ut major fides eis habenda sit, quàm aliis pluribus contra eorum virtutem deponentibus: tum propter grave scandalum, quod orietur, si Præsules, & Cardinales passim accusarentur, & damnarentur: tum quia cùm pro munere & dignitate aliis justitiam administrent, sicut signú ad sagittam positi sunt, & invidiæ, atque odio improborum quotidie exponuntur. arg. *c.* 24. *h.t.*

h. t. S. Th. 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. *ad* 3. Veruntamen postea hoc jus in desuetudinem abiit, & Prælatorum causæ etiam graviores duorum, vel trium testium authoritate, ac testimonio terminari cœperunt. Clar. in *Pr. cr. §. fin. q.* 66. Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 30. Hodie quomodo contra Episcopos in causa criminali, quæ coram solo S. Pontifice dijudicanda est, procedi debeat ? cavetur in Concilio Trid. *Sess.* 13. *c.* 6. 7. & 8. *de Reform.*

60 *Tertius* effectus ex parte accusatoris est, quòd post litis contestationem, aut etiam postquam oblato Judici libello inscriptio facta est, accusationem prosequi cogatur, nec impunè citra abolitionem à magistratu impretratam desistat, *l.* 9. *l.* 15. *§.* 5. *ff. ad SCtum Turpillian. l.* 1. 2. & 3. *C. de Abolit.* Siquidem publicè interest, accusationem non intermitti, sive vera sit, ut delictum puniatur; sive falsa, ne calumniator impunè evadat, & licentiùs in innocentiam cujusque grassetur. Vallens. *h. t. §.* 2. *n.* 8. Planè ante libelli oblationem, & inscriptionem, ab accusatione incepta accusatori integrum est desistere, sed desistenti imponitur silentium perpetuum, ne deinceps eundem de eodem crimine accuset, aut infamet. *c. licet.* 14 & *ibi* Gonzal. *h. t. l.* 6. *C. de His, qui accus.*

61 *Effectus* Accusationis respectu *accusati* alius est, dum pendet, alius postquam finita est.

Accusatio *pendens*, etsi non infamet, *l. furti.* 6. *§.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* gravat tamen æstimationem accusati, ita ut ad novas dignitates sive Ecclesiasticas, sive sæculares promoveri nequeat. *c.* 3. *dist.* 81. *c. omnipotens.* 4. *h. tit. l. reus* 7. *pr. ff. de Munerib. l. un. C. de Reis postul.* Adeò ut nec promotio, collatio, aut assequutio novæ dignitatis, seu honoris teneat, nec convalescat, quantumcunque promotus postea per definitivam sententiam absolvatur, ac innocens pronuntietur. arg. *c. si eo tempore.* 45. *de Rescript. in* 6. *l.* 29. *ff. de Liberali causâ.* Pirrhing. *h. t. n.* 42. Dummodo crimen, de quo accusatus est, sit grave, seu atrox, ut satis innuit *c. omnipotens.* in illis verbis: *de quo tanta, & talia nuntiantur;* id est, *gravia*, prout exponit cum Joan. Andr. Fagnan. *ibid. n.* 17. nec ex conjecturis appareat, reum pet calumniam, & eo animo delatum esse, ut à novis honoribus arceatur. *d. l.* 29. *ỳ. qui vero. ff. de Liberal. causâ* Pirrhing. & Fagnanus *ubi supra.*

Accusationem *finitam* sequitur rei con- 62
demnatio, qua de in Constit. crim. Caroli V: *art.* 92. *& seqq.* ubi Judici, & Assessoribus præscribitur, ut post causam plenè discussam, & factam ab utraque parte conclusionem, integra acta judicialia in medium proferant, singula diligentissimè examinent, ac ponderent, & sententiam summâ cum accuratione, & prudentiâ, prædictæ constitutioni criminali pro facti cujusque ratione maximè conformem meditentur, eámque scriptis comprehensam, & denuò requisitis, atque collectis singulorum Assessorum suffragiis comprobatam Judex per juratum Actuarium publicari, & elatâ voce in præsentia partium prælegi jubeat. In quo Constitutio Carolina discrepat à Jure communi, juxta quod Judex ipse sententiam recitare tenetur, exceptis personis illustribus. *l.* 2. *&* 3. *C. de Sent. ex peric. recit. Novell.* 71. *c.* 1. Christoph. Blumlacher. ad *d. Constit. crim. art.* 94.

Non nescio, hoc loco à quibusdam *dubium* moveri: utrúmne à sententia condemnatoria appellare liceat? Sed de hoc egi in *lib.* 2. *tit. de Appell. n.* 34. ubi ostendi, spectato jure tam Canonico, quàm civili condemnatum, aut pro eo quemvis alium appellare posse per *c.* 4. *§. præterea. c.* 13. *&* 14. *de Appell. l.* 6. *ff. & l.* 6. *§.* 3. *l.* 14. *l.* 29. *C. Eod.* ex generali verò, & inveterata Germaniæ consuetudine in causis criminalibus, quarum pœna est corporis afflictiva, appellationi non deferri, ne

reus

reus appellando vim sententiæ eludat & gravia delicta vel in perpetuum, vel diu saltem impunita maneant per Recess. Imper. *de Anno* 1530. §. 95. Ordinat. Cam. *p. 2. tit.* 28. Quam opinionem utroque pollice dignatur Rev. Christ. Priggl in *Man. Pract. de Appell. observ.* 3. *n.* 16.

PARS II.

De Inquisitionibus.

SUMMARIA.

63. Inquisitionis diversa acceptio. 64. Definitio. 65. 66. Divisio. 67. Necessitas. 68. A quo Judice. 69. 70. 71. Contra quas personas? 72. 73. De quibus criminibus inquirendum sit? 74. Afferuntur requisita inquisitionis generalis. 75. Usque 83. Inquisitionis specialis: 84. Usque 86. Inquisitionis per torturam. 87. Quis sit inquisitionis finis? 88. Et seqq. quinam effectus?

§. I.

63 *Inquisitionis* vocabulum ut maximè in Jure nonnunquam designat quamcunque, sive cujuscunque rei indagationem, vel investigationem, *c.* 26. *de Elect. c. ult.* §. 1. *de Offic. deleg. Clem. un. Eod.* potissimùm verò, & impræsentiarum refertur ad criminalia, denotátque peculiarem modum, quo Judex in reos, ac facinorosos ex officio inquirit; vulgò: Eine Nachforschung von Ambts wegen.

§. II.

64 *Definitur* Inquisitio, quòd sit legitima Judicis ex officio procedentis super delicto facta investigatio: Carpz. in *Pr. crim. p.* 3. *q.* 107. *n.* 7.

§. III.

65 *Dividitur* inquisitio I. in generalem, & specialem. Generalis fit *primò*, quando de persona in genere, & delicto in communi quæritur; ut cùm Superiores visitant Reg. na, Provincias, Diœceses, aut alia loca subdita, & inquirunt an statuta, an leges observentur: an nulla crimina majoris notæ invalescant? *Secundò*, quando quidem constat de delicto in specie, puta de homicidio, sacrilegio, aut furto, sed ignorato authore Judex in genere inquirit, quis probabiliter, aut præsumptivè delictum ejusmodi commiserit. *c.* 25. *h. t. l.* 13. *ff. de Offic. Præsid.* Specialis est, quando Judex vel ex mero officio, vel ad alicujus querelam, aut Officialis publici denuntiationem in certum crimen, v. g. homicidium, & in certam personam, an crimen illud perpetraverit, indagat. arg. *c.* 18. *& 24. h. tit.*

II. Dividitur inquisitio in mitiorem, &66 graviorem. Mitiorem voco, quæ fit sine tortura, per argutas nempe, & acutas quæstiones, atque articulos ad examinandum reum excogitatos. Graviorem appello, quæ fit in vinculis, & per corporis cruciatus. ac tormenta; unde passim *tortura*: in *Digestis*, & *Codice* verò *quæstionis* nomine insignitur, quemadmodum & in Nemesi Carolina vernaculâ dicitur. Die Marter / die peynliche / oder scharffe Frage.

§. IV.

Causa efficiens inquisitionis est Jus. Proce-67 dit autem inquisitio tum ex Jure Divino Deuter. *c.* 13. ℣. 12. *& c.* 17. ℣. 4. tum ex Jure Humano, tam Canonico. *cap.* 32. *causâ* 33. *q.* 5. *c.* 9. 17. 19. 21. 24. *& 25. h. tit.* quam Civili *l.* 3. *l.* 13. *ff. de Offic. Præs. l.* 7. *C. h. t. l.* 1. *C. de Custod. reor. t. t. ff. & C. de Quæstionib. Nov.* 128. *cap.* 21. & Const. Crim. Carol. V. *a.* 214. 219. & alibi passim. Optimâ ratione, ne ob defectum accusatoris, aut probationem delicta ignota maneant, & impunita cum certissima pernicie, ac perturbatione Reip. Quamobrem inquisitio tantæ necessitatis est, ut ipse Judex, si eandem intermittat, gravi se peccato obstringat, *c. sicut inquit.*

quit. 46 *causâ* 2. *q.* 7. & de Syndicatu teneatur. Paris de Puteo *de Syndicatu in V. negligentia c.* 1. *n.* 8. *&* 9. Brunneman. in *Proc. inquis. c.* 1. *n.* 11. ubi *n.* 12. notat, solere hodie contra Judices inferiores crimina, de quibus fama publicata est, investigare negligentes, à fisci Procuratoribus de non administrata justitia formari processum, eósque (quod adjicit Stryk. *in annotat. ibid.*) privatione jurisdictionis ob ejus abusum puniri secundùm Constitutionem Caroli V. *a.* 1. Petr. Theodoric. in *Colleg. crim. c.* 4. *aphor.* 8. *n.* 3. ubi *n.* 8. *& seqq.* probat, inquisitionem etiam cum accusatione, præsertim in delictis atrocibus cumulari, ac simul institui posse, quam opinionem usus comprobat.

§. V.

68 *Subjectum* inquisitionis duplex est, *activum* & *passivum.*

Activum est Inquisitor, isque non alius, quàm Judex competens: quoties enim per viam inquisitionis procedit, necessum est, ut inquisitor habeat merum imperium, ac jurisdictionem in ipsum delictum, & delinquentem suo foro ratione domicili, delicti, vel deprehensionis subjectum. *l.* 3. *ff. l.* 2. *C. de Jurisdiction. l.* 1. *&* 2. *C. Ubi de crim. agi. oport.* Adeò ut iis omnibus & singulis deficientibus contra criminosum ad hoc, ut puniatur, inquiri nequeat, aut si inquisitio instituta, & sententia ulla lata est, ea ob defectum jurisdictionis ipso jure nulla sit. *t. t. C. Si non à compet. jud.* Boss. *tit. de inquisit. n.* 62 Carpz. *d. q.* 107. *n.* 73.

69 *Subjectum passivum* inquisitionis constituunt subditi, qui eam sustinent. Ubi duo dispiciemus. *Primò:* quis inquisitioni speciali? *Secundo:* quinam quæstioni, seu inquisitioni per torturam subjici possunt?

Ad *primum* quæsitum ℞. tradendo regulam generalem: Ferè omnis ille potest subjici inquisitioni speciali, qui potest accusari: qui verò accusari nequit, etiam non rectè inquisitioni subjicitur. Ratio est: quia inquisitio specialis in locum accusationis subrogata est, per *l. pen. ff. de Publ. jud. l. congruit.* 13. *ff. de Offic. Præsid.* Gilhaus. *in arb. jud. crim. c.* 3. *p.* 1. *n.* 19. Quinam autem accusari non possint, longa serie recensuimus *supra à n.* 32. *usque ad n.* 46.

Ad *alterum* quæsitum ℞. quæstioni subjici, 70
& tormentis interrogari posse omnes, qui non reperiuntur expressè prohibiti. Prohibentur autem impuberes, quibus torturæ locò ferula est. *l.* 1. §. 32. *&* 33. *ff. de SCto. Silan. l.* 10. *ff. de Quæst.* Senes decrepiti. *l.* 3. §. 7. *ff. de SCto Silan. l.* 7. *ff. de Quæstion.* ubi D. D. Mulieres gravidæ, donec à partu 40. dies effluant. *l.* 3. *ff. de Pœn.* & *ibi* Bartol. Illustres, ut Principes, Comites, Barones, arg. *l.* 11. *&* 16. *C. de Quæstionib.* Eckolt. *ad ff. Eod.* §. 9. Nobiles per *l.* 4. *C. ad leg. Jul. Maj.* Covar. *lib.* 2. *var. resol. c.* 9. *n.* 4. Milites. *l. milites.* 8. *C. de Quæstionib.* ubi Salicet. Clariss. in *pr. cr. lib.* 5. *sent.* §. *fin. q.* 64. *num.* 18. Doctores, arg. *d. l. milites.* Colendiss. meus Confrater Joan. Frideric. Fregismont in *Diss. de Doctor. dignit. cap.* 3. *num.* 21. Surdi, & muti. *l.* 3. §. 8. *&* 10. *ff. de SCto Silan.* Cyn. in *l. fin. ff. de Quæst.* Et alii tam animi, quàm corporis morbô laborantes. *d. l.* 3. *in pr. &* §. 11. *ff. de SCto Silan.* ubi D. D.

Verùm hæc prohibitio perpetua non est: 71
sunt enim crimina quædam excepta, veluti læsæ Majestatis, perduellionis, veneficii, proditionis patriæ, blasphemiæ, simoniæ, hæresis, assassinii, falsi, & si quæ alia, ob quæ personæ aliàs à quæstione exemptæ moderatæ torturæ subjici possunt, exceptis tamen iis, quæ ob ætatem, vel debilitatem corporis, ut & partûs periculum torqueri prohibentur, in quibus eadem semper ratio militat. *l.* 10 §. 1. *ff. de Quæstionib. l.* 3. *&* 4. *C. Ad l. Jul. Majest.*

Majest. l. 3. §. 10. l. 7. ff. de Re milit. l. 7. C. de Malefic. l. 21. C. Ad leg. Cornel. de falsi. Damhoud in *pr. crim. c. 41. n. 7. & seq.* Farinac. in *pr. cr. lib. 1. tit. 5. q. 41.*

Porro si plures sint ejusdem criminis rei, initium torturæ à suspectissimo fieri debet, aut si omnes sint ex æquo suspecti, à timidiore, à quo facillimè verum cognosci posse videtur. *l. 1. §. idem Divus. 2. l. 18. ff. de Quæstionib.* Clar. *ad §. fin. q. 64. n. 29.* Bocer. *tr. de Quæstion. c. 5. n. 8.* Unde, quia ex mala Physiognomia quis ad scelera proclivis præsumitur, torturam ab illo, qui è pluribus est deformior, incipiendam esse, autumant Bald. in *l. 2. C. Quor. appell. non recip.* Menoch. de *Præsumpt. lib. 1. q. 89. n. 130.* & cum his Amandissimus meus Confrater Clariss. P. Benedictus Behamstein in *Discurs. Philosoph. jurisd. disc. 3. ad fin.*

§. VI.

72 *Materia*, seu *objectum* inquisitionis est delictum, in quod, vel in cujus authorem, si constet, id admissum esse, inquiritur. Ex parte hujus.

Requiro I. Ut delictum sit magnum: enimverò de majoribus duntaxat, non de levibus, ac privatis criminibus inquirendum est. *c. inquisitionis. 21. h. t. l. levia. 6. ff. Eod.* quia illa, non ista Remp. lædunt, publicámque tranquillitatem turbant. Marant. *de Ord. judic. p. 6. dist. 1. n. 104.* Carpz. *d. q. 107. n. 23. & seqq.* Quibus contradicit Clar. *d. §. fin. q. 17. in fin.* & novissimè Brunneman. in *Proces. inquisit. c. 5. n. 3.* Illud certum est, reum tormentis interrogari non posse, nisi tale delictum perpetraverit, quod pœnam corporalem, & relegatione graviorem mereatur: nam cùm hæc levior sit, quàm tortura, absurdum esset, gravius decerni adversùs ambiguam innocentiam, quàm decerneretur in crimen convictum. Wesenb. in *Parat. de Quæst.* Bursat. *consil. 439.* Farinac. in *pr. crim. lib. 1. tit. 5. q. 38. n. 6.*

Requiro II. Ut inquisitori saltem in gene- 73
re constet de corpore delicti, quod nempe sit commissum, ac perpetratum. *l. 1. §. 24. ff. de SCto Silan.* adeò ut licèt reus sponte delictum confessus sit, contra eum tamen Judex procedere non possit, priusquam in locum, in quo delictum commissum dicitur, miserit, & illic, an commissum sit, inquisiverit per *l. 1. §. 27. ff. de Quæstionib.* Vallens. *h. tit. §. 4. num. 2.* Marant. *d. p. 6. pr. num. 17. & 18.* Quin etiam ad specialem inquisitionem, præsertim ad torturam, non sufficit, liquere defacto, v. g. de cæde, sed constet, oportet, quòd scelere, & dolo malo factum sit. Marant. *l. cit.* Roland. à Valle *vol. 1. consil. 51. num. 11. & seqq.* Insuper non ex conjecturis tantùm, & præsumptionibus de delicto constare debet, sed verè, liquidò, & ex plenis probationibus, rei videlicet oculari inspectione, & evidentia, vel testium depositione. *d. l. 1. §. 24. ff. de SCto Silaniano.* Mynsing. *cent. 3. observ. 81.* Bocer. *tr. de Quæstionib. c. 3. n. 4.* Nisi delictum occultum sit, ac difficilis probationis. Menoch. *lib. 1. præsumpt. 58. n. 2.* Cravet. *consil. 73. n. 19.* Gilhaus. in *Arb. jud. crim. c. 3. part. 1. num. 11.* aut ejusmodi, ut post se nulla vestigia relinquat: tunc quippe satis est, corpus delicti præsumptionibus, ac conjecturis probari. Clar. *d. §. fin. q. 4. ¥. secùs.* Gilhausen *d. p. 1. num. 22.* Planè ad inquisitionem generalem, quâ de ipso delicto, an commissum sit, inquiritur, neque id ipsum necessarium est, ut quæ ad hoc unicè instituitur, quò appareat, delictum commissum sit, nec ne?

§. VII.

Forma inquisitionis stat in modo inqui- 74
rendi, & actuum judicialium, quibus inquisitio tanquam partibus constat, consequentia ac ordine.

Forma igitur *inquisitionis generalis* in eo consistit, ut generalibus interrogationibus quæ-

quæratur: an delictum aliquod admissum? quodnam illud propriè sit? & eo constito, à quo perpetratum? non nominando aliquem in particulari. *l.* 1. §. 21. *ff. de Quæst.* Et hoc fieri potest ex mero Judicis officio nullis præcedentibus infamiâ, vel indiciis, nulliúsque partis antecedente instantiâ. *c.* 1. & *ibi* Panormit. *de Offic. ordin. c.* 25. *h. t. c.* 1. §. *sanè. de Censib. in* 6. Navar. in *Man. cap.* 18. *n.* 38. Propterea: quia hæc est tacita voluntas Reipubl. quæ offenderetur, si omitteretur: nec per hunc inquirendi modum ulli fit injuria, cùm de nullo in particulari inquiratur: & de cætero est utile medium, imò necessarium ad refrænandos mores improborum, & ne crimina publica impunita maneant.

75 *Forma inquisitionis specialis* fita est in eo, ut præviâ infamiâ, vel indiciis, & sufficienti informatione de illis habitâ, formetur libellus inquisitionis, & examen rei. Itaque

I. Inquisitionem specialem de jure Canonico præcedere debet infamia auctoris, seu personæ inquirendæ. *c.* 19. *& passim h. tit.* Unde licèt duo, vel tres veniant ad Judicem, & deponant, se vidisse aliquem tale, vel tale crimen committentem, ideo tamen Judex Ecclesiasticus ad inquisitionem procedere nec potest, nec debet. *c. inquisitionis.* 21. *§. tertia. h. tit.* Imò nec sola infamia de aliquo ad aures Judicis specialiter delata sufficit, sed insuper *clamorosa insinuatio* requiritur, quâ scilicet non semel, sed sæpiùs alicujus diffamati delictum aures Judicis pulset. *c. qualiter.* 24. *Eod.* Quod admittit Jul. Clar. *lib.* 5. *sent. §. fin. q.* 6. *n.* 21. quando inquisitio fit contra Prælatum, aut superiorem, in inferioribus enim famam sufficere, dummodo à viris fide dignis procedat, & per duos testes probetur, colligitur ex *c.* 7. *licèt Heli.* 31. *de Simon.* ibi: *quasi famâ deferente, vel denuntiante clamore.*

76 Reperias tamen casus, in quibus inquisitio specialis sine præcedente diffamatione procedit. *Primus* est, si crimen est notorium, aut in ipso judicio commissum: cùm notorium plus sit, quàm infamia. *c. evidentia* 9. *h. tit.* Debet autem ita notorium esse etiam Judici, ut reus nullâ tergiversatione crimen negare possit; veluti quando ipse Judex cum multis aliis vidit, vel notoreitas Judici est probata saltem per duos testes, aut reus ipse crimen in judicio confessus est. *c.* 1. *& ibi Interpp. h. t. in* 6. Tusc. *lit. I. concl.* 180. *n.* 39. *Alter* est, si semiplena probatio, aut talia indicia habeantur, quæ ad torturam, vel capturam arbitrio Judicis sufficiunt. Carpz. in *Pr. crim. p.* 3 *q.* 108. *n.* 48. Clar. 5. *sent.* §. *fin. q.* 20. *n.* 13. Addo, propter enormitatem delicti, scandalum, damnum publicum, & propter Reip. interesse, ob leviora quoque indicia, & quandoque ob solam confessionem socii criminis, vel assertionem unius cæteroquin minùs fide digni specialem inquisitionem fieri posse, ut puta in crimine læsæ Maj. hæresis, falsæ monetæ, latrocinii, &c. juxta *l. quisquis.* 5. §. *fin. C. Ad leg. Jul. Majest. l.* 1. *C. de Falsi monet.* Gloss. in *l. fin. C. h. t. Tertius* casus exceptus est, quando Judex ad denuntiationem judicialem publici Officialis, vel alterius viri probatæ vitæ inquisitionem instituit. Felin. in *c. licet. n.* 3. *h. t.* Tusc. *d. concl.* 180. *num.* 32. *Quartus*, quando inquisitione non intenditur pœna, sed tantùm correctio criminosi, aut evitatio damni; ut cùm inquiritur in impedimenta matrimonii inter certas personas contrahendi, vel in qualitates personæ ad ordines, beneficia, vel Prælaturas assumendæ. *c. fin. de Cland. desponsi. cap.* 7. *&* 32. *de Elect.* Panormit. in *c. qualiter. n.* 11. *h. t.*

II. Inquisitio specialis eadem, quæ accu- 77
satio, nempe speciem criminis, annum, & mensem, ubi, & quando crimen commissum sit, continere, arg. *c. fin.* §. *libellor. causa.* 2. *q.* 8. *l.* 3. *ff. h. tit.* atque hujus inquisitionis

formatæ exemplar, nec non dicta, & ipsa nomina testium Reo communicari debent, ut facultatem habeat contrà excipiendi, ac innocentiam suam defendendi. *c. qualiter & quando.* 24. §. *debet igitur. h. t.* Natt. *consil.* 441. *n.* 3. Roland. à Valle *consil.* 12. *n.* 53. *vol.* 3. Nec refert, Judex procedat ex mero officio, an verò ad querelam offensi. Cothm. *respons.* 7. *n.* 63. *vol.* 1.

78 Adverte tamen, nec hoc requisitum perpetuò observari, præsertim *primò*, si non criminaliter ad inferendum supplicium, aut pœnam delicto proportionatam, sed propter correctionem, aut propter interesse aliorum super aliquo defectu, vel delicto personæ inquiratur, ut in visitatione Monasterii, vel Ecclesiarum. *c. penult. & ult. de Stat. Monach.* Prout *secundò* singulariter in *d. cap. qualiter.* 24. §. *fin. h. t.* subjungitur: *hunc ordinem* procedendi *circa regulares personas non usquequaque servandum, qua (cùm causa requirit) facilius & liberius à suis possint administrationibus amoveri.* Sanè extra visitationem, & ubi agitur ad pœnam gravem, v. g. depositionem, vel incarcerationem, nec contra Prælatos, aut personas regulares sine prævia infamatione, aut indiciis sufficientibus inquisitio institui potest. Barbos. ad *d. c. qualiter. n.* 17. Jacob. Pignatel. *tom.* 8. *consult.* 41. & eo teste
79 communis Canonistarum. Sicut & si res, sive delictum dubium est, testes contra Prælatum regularem producendi, eorúmque nomina, & dicta publicanda sunt. *c. olim.* 26. *h. t.* Nisi (quæ est *tertia* exceptio) timeatur, ne si nomina & dicta testium publicentur, iis grave periculum immineat, & consequenter, ne propter hoc ipsum testes se subtrahant, aut veritatem in examine metu mali imminentis dissimulent, arg. *cap. fin. de Hæret. in* 6. & ibi Barb. *n.* 7. Jul. Clar. *d.* §. *fin. q.* 49. *n.* 3. ubi etiam tradit, quòd quandoque hoc medium usurpetur, ut testium nomina quidem publicentur, sed in confuso, ita ut nesciat reus, quisnam hoc, vel illud deposuerit.

De reliquo his requisitis non servatis inquisitio nulla est, & omnia acta, totúmque processum subsecutum nullum reddit, licèt ex Principis mandato formata fuerit. Gloss. in *cap.* 30. *de Offic. deleg.* Panorm. *in cap.* 19. *n.* 2. *h. t.* Menoch. *de arbitr. Jud.* 78. *num.* 2. Dummodo tamen reus contra fuerit protestatus, & crimen ultrò non sit confessus: quoniam, si reus in examine ultrò crimen fassus est, Judex, etsi ab initio injustè processerit, & malè reum in jus coëgerit, potest ac debet procedere ad sententiam, ac pœnam, & reus frustra reclamat, suámque confessionem eo prætextu impugnare contendit. *c.* 1. *h. t. in* 6. Similiter si reus crimen quidem non confiteatur, nec tamen protestetur contra inquisitionis processum, sed præsens taceat, & absque ulla exceptione patiatur, testes contra se examinari, confisus se fortè non convincendum, per testes verò crimen, de quo inquiritur, legitimè probetur, ex postfacto ampliùs excipere, aut processum impugnare non licet. *cap.* 2. *Eod. in* 6. *l. unius.* 18. §. 9. *ff. de Quæstionib.* ibi: *postulante reo.* Id quod Gloss. in *d. cap.* 2. *V. reclamante.* extendit etiam ad casum, quò reus semel contradixit, sed ad continuatam Judicis inquisitionem acquievit, nec ad superiorem appellavit, cùm potuisset.

III. Quoad *examen*, & consequentiam 81 *interrogatoriorum inquisitionalium* observandum est, ut primùm proponantur *interrogatoria personalia communia* de conditione personæ rei, quodnam ejus nomen, qui parentes, quæ patria, quæ religio, vitæ conditio, habitatio, conversatio &c. Deinde subjungantur *interrogatoria realia*, ad rem, & causam delicti, ejúsque scientiam pertinentia: priùs quidem regulariter *debiliora: generaliora*, & *remotiora à facto*: paulatim ea, quæ *facto*

magis

magis magisque *propria*, ac *propinqua*: tandem *specialia*, imò *specialissima*, quoad objecta, causas, effectus, adjuncta, & circumstantias delicti, de quibus reus satis indiciatus, aut diffamatus est. Scaccia 1. *de Judic. cap.* 86. Brunneman. in *Proc. inquisit. c.* 8. Addidi: *de quibus reus satis indiciatus, aut diffamatus est*: quippe de aliis, de quibus nulla infamia, aut indicia præcesserunt, interrogari non potest, nisi fortè connexionem habeant cum principali. Zoës. *ad ff. de Quæstionib. n.* 60. Sicut nec de occulto socio criminis. *cap.* 1. *de Confess. c. fin. causâ* 15. *q.* 3. *l.* 1. *§.* 5. *ff. de Quæst. l. fin. C. h. t.* nisi tale sit crimen, quod necessariò socium requirit, vel quod cum sociis factum dicitur, vel quod exceptum est, & Reip. pernicioſum. *l.* 29. *ff. de Pœn. d. c.* 1. *de Confess.* & ibi P. Engl. *n.* 21. Latè Fragos. *de Regim. Reip. Christ. p.* 1. *l.* 5. *disp.* 12. *à n.* 181. Sed hic

12 *Quæres* I. Utrùm ab inquisito juramentum de veritate dicenda exigi possit? Affirmat Bartol. in *l. inter omnes. §. rectè. in fin. ff. de furtis.* Quem juvant textus in *c.* 17. *h. t.* ubi Clerici sub juramento adiguntur veritatem dicere super his, quæ sciunt, vel credunt reformanda: & in *c.* 18. *Eod.* ubi si inquisitus juravit respondere tantùm ad interrogata, post confessionem auditur volens probare excusationes. Unde Diaz. in *Pr. cr. c.* 119. hanc opinionem admittit in foro Canonico. Teste Clar. *lib.* 5. *sent. §. fin. q.* 45. *n.* 9. apud Italos in foro quoque civili practicatur. Imò etiam in Germania interdum juramentum inquisitis deferri præter Carpz. *d. p.* 3. *q.* 113. *n.* 42. docet experientia. Verum licèt in foro Canonico inter personas Ecclesiasticas, apud quas major præsumitur esse juramenti religio, talis delatio juramenti fieri possit, in foro tamen civili non facilè faciendam putem ob periculum perjurii, quod vix unquam abest, cùm reus sponte delictum fateri rarissimè soleat. Quamobrem prædictam Italiæ consuetudinem Clar. *l. cit.* & Germaniæ praxin Brunnem. *cit. c.* 8. *n.* 77. non immeritò improbant. Hoc quoque rectè observat Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 30. *dub.* 3. *n.* 15. reo juramentum deferri non posse, nisi talia extent indicia seu probationes, quæ sufficerent ad torturam, eò quòd juramentum sit quasi quædam tortura spiritualis.

Quæres II. Liceátne Judici simulationibûs, 83
aut blandis verbis Rei confessionem elicere?

Negare videntur, qui simulationem cum Lessio *de J. & J. l.* 2. *c.* 47. *dub.* 6. dicunt mendacium in actionibus vitæ; & blanditias cum Tacito *Hist.* 1. *c.* 15. pessimum veri venenum indigitant: eò quòd simulans gestibûs aliter, quàm in animo sentit, significare intendat, & blandiens mel in ore, & verba lactis habeat, fel autem in corde, & fraudem in factis recondat. Neque sufficit, causam justam esse, nisi & eadem justè, ac sine fraude peragatur. Audi monitum Moysis *Deut. c.* 16. ℣. 20. *Justè, quod justum est, persequêris, ut vivas, & possideas terram, quam Dominus DEUS tuus dederit tibi.*

Sed magis est, ut affirmem, maximè si cum reo astuto Judici negotium sit: nam, si nescis illud Ovidii:

Fallere fallentem, fraudémque refellere fraude,
Exemplóque licet ludere quémq; suo.

Id quod factum à Salomone, qui ad perscrutandam maternam affectionem dividi infantem simulavit. 3. *Reg. cap.* 3. *cap.* 2. *de Præsumpt.* Et fatetur Farinac. in *Pr. crim. p.* 3. *q.* 81. *num.* 306. se sæpius blandis verbis ad delicti confessionem adegisse reos, quàm per torturam. Neque verò simulationes, & blanditiæ verborum, quibûs Judex ad veritatem expiscandam utitur, quid

fraudis, aut doli mali involvunt: cùm his non utatur ad decipiendum, sed potiùs ad fraudem excludendam, arg. *l.* 1. *§.* 3. *ff. de Dolo malo.* Mendacio tamen Judex abstineat, oportet, ut quod à quolibet bono viro, nedum à Judice, qui veritatis amantissimus esse debet, vitandum. P. Otto Aicher Phil. Mor. & Histor. meritissimus Professor in *Histor. quarta Monarch. lib.* 3. *cap* 3. *quæst.* 3. *in fin.* Nec etiam reum promissione impunitatis, veniæ, pœnæ mitigationis ad confitendum inducat: siquidem si veniam polliceatur, quam ipse scit, Principem non daturum, mendacium sine dubio incurrit: si nesciat, & sponte sua promittat, itidem peccare videtur, dum veniam promittit delinquenti, quam impertiri eidem nequit, ex quo punire sontes jussus est, non impunitos dimittere. Brunneman. in *Proc. inquis. c.* 8. *memb.* 1. *num.* 53. Neutro autem casu confessio impunitatis spe elicita ad hoc sufficit, ut ordinaria pœna eidem infligatur, ex quo libera, & pura non fuit. P. Engl. *ubi supra num.* 23. Oldekop. *Observ. crim. tit.* 4. *observ.* 18. *num.* 4. cum citatis.

Quæ in contrarium allata, huic sententiæ nequicquam detrahunt: quoniam simulationes, & blanditias, quæ quid fraudis, & mendacii admixtum habent, & ego improbo: nec inde, quòd casus non dentur, quibus licitè Judex boni publici causâ quid simulet, aut sincerâ intentione blandiatur, infertur, sed quòd nunquam mentiri possit, aut debeat.

84 *Forma quæstionis*, seu *inquisitionis durioris* posita est in iis, quæ torturam vel præcedunt, vel in ipsa contingunt, vel eandem consequuntur.

Quæ torturam præcedunt, ita se habent: *Primò* indicia urgentia, certa & concludentia reum ita suspectum reddere debent, ut nihil pene deesse videatur, quàm ejus confessio. *l.* 1. *§.* 1. *l.* 18. *§.* 1. *ff. de Quæstion. l.* 8. *§.* 1. *C. Eod.* Constit. crim. Caroli V. *art.* 18. Roland. à Valle *vol.* 1. *consil.* 24. *num.* 24. Farinac. *in prax. crim. q.* 37. *num.* 74. *& 79.* ubi tradit, quòd nec longo usu induci, nec à Principe mandari possit, ut quis sine indiciis etiam in criminibus exceptis torturæ subjiciatur. Bocer. in *tr. de Quæst. cap.* 3. *n.* 10. ubi notat, confessionem rei in tortura factam irritam esse, etsi postea superveniant legitima indicia. Quæ verò in specie indicia legitima sint? tractat Constit. crim. Caroli V. *ab art.* 18. *usque ad* 44. inclusivè, & *ibi* Clasenius, Christoph. Blumlacher & alii.

Secundò: Quia tortura in subsidium, & defectum legitimarum probationum inventa est, ubi per testes de visu, vel alia media reus convinci poterit, ad eam non est perveniendum. *l.* 1. *pr. l.* 8. *pr. l.* 9. *pr. l.* 20. *ff. de Quæstionib.* Constit. crim. Caroli V. *art.* 69. ubi disertè cautum, quòd si reus legitimis probationibus convictus in negatione delicti perseveret, non torqueri, sed damnari, ac puniri debeat. Clar. *lib.* 5. *sent. §. fin. q.* 4. *n.* 46 *& 96.*

Tertiò Judex interloquendo pronuntiat reum esse torquendum, diémque certum executioni præfigit. Constit. crim. Caroli V. *art.* 45. Clar. 5. *sent. §. fin. q.* 68. *in pr.* Antequam verò tortura suscipiatur, reus in præsentia Judicis, duorum saltem Assessorum, & actuarii judicialis seriò etiam sub torturæ comminatione de spontanea confessione interpellandus est. d. Constit. crim. *art.* 46. Quòdsi se nocentem, & criminis reum esse neget, inque negatione ista constanter perseveret, Judex ipsi injunget, ut indicia diluat, atque suam innocentiam probet; in qua probatione si deficiat, tandem torturæ subjicitur. cit. Constit. crim. *art.* 47. & *ibi* Manz. *à n.* 16.

Ad

84 Ad ea, quæ in ipsa tortura contingunt, pertinet torturæ *executio*, & *examen*. *Executionem* quod attinet, persona rea ita torquenda est, ut salva sit vel innocentiæ, vel supplicio. *l. 7. ff. de Quæst.* & tormenta adhibenda sunt, prout moderatæ rationis temperamenta desiderant. *l. 10. §. 3. ff. Eod.* Ideóque ætatis, sexûs, virium, ac totius corporis constitutionis, affectuum animi, delicti, & indiciorum ratio habenda est. Constit. crim. Caroli V. *art.* 58. Waizenegger *de servit. damon. differt. 6. c. 9. num.* 151. ubi *n.* 158. ait: ex eo solo maleficium taciturnitatis non esse præsumendum, nec inusitata tormenta adhibenda, si reus usitatis tormentis subjectus crimen non fateatur: quia sunt, qui vel solâ patientiâ, & fiduciâ bonæ conscientiæ tormenta contemnunt.

Examen quod spectat, id fieri non debet in ipso torturæ actu, sed eo remisso. Constit. crim. Caroli V. *d. art.* 58. Nec reus de quovis, sed de eo duntaxat crimine, ejúsque circumstantiis interrogandus est, cujus ex verisimilibus indiciis est suspectus. Clar. *d. §. fin. quæst.* 46. *n.* 45. Scacc. *lib. 1. Judic. c.* 97. *num.* 180. nisi crimen cum eo, super quo legitimè quæritur, sit ejusdem generis, vel ex eodem dependentiam, aut connexionem habeat. Bocer. *tr. de Quæstionib. cap. 5. num. 5.* Cæterùm Judex reo circumstantias nullo modo suggerere, sed ut ab ipso proferantur, pati debet per *l. 1. §. 21. ff. de Quæstionib.* Constit. crim. Caroli V. *art.* 56. ubi Christoph. Blumlacher *num.* 1. docet, confessionem per suggestionem extortam ad condemnandum non sufficere, quin potiùs omnia inde subsecuta esse irrita.

85 Finitum torturæ actum *consequuntur* confessionis extortæ *annotatio*, & *ratificatio*: *Illa* ut legitimè fiat, ab actuario ea, quæ tortus confessus est, statim in actis consignabuntur cum omnibus additis circumstantiis, ut & qualitate executionis torturæ. Constit. crim. Caroli V. *art. 46. & ibi* DD. Ad *istam* requiritur, ut elapso uno alteróve die extra locum torturæ in præsentia Judicis, & duorum Assessorum ab actuario ad ratificandum torto facta confessio prælegatur, ipséque denuò interrogetur, an in ea adhuc persistat, vel ab ea recedat ex toto, aut ex parte, & quidquid tum dixerit, similiter diligenter notetur. d. Constit. crim. *art.* 56. Clarus *d. §. fin. q.* 64. *n.* 48. Mascard. *de Prob. concl.* 355.

§. VIII.

87 *Finis* inquisitionis generalis est, ut manifestetur delictum, ac delinquens: specialis, ut delicti author puniatur: utriusque, ut malis hominibus Resp. purgetur *l. 3. & 13. ff. de Officio Præsid.*

§. IX.

88 *Effectus* inquisitionis plures occurrunt, iique pro diversitate inquisitionis diversi.

Effectus inquisitionis *generalis* est, quòd præparet viam ad specialem: Farinac. *l. 1. q. 6. num.* 19. Less. *de J. & J. lib. 2. c. 29. dub. 15. num.* 121. & emergentibus ex generali inquisitione indiciis, vel probationibus, ex quibus vel verè, vel præsumptivè apparet, *quodnam*, & *quale* delictum, & *à quo* admissum sit, illa locò diffamationis succedunt, & tanquam causæ impulsivæ, legitimæ, ac sufficientes inquisitionem specialem exposcunt. Scacc. 1. *de Judic. c.* 84. *num.* 23. *§. fin.* At verò priusquam Judex specialem inquisitionem ordiatur, quæ probationes, quæ indicia offerantur, & an justa sint, sollicitè expendat, nec statim credat, aut commoveatur, si fortè quid insimulationis, vel querimoniæ ad aures ejus perveniat, quod suspicionem delicti adversus aliquem injicere posset: quandoquidem præceps Judicis persuasio cumprimè & justitiæ, & innocentiæ nociva est per elegantes textus in *c. 10. can-*

causâ 30. *q.* 5. & in *l. fin.* §. 6. *C. de modo multar.* Ut proinde meritò Hiſtorici Ottonem III. perſtringant, quòd Equitem auratum, quem uxor, quaſi ſuæ pudicitiæ inſidiatus eſſet, detulit, ſine decenti inquiſitione ſecuri percuti, & demum detectâ calumniâ ipſam delatricem igne cremari mandaverit. Cruſius *de Indiciis. p.* 1. *c.* 1. *n.* 54.

89 *Effectus* inquiſitionis *ſpecialis* alius eſt inquiſitionis ſuſceptæ, alius inquiſitionis abſolutæ.

Inquiſitio *ſuſcepta* reum adſtringit, ut ad *articulos*, ſive *interrogatoria inquiſitionalia* reſpondeat, & quidem ſine mora, nullâque dilatione ad deliberandum data, ſi de facto proprio interrogetur. Bald. in *l. cùm falſum. n.* 2. *ff. de acquir. hæred.* & alii quos refert & ſequitur Clarus ſæpe *d. §. fin. q.* 45. *n.* 7. Quòdſi vel planè reſpondere detrectet, vel ſolum reſpondeat per verba dubia: *non ſcio; non recordor, poteſt ſe ita habere*, & ſimilia, Judex, *ſi legitima indicia adſint*, minas addere poteſt, & dicere: Daß er bey Vermeidung andrer / oder ſchärfferer Verordnung / welche ihm nicht gefallen würde / auf die Artickul antworten ſolle. Brunneman. in *Proceſſ. inquiſit. c.* 8. *memb.* 1. *n.* 79. Quin etiam crescente contumacia torturæ comminationem fieri, & ad exprimendam reſponſionem torturam inferri poſſe, tradit Clarus *ubi ſupra n.* 6. Addidi, *ſi legitima indicia adſint*: ſiquidem ſi reus legitimis indiciis, aut infamiâ gravatus non ſit, legitimè non interrogatur conſequenter nec reſpondere, minùs crimen fateri tenetur, etſi Juramentum de veritate dicenda præmiſiſſet. S. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Scotus in *tit.* 15. *q.* 4. *art.* 3. & cum his Clariſſ. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tom.* 3. *tr.* 13. *diſp.* 47. *art.* 4. *n.* 1.

90 Hic *controverſia* ingruit. An reus ſervato juris ordine legitimè interrogatus in conſcientia veritatem, ac crimen fateri obligetur?

Parti affirmativæ ſequentia argumenta ſuffragantur. *Primum* eſt: quia Judex habet jus reum interrogandi: ergo reus viciſſim debitum reſpondendi, quandoquidem iſta ſunt correlativa, quorum unum non poteſt eſſe ſine alio. Tuſch. *pract. concl. lit. C. concl.* 1041. *Secundum*: quia juſtum præceptum Judicis obligat in conſcientia: atqui ſi Judex ſecundùm ordinem juris procedit, juſtè præcipit confeſſionem criminis: ergo. *Tertium*: quia Reipubl. intereſt, crimina manifeſtari, ne maneant impunita. *l.* 18. *pr. ff. de Injur.* Ita ex Theologis S. Th. *d. q.* 69. *art.* 1. Clariſſ. P. Paulus Mezger *d. art.* 4. *n.* 2. Ex Jurisperitis Diaz. in *Pr. crim. c.* 119. *lit. A.* cum aliis.

Pro negativa, quæ nonnullorum odiis immeritò vapulat, ſtant iſta. *Primum*: quia licèt Judex ſervato juris ordine de delicto juſtè interroget, obligétque ad torturam, ut ſcilicet reus tormenta experiatur, ſi crimen non fateatur; non tamen juſtè obligat ad aperiendam veritatem ſub culpa: illud quippe jure poteſt, non iſtud, ſaltem quando grave damnum imminet. *Secundum*: quia nulla lex poſitiva periculum mortis, neque damnum pati cogit. S. Th. *quodlib.* 11. *a.* 9. & quod quisquis ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimatur. *l. ut vim. ff. de J. & J. cum ſimilib.* Ergo tametſi judex juſtè præcipiat manifeſtationem delicti, reus tamen, ſi agatur de vitæ periculo, aut gravi damno, in conſcientia ob jus naturalis ſuæ defenſionis non obligatur. *Tertium*: quia conſanguineus non poteſt cogi ad teſtandum contra conſanguineum. *l.* 4. *ff. l.* 6. *C. de Teſtib.* nec quisquam cogi poteſt ad teſtandum cum gravi ſuo incommodo: Ergo à fortiori nullus videtur cogendus ad teſtandum contra ſe ipſum. Ita Innocent in *c. dudum.* 54. *de Elect.* Panor. *in c. cùm ſuper. de Confeſſ.* Cardenas in *Chriſt. Theol. diſſ.* 19. *c.* 7. *n.* 81.

For-

Forsitan media via tentari, & dici posset, quòd reus crimen, de quo specialis inquisitio instituitur, fateri obligatus non sit, si crimen illud pœna capitali, aut suppari, puta triremiũ, vel perpetui carceris puniretur, & reus credat, id sine propria confessione sufficienter probari non posse; eò quòd reo jus competat, vitam meliorì, quô potest, modô tueri, nec præceptum hominis, quantumvis secundum se justum obliget cum tam gravi damno. Teneatur autem fateri, quando crimen non est capitale, ac tam gravi pœna non coërcetur, aut, si tale sit, apparet, id alia ratione probandum fore: tunc namque delicti celatio frustratoria foret, nec utilis, nisi ad protelandum processum, & graviores expensas faciendas.

91 Inquisitionem *absolutam* sequitur inquisiti absolutio, aut condemnatio. *Absolutio*, si inquisitus crimen nec sponte confessus, nec legitimis probationibus convictus sit. Sed ita, ut purè & simpliciter ac definitivè absolvendus non sit, nisi præstito juramento propter præcedentia indicia, & diffamationem. Panorm. in c. 19. & 24. *n.* 28. *h.t.* Præstito autem hoc juramento etiam ab expensis liber pronuntiandus erit. Clar. in *pr. cr. §. fin. q.* 62. *n.* 10. Heig. *lib.* 1. *q.* 40. *n.* 38. *& seq. Condemnatio*, si inquisitus criminis legitimè fuerit convictus. Sed ita, ut Judex spectato jure Canonico pœnam moderari possit, & debeat, nisi sit tale crimen, quod Ordinis suscepti executionem, aut retentionem beneficii etiam post peractam pœnitentiam impediret, ut homicidium, simonia, hæresis, apostasia, & alia ejusmodi, in quibus sicut in accusationis judicio procedendum est. *c.* 21. *h.t.* Sanè in foro civili, & hodie etiam in foro Ecclesiastico, maximè ubi ad denuntiationem fiscalium proceditur, inquisito pœnam ordinariam imponi præter Gonzal. in *d. c.* 21. *n.* 11. testatur communis usus.

92 *Effectus quæstionis*, seu inquisitonis *duriores* alius est, si reus torturæ subjectus delictum constanter neget, alius, si fateatur.

Si reus delictum constanter neget, dicitur purgâsse indicia contra se extantia, etsi fuerint urgentissima. Farinac. in *pr. cr. tit.* 5. *q.* 40. *n.* 6. Natta *consil.* 202, *n.* 10. ideóque ulteriùs ad torturam revocandus non est, nisi nova indicia, & quidem evidentia, ac prioribus fortiora supervenerint, aut reus corpus, vel animum magica, vel alia arte duraverit. *l.* 18. §. 1. *ff. de Quæst.* Damhoud. *in pr. cr. c.* 38. Clar. *§. fin. q.* 64. *n.* 46. sed carcere liberari, & dimitti debet compensatis litis expensîs. Const. cr. Caroli V. *art.* 61. & præstitâ priùs *Urphedâ*, vernaculâ, geschworne Urphed / ut reus non aliter possit, adversùs Judicem experiri, quàm si priùs à juramento per Magistratum superiorem causâ cognitâ fuerit absolutus. Gail. 1. *obser.* 22. *n.* 1. Berlich, *p.* 2. *concl.* 44. *n.* 1.

Si reus delictum fateatur, ejúsque confessio sit clara, certa, & specifica continens locum, tempus, & alias delicti circumstantias, contra eum sententia ferri, ac condemnari potest. *l.* 26. *C. de Pœnis.* modò tamen post biduum extra locum torturæ confessionem in tortura factam coram Judice, & duobus Assessoribus, annotante actuario ratam habeat. Const. cr. Caroli V. *art.* 56. Quòdsi eam revocet, iteratur tortura. *art.* 57. & si in secunda tortura constanter neget, absolvendus est, sin confiteatur, & postea iterum revocet, tertiùm torquendus est. *d. art.* 58. quòdsi etiam hìc confiteatur, & paulò post neget, extra ordinem puniendus erit. Bocer. *de Quæst. c.* 5. *n.* 39. Carpz. *in pr. cr. p.* 3. *q.* 126. *n.* 50.

PARS III.

De Denuntiationibus.

SUMMARIA.

93. 94. Denuntiatio quid nominis? 95. Quid rei? 96. Quotuplex? 97. Qua ejus origo?

93. Usque 102. Quinam possint, aut debeant denuntiare? 103. Quinam denuntiari? 104. 105. Quæ delicta denuntianda sint?
106. 107. Adduuntur requisita denuntiationis Evangelica. 108. Canonica. 109. Civilis. 110. Nuntiationis finis quis? 111. Et seqq. Quinam effectus?

§. I.

93 *Denuntiatio* nomen verbale est, deductum à verbo *denuntiare*, cujus varias significationes exhibet Sebast. Almers in *Man. jur. V. denuntiatio litis.* Hìc idem est, ac crimen, & authorem criminis Judici deferre, Einen Mißhändler bey der Obrigkeit rügen / id est, angeben.

§. II.

94 *Synonymum* denuntiationis nonnunquam est accusatio: ita enim Gloss. in *c. 2. h. t.* verba illa: *accusatoribus, & accusatus* pro *denuntiatoribus, & denuntiato* accipit, eò quòd ibi de *charitativa monitione* mentio fiat, quæ in sola denuntiatione, quemadmodum inscriptio in accusatione, desideratur juxta *c. 24. ad fin. Eod.*

§. III.

95 *Definitur* denuntiatio, quòd sit criminis, ac criminosi apud superiorem, seu Magistratum sine legitima inscriptione facta delatio. P. Engl. *h. t. n.* 28.

§. IV.

96 *Dividitur* denuntiatio à variis variè: frequentiùs tamen in denuntiationem Evangelicam, Canonicam, & Civilem.

Evangelica est, quando præmissâ admonitione charitativâ, & emendatione non secutâ, Judici Ecclesiastico delictum denuntiatur, non ad vindictam, sed ad spiritualem proximi utilitatem, ad peccati scilicet correctionem, & emendationem. Dicitur autem *Evangelica*, quòd Evangelio originem suam debeat, juxta Matth. *c.* 18. ℣. 15. Luc. 17. ℣. 3. *c. si peccaverit, causâ 2. q. 1. c. novit.* 13. *de Judic.*

Denuntiatio *Canonica* appellatur, quæ ex SS. Canonibus vel certis personis, vel in certis causis specialiter conceditur, fitque non solùm pro correctione privata, & personali denuntiati, sed insuper ad avertendum damnum Ecclesiæ, aliorúmve sive temporale, sive spirituale, aut ad cavendum scandalum, & malum exemplum. Sub hac denuntiatione Canonica comprehenditur etiam illa, quam *regulam* vocant, quæque à Regularibus ad correctionem commissi excessûs secundùm eorundem regulas, & statuta à Sede Apostolica confirmata, expeditur, ut propterea frustra Panormit. in *d. c. novit.* 13. *de Judic. n.* 33. diversam denuntiationis speciem constituat.

Civilis denuntiatio dicitur, quæ à jure Civili inventa est, & fit per ministros publicos ad id constitutos, ut tam delicta publica, quàm etiam privata indirectè in communitatis detrimentum vergentia, v. g. fraudes in mercibus & vectigalibus, Magistratui denuntient, quò is ad talem denuntiationem exactam inquisitionem instituere, & cognita rei veritate nocentes castigare possit. *l. ea quidem. 7. & l. singuli.* 14. *C. h. t.* Cui accensenda est illa, si ex moribus & consuetudine hodie passim recepta alius vir fide dignus delictum Reipub. nocivum Magistratui prodat zelô boni publici, absque eo tamen, quòd se ad probandum inscribere, vel causam judiciaiter prosequi velit; quo casu non secùs, ac minister ex officio ad id designatus denuntiaret, Judex ad inquisitionem procedit.

§. V.

97 *Causa efficiens* denuntiationis est jus aut Divinum, ex quo *Evangelica:* aut Canonicum, ex quo *Canonica;* aut Civile, ex quo *Civilis* denuntiatio descendit, ut ex dictis liquet. Hìc in genere moneo, quemlibet non solum in foro conscientiæ, seu interno, sed etiam externo obligatum esse ad denuntiationem delicti,

ti, ex quo damnum & periculum alii privato, vel etiam Principi, aut Reip. imminet, si illud aliter impedire non possit, cùm scientia hominis malum non avertentis, sed fieri patientis culpa sit per *c.* 4. *de Furt. c.* 47. *de Sent. excom. l.* 1. §. 1. *ff. Si famil. furt. fec. l* 11. §. 17. *ff. de SCto Silan. l.* 5. §. *id quod. C. Ad leg. Jul. Majest.* Molin. *de J. & J. tr.* 3. *disp.* 18. Less. *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 87. neminem verò privatum teneri ad denuntiationem delicti, ex quo in futurum nullum damnum timetur, cùm talis denuntiatio sit instar accusationis, ad quam nemo invitus compelli potest. *l. un. C. Ut nemo invitus ag. vel accus. cog.* Et facit, quòd jure civili licitè quis possit recipere pretium ob propalandum delictum fûris, vel fugitivi, nec in recipiendo turpitudinem committat. *l. idem.* 4. §. 4. *ff. de Condict. ob turp. caus.*

§. VI.

98 *Subjectum* denuntiationis aliud est *activum*, aliud *passivum*.

Activum est denuntians, intellige, qui denuntiare non prohibetur; quandoquidem denuntiatio est ex genere permissorum, proindéque cuivis permissa, cui legibus, statutis, vel consuetudine non est interdicta. arg. *l.* 1. §. 1. *ff. de Testib. l.* 28. §. 2. *ff. Ex quib. caus. major.*

99 Porro denuntiationem *Evangelicam* facere potest omnis, etiam qui juravit, se nolle denuntiare: quia tale juramentum est præjudiciosum, ac illicitum. *c. quemadmodum.* 25. §. *ult. de Jurejur.* etiam mulier, infamis, & criminosus, modò non perseveret in crimine: quia non refert, quis denuntiet, dummodo anima salvetur, arg. *cap. in omni de Testib.* Imò ex opinione quorundam quilibet ad eam ex præcepto obstringitur, eò quòd verba Evangelica apud Matth. *cap.* 18. ℣. 15. & apud Lucam *c.* 17. ℣. 3. sint imperativi modi. Panormit. *in c. novit.* 13. *n.* 34. *de Judic.* Quæ opinio maximè in iis procedit, ad quos ratione officii spectat, ut sunt Curati, Prælati, Patresfamilias, Mariti, Rectores provinciæ. *c. duo ista.* 35. *causâ* 23. *q.* 4. & ibi Gloss. in *V. Episcopo.* Joan. Andr. in *d. c. novit. post n.* 6. Planè si ipsemet denuntians in crimine obstinatus sit, denuntiatus eum objectione criminis repellere potest, etiamsi suam injuriam persequatur: non enim censetur moveri bonô zelô ad correctionem alterius, qui non est correctus. *c. cùm dilectus.* 20. *h.t.* Panormit. in *d. c. novit. n.* 40. Gloss. in *c.* 19. *causâ* 2. *q.* 1.

Denuntiationem *Canonicam* facere possunt 100
ii, quibus id speciali Canone concessum est. Sic Clerici Episcopum; Monachi Abbatem, Patronus, & Parochiani Parochum, seu beneficiatum denuntiare possunt, ex quo ipsorum interest, bonum pastorem habere per *c.* 2. *& 3. h.t.* Patroni filiis, vel nepotibus, & honestioribus propinquis datur facultas denuntiandi ministros Ecclesiæ, si aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare. *c. filiis. c.* 31. *causâ* 16. *q.* 7. Similiter in causis matrimonialibus, ubi de matrimonio propter impedimentum dirimens impediendo, vel dissolvendo agitur, cuivis permissum est, tale impedimentum denuntiare. *cap. ad dissolvendum.* 13. *de Despons. impub. c. fin. de Cland. despons.* Et universim de jure Decretorum in *c.* 47. *causâ* 2. *q.* 7. Clericis conceditur, & quasi præcipitur, ut Diaconum, Sacerdotem, vel Episcopum denuntient, si manifestè excedat contra statuta, & præcepta Canonum, non solùm in ordine ad emendationem, ut plures autumant, sed etiam, ut *transgressionis ultio fiat, & cæteris interdictio delinquendi* juxta verba *ejusd. c.* 47.

Ad *denuntiationem civilem* admittuntur 101
omnes, & soli, qui ad accusationem: nam valet argumentum ab accusatione ad denuntiationem civilem tam affirmativè, quàm negativè, cùm hæc vice accusationis sit. Bartol.

in *l. Divus. n. 3. ff. de Custod. reor.* Salicet. ad *l. 7. n. 11. C. h. t.* Sicut autem olim apud Romanos denuntiationes de delictis saltem notoriis fiebant per Officiales specialiter ad hoc deputatos, quos *Hirenarchas* appellabant. *l. ult. §. 7. ff. de Muneribus.* ita hodie multis in tribunalibus usitatū est, ut denuntiationes fiant per *Fiscales*, ut vocant, seu per *Procuratores*, aut *Promotores fisci*, Amts-Kläger/ qui vices quodammodo accusatorum sustinent, & necessitate officii, & juramento adstricti commissa crimina nomine fisci in judicium deducunt, petúntque justitiam administrari. Clar. *lib. 5. sent. §. fin. q. 7. n. 11.* Et solent etiam dicti fiscales quandoque habere clandestinos suos emissarios Kundschaffter/ qui crimina explorare, ad eos referre, & in judicio probare debeant. Vid. Diaz. in *Proc. Can. c. 6.* Præterea in Suevia, Franconia, & passim in Germania singulis annis instituuntur Ruggericht/ quæ sunt conventiones singulares subditorum cujuslibet pagi, in quibus singuli ex populo sub juramento tenetur revelare, quidquid Domino, vel Reipublicæ nocivum sciunt à quopiam perpetratum esse. Wehner. in *Obs. pract. V.* Rugen.

102 Frequens in praxi *quæstio* est: ánne socius criminis ad denuntiandū socium admitti possit, ejúsque denuntiatio attendenda sit?

Ita videbitur: tum quia Imperator Constantinus in *l. 1. C. de Fals. monet.* rescripsit, falsos monetarios ab omnibus esse inquirendos, ut investigati tradantur Judici, facti conscios per tormenta illicò proditurí: tum quia in *l 6. ff. de Custod. reor.* Marcianus ait: caput mandatorum existit, quô Divus Pius, cùm Provinciæ Asiæ præerat, sub edicto proposuit, ut Hirenarchæ, cùm apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis & receptatoribus. Quid autem prodesset Judicis interrogatio, si denominatio socium non gravaret? Concinunt *l. 17. ff. de SCto Silanian. l. 29. ff. de Pœnis. l. ult. C. de Malef. & math.* Constit. crim. Caroli V. *art. 31.* Clar. *in d. §. fin. q. 21.* ubi disertè asserit: dictum socii criminis facere indicium contra eum, qui pro socio nominatus est.

Negativam apprimè commendat textus in *c. 3. causa 3. q. 11.* qui ita disserit: *non enim est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se prius probaverint innocentes: quia periculosa est, & admitti non debet rei adversùs quemcunque professio.* Cui accedunt textus notabiles in *c. 1. de Confess. l. ult. C. h. t. l. 16. §. 1. ff. de Quæst. l. 11. C. de Testib.* Rationem suppeditat suspicio, ne reus denuntiet socium, ut vel ob dignitatem adjuncti consequatur impunitatem sceleris, vel si hostis denuntiati sit, ut ejus supplicio in ipsa supremorum suorum sorte satietur. Unde inferunt nonnulli, ejusmodi denuntiationem ne quidem ad inquisitionem indicium facere, etsi in eadem denuntians usque ad mortem perseveravit, cùm juxta vulgarem regulam ex *l. 3. §. 1. ff. de SCto Silan.* desumptam, moribundi inculpatio non noceat, ejus tamen excusatio multùm prosit.

Utramque paginam in hac *controversia* facit Constit. crim. Caroli V. *art. 31.* quæ denuntiationem socii simpliciter non admittit, nisi quinque observentur. *Primum* est, ut denuntiatio facta sit ad generalem Judicis interrogationem in ipsa tortura. Hinc nulla est, si quis sponte nominet alium, non interrogatus: vel si interrogatio speciatim, puta de Titio, vel Cajo, proposita sit, ut quæ interrogatio speciem suggestionis habet. *Secundum*, ut Judex denuntiantem interroget de omnibus circumstantiis: *an, quando, ubi, quomodo* auxilium præstitum sit? *Tertium*, ut Judex diligenter exploret, num denuntians, seu nominans cum nominato graves simultates, vel inimicitias foverit, nec ne? & in illo casu nihil pla-

planè fidei denuntianti tribuat. *Quartum*, ut nominatus talis sit persona, in quam delicti, quod in denuntiatione continetur, suspicio cadere queat. *Quintum*, ut reus in illa nominatione, seu denuntiatione constanter perseveret, eámque non revocet, nec vacillet in ea. His igitur requisitis copulativè concurrentibûs denuntiatio socii facit contra nominatum indicium proximum ad torturam; secùs si vel unum defecerit, tanquam illegitima effectum quæstionis non habet. d. Constit. cr. *art.* 31. *& ibi* Christoph. Blumlacher, Clasenius, & alii. Utrum inquisitionis? Negat Boss. *tr. caus. cr. tit. de Judic. n.* 182. Affirmat Menoch. *de arbitr. Judic. cent.* 5. *lib.* 2. *casu* 474. saltem si aliud etiam leve indicium hanc denuntiationem adjuvaret. Tu vide, quæ tradidi in *lib.* 2. *ad tit. de Testib. n.* 27.

Argumenta tum pro affirmativa, tum pro negativa adducta non moror, siquidem legaliter accipienda sunt, illa de denuntiatione socii legitimè facta: ista de denuntiatione illegitima.

103 *Subjectum passivum* denuntiationis quod attinet, denuntiatio *Canonica* contra certas solùm personas, vel in certis causis: *Civilis* contra personas accusari non prohibitas: *Evangelica* verò contra quoscunque fideles in crimine obstinatos competit, ne cui libera præbeatur facultas peccandi propter impunitatem. *c. quemadmodum.* 25. *§. fin. ℣. scriptura. de Jurejur.* Nec dignitas excusat: nam & Reges, & supremos Principes per viam hujus denuntiationis ratione peccati, perjurii, aut fœderis violati, coram S. Pontifice conveniri posse, textus luculentus est in *c. novit.* 13. *de Judiciis.*

§. VII.

104 *Materia*, seu *objectum* denuntiationis est delictum, non solùm *notorium*, aut *famosum*, sed etiam *occultum*, modò *probari* possit, arg. *c. præcipuè.* 3. *in fin. & ibi* Gloss. *causâ* 11. *q.* 3. *c. si tantum.* 2. *& seq. causâ* 6. *q.* 2. Quod ut distinctiùs intelligas,

Dico I. Delictum *notorium*, hoc est, quod in præsentia multorum perpetratum est, statim denuntiari posse, nulla etiam præmissa monitione, aut correctione juxta illud Apostoli 1. *ad Tim.* 5. ℣. 20. *peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Ratio est: quia qui in publico peccat, eô ipsô juribus secreti renuntiat: neque spes allucet, eum correctum iri per monitionem secretam, cùm præsentiam hominum, & leges monentes contempserit. *c. sed illud.* 17. *dist.* 45. Panor. in *d. c. novit.* 13. *n.* 42. *de Judiciis.*

Dico II. Necessum non esse, ut infamia delicti denuntiationem præcedat, arg. *c.* 21. *&* 24. *h. t.* Ratio est: quia in via inquisitionis infamia, aut indicia prærequiruntur, ut suppleant vicem accusatoris, sine quo nemo damnandus est. *d. c.* 24. *h. t. c. si quis.* 31. *causâ* 23. *q.* 4. *l.* 6. *§.* 2. *ff. de Munerib.* atque in casu denuntiationis vices accusatoris denuntiator sustinet, quamvis totum onus probandi in se non suscipiat, quemadmodum accusator. Et sanè alioquin quàm plurimi cum ingenti perturbatione Reip. audaciores redderentur ad delinquendum, si scirent, posse se impunè peccare, quamdiu delicta non sunt publica, aut delata per accusationem, quantumvis de cætero judicialiter probari possint.

Dico III. Non esse denuntiandum delictum, quod est omninò occultum, & non nisi uni præter committentem notum *c. hoc autem.* 8. *causâ* 22. *q.* 5. Ratio est: quia non potest esse judicium de delicto sine sufficienti probatione, consequenter cùm hæc circa ejusmodi occultum delictum impossibilis sit, cessat denuntiatio, quæ ad judicium ordinatur. Hinc qui in inquisitione generali interrogantur etiam sub præstito juramento dicendi veritatem, delicta merè occulta, eorúmve authores revelare non debent. *c.* 17. *h. t.* D. Th. 2. 2. *q.* 69. *a.* 2. &

ibi Cajetan. Id quod multò magis procedit circa delicta, quæ sub fide silentii credita sunt. Nec interest, simplicî pactô, an sub jurisjurandi religione silentium sit promissum, an verò nihil de hoc dictum, promissúmque fuerit, descendit enim obligatio servandi secretum, nec illud manifestandi ex ipso jure naturali. Quapropter prodens arcana cum proximi famæ læsione contra justitiam peccat, licèt nulla intervenerit obligatio de illo non prodendo. Sunt tamen aliqui casus, ubi etiam ea, quæ sub silentii fide sunt concredita, manifestari possunt, imò debent, veluti illa, à quibus Reip. vel privato cuidam periculum, atque interitus imminet, & reus omni adhibitâ diligentiâ se non patitur dimoveri. S. Th. 2. 2. q. 70. *art.* 1. *ad* 2. Fragos. *de Reg. reip. Christ. p.* 1. *lib.* 5. *disp.* 13. *n.* 45.

105 *Dico* IV. Quemlibet conscium teneri ad denuntianda crimina atrocissima. Itaque sciens aliquem contra Principem suum conspirâsse, eum detegere debet. *l. quisquis.* 5. *§. id quod* 6. *C. Ad leg. Jul. Majest.* perinde ac filius, qui conscius de conspiratione in patrem facta, eam revelare cogitur, nisi pro parricida haberi velit. *l, utrùm.* 6. *ff. Ad l. Pomp. de parricid.* Quòdsi hoc negligat, pro modo negligentiæ, & delicti puniendus venit, arg. *l.* 2. *ff. Eod.* idque rationem justitiæ dictare, dicit Fachin. *lib.* 9. *Controv. c.* 26. Quamvis aliàs extra jus varia extent exempla, ubi pari pœna puniti sunt tacens tantùm, & delinquens principalis; ut factum rebellis Henrici Effiati Marescalli, & Francisci Augusti Thuani tacentis comprobat, de quibus Poëta:

Morte pari cecidêre duo, sed dispare causa,
Est reus ille loquens, est reus iste tacens.
Morte pari periêre duo, sed perdidit illum
Fracta fides, alium perdidit arcta fides.

Aliquando tamen tacens ab omni pœna excusatur, si nempe criminis commissi revelationem ob defectum probationum omittit, ne se, suámque famam in periculum conjiciat, arg. *l. fin. C. h. t. & l.* 8. *C. de Calumniat.* Natta *consil.* 629. *lib.* 3. Quod & in foro conscientiæ procedere D. Th. *quodl.* 1. *art.* 16. & Scholastici omnes asserunt.

§. VIII.

Forma denuntiationis alia est denuntiatio- 106
nis Evangelicæ, alia Canonicæ, & alia Civilis.

Forma denuntiationis *Evangelica* traditur Matth. 18. *v.* 15. 16. & 17 his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos testes, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum; quòdsi non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ex quibus patet, quòd denuntiationem (quæ fit *Ecclesiæ*, id est, Prælato, seu Superiori Ecclesiastico, & denuntiationis Evangelicæ nomine insignitur) duæ monitiones charitativæ præcedere debeant: *prima*, quâ quis *fratrem*, id est, Christianum solus privatim arguat, moneátque: *alterâ*, quâ eundem admoneat adhibito teste vel unico, vel duobus. Atque hic ordo denuntiationis observandus est in delictis occultis, non etiam in publicis, quæ statim Superiori denuntiari possunt, & publicè per eum corrigi, ut paulò ante *n.* 104. indicavimus.

In *disquisitionem* venit: num prædicta bina 107
monitio privata ita sit de substantia denuntiationis Evangelicæ, ut nullo prorsus casu omitti possit?

Quod nego: nam *imprimis* si ex circumstantiis appareat, ejusmodi admonitionem privatam nihil profuturam, meritò omittitur, & absque illa delictum simpliciter Judici denuntiatur: cùm enim tunc finis admonitionis charitativæ cesset, cessabit quoque obligatio admonitionis. *Secundò*: si talis admonitio videatur cedere in notabile periculum, &

de-

detrimentum denuntiantis, ut si timeatur gravis offensio personæ denuntiatæ, quæ aliàs plurimùm prodesse, aut obesse potest: siquidem lex charitatis neminem obligat, ut se gravis mali periculo exponat, quò parcat famæ alterius. P. Engl. *h. t. n.* 29.

108 *Forma* denuntiationis *Canonicæ* in eo cum forma denuntiationis Evangelicæ convenit, quòd etiam binam, aut trinam admonitionem charitativam præexigat, neque aliàs à Judice Ecclesiastico admittatur. *c. accusatio. §. hæc & alia. c. quapropter. causâ 2. q. 7. c. 2. 20. & 24. h. t.* nisi agatur de revelandis impedimentis matrimonii, veluti consanguinitate, affinitate &c. ubi nullam monitionem prærequiri, colligitur ex *c. ad dissolvendum. 13. de Despons. impub.* In eo verò denuntiatio Canonica ab Evangelica differt, quòd magis publica sit, & non tantùm pertineat ad conservationem animæ hominis, sed & boni publici Ecclesiastici, quod in recta gubernatione & administratione Sacramentorum, laudabili etiam conversatione, ac vita secundùm SS. Canonum regulas instituenda consistit.

109 *Forma* denuntiationis *Civilis* fermè coincidit cum forma accusationis, in cujus locum successit. Quamobrem *primò* requiritur, ut scripta sit, vel manu denuntiantis, vel actuarii, aut Notarii judicii, cui denuntians causam narrat, quique illam ipso dictante in actis notat. Clar. *lib. 5. sent. §. fin. q. 7. n.* 11. *Secundò*, ut exprimatur nomen denuntiantis, ne quis audacter calumniari possit, & detectâ calumniâ quoad condemnationem expensarum impunis evadat. Bosf. *pr. cr. tit. de denunt. n.* 18. *Tertiò* nomen denuntiati, sive delinquentis proprium, vel alia signa æquipollentia, quæ illum demonstrent, quia talis demonstratio vice nominis fungitur. *l. 6. ff. de Reb. cred. Quartò* ipsum delictum, quod denuntiatur, cum omnibus circumstantiis loci, ac temporis, arg. *l. 3. ff. h. t.* Sola inscriptio ad pœnam talionis necessaria non est. Marant. *de ord. jud. tit. de denunt. n.* 1. *&* 2. De cætero ut accusatio, ita & hæc denuntiatio expeditur nullâ monitione præmissâ. *c.* 16. *h. tit.* Panormit. in *c. novit. n.* 48. *de Judic.* Scacc. 1. *de Judic. c.* 55. *n.* 2. Nec obstant textus juris Canonici, qui generaliter præviam monitionem ad processum denuntiationis desiderant: intelligendi enim sunt de denuntiatione Evangelica, & Canonica.

§. IX.

110 *Finis* denuntiationis tum Evangelicæ, tum Canonicæ est resipiscentia delinquentis; Civilis verò vindicta publica.

§. X.

111 *Effectus* denuntiationis diversus & varius est, prout diversa, ac varia denuntiatio.

Effectus denuntiationis *Evangelicæ* est delinquentis correctio, & aliquando rei debitæ restitutio; ad quam, si delinquens sponte illam præstare nolit, censurâ Ecclesiasticâ, nempe excommunicatione, imò etiam immissione in possessionem bonorum compelli potest. Bald. in *auth. ad hæc. C. de Usur. num.* 1. Felin. in *c. novit. de Judic.* Marant. *cit. tit. de denunt. n.* 5. ubi *n.* 6. rectè advertit, usum hujus denuntiationis esse in casibus, quibus aliàs læsus in foro sæculari aut propter deficientiam actionis, aut iniquitatem sententiæ, quæ transiit in rem judicatam, aut alia obstacula non auditur, nec tamen proximus à peccato excusatur, cujus judicium ad Ecclesiam pertinet juxta *d. c. novit.* 13. *de Judiciis.*

112 *Effectus* denuntiationis *Canonica* similiter est delinquentis emendatio, quin etiam punitio: si enim correctionem contempserit, districtione Ecclesiasticâ coërcetur, ab exercitio SS. Ordinum suspenditur, ab officio removetur &c. per *c. quapropter. 47. causâ 2. q. 7.*

113 *Effectus* denuntiationis *civilis* spectat vel Judicem, vel denuntiatorem. *Judici* aperit viam

viam ad specialem inquisitionem contra denuntiatum, quemadmodum diffamatio, & querela. Carpz. in *pr. cr. p.* 3. *q.* 108. *n.* 54. Scacc. 1. *Jud. c.* 71. *n.* 3. quam inquisitionem si Judex omiserit, litem suam facit, & de syndicatu tenetur. Brunn. in *Pr. inquisit. c.* 1. *n.* 10. *&* 11. amittitque jurisdictionem criminalem, seu merũ imperium. Gail. 1. *obs.* 28. *num.* 1. *Denuntiatorem* hæc denuntiatio adstringit, ut testes nominet, probationes quas habet, Judici suggerat, & ea, quæ de crimine novit, ostendat, non verò ut absolutè probet, non obstante *l.* 6. §. 3. *ff. Ad SCtum Turpill.* ex qua Clar. *§. fin. q.* 7. *n.* 10. arguit, jure scripto onus probandi Denuntiatori incumbere: cùm textus ille nihil dicat de probatione, sed hoc duntaxat, quòd *notoriis suis*, id est, argumentis Magistratui in inquisitione assistere cogatur. Wesenb. *ad SCtum Turpill. n.* 9.

114 De eo *altercari* D.D. video: ánne denuntiator in causa denuntiata testis esse valeat?

In affirmativam propendet Less. *lib.* 2. *de J. & J. c.* 30 *dubiô* 4. cui favet textus in *c. praterea.* 7. *de Testib. cog.* ubi perspicuè cavetur, synodales, qui re ipsa sunt denuntiatores, ex officio per Synodum constituti, in testimonium assumptos fidem facere. Nav. in *Sum. c.* 25 *n.* 33. eum admittit, si alis testes desint, & Judex procedat per viam inquisitionis, arg. *c. in omni.* 4. *de Testib.* Mascard. *de Prob. concl.* 507. *n.* 12. restringit ad denuntiationem Evangelicam, eò quòd apud Matth. *c.* 18. *v.* 16. denuntiator inter testes connumeretur.

Ego veriorem illam sententiam existimo, quæ sustinet, denuntiatorem posse esse testem in causis levioribus, vel ubi agitur de peccato impediendo, non item in causis gravioribus, optima ratione: quia denuntiator, postquam semel denuntiavit, magnam censetur habere affectionem ad causam, cùm, si calumniatus fuerit, puniri possit: consequenter non est testis omni exceptione major, & in causa gravi præter eum saltem duo alii testes ad plenam probationem faciendam desiderantur. At verò ista ratio cessat in causis levioribus, aut ubi agitur de vitando peccato: partim quia ibi non creditur esse tanta affectio denuntiatoris, partim quia etiam probationes leviores sufficiunt. Vid. Layman in *Theol. moral. lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 3. Panormit. in *cap. praterea, n.* 7. *&* 8. *de Testib. cog.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIA.

1. Calumniæ homonymia. 2. Definitio. 3. Prohibitio.

4. 5. A quibus? 6. Adversùs quos? 7. Circa quæ? 8. 9. Quo modo? 10. Ob quem finem committatur calumnia?

11. 12. Quæ pœnæ in calumniatores constitutæ sint?

HOc titulo *calumnia* constituitur, utique ideo: quia sæpiusculè in accusationibus, & denuntionibus admittitur.

§ I.

Calumnia in genere significat quamlibet 1
fraudulentam informationem, cavillationem, frustrationem, perversam juris interpretationem, & omnem ingenii malitiam. Lauterb. *ad ff. h. t. §.* 2. In præsenti pro falsa criminis impactione sumitur, &

§. II.

Definitur calumnia, quòd sit delictum, quo 2
quis falsum crimen scienter, & dolosè alicui in judicio intendit. Colligitur ex *l.* 1. *§.* 1. *ff. ad SCtum Turpill.*

§. III.

Causa efficiens calumniæ est vel remota; 3
vel proxima.

Remo-

Remota est jus, quà naturale, quà positivum. Naturale: quia calumnia est intrinsecè mala, atque ideo prohibita. Positivum: quia tam Jus Canonicum, quàm Civile diversas pœnas in calumniatores constituit.

Proxima est calumniator, id est, omnis ille, qui sciens dolo malo falsum crimen in judicio obtrudit. *d. l.* 1. §. 1. Quare calumniæ causâ puniuntur non solùm accusator, aut denuntiator, sed etiam ii, qui in fraudem alicujus librum, vel testimonium, aliúdve conquisisse, scripsisse, vel in judicium protulisse dicuntur. *l.* 6. §. *fin. ff. Eod.*

Difficultate non caret, ánne calumniator censeri debeat, qui crimen de altero allegatum in judicio probare non potest?

Affirmativam sustinent Panor. in *c.* 2. *n.* 5. *h. t.* Mascard. *de Prob. concl.* 253. *n.* 1. Jul. Clar. *l.* 5. *sent.* §. *fin. q.* 62. *n.* 6. & plerique alii: tum propter *c.* 3. *causâ* 2. *q.* 3. ubi Hadrianus Pontifex: *qui non probaverit*, inquit, *pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.* tum propter *c.* 2. *h. t.* ubi Clericus denuntians crimina sui Episcopi, atque in probatione deficiens ab officio, & beneficio suspenditur.

Verùm communissimæ huic opinioni vehementer obloquitur. *d. l.* 1. §. 3. *ff. ad SCtum Turpill.* ubi Martianus: *sed non utique*, ait, *qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur: nam ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur: qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationem processit, Et siquidem justum ejus errorem reperit, absolvit eum, si verò in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat.* Quo textu expenso mihi sanè persuasissimum est, quòd si malitia aliunde ex circumstantiis non reluceat, ex præciso, ac solo defectu probationum calumnia præsumi, & consequenter ordinariâ pœnâ coërceri nequeat, sed si inde forsan remota aliqua præsumptio, seu suspicio oriatur, ea purgari possit mediante saltem juramento. Accedit, quòd delicta præsertim tam gravia sine specialibus indiciis facilè non præsumenda, minùs punienda sint.

Neque in contrarium me movet *c.* 3. *causâ* 2. *q.* 3. siquidem textus recitatus, quamvis effusè, ac generaliter conceptus sit, temperandus est ex *cit. l.* 1. §. 3. & intelligendus de casu, quo ex aliis circumstantiis saltem præsumptivè apparet, aliquam intervenisse malitiam. Eadem ratione cum jure Civili conciliari potest *c.* 2. *h. t.* velut generaliter loquens; præterquam quòd non agat de pœna ordinaria calumniæ, sed de pœna duntaxat extraordinaria, & quidem respectu Clericorum subditorum, ut cæteri simili pœna perterriti ad infamiam suorum facilè non prosiliant Prælatorum. Quò ipsò satis innuit, ex solo, & nudo defectu probationis calumniam non præsumi.

§. IV.

Subjectum calumniæ est, qui calumniosè impetitur, atque calumniam patitur. Ubi non immeritò *quæritur*: an volens quoque calumniam pati possit? 6

Dixeris non posse: quandoquidem decantatissima regula est: *scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus. c.* 27. *de R. J. in* 6. *l.* 145. *ff. Eod.* Cujus ratio est: quia injuria, & injustitia non fit ei, cujus jus non læditur, & similiter dolus nonnisi in eum admittitur, qui ex facto alterius circumvenitur, decipitur, & damnificatur. Is autem, qui scit, & consentit, non patitur læsionem juris, cùm sciendo, & consentiendo jus suum remittat non etiam decipitur, aut circumvenitur, cùm deceptio supponat errorem, vel ignorantiam: neque damnum sentire creditur, quod ex propria ejus voluntate accidit. Vid. S. Th. 2. 2. *q.* 59. *art.* 3.

Ego referre existimem, utrùm in potestate patientis sit calumniam sustinere, nec ne? Sin id in potestate ejus sit, & sciens volens passus fuerit, nulla injuria, nulla calumnia est; ut si quis patiatur malitiosum adversarium in causa pecuniaria vincere. Si minùs, contrà respondendum; ut si calumniosè delatus pati velit, se insontem condemnari judiciô ad sustinendam pœnam capitis, vel mutilationem membri, cùm nemo sit dominus membrorum suorum. *l.* 13. *pr. ff. Ad leg. Aquil.* Quapropter Judex, qui ex officio de innocentia rei inquirere tenetur. *l.* 19. *ff. de Pœnis.* veritate innocentiæ compertâ, licèt reus se nocentem confessus sit, accusatorem de calumnia condemnabit, arg. *l.* 9. *C. h. t.*

Unde sensus *regulæ* oppositæ est: volenti & jure suo cedere valenti injuriam non fieri. Si alio sensu regulam usurpas, falleris: enimverò si Clericum cum injuria percutis, in excommunicationem canonis incurris, esto is in percussionem consentiat. *c. contingit.* 36. *de Sentent. excomm.* & haud dubiè marito injuriam irrogas, ac adulterium perpetras, etsi de ejus consensu uxorem vities. Clariss. P. Paulus Mezger in *Theolog. Sbol. tom.* 3. *tr.* II. *disp.* 23. *a.* 3. *n.* 3. *&* 4.

§. V.

7 *Materia*, seu *objectum* calumniæ est crimen, quod malitiosè, & falsè alicui in judicio imponitur. *l.* 1. §. 1. *ff. ad SCtum Turpill.* ibi: *calumniari est falsa crimina intendere.*

§. VI.

8 *Forma* calumniæ stat in dolosa & malitiosa impactione falsi criminis. Semper igitur dolus requiritur, ut calumnia facta dicatur. *c.* 1. *h. tit. l.* 9. *C. Eod. l.* 6. *§. fin. ff. ad SCtum Turpill.* Dolus autem ex defectu probationum saltem aliis indiciis concurrentibus præsumitur, nisi justa causa diversum suadeat statuere. *l.* 3. *C. h. t.*

9 *Porro* quænam causa justa ac sufficiens sit ad hoc, ut à præsumpta calumnia excuset, generali regula comprehendi non potest, sed judicis arbitrio relinquendum est juxta *l.* 1. §. 3. *ff. Ad SCtum Turpill.* In specie causa sufficiens reputatur *primò* necessitas juris in hærede vindicante mortem defuncti. *l.* 2. *C. h. t. Secundò* necessitas officii in tutore. *l.* 2. *C. de his, qui accus.* sicut & in Fiscali, seu procuratore fisci. *l.* 2. *C. de Delatorib.* Gail. 1. *observ.* 90. *Tertiò* infirmitas sexûs in muliere. *l.* 1. §. 10. *ff. Ad SCtum Turpill. Quartò* dolor immensus in marito uxorem adulterii postulante. *l. quamvis.* 30. *C. Ad leg. Jul. de adult.* & in patre necem filii vindicante. *l.* 2. *C. h. t.* Idémque universaliter obtinere, quoties aliquis honoris defendendi causâ reum defert, docet Mascard. *de Prob. concl.* 253. *d. l.* 2. *C. h. t.* Clarus *§. fin. q.* 62. *n.* 8. *Quintò* fama publica de authore delicti. Bartol. in *l. cùm quidam.. §. quod dicitur. n.* 3. *ff. de acquir. hæred. Sextò* depositio unius testis idonei, vel alia semiplena probatio. Farinac *lib.* 1. *q.* 16. *n.* 46. *Septimò* si deferens probet, se à viris fide dignis accepisse; vel si testes aliqui deferenti promiserint, se testimonium daturos, qui tamen postea se subtraxerunt, aut vacillârunt. Panormit. & Bartol. in *c.* 2. *h. t.* Planè quod aliqui dicunt, etiam injustam causam præsumptionem doli removere per *l.* 42. *§.* 3. *ff. de Leberal. caus. l.* 46. *§.* 7. *ff. de Furtis* ea regula in proposito non procedit, ut argumentô à sensu contrario ex *l.* 3. *C. h. t.* rectè deducit Baldus.

§. VII.

Finis calumniæ est vel lucrum, quod quærit calumniator, vel saltem vindictæ commodum: etenim nonnullis juxta Satyr. est *vindicta bonum vita jucundius ipsâ.*

§. VIII.

Effectus calumniæ spectatur in remediis, actis pœnis, quibus compescitur. Et verò

I. Calumniator Reo condemnatur in expen-

pensas litis per *l. 79. ff. de Judic. l. 13. §. 6. C. Eod. l. 3. C. De his, qui accus.* idque æquitas ipsa efflagitat, quæ jubet, ut is repenset damnum, qui ejus injusta causa fuit. Hinc Carolus V. Imperator in Constit. crim. *art.* 12. jubet, ut accusator idoneam cautionem præstet, quòd delicto non probato impensas, & damna accusato velit refundere, ac de injuria satisfacere; præterea accusati arbitrio reliquit, convenire accusatorem vel coram judice suo ordinario, vel coram eo, apud quem criminaliter fuit accusatus.

II. Calumniator incurrit Infamiam. *l. 1. l. 4. §. 5. ff. de his, qui not. infam. l. 8. C. h. tit.* non tamen ipso jure, sed primùm, ubi convictus fuerit per sententiam. *d. l. 4. §. 5. ff. de his qui not. infam.* atque ideo verba judicis pronuntiantis diligenter attendenda sunt: nam si ita pronuntiaverit Judex: *calumniatus es*, intelligitur eum notâsse; quòdsi dixerit: *non probasti*, pepercit ei. *l. 1. §. quorum 4. ff. ad Sctum Turpill.*

III. Calumniator talionem patitur, id est, illud supplicium, quo delatus probato crimine affectus fuisset. *l. 7. & fin. C. h. tit.* Quòdsi eâdem pœnâ puniri nequeat, alia, & æquè gravis infligitur per *c. 1. h. tit.* ubi Sub-Diaconus, qui Diaconum falsò alicujus criminis accusaverat, quo probato Ordine sacro exuendus esset, Sub-Diaconatu privatur, & publicè verberibus castigatus in exilium mittitur. Hodie pœna talionis extra usum est, & arbitraria successit, prout præjudiciis confirmat Carpz. *Pr. crim. p. 3. q. 106. n. 43.*

12 *Variant* autem DD quousque hodie in puniendis calumniatoribus Judex procedere possit?

Non pauci sustinent, Judicem etiam ad pœnam ultimi supplicii procedere posse. Et quidem in specie, si quis directè ad eum finem innocentem accusat, ut decapitetur, non evasurum pœnam decapitationis, docet Julius Clar. *§. fin q. 81. num. 3.* & ita nonnunquam practicatum fuisse refert Bald. in *l. 2. n. 4. C. De his, qui latron.* Alii tunc pœnam capitalem in calumniatorem decernunt, si Judicem, ac ipsum Magistratum de capitali, & gravissimo crimine accuset, vel si propter falsam accusationem etiam falsa instrumenta conficiat, testésve subornatos producat. Farinac. *lib. 1. quæst. 16. n. 6. & 7.* cum aliis citatis. Verùm ut mitior, ita verior sententia est, calumniatorem nunquam ultimo supplicio addicendum, nisi ad ipsius calumniam alius re ipsâ condemnatus, & pœnâ mortis affectus sit: siquidem statuta, & consuetudines pœnam calumniæ non determinant, sed arbitrio judicis committunt, consequenter Judex ex gravitate, vel similitudine hujus delicti cum aliis, quæ pœnam in jure definitam habent, pœnam calumniæ metiri debet, cùm igitur intentio hominem occidendi etiam privata authoritate non puniatur pœnâ capitali, nisi effectus & mors re ipsâ consequatur, minùs pœnæ ejusmodi locus erit ob accusationem calumniosam, utpote quæ tam periculosa non est, cùm accusato defensio integra sit. Interim pro qualitate circumstantiarum calumniatorem deportari, ad triremes condemnari, aut publicæ infamiæ subjici posse, censeo cum Farinac. *l. cit. n. 5.*

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

SUMMARIA.

1. Unde nomen simoniæ? 2. Quæ synonyma? 3. Quid sit? 4. 5. Quotuplex? 6. 7. 8. Quo jure sit prohibita?

9. Quinam simoniam committant? 10. Usque 15. Quanam res spirituales, vel spiritualibus annexa sint materia simoniæ? 16. Quale & quotuplex sit pretium?

17. 18. 19. Simonia quo pacto? 20. Ob quem finem committatur?
21. Usque. 27. Recenſentur pœnæ ſimoniæ mentalis, conventionalis, realis, & confidentialis.
28. 29. Definitur crimen ambitûs, & repetundarum.

CRimina ipſa vel *primam*, vel *ſecundam* Decalogi tabulam infringunt. Inter illa gravitate præcellit *ſimonia*, & criminibus exceptis connumeratur in *c. 7. h. t.*

§. I.

1 *Simonia* hoc ſibi nominis ſortita eſt à Simone Mago, qui putavit, dona Spiritûs Sancti auro emi, ac divendi poſſe, & propterea à S. Petro audivit *Act. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimâſti pecunia poſſideri poſſe.*

§. II.

2 *Synonyma* ſimoniæ appellationes vix inveniuntur. Nonnunquam tamen dicitur rabies ſimonica. *c. 3. h. t.* lepra. *c. 14. & 16. cauſ. 1. q. 1.* labes, ac peſtis. *c. 6. 7. & 23. h. t.* peculiare flagitium. *c. 1. cauſ. 1. q. 3.* hæreſis. *c. 5. h. t. c. 3. 4. & paſſim causâ. 1. q. 1.* item idololatria. *d. c. 16. & 20. cauſ. 1. q. 1.*

§. III.

3 *Definitur* ſimonia, quòd ſit ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Gloſſ. communiter recepta in *pr. cauſ. 1. q. 1. V. quidam.*

§. IV.

4 *Dividitur* ſimonia in mentalem, conventionalem, & realem.

Simonia *mentalis* dicitur, non quæ in ſola mente ſeu interno propoſito ſimoniam committendi conſiſtit, talis namque rectiùs diceretur ſimonia interna, ſed qua res ſpiritualis in compenſationem rei temporalis, aut hæc tanquam ex obligatione propter rem ſpiritualem acceptam datur, quin præceſſerit aliqua pactio, aut conventio externa; ut ſi Epiſcopus conferat beneficium pro re temporali acpta quaſi debitum: vel ſi quis Epiſcopo ſerviat, ut ab eo accipiat beneficium, aut ſibi collatum compenſet.

Conventionalis mentali ſuperaddit externam conventionem, ſeu pactum, citra tamen executionem ex utraque parte. Et hæc duplex eſt: una quæ eſt merè conventionalis, ex quo ſiſtit in terminis ſolius pacti ac conventionis, nullâ ſubſecutâ traditione, nec rei ſpiritualis, nec temporalis. Altera eſt mixta ex reali & conventionali, quando ſcilicet conventio facta ex parte unius duntaxat completa eſt, v. g. ſi beneficium, pro quo pecunia promiſſa eſt actu quidem eſt collatum, ſed pretium nondum numeratum; vel econtra ſi pretium ſit ſolutum, ſed res ſpiritualis necdum tradita.

Realis ſimonia contingit, quando ultra conventionem de dando accedit executio, & traditio ipſius rei, idque ex parte utriusque tam dantis, quàm accipientis; ut ſi quis beneficium jam accepit, & pro eo ſolvit promiſſos centum aureos, vel ſaltem partem.

Ad conventionalem ſimoniam referri poteſt ſpecies illa, quam vocant *confidentialem*, ſeu *confidentiæ*, quæ committitur ab illis, qui beneficium Eccleſiaſticum ſimplex, aut curatum, regulare, aut ſæculare alicui procurant eligendo, præſentando, inſtituendo, confirmando, vel reſignando cum certa *confidentia*, id eſt, expreſſo, vel tacito pacto, ut is, cui procuratur, elapſo aliquo tempore ipſimet cedenti, procuranti, vel conferenti, aut ejus cognato, vel alii reſignet, aut penſionem vel fructus inde præſtet. De hac ſpecie ſimoniæ extat Conſtitutio Pii IV. de An. 1564. & duplex Pii V. de Anno 1568. & 1569.

§. V.

6 *Cauſa efficiens* ſimoniæ duplex eſt: remota, & proxima.

Remota eſt jus, quo prohibetur. Diſſident autem D.D quo jure ſimonia ſit prohibita: an Divino, vel Eccleſiaſtico tantùm? Ego diſtinguo, &

Di-

Dico I. Simonia, quæ committitur circa res in se spirituales, puta circa dona spiritualia Dei, circa Sacramenta, item circa res sacras, vel consecratas quà tales, jure etiam naturali, ac Divino, prohibita est: tum quia res ejusmodi sunt extra dominium nostrum, cùm nemo illarum, nec quidem S. Pontifex sit dominus, sed solùm dispensator juxta D. Paulum 1. *ad Cor.* 4. tum quia sunt supra omne pretium temporale, consequenter sicut pro his nunquam potest dari condignum pretium, ita nec unquam justus contractus esse potest, per *l.* 9. *§. fin. ff. de Rer. divis.* tum quia sunt de genere donorum gratiæ, quibus convenit gratis accipi, & gratis dari, aliàs enim hôc ipsô gratiæ non essent. *c.* 1. *&* 15. *causâ* 1. *q.* 1. Unde Matth. *c.* 10. *v.* 8. Christus monet: *gratis accepistis, gratis date.*

Dico II. Etiam simonia circa res, quæ in se sunt quid naturale, seu temporale, habent tamē per se proximam connexionem cum re spirituali, ut puta circa beneficia Ecclesiastica, decimas, jus patronatûs, aliáve jura Ecclesiastica spiritualibus annexa, juri naturali, ac Divino repugnat. *Primò* propter *c.* 3. *causâ* 1. *q.* 1. *c.* 8. *&* 14. *causâ* 1. *q.* 3. in quibus S. Ordinem vendere, & executionem ordinis (ut fit, si pro pecunia beneficium confertur, utpote, quod executionem ordinis exigit) nec non alia jura spiritualia vendere æqualiter prohibetur; constat autem de jure Divino prohibitum esse vendere ordinationem, cùm sit Sacramentum. *c.* 11. *& passim. causâ* 1. *q.* 1. *c.* 10. *& seqq. caus.* 1. *q.* 3. Deinde propter rationem: quia, ut dicitur in *c. si quis objecerit.* 7. *dd. caus.* 1. *q.* 3. qui alterum vendit, sine quo nec alterum pervenit, neutrum invenditum relinquit; adeóque, licèt res aliqua secundùm se sit temporalis, tamen si per se connexa est cum spirituali, & sine spirituali haberi non potest, vel spiritualis sine illa, tum res temporalis vendi nequit, quin res spiritualis, cui connexa est, unà in venditionem veniat, id quod est contra jus naturale, ac Divinum, latè Panor. in *c. extirpanda. n.* 53. *&* 54. *de Prabend.* Dissentit Jul. Clar. *§. sent. §. Simonia. n.* 5. & Cardenas in *Christi theol. differt.* 27. *c.* 1. *n.* 6.

Dico III. Datur etiam simonia, quæ solo jure Ecclesiastico interdicta est: nempe illa, quâ vel res in se spiritualis commutatur pro re spirituali; ut contingit in permutatione beneficiorum, si propriâ auctoritate fiat. *c. quæsitum. de Rer. permutat.* vel quâ res in se temporalis datur pro pretio, seu alia re temporali; ut fit, quando vices domini, œconomi, thesaurarii, sacristæ, procuratoris, advocati, aliáve officia ad rerum Ecclesiæ temporalium administrationem, vel defensionem, aut custodiam ordinata, pecuniâ comparantur. *cap.* 8. *causâ* 1. *q.* 3. *c.* 38. *h. t.* Fateor tamen, hanc simoniam propriè simoniam non esse, eò quòd in permutatione beneficiorum nihil temporale, in venditione verò prædictorum officiorum nihil spirituale interveniat, quod utrumque ad propriè dictam simoniam requiri, patet ex definitione. Interim quoad pœnas in simoniacos sancitas ipsam nomine simoniæ intelligi, cum communi Canonistarum docet Laym. in *Theolog. moral. l.* 4. *tr.* 10. *c. ult. num.* 66.

Causa efficiens proxima Simoniæ sunt ementes, vendentes, vel alio modo commutantes spiritualia, vel spiritualibus annexa. *c.* 11. *&* 12. *causâ* 1. *q.* 1. Iñi, medioximi, an summi sint? nil refert, nam Reges quoque ac Principes hoc vitio implicari possunt. *c. de hoc.* 11. *h. t.* item etiam Officiales in curia Romana, esto S. Pontifex sciat, ac dissimulet. Layman *d. c. ult. n.* 65. quin & ipse S. Pontifex, saltem circa eas res, quarum permutatio jure Divino est interdicta: quandoquidem S. Pontifex adinstar aliorum præceptis juris Divini subjacet. Zoël. *h. t. n.* 126. Sylvest. in *V. simonia*

monia §. 4. Covar. in *Reg. peccatum. p. 2. §. 8. num. 8.* Quidquid reclamitet Matth. *de Jurisd. part. 2. c. 37. n. 14.*

§. VI.

10 *Materia*, seu *objectum* simoniæ sunt spiritualia, vel spiritualibus annexa ex una parte, & pretium temporale ex altera.

Dixi I. *spiritualia*; quæ triplicis generis: aliqua sunt spiritualia *per essentiam*; ut *gratia justificans, gratia gratis data, dona Spiritûs S.* & *virtutes supernaturales*, de quibus Apostolus 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Ephes.* 4. Atque huc pertinet etiam *potestas Ordinis, & jurisdictionis Ecclesiastica, fori* tam *interni*, quàm *externi*. Alia sunt talia *secundùm causam*; ut *Sacramenta*, quæ efficiunt, & causant gratiam. Quò referuntur *missa sacrificium*, *Sacramentalia*, seu cæremoniæ ab Ecclesia pro benedictione, consecratione, & administratione Sacramentorum institutæ, item *oleum sacrum, chrisma, aqua benedicta, agnus DEI*, & similia. Alia sunt spiritualia *secundùm effectum*; ut actus gratiarum, ordinum, & officiorum Ecclesiasticorum, cujusmodi sunt *opera meritoria, ac supernaturalia, orationes, prædicationes Verbi Divini, exhortationes spirituales, prophetia, administratio Sacramentorum, susceptio in religionem, dispensationes, votorum commutationes, absolutiones à censuris*, & alia, quæ omnia & singula materiam simoniæ constituunt, ut docent communiter Theologi cum S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. & 3. & Canonistæ cum Panormitano in *c. consulere.* 28. *n.* 3 *h. t.*

11 Dixi II. *Vel spiritualibus annexa*, quæ itidem tripliciter se habent: *antecedenter, concomitanter, & consequenter. Antecedenter* cum spiritualibus connexa sunt *Ecclesia, altaria, vasa sacra, vestes & paramenta sacra*: item *jus patronatûs, præsentationes, electiones, renuntiationes*, & *collationes beneficiorum*, quæ omnia antecedunt Sacramentorum administrationem, Divinorúmque celebrationem, fatque ad illa ordinantur. *Concomitanter* connexa dicuntur, quando temporalia comitantur spiritualia, & his veluti pars conjunguntur, totúmque aliquod morale constituunt, veluti *actio Sacramentalis* cum Sacramento, *labor corporis* cum Divino officio, *materia* cum consecratione illius &c. *Consequenter* verò annexa illa sunt, quæ spiritualia præsupponunt, & ab illis dependent: ita *beneficium*, quatenus est jus percipiendi redditus, conjungitur cum officio & titulo spirituali: *jus decimandi* cum titulo spirituali, ex quo decimæ dantur in recognitionem Divini dominii, &c. P. Engl. *h. t. n.* 6. Zoësius *Eod. n.* 29. *& segq.* ubi quatuor notabiles regulas statuit.

12 *Prima* est: Connexum spirituali, quà tale, & ratione suæ connexionis vendi non potest. Propterea: quia sic ipsum spirituale pretio æstimaretur. Unde simoniam incurris, si prædium, cui est annexum jus patronatûs, ideo cariùs vendas, quòd jus præsentandi annexum habeat. P. Engl. *h. t. n.* 24. si calicem, vel aliam rem consecratam ideo cariùs æstimes, quàm per se materia valeret: Zoësius *Eod. sub num.* 10 si pecuniam accipias pro actu, & labore celebrandi, consecrandi, benedicendi, quatenus in eo ipsa sacra actio consistit. Layman in *Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 10. *cap. ult. n.* 4. si beneficium emas cum titulo & officio spirituali, à quo auctoritate Ecclesiæ dependet. *c.* 7. *in fin. causâ* 1. *q.* 3.

13 *Secunda* regula est: Annexum *antecedenter* per se spectatum vendi potest, etiam suppositâ connexione, dummodo ad eam non habeatur respectus. Ita constat, vendi posse prædium, castrum, vel res alias, quibus est annexum jus patronatûs, & venditis illis etiam per consequentiam in emptorem transferri jus patronatûs. Text. & DD. in *cap. ex literis. 7.* & *c. cùm sæculum. 13. de Jure Patron.*

Ve-

Verùm *regula* hæc universaliter non procedit: enimverò jus patronatûs inter antecedenter annexa spiritualibus computatur, quatenus nimirum ordinatur ad provisionem beneficii Ecclesiastici; & tamen si secundùm se spectetur, vendi non potest juxta dicta & text. in *c. de jure.* 16. *de Jure patron.* Rectiùs proinde distinxeris, dixerisque, quòd illa, quæ per se sunt antecedenter connexa cum re spirituali, vendi non possint, & sint materia simoniæ, veluti jus patronatûs, vel obligatio pro operibus spiritualibus, puta pro dicenda missa, officio &c. Panorm. in *c. significàsti.* 11. *in fin. de Prebend.* illa verò possint vendi sine simonia, quæ tantùm per accidens, aut remotè sunt connexa, maximè si res temporalis sit principale, spirituale autem sit tantùm accessorium, & secundarium. Quare non placet omninò exemplum pro hac regula à Zoësio. *d. n.* 29. de sacris vasis, templis, & aliis rebus consecratis allatum: nam licèt verum sit, quòd hæc, antequam sint consecrata, vel ad Divinum cultum specialiter deputata, vendi possint, quia tantùm remotè connexionem habent cum spirituali, post consecrationem tamen non solùm *antecedenter*, sed & *concomitanter*, & per se cum spirituali consecratione, & sanctificatione connectuntur, ideóque extra commercium sunt. *c. placuit.* 102. *causâ* 1. *q.* 1. *c. si quis objecerit.* 7. *causâ* 1. *q.* 3. *c.* 8. *v. pro sepultura. c.* 16. *&* 36. *h. t.* nec æstimationem recipiunt. *l. sacra.* 9. *§. fin. ff. de Rerum divis.* nisi per relationem ad id, quod erant ante consecrationem, arg. *c. comperimus. causâ* 14. *q.* 6. *l. is qui* 7. *ff. de Relig. & sumptib. fun.* Certè templa consecrata vendi posse, per se malè sonat, nec, id factum esse à piis Christianis, unquam legimus.

14 *Tertia* regula est: Spiritualibus *concomitanter* annexa, intrinsecè tamen, & per se, ponunt materiam simoniæ: secùs si non sint per se intrinsecè connexa. Ita ipsemet Zoësius *n.* 37. hanc regulam limitat. Hinc actio corporis, labor, seu defatigatio corporalis, quæ in dicenda missa, administratione Sacramentorum, aliisve functionibus sacris per se intervenire debet, pretio æstimari non potest, tametsi propter senium, aut debilitatem personæ quædam magis defatigetur, quàm alia; licèt enim absolutè loquendo hoc sit per accidens, tamen suppositâ personâ ministrante cum suis qualitatibus naturalibus, hoc intrinsecè, & necessariò jungitur cum actione sacra, seu Sacramentali, quæ gratis exerceri debet, arg. *d. c.* 7. *causâ* 1. *q.* 3. Suarez. *de Relig. lib.* 4. *c.* 21. *n.* 3. 7. *&* 11. Econtra si labor & onus aliquod merè extrinsecè accedat circumstantiis temporis, vel loci, v. g. si quis notabile iter ad faciendum sacrum conficere debeat præsertim tempore hyemali, aut horis incommodis; vel si obligetur ad celebrandum certâ horâ, & loco, nulla erit simonia, pro tali onere, utpote temporali, & sacræ actioni extrinsecùs solùm connexo, correspondens stipendium accipere per *c. charitatem.* 45. *causâ* 12. *q.* 2. Layman *d. c.* 8. *n.* 41. Sylvester *V. simonia* §. 9. Atque hac ratione aliqui excusant Monasteria, quæ pro summa pecuniæ suscipiunt onus celebrandi singulis annis certa officia: sed, ut opinor, rectiùs acciperent titulo sustentationis, quàm pro ipsa præcisè obligatione, arg. *c. fin. causâ* 1. *q.* 2.

Quarta denique regula est: Quæ cum 15
spiritualibus *consequenter* connexa sunt, *durante connexione* citra simoniæ labem vendi, emi non possunt. Ideo: quia in talibus principale est spirituale, & temporale est accessorium per se à spirituali dependens, & per consequens spiritualitatem necessariò participans: cùm accessorium sequatur suum principale. *c. accessorium. de Reg. Jur. in* 6. Quapropter beneficium, jus decimandi, jus primitiarum, ac

alia

alia hujus generis jura pecuniâ, aut re temporali comparare non licet, etsi contineant jus percipiendi quid temporale *causâ. 1. q. 3. per tot. c. 8. 12. 13. 26. 27. & 34. h. t.* Addidi: *durante connexione:* si enim auctoritate S. Pontificis connexio illa fuerit soluta, ac jus ad fructus & redditus temporales à titulo & jure spirituali fuerit separatum, nil prohibet, quin beneficium, jus decimandi, &c. pretio æstimari, vendique possint: siquidem semel legitimè facta separatione non amplius obtinent rationem accessorii, sed rationem principalis, ideóque non alterius naturam sequuntur, sed ex se ipsis æstimationem recipiunt, quemadmodum in simili tradit Menoch. *de Interd. remed. 6. de Recup. possess. n. 45.*

Dubitari hoc loco potest: an sicut non licet aliquid dare pro beneficio obtinendo, ita nec quid dare liceat ad redimendam vexam litis pro beneficio retinendo.

Pro affirmativa facit *c. Matthæus. 23. h. t.* ubi quidam, paucis contradicentibus, à majore parte electus, ut simoniacus propterea damnatur, quòd amicorum aliquis ipso electo sciente, ei, qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolverit, & sic contradictionem sopiverit. Certè simoniacum est, si super beneficio litigioso compositio fiat, ut alter liti cedat, & alteri ab altero pro expensis factis aliquid solvatur, nisi hoc fiat auctoritate superioris juxta *c. cùm pridem. 4. de Pactis.* Quidni igitur simoniacum quoque sit, dare pretium temporale pro vexa circa beneficium redimenda?

Negativam colorare videtur *c. dilectus 28. h. t.* ubi dicitur, quòd si quis molestatus circa jus suum det pecuniam Superiori molestanti, ut à molestatione desistat, si deinde iste contra pactum circa beneficia molestet, datam pecuniam restituere debeat. Ex quo apparet, quòd transactio cum superiore fieri possit, ut à gravamine circa beneficium desistat. Accedit ratio: quia redemptio vexationis non est emptio rei spiritualis; quandoquidem qui vexationem redimit, non emit rem acquirendam, quæ per vexationem impeditur, sed tantùm tollit impedimentum, nempe vexationem, quo sublato gratis datur beneficium.

Ad hæc varii variè respondent. Ego ad omnem contentionem dirimendam puto distinguendum inter eum, qui circa beneficium habet jus plenè quæsitum, & inter eum, qui non habet; illi qui jus plenè quæsitum habet, puta qui est electus & confirmatus, vel qui est præsentatus & electus simul, integrum est, offerre pecuniam alteri ejus possessionem injustè impedienti, turbanti, aut alio modo vexanti: quippe talis non dat pecuniam pro obtinendo beneficio, ut quod jam habet, sed solùm pro avertenda injuria. *d. c. dilectus. 28. & ibi* Panorm. *n. 2. h. t.* Laym. *d. tr. 10. c. ult. n. 22.* Is verò, qui nondum habet jus plenè quæsitu, puta qui est electus, aut præsentatus tantùm, vexationem pecuniâ redimere non potest, saltem à confirmatore, institutore, & aliis à quibus jus spirituale, quod deest, ad beneficium obtinet, ex quo per ejusmodi redemptionem sibi viam ad ipsum beneficium pararet, arg. *cap. 20. d. c. Matthæus. 23. & c. 33. h. t.* Quamvis possit redimere ab illis, qui jus eligendi, conferendi, confirmandi, vel instituendi non habent, sed aliunde impedimentum ponunt: quia & tunc injusta duntaxat vexatio redimitur, & injustum impedimentum removetur. Pirrhing. *h. t. n. 110.* Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 35. n. 108.* Cæterùm rectè monet Barb. ad *cit. c. Matth. n. 8.* ad hoc, ut liceat redimere vexam in beneficiis & aliis spititualibus, requiri, ut vexans sit ita potens, ut nonnisi oblatione pretii, aut non sine magno dispendio possit ab injuria removeri, vel saltem, sit periculum in mora ita, ut Superior tam citò adiri nequeat.

Dico-

16 Dicebatur III. *Et pretium temporale ex altera parte*: quod munus appellari solet, ac dividi in *munus à manu*, *munus à lingua*, & *munus ab obsequio* juxta *c. sunt nonnulli.* 114 *causâ* 1. *q.* 1. *Salvator.* 8. *causâ* 1. *q.* 3. *Munus à manu* dicitur pecunia, & res quælibet temporalis æstimabilis, & utilis. Item etiam debiti, vel obligationis remissio, ut si Episcopus creditori suo conferat beneficium, ut is vicissim remittat debitum, ad quod Episcopus tenetur. Felin. in *c. ad audientiam. num.* 3. *de Rescript.* Covar. *var. resol. lib.* 1. *c.* 20. *num.* 4. Per *munus à lingua* intelliguntur laudes, preces, & recommendationes apud Principem, vel Populum in alia causa pro eo ex pacto interponendæ, qui beneficium, aut rem spiritualem contulerit: cùm enim in ejusdem utilitatem vertantur, in locum pretii succedunt, & pretio æstimabiles sunt. Barb. *in cap. nemo* 14. *n.* 4. *h. tit.* *Munus ab obsequio* comprehendit quælibet servitia, vel obsequia alicui præstanda, aut præstita sub conditione, ac obligatione rem spiritualem, aut beneficium conferendi; ut si Episcopus famulo promittat dare beneficium, si sine salario serviverit. *c. cùm essent.* 12. *& ibi* DD. *h. t.*

In *disquisitionem* venit: an res quoque spiritualis pretium simoniacum esse possit?

Sanè beneficium Ecclesiasticum aliquo modo ex dispositione juris Ecclesiastici rationem pretii simoniaci respectu alterius beneficii habere posse, patet ex *cap. quæsitum.* 5. *de Rer. permut.* Idem generaliter de aliis rebus spiritualibus docent Richard. in 4. *dist.* 25. *art.* 3. *q.* 1. Palud. *ibid. q.* 2. & alii per *c. fin. de Pact.* ubi generaliter omnis pactio circa res spirituales interdicitur, conformiter ad illud Christi præceptum: *gratis accepistis, gratis date.*

Verùm probabiliùs id extra materiam beneficialem negat Panor. in *c.* 2. *de Transact.* & cum eo communis: quia commutatio rei spiritualis pro spirituali nequicquam derogat earundem dignitati, & cùm sint ejusdem ordinis, invicem sunt proportionatæ, atque ex Dei, qui nobis rerum spiritualium dispensationem indulsit, permissione, seclusâ dispositione juris Ecclesiastici, unam pro alia dare licet juxta illud Joan. 1. ℣. 16. *gratiam pro gratia.* Hinc notissima praxis habet, ut servatâ proportione commutentur decimæ cum decimis, reliquiæ sacræ cum reliquiis, missa pro missa, una functio spiritualis pro alia, vestes, aut vasa sacra pro aliis.

Neque refragatur *c. fin. de Pact.* illud namque accipendum est de pactionibus onerosis, & inhonestis, quales extra materiam beneficialem illæ tantùm sunt, quibus res spirituales contra voluntatem veri earum Domini cum rebus temporalibus, quæ pretium condignum esse non possunt, permutantur.

§ VII.

Forma Simoniæ consistit in emptione, ac 17
venditione rei spiritualis, aut spirituali annexæ. Ubi nomine emptionis, venditionis intellige quamcunque conventionem, ac pactum onerosum, quo res spiritualis pro temporali commutatur. *d. c. fin. de Pact.* Ut ecce! simonia committitur, si Episcopus vel Patronus alicui promittat beneficium sub conditione, si certum negotium coram S. Pontifice promoverit. *c. cùm essent.* 12. *h. t.* si Presbyter xenium ab aliquo publicè peccante accipiat, ut Episcopo, vel ministris ejus peccatum illius celet. *c. nemo* 14. *h. t.* si quis Archi-Diacono homagium faciat, & fidelitatem præstet, ut beneficium Ecclesiasticum assequatur. *c. ex diligenti.* 17. *h. t.* Si benedictio Abbari non priùs detur, nisi taxam consuetam deponat. *c. sicut.* 39. *h. t.* si ad monasteria monialium præsertim opulenta non recipiantur, nisi certam dotem deferentes. *c.* 8. 19. *&* 40. *h. t.* si Canonicus non permittatur gaudere juri-

bus sui Canonicatûs, antequam ex more prandium exhibeat. *c. Jacobus* 44. *h. t.* si quis cum Episcopo, ac Capitulo agat, ut in Canonicum suscipiatur, & ne aliis susceptis, vel suscipiendis præjudicium fiat, certa bona immobilia offerat ea conditione, ut deinceps illa pro Præbenda sua ipsemet obtinere possit. *c. tua nos.* 34. *h. t.* Adeò verò pactum ejusmodi est necessarium, ut sine eo non consurgat simonia, quamvis res temporalis pro spirituali detur. P. Engl *h. t. n.* 7. Unde

18 I. A simonia excusatur, qui pro re spirituali munus à manu, à lingua, vel obsequio gratis ex benevolentia, amicitia, aut gratitudine, & sine ulla intentione obligandi recipientem exhibet. *c.* 30. *h. t.* ibi: *illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. & c. sicut Episcopum.* 4. *causâ* 1. *q.* 2. ubi non reprobatur, si quid Ordinatori detur ex gratitudine, & animo voluntario, quibus consonant *c. placuit.* 103. *causâ* 1. *q.* 1. & *c. quàm pio* 2. *causâ* 1. *q.* 2. Sed hoc ita, si donatio, seu gratuita oblatio muneris, ac rei temporalis fiat post acceptam rem spiritualem. Si fiat antecedenter, & quidem de re modica, quæ animum accipientis non possit facilè movere ad effectum simoniacum, etiam permittitur juxta *c. etsi quæstiones.* 18. *ad fin. h. t.* Secùs verò, quia intentio, & affectus simoniacus rarò abest, & plerumque saltem tacita promissio, pactúmque intercedit, prohibetur maximè in beneficiis Ecclesiasticis per *c. sicut.* 33. *c. tua nos.* 34. *h. t.* Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. *& sess.* 24. *c.* 18. *de Reform.* Atque hac de causa Innocentius XI. Anno 1679. die 2. Martii, *num.* 45. & 46. hasce duas propositiones damnavit: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.*

II. Ministri Ecclesiastici pro administratione Sacramentorum, pro missis, aliisque officiis, ac functionibus spiritualibus titulo sustentationis, & per modum stipendii licitè temporalia accipere possunt, prout passim decreverunt Pontifices in *causâ* 1. *q.* 2. *causâ* 10. *q.* 1. *causâ* 12. *q.* 1. & in *tit. de Præbend.* Imò id ipsum perspicuè Christus insinuat apud Matth. 10. ℣. 10. ibi: *dignus est operarius cibo suo.* & apud Luc. *cap.* 10. ℣. 7. ibi: *dignus est operarius mercede sua.* Ubi nomen *mercedis* non accipitur pro mercede proportionata operi spirituali, tunc quippe rationem pretii haberet, sed pro mercede commensurata conditioni personæ operantis, quæ haud dubiè ob labores suos spirituales sustentatione, & stipendio digna est. Et licèt hoc stipendium ex justitia debeatur, attamen non tollit, quò minùs gratis spiritualia dispensentur, cùm debeatur non ut pretium, sed ut supplementum necessitatis. vid. Layman in *Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 10. *c. ult. n.* 13. Porro quoad quantitatem hujus stipendii observetur recepta consuetudo, vel taxatio superioris Ecclesiastici juxta *cap. ad apostolicam* 42. *h. t.* & absit turpe pactum, vel exactio avaritiæ speciem præseferens, nec quis deneget peragere spiritualia, antequam pecunia sit numerata, vel cautio pro ea præstetur, quandoquidem in his animus & affectus quodammodo simoniacus exprimitur. *c.* 2. 3. *&* 4. *causâ* 1. *q.* 2. *c. in tantum.* 36. *c. audivimus* 41. *h. t.*

III. Absque labe simoniæ dari, promitti, 19
vel legari potest res temporalis adjectâ conditione, vel modo præstandi operis spiritualis soli operanti utilis arg. *c. cùm sit.* 2. & *c. verùm.* 4. *de Condit. apposit.* Sic rectè hæretico

nico puella nuptias, infideli Princeps delicti perpetrati veniam promittit, ut ad fidem Catholicam convertatur. P. Engl *h. t. n.* 8. Adolescentibus nonnunquam sumptus studiorum suppeditantur sub conditione, ut statum Ecclesiasticum amplectantur. Layman *d. tr.* 10. *cap. ult. n.* 11. *in fin.* item etiam studioso citra simoniam aliquid legatur, vel promittitur, aut donatur, si modò religionem ingrediatur. Adam. Burghab. in *Casib. select. cent.* 1. *casu* 58. Optimâ ratione: quia in hujusmodi casibus non intercedit pactum, ac contractus onerosus imponens obligationem absolutam: nec res temporalis, quæ intervenit, habet rationem pretii, sed est tantùm donata sub conditione, aut modo. Bene tamen observat Layman *cit. n.* 11. *¥. neque enim.* simoniacum fore, si res temporalis ea ratione daretur, ut simpliciter obligatio imponeretur ad opus spirituale, ad ingressum religionis, &c. *Nusquam enim legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad DEI cultum aliquo muneris* (scilicet in pactum deducti, ut exponit Adam. Burgh. *loc. cit.*) *interventu provocâsse.* Text. in *c. quàm pio.* 2. *causâ* 1. *q.* 2.

§. VIII.

20 *Finis* simoniæ est, ut per temporalia spiritualia quis obtineat, fiátque rei sacræ, vel spiritualis cum munere oblato commutatio.

§. IX.

21 *Effectus* Simoniæ sunt pœnæ, quibus coërcetur, habitâ tamen distinctione inter simoniam *mentalem*, *conventionalem*, *realem*, & *confidentialem*.

Simonia mentalis in foro externo est extra omnem pœnam ob textum in *c. fin. h. t.* & rationem, quòd intentio simoniaca, quæ operi externo conjungitur, in ipso opere, quod secundùm se indifferens est, non satis prodatur, ideóque non subjaceat judicio, & pœnis Ecclesiæ per *cap. cogitationis.* 14. *dist.* 1. *de Pœnit.* S. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 6. Navar. in *d. c. fin. h. t.* Ex quo *cap.* etiam sumitur, simoniacum mentalem nec teneri ad faciendam restitutionem rei temporalis: etsi enim intentio dantis, vel accipientis sit, dare rem illam pro re spirituali, ex quo tamen hæc intentio non est in pactum deducta, supponitur, rem non esse acceptam titulo simoniaco, sed potiùs simpliciter datam, vel donatam. Nec quempiam turbet *cap. consuluit.* 10. *de Usur.* ubi habetur, quòd usurarius quoque mentalis obligetur ad restitutionem: id quippe procedit, quando mutuatarius coactè aliquid dat ultra sortem mutui, scilicet aliàs non daturus, nisi sciret, mutuantem sine lucro supra sortem non esse mutuaturum: tunc enim illud, quod datur ultra sortem, ex alio, quàm usurario titulo, non datur, adeóque manet obligatio restitutionis. Aliud esset, si mutuatarius omninò liberè, & sponte daret, mutuans verò animô usuriô reciperet. Vid. Barb. in *d. c. fin. h. t.*

Similiter *simonia conventionali*, quantum- 22
vis ex parte unius completa sit, modò non sit *confidentialis*, nulla certa pœna ab ipso jure determinata reperitur, neque pœnæ simoniæ realis ad eam extendi possunt. Zoël. *h. t. n.* 36. Navar. *l. cit. n.* 28. Covar. in *relect. c. peccatum. de R. J. in* 6. *p.* 2. *§.* 8. *n.* 7. Qui hoc potissimùm deducunt ex *Extravag.* 1. *& 2 h. t.* ubi dantibus & recipientibus pœna irrogatur. quâ locutione exprimi videtur simonia realis utrinque completa. Accedit, quòd in pœnis benignior sit interpretatio facienda. *l. sancimus. C. de Pœn.* Quod restitutionem attinet, si res temporalis pro beneficio Ecclesiastico v. g. ex parte unius est tradita, nec tamen collatio beneficii subsecuta, non est dubium, eum, qui accepit, teneri ad pretium restituendum. Quòdsi verò beneficium, vel alia res spiritualis sit tradita, pretium autem non sit subsecutum, multi volunt beneficium retineri posse, sed de jure probabilius judico

contrarium; non quidem ex eo, quòd collatio talis simoniaca sit à jure in pœnam irritata per *c. nobis fuit. 27. h. t.* sed ideo, quia collator animum conferendi beneficium non habuit, nisi ex contractu, vel pacto oneroso, quo de jure transferre non potuit, ac proinde ex defectu voluntatis ipsius dantis recipiens, si pretium solvere nolit, retinere non poterit. Nec audio Zoës. *h. t. n.* 110. dum dicit, quòd obligatio pretii, cùm sit de re turpi, habeatur pro non adjecta, & sic non impediat, quò minùs collatio beneficii sit absoluta: hactenus enim textum juris, qui id asserat, non vidi; neque credibile est, conditiones, seu obligationes turpes à jure hic in favorem alicujus simoniaci rejici, quin magis videtur obtinere regula, quæ traditur in *c. fin. de Condit appos.* quòd conditio adjecta contractui, vel actui inter vivos vitiet talem actum, præcipuè si sit contra substantiam actûs; ut contra substantiam collationis, ceu actûs spiritualis est, ut veniat in obligationem pro re temporali.

23 Pœnæ *simoniæ realis* variant pro materiæ, & casuum diversitate: nec pro quavis simonia à jure impositæ sunt, sed pro illa tantùm, quæ circa *ordinationem, provisionem beneficiorum, & ingressum religionis* committitur.

Si in collatione, vel susceptione Ordinum simonia realis committatur, ordinans triennalem suspensionem à collatione ordinum incurrit. *c. si quis. 45. h. t.* imò à dignitate sua Episcopali deponendus est. *c. si quis Episcopus. 8. causâ 1. q. 1.* Ordinatus verò, si conscius, aut particeps fuerit simoniæ, tam ab ordinibus susceptis, quàm suscipiendis suspenditur. *c. per tuas. 37. h. t.* & omnino ab Ecclesia eliminari, & degradari jubetur in *c. sicut. 6. h. t. d. c. si quis Episcopus. causâ 1. q. 1.* Quòd si quis per ignorantiam fuerit simoniacè ordinatus, excusatur ab hisce pœnis, sicut etiam si fuerit ordinatus ab Episcopo jam ante simoniaco per text. in *c. si qui. 108. causâ 1. q. 1.* Quamvis aliàs non simoniacè & simoniacè tamen scienter ordinati ab executione ordinis suspensi sint. Et hoc sensu *ibidem* dicitur: ordinationem talem, quæ potiùs execratio est, omnino irritam esse.

Si quis beneficium, vel dignitatem Ecclesia- 24
sticam simoniacè consecutus sit, nullum penitus jus acquirit, nec fructus lucrari, aut suos facere potest, consequenter ad restitutionem sub periculo animæ obligatur, sicut & ad ipsam dimissionem. *c. Matthæus. 23. h. t. Extrav. 2. §. per electionem. Eod. inter comm.* Quod in tantum procedit, ut etiam ignorantes simoniam interveniisse, aliis quid promittentibus, ac dantibus, ubi postea id resciverint, beneficia taliter obtenta unà cum fructibus resignare, aut remedium à Superiore petere teneantur; nisi contra expressam protestationem aliquid ab inimico, vel in fraudem electi datum sit, quo casu cessat obligatio restituendi. *c. nobis. 27. & c. sicut. 33. h. t.* Adde, quæ in *lib. 1. ad tit. de Elect. n.* 40. diximus.

Addubitatum fuit: an, qui simoniacè beneficium obtinuit, etiam beneficiis ante legitimè obtentis ipso jure privatus existat?

Fundamentum affirmativæ in eo ponitur, quòd in *c. Presbyter. 3. causâ 1. q 1.* diserte caveatur, ut simoniacus non solùm Ecclesiâ privetur, sed etiam sacerdotii honore spolietur. Quod & in *c. de hoc. 11. h. t.* innuitur. Atqui in *Extrav. 2. cit.* statim in limine innovantur omnes pœnæ juris antiqui, & insuper additur, pœnas hasce ipso jure imposterum incurrendas esse.

Verùm etsi hoc in puncto juris verius fortassis sit, plures tamen D. D. quos citat, & sequitur Laym. in *Theol. moral. l. 4. tr. 10. c. ult. n.* 74. tenent, talem simoniacum esse tantùm per sententiam Judicis privandum, ac deponendum; quorum sententiam ut benignam, ita æquam puto, cùm nimis grave sit, pro-

propter simoniam, præsertim occultam, aliquem statim ipso jure privatum, aut ab ordine depositum esse.

Textus ex *c. Presbyt.* & ex *c. de hoc.* allati explicari possunt de privatione Ecclesiæ simoniacè obtentæ, & spoliatione sacerdotii in tali Ecclesia obeundi. Hæc explicatio si displiceat, dicere possis, generalem illam innovationem pœnarum in *Extrav. 2. h. t.* declarari ex enumeratione subsequentium: nec plus continere, quàm postea in declaratione exprimatur, & cùm de beneficiorum privatione in illa nihil expressum sit, non censeri esse contentam.

15 Si ex pacto aliquid pretium, datúmque sit pro ingressu in religionem, præter excommunicationem Capitulum, seu Conventus incurrit pœnam suspensionis reservatæ. *Extrav. 1. h. t. inter comm.* Quæ tamen suspensio non est ab ordine, vel exercitio ordinis, sed ab usu & exercitio juris capitularis, quod in jurisdictione, vel administratione Ecclesiæ, & actibus ad Capitulum pertinentibus consistit. Quoad Moniales notat Laym. *d. c. ult. num.* 39. & Zoës. *h. t. num.* 95. ex Navar. & aliis, has censuras respectu ipsarum esse revocatas per Clementem VII. Imò nec prædictis pœnis locum esse, nisi exigatur aliquid pro ipso ingressu religionis completo subsecutâ professione: neque si alio titulo quid exigatur. v. g. quia Monasterium aliàs sufficientem sustentationem personis religiosis dare non posset, rectè tradit idem Zoël. *n.* 16. & 96. Professio quoque ingressi simoniacè facta non est invalida, sed favore religionis sustinetur, Professo ad aliud arctius monasterium translato juxta *c. de Regularib.* 25. *h. t.*

16 Rursus universaliter in excommunicationem S. Pontifici reservatam incurrunt omnes, qui quomodolibet aliquid dando, vel recipiendo pro ordine, beneficio, vel religionis ingressu simoniam commiserint, aut mediatores extiterint. *Extrav. 1. & 2. h. t. inter comm.*

Altioris *inquisitionis* est: num simoniaci quoque irregularitatem incurrant?

Rationem dubitandi suggerit, quòd crimen hoc hæresis appellatione veniat in *c. 5. caus. 1. q. 1. c. quoties. 5. & passim. h. t.* imò ab Ecclesia reputetur crimen maximum, & reliqua in comparatione illius quasi pro nihilo. *c. fin. causâ 1. quæst. 7. c. sicut. 6. h. t.* Atqui hæresis, & alia crimina gravia inducunt irregularitatem: ergo & hoc.

Placet, & communi D. D. suffragio hæc distinctio approbata est: an crimen simoniæ sit notorium, an verò occultum? Illo casu simoniacus habetur pro irregulari, non item isto, nisi in excommunicatione fortè actum ordinis exercuerit. Barb. in *Repertor. Jur. V. simonia.* Ratio est: quia notorii simoniaci, maximè in Judicio condemnati, sunt infames. *c. fin. causâ 1. q. 3. c. 4. causâ 15. q. 3.* quam infamiam irregularitas consequitur. *c. infames. causâ 6. q. 1. c. fin. de Temporib. ordin.* At verò de occultis simoniacis, quia ratione irregularitatis nihil est à jure statutum, procedit hic vulgaris regula: quòd irregularitas locum non habeat, nisi in casu à jure expresso. *c. is, qui. 18. de Sentent. excomm. in 6.* Præterea notat Panormit. in *c. per tuas. n.* 10. *h. t.* crimen simoniæ tunc solùm aliis omnibus majus reputari, quando cum hæresi conjunctum est.

Denique ex simoniæ reali oritur obligatio restituendi pretii temporalis pro re spirituali accepti. Sed diversimodè: enimverò si pretium omninò liberè datum sit, id danti tanquam indigno restituendum non erit, sed potiùs Ecclesiæ, cui per simoniam injuria quodammodo illata est, vel saltem pauperibus juxta *c. de hoc. 11. h. tit.* Quòdsi dans à simonia excusari possit, vel pretium per aliquam violentiam, aut propter singularem ali-

quem personæ petentis respectum extortum sit, illi reddendum videtur, qui dedit, *c. veniens. 19. h. tit.* Covar. in *c. peccatum. de R. J. in 6. part. 2. §. 2.* Imò quando Superior pecuniam pro re spirituali extorquet, is propter concussionem, seu extorsionem factam insuper Ecclesiæ duplum dare debebit. *c. audivimus. 41. & ibi* Panorm. *h. t.*

27 Contra *Simoniam confidentialem* à Pio IV. in Bulla: *Romanum Pontificem.* & à Pio V. in Bulla: *Intolerabilis*, sequentes pœnæ latæ sunt. *Prima* est excommunicatio latæ sententiæ S. Pontifici reservata, exceptis Episcopis & Prælatis iis superioribus, qui non excommunicationem, sed interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt. *Secunda* est annullatio actûs, nempe resignationis, vel collationis factæ, quæ ipso jure irritæ sunt. *Tertia* est inhabilitas, quâ simoniacus non tantùm ad idem beneficium, sed & ad omnia alia imposterum obtinenda fit inhabilis. *Quarta* pœna est privatio omnium beneficiorum etiam antea habitorum, ad quam tamen sententiam Judicis requirit P. Engl. *h. tit. n. 37. Ultima* est beneficiorum sic resignatorum, aut collatorum reservatio, ita ut ab alio, quàm à S. Pontifice conferri nequeant, & fructus malè percepti deferantur ad Cameram Apostolicam. Verùm hæc ultima pœna in Germania vix locum habet propter Concordata Germaniæ, in quibus *§. de cæteris.* promittit S. Pontifex, se extra *menses Papales* per nullam aliam reservationem, aut dispositionem Concordatis non comprehentam Ordinariorum liberam collationem velle impedire. Neque existimes, per Bullas extravagantes, quales sunt istæ Bullæ Pii IV. & V. contra simonias confidentiales editæ, Concordatis, quæ habent vim pacti, tam facilè derogari, præcipuè ubi Concordatorum nulla fit mentio specialis, per ea, quæ tradit P. Engl *ad tit. de Prab. §. 4. num. 54.*

§. X.

Affinia simoniæ sunt crimen ambitûs, & crimen repetundarum.

Crimen ambitûs est delictum publicum, quo quis clam illicito modo v. g. donis, aut muneribus datis, vel promissis honores, & dignitates nundinatur. *l. un. ff. l. un. C. de Lege Jul. ambit. Novel. 8. cap. 1. & 7.* Est, inquam, delictum publicum: quia Reipubl. admodùm pernicioſum: *malè enim*, ut alicubi Salustius loquitur, *cum Republica agitur, cùm quod meritis obtineri debet, pecuniâ tentatur, & superatur, cúmque virtutis pramia ambitio occupat.* Et sanè timendum, ne dum publica officia pretio prostituuntur, venditio illorum fiat indignis, & qui emunt, justitiam passim venalem habeant, ut pretium solutum recuperent, prout eleganter demonstrat Eximius P. Otto Aicher in *Histor. quarta Monarch. lib. 2. cap. 3. q. 3.* Pœna hujus delicti olim erat infamia, & mulcta centum aureorum. *d. l. un. §. 1. ff. de Leg. Jul. ambit.* & nonnunquam pro modo, & qualitate admissi deportatio, seu exilium. *d. l. un. C. Eod.* Hodie arbitrio Judicis relinquitur. Menoch. *lib. 2. de arbitr. Judic. casu 401. in fin.* imò usus, ac pœna hujus *legis Julia* ab aula recessit, dum officia nunc passim venduntur, non solùm in Principum, ac Regum, sed etiam in ipsa Curia Romana, teste Azorio apud Haunold. *de J. & J. tr. 10. cap. 1. controvers. 14. §. 6. num. 110.* idque jure, modò vendantur dignis, pretio moderato, & ex causa publicæ utilitatis, vel necessitatis. Clariss. D.D. Woller in *Quæst. select. ex jure univers. q. 11. num. 49. & seqq.* D.D. Braun in *tract. de Magistr. cap. 7. §. 5.* cujus memoria sit in benedictione.

Crimen repetundarum (Itali vocant *baratariam*) est delictum publicum, quod in magistratu, vel alio officio publico constitutus committit, dona vel munera accipiendo, quò 29 mi-

minùs vel magis id faciat, ad quod ex officio tenetur. *l. 1. pr. l. 3. l. 4. l. 6. pr. & §. 2. l. 7. pr. ff. de Lege Jul. repetund.* Atque hâc *Lege Juliâ* tenentur non tantùm Prætores, & Præsides, sed etiam alii Officiales, ut Assessores, Quæstores, Rationales, Cognitores, Judicésve pedanei, & municipales ob generalia illa verba *d. l. 1.* ibi: *in ministerio publico.* & textus speciales in *l. 5. l. 7. §. 2. ff. Eod. l. 38. §. 10. ff. de Pœn. ll. 3. C. de Assessorib.* Item & Duces militum, qui occasione transitûs militaris per concussionem aliquid acceperunt. *Novell.* 130. Capitanei, si falsum numerum militum retulerint. *l. ult. §. pro limitaneis. C. de Offic. Præfect. Afric.* Centuriones, qui ob legendum, mittendúmve æs accipiunt. *l. 6. §. 2. ff. de Leg. Jul. repet.* Pœna hujus delicti est vel pecuniaria, vel corporalis. Illa est quadrupli restitutio. *l. 1. & ult. C. Ad Leg. Jul. repetund.* de qua num cedat fisco, vel parti? vide Decian. in *tr. cr. lib. 8. cap. 39.* Hæc verò corporalis est extraordinaria. & aliquando etiam capitalis, ut si quis ex atroci causa ad homini vitam abjudicandam pecuniam acceperit. *l. 7. §. ult. ff. de Lege Jul. repetund.* Petr. Theodor. *colleg. crim. c. 9. aphor. 1. n. 36. & seqq.*

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Prælatus committit simoniam, si vices suas, 4. vel Ecclesias pro annuo censu concedat.

SAtis de Simonia in genere. Succedunt ejusdem species.

§. I.

1 *Prima* species simoniæ est, si Prælati Vicarios in benaficiis, & administrationibus Ecclesiasticis constituant, & ab iisdem pro concesso officio annuam pensionem, seu censum exigant: cùm enim per ejusmodi concessionem cura & jurisdictio spiritualis concedatur, pro illa absque labe simoniæ pecunia nec dari, nec accipi potest. *c. 1. 2. & 3. h. t.*

2 Pœnæ contravenientium variæ occurrunt. *Primò* namque tam dans, quàm accipiens ab illa Ecclesia, in cujus contumeliam res defacto data, vel accepta est, justè excluduntur. *c. consulere. 38. de Simon. Secundò* dans pecuniam amittit officium per illam obtentum; Prælatus verò sic conferens illud ampliùs conferre haud poterit. *c. 1. h. t. Tertiò* dans pecuniam removetur à Clero, & Prælatus districtione Canonicâ percellitur, id est, deponitur, vel suspenditur ad tempus pro qualitate delicti. *c. 2. in fin. & ibi* Glos. *Eod.* Honorius in *Summ. n. 2.*

3 Adverte tamen, impune, nec simoniacum esse, si Prælatus, cujus v. g. Monasterio parochia, vel aliud beneficium incorporatum est, à vicario ad id substituto annuam pensionem sub titulo *absentiæ* exigat, accipiátque: siquidem eam non accipit pro concessa administratione aut vicariatu, sed pro fructibus tali Vicario relictis: enimverò cùm fructus ex natura incorporationis directè ad eum Prælatum, & Monasterium, cui beneficium incorporatum est, pertineant, & Vicario congrua duntaxat portio, sive sustentatio debeatur, nihil prohibet, quò minùs cum eodem Vicario Prælatus tractare, & contrahere queat de integris fructibus seidem relinquendis pro certa pecuniæ quantitate annuatim sub *absentia*, vel quocunque alio titulo solvenda, prout universim fructus Ecclesiarum, cùm nullam rei spiritualis rationem contineant, etiam Laico ad tempus breve, scilicet triennii, sub annuo censu concedi, & locari possunt. *c. ult. h. tit.* junctâ *Extravag. ambitiosæ. de Reb. Eccles. alien.*

Tri-

Trident. *sess. 25. de Reform. c. 11.* Vallens. *h. t. num. 2.*

§. II.

4 *Altera* Simoniæ species in *hoc titulo* prohibita, absque singularibus tamen pœnis, est, si Prælati Ecclesias sub annuo censu concedant, puta, ut alius ibidem pro libitu celebrare possit; sic quippe res sacra in contractum venit, illiúsque usus pretio æstimatur contra *c. si quis. 7. causâ 1. q. 3.* & *l. 9. §. fin. ff. de Rerum divis.* Secùs est in aliis ædificiis profanis ad Ecclesiam pertinentibus, quæ utique locari possunt, si ita expoſcat Ecclesiæ utilitas.

****

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

TErtia species simoniæ reputatur, si pro licentia docendi aliquid exigatur, cujus occasione in prima parte rubricæ de *Magistris* agitur.

PARS I.

De Magistris.

SUMMARIA.

1. 2. Magistri, aut Doctores qui dicantur? 3. quid sint? 4. quot eorum genera?
5. Quibus competat jus doctorandi? 6. usque 11. Quinam doctorari possint?
12. Ex quibus facultatibus? 13. 14. Quibus ceremoniis? 15. Ob quem finem creentur Magistri, seu Doctores?
16. Usque 24. Recensentur Doctorum, seu Magistrorum privilegia. 25. An his gaudeant Doctores Bullati? 26. an Licentiati?
27. 28. Quinam veniant nomine Studiosorum?

§. I.

1 *Magistri* vocabulum homonymon est. Generaliter accipitur pro cujuscunque disciplinæ præceptore. *l. 57.* & *ibi* Gloss. *V. cujuslibet. ff. de V. S.* in specie verò, & hoc loco denotat Professores Theologiæ: Gloss. in *Clem. 2. h. t.* Jurium: *§. in his igitur. in proœm. Digest.* Medicinæ: *l. 7. C. de Profess. & med.* & liberalium artium. *c. 4. h. t. c. 1.* & *ibi* Panor. *n. 6. de Locat. conduct.*

§. II.

Synonymum Magistri est *Doctor*: tametsi 2 enim olim Doctorum appellatione soli venerint Jurisconsulti, Theologi verò, vel alterius facultatis supremo gradu insignes Magistri salutati sint, Gloss. in *auth. habita. C. Ne filius pro patre.* si tamen Papa promiscuè scribat Doctoribus alicujus Universitatis, solet omnes vocare Doctores, ut in *Proœm. Decretal. Sexti,* & *Clem.* & usus hodiernus Theologis, Jurisconsultis, & Medicis ex æquo titulum Doctoratûs; Magisterii autem solis Philosophis, Artiúmque Professoribus attribuit. Johann Dietrich Fregißmont p. t. Confrater meus amandissimus *de Doctor. dignit. t. 1. num. 3.*

§. III.

Definiuntur Magistri, seu Doctores, quòd 3 sint personæ, quæ Gradum, ac insignia doctoralia legitimè consecutæ sunt.

§. IV.

Dividuntur in Magistros, seu Doctores 4 Academicos, & Bullatos. *Academici* dicuntur, qui titulo doctorali in Academiis, præcedentibus examinibus consuetis, condecorati sunt, quorum qualitates probantur per literas testimoniales Academiæ, vel Facultatis, in qua Gradum acceperunt. Salicet. ad *auth. habita. C. Ne filius pro patre. n. 3.* Item per matriculam, aliisque documentis deficientibus per juramentum asserentis, se Doctorem esse. Rebuff. *de Privil. Scholar. privil. 14. Bullati* appellantur, qui à Comitibus sacri Palatii, sive Palatinis ad hunc actum à summa Majestate peculiariter privilegiatis, interventu diplomatis, seu *bulla* creati sunt. Unde Satyti-

tyricus ille Bullatum Doctorem pungit, & pangit:

Doctorem te Bulla creat, tibi Bullæ decori est,
Bulla tibi vires, Bulla parit titulos.
Sed caveas, ne fortè nimis te Bulla perennet.
Bulla homo es, & Doctor Bulla. Quid ergo tumes?

§. V.

5 *Causa efficiens* Magistrorum ac Doctorum est eorundem Promotor. Pertinet autem hæc promotio ad Summos, seu Absolutos Principes; ut puta ad Romanum Pontificem, & Imperatorem: quippe penes hos existit summa potestas conferendi honores, & dignitates literarias æquè, ac alias, arg. *l. un. pr. ff. de Leg. Jul. ambit. l. 5. C. de Dignitatib. l. 3. §. 2. C. Ubi Senat. vel Clariss.* Johann Dieterich Fregißmont *l. cit. cap. 2. n. 17.* easque dignitates vel immediatè largiuntur, ut possunt unico etiam verbo, juxta exemplum Rudolphi II. Imperatoris, qui ea ratione Bersium, Legationi Turcicæ destinatum, Doctorem renuntiavit. Clariss. D. D. Hermes in *Fascic. Jur. Publ. c. 37. num. 167.* vel mediatè ex mandato, aut dato privilegio per Academias, & Comites sacri Palatii, sive Palatinos. Excipe Serenissimos Austriæ Archi-Duces, qui insigni præ reliquis Principibus concessa prærogativa in Provinciis suis hæreditariis Doctores Juris, Medicinæ, ac Magistros artium liberalium creant, uti indignis postea concessos auferunt honores. Münster. in *Cosmograph. lib. 2. c. 354.*

§. VI.

6 *Subjectum* sunt personæ doctorandæ; in quibus considerari debent *sexus, natales, ætas, fides, literarum scientia*, & *morum honestas.*

Sexus: quia mulieres, ut docere, ita doctorari prohibentur per *c. mulierem. 17. causâ 33. quæst. 5. l. fœminæ. ff. de R. J.* Bartholin *l. fin. sub. n. 16 ff. de Colleg. & corp.* Et licèt Andr. Tiraquel *de legit. Connub. leg. 11. n. 30.* referat Accursii filiam publicè jura Civilia Bononiæ docuisse, illam tamen Gradu insignitam fuisse, non constat. Jacob. Benius de *Privil. JCtorum p. 3. privil. 64. n. 20.*

7 *Natales:* siquidem Spurii in plerisque Europæ Universitatibus à dignitate Doctorali excluduntur. Harprecht ad §. 1. *Instit. de Injur. num. 241.* Mynsing. *cent. 4. observ. 31.* Hinc in nostra hac Universitate Salisburgensi expressim cautum est, ut Decanus in eorum, qui gradum Licentiæ, vel Doctoratûs ambiunt, natales inquirat, & antequam admissionem insinuet, de eorum legitimitate Magnifico P. Rectori fidem faciat. Existimem tamen facilè cum spuriis quoad hoc dispensandum esse, si paternorum criminum sint exhæredes, & à morum honestate, ac scientia singulariter commendati, ne quos propria virtus extulit, aliena culpa deprimat, arg. *c. 1. ¥. sed hoc intelligendum. c. 3. cum seqq. dist. 56. c. innotuit. 20. de Elect. l. 6. pr. ff. de Decurionib.* Et quis nescit, Joannem Andreæ, Gratianum, ejúsque fratres Petrum Lombardum, & Comestorem, Jasonem, aliósque natalium quidem eclypsin passos, sed postea Clarissimos Doctores, ac Professores extitisse?

8 *Ætas*; quæ tamen quanta esse debeat, nullibi in jure definitum reperitur. Certè ut quis titulo JCti insigniatur, sufficit, annus decimus septimus completus: quia ea ætate Nerva filius de Jure publicè responsitâsse fertur. *l. 1. §. 3. ff. de Postul.* & non annorum numerus, sed scientia doctorales honores meretur. Gloss. in. *l. 11. §. 1. V. Jurisperitos. C. de Advoc. divers. judic.* & ut in aliis malitia, ita hic scientia ætatem supplet. Clariss. D. D. Hermes in *Fasc. Jur. Publ. c. 37. n. 182.* Neque obstat, quòd minor 25 annis non admittatur ad honores in Republ. gerendos. *l. ad remp. 8. ff. de Munerib. & honorib.* quandoquidem ratio diversitatis facilè omnibus obvia est;

est; ubi verò datur dissimilitudo etiam parva, argumentũ à simili claudicat. Rmus. D. Christoph Priggl. in *Man. Pract. de Appell. observ.* 17. *n.* 15.

9 *Fides* â Gradibus Doctoralibus repellit Judæos: quia Doctoratus est dignitas, cujus Judæi sunt incapaces per text. in *l. fin. & ibi* Bartol. *C. de Judais.* Panorm. in *c. cùm sit. in pract. X. Eod.* Idque procedit quoque quoad gradum medicinæ. Jacob. Pignatel. *tom.* 8. *consult.* 144. *n.* 3. ubi *sub. n.* 5. refert, Anno 1621. die 16. Septembris cùm in Universitate Pisarum Judæus quidam Doctoratûs lauream suscepisset, propterea Nuntio Apostolico scriptum fuisse, ut ageret cum Magno Duce, quò provideret, ne deinceps in ea Universitate Judæo Gradus conferatur. De praxi contraria attestatur Ricciullus *de Jure person. lib.* 2. *c.* 25. *num.* 4. Jacob. Benius *de Privil. FCtor. p.* 3. *priv.* 64. *n.* 4.

10 *Litterarum scientia* in Candidatis, si non eminens & exquisita, saltem debita, & sufficiens desideratur. Sine hac qui gradum petit, & Professores, qui admittunt, graviter peccant. Gloss. in *Clem.* 2. *h. tit.* Hinc quia nemo repentè fit summus, in omnibus benè ordinatis Universitatibus certum temporis spatium studiis præfixum est, & in Nostra hac Universitate Salisburgensi citra causam rationibilem nemo ad Gradum Licentiæ, vel Doctoratûs in Theologia, aut Jure admittitur, nisi qui publicè in hac, vel alia Universitate lectiones frequentavit, & expleto quadriennio, vel quinquennio Theses publicas ex ea facultate habuit. Insuper Felin. *ad rubr. h. tit. in fin.* Menoch. *de Arbit. Jud. cas.* 379. *num.* 12. & Roland *lib.* 1. *consil.* 69. *num.* 41. scribunt, indignè promotos aliorum Doctorum privilegiis non gaudere. Jmò sancitum est, semel Laureatum propter apparentem insufficientiã Doctoratûs insigniis spoliari posse, arg. *l. grammaticos.* 2. *C. de Profess. & Medic.* Benius *de Privileg. FCt. p.* 2. *privileg.* 23. *num.* 3. Besold. *dissert. de Studios. c.* 10.

Morum honestas: enimverò *Magistrum studiorum, Doctorésque excellere oportet moribûs primùm, deinde facundiâ.* Textus in *l. magistros.* 7. *& ibi.* Bartol. *C de Professorib. & Medic.* Roman. *singul.* 139. Et immorigerati, ac mali ingenio, licèt periti sint, ac boni ingenio, reprobari possunt. Panorm. in *c. causam matrimonii. de Offic. deleg.* Benius *Privil. FCt. p.* 3. *privil.* 64. *n.* 5. Præsertim verò à dignitatibus Academicis arcendi sunt infames infamiâ sive juris, sive facti. *c.* 87. *de R. J. in* 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum. l. un. C. de. Infamib. Infames persona nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri solent, uti possunt.* & *l.* 2. *C. de Dignitatib. Neque famosis, & notatis, & quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.* Johann Dieterich Fregißmont *de Doctor. dignit. c.* 2. *n.* 26.

Cæterùm Studiosos, si digni sint, & honores literarios aspirent, ambitionis aculari non posse, rectè cum Petro Rebuffo notat Eximius P. Otto Aicher in *Instit. Ethic. auctar. cap.* 3. *disc.* 1. An etiam mortui, sicut nobilitari, ita & doctorari possint? disputat Clariss. D D. Hermes in *Fasc Jur. Publ. c.* 37. *n.* 178. Num verò Doctores Bullati ad gradus, quibus insigniti sunt, in Academiis denuò promoveri queant? in medio relinquo.

§. VII.

11 *Materia*, ex qua Magistri, seu Doctores creantur, sunt quatuor scientiæ, seu facultates cardinales: nempe S. Theologia, Jus utrumque, Medicina, & Philosophia.

§. VIII.

12 *Formam* Magistris, ac Doctoribus dat legitima eorundem promotio; quæ ut talis sit.

Requi-

Requiritur I. ut Professores Candidatum rigoroso priùs examini subjiciant, exploréntque ipsius scientiam, & eruditionem juxta *l. magistros. 7. C. de Professor. & Medic* ubi Julianus Imperator constituit, ut judicio Ordinis promovendus decretum Curialium mereatur, optimorum consensu conspirante. Quod prævium ex more tentamen attinet, si aliunde satis de idoneitate constet, id Professores, ut quorum discretioni, & conscientiæ examinatio à Principibus committitur, remittere possunt per ea, quæ tradit Bald. in *c. constitutis. 46. de Appellat.*

II. Præmittenda est professio fidei juxta Bullam Pii IV. P. Engl *ad tit. de Sum. Trinit. n. 9.* Alioquin Doctoratum irritum censuit Sacra Cardinalium Congregatio ab Universitate Papiensi consulta, in *declaratione 337. ad Trident. sess. 25. de Reform. c. 2.* prout refert Benius *de Priv. JCt. p. 1. privil. 11. n. 3.*

14 III. in ipsa promotione Candidato insignia Doctoralia tradantur, necessum est, nec ante eorum acceptionem quis Magister, aut Doctor salutari debet. P. Otto Aicher *cit. dis. 1. in fin.* Sunt autem insignia illa, *liber, Epomis*, seu *Pallium*, *Birretum*, seu *quadratum*, *annulus*, *torques*, seu *catena aurea*, *amplexus*, seu *osculum*, *Cathedra*, & alicubi etiam *Benedictio*, quæ omnia mysteriis plena sunt, ût ostendit idem P. Otto Aicher *d. c. 3. disc. 2. per tot.* Atque inde Besold. in *Dissert. Juridic. pol. de Jure Acad. cap. 4. n. 7.* infert, absentem post rigorosum Examen per Procuratorem promoveri non posse: cùm hæ solennitates quædam actio legis esse videantur, quæ respuit procuratorem. *l. nemo. 123. ff. de R. J.*

IV. Promotionem sequitur convivium, ut vocant, doctorale. Verùm nihil detrahi dignitati Doctorali, etsi Neodoctor convivium haud faciat, post Jason. in *l. 1. n. 27. ff. de Lib. & Posthum.* optimè advertit Besold. *Dissert. de Studios. c. 10.* & quotidianus usus comprobat.

§. IX.

15 *Finis* Magistrorum seu Doctorum est, era dicare pravos errores, formare rudes hominum mores. Verbo: docere, arg. *l. Magistros. 7. C. de Professor. & Medic.*

§. X.

16 *Effectus* Magistrorum, seu Doctorum apparet præcipuè in eorum privilegiis. Quæ respectu Doctorum Theologiæ, Juris, & Medicinæ, vel communia sunt, vel peculiaria.

Inter *communia*, quæque in genere omnibus his Doctoribus competunt, *primum* est, quòd per gradum doctoralem è plebeia conditione eximantur, & consequenter in dignitate constituantur per *c. quanto. 3. h. tit. Clem. 2. Eod.* Johann Dietrich Fregißmont *de Doct. dignit. cap. 1. n. 10.* trahens post se tota plaustra DD. sequacium. Atque hac ratione Ludovicus Comes. in *c. statutum. num. 67. de Rescript. in 6.* censuit, Doctorem etiam posse fungi officiô Delegati Apostolici, saltem si per 20. annos legisset. De quo tamen meritò dubitat Benius *de Privil. JCt. p. 3. privileg. 62. n. 3.* eò quòd Doctoratus sit solùm dignitas sæcularis, non Ecclesiastica, quæ in Delegato Sedis Apostolicæ desideratur juxta *d. c. statutum.*

17 *Alterum* Privilegium horum Doctorum est, quòd veram nobilitatem consequantur, arg. *l. 2. §. ult. in fin. l. 4. §. 1. in fin. ff. de Excus. tut. l. 2. §. fin. ff. Qui pet. tut. l. 2. §. 9. C. de Vet. jur. enucl.* & iisdem cum nobilibus prærogativis gaudent per *l. providendum. 7. C. de Postul. c. de multa. de Præbend.* Guid. Pap. *decis. 338* Johann Dieterich Fregißmont. *c. 2. & 3.* Portant enim sine speciali Imper. permissu insignia Nobilium Wappen mit offenem Helm. Cassan. in *Catal. glor. mund. p. 1. consid. 38.* iisdem unà cum Uxoribus jus est gerendi vestes, aureas

catenas, annulósq; unà cum Nobilibus in genere. *R. J. de Anno 1577. tit. 11. §. 2.* item *de Anno 1530. §. Von Doctorn.* Unà cum Nobilibus in Capitulares Ecclesiarum Cathedralium eliguntur. Matth. Stephan. *de Jurisd. p. 1. tit. 2. c. 7. memb. 2. n. 68. & seqq.* Nisi mos & consuetudo regionis, quæ in honoribus, & prælationibus est inspicienda, Gail. 1. *Obser. 21. in fin.* aliud introduxerit. In Camera paribus cum Nobilibus fruuntur stipendiis. *Ord. Cam. part. 1. c. 43.* & accepantur locò Nobilium, maximè si Nobiles non extent idonei. *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 13. §. 2. in fin.* Si Comitissa Doctori nubat, haud dicetur indigno nupsisse. Clariss. D.D. Hermes in *Fasc. Jur. Publ. c. 37. sub. n. 179.*

18 *Tertium* privilegium est, quòd pro Doctoribus stet virtutis, integritatis, & innocentiæ præsumptio. Farinac. & Besold. quos refert, & sequitur Johann Dietrich Fregißmont *d. c. 3. num. 26.* Hinc præ reliquis admovendi sunt ad officia, ac dignitates sive Ecclesiasticas, sive sæculares, arg. *c. cùm in cunctis. de Elect. c. de multa. & ibid.* Panorm. *in not. ult. de Præbend.* Trident. *sess. 24. c. 12. de Reform.* & in gratiis factis de eodem beneficio, ac in pari data, graduati non graduatis, & inter graduatos magis graduati, & inter æqualiter graduatos priùs graduati præferuntur juxta *Reg. Cancell. 17. de concurrent. in data.* P. Engl ad *tit. de Præbend. n. 28.* Ad hæc in testimoniis ferendis testis Doctor prævalet alteri testi non habenti dignitatem. Alex. *consil. 18. lib. 1.* Menoch. *de Arbitr. Judic. l. 2. casu. 96. n. 9.* & si ex una parte duo Doctores testimonium perhibeant, ii præferuntur tribus ex alia parte contrarium deponentibus. Text. & Gloss. in *c. in nostra præsentia. 32. de Testib.* Benius *de Privileg. JCt. p. 2. privileg. 53.*

19 *Quartum* privilegium est, quòd Doctores singulari præ cæteris reverentia, & honore affici debeant, arg. *l. 2. & 3. C. de Officio diversi. jud.* Zas. *lib. 1. consil. 2. n. 20.* Quò refero, quòd Principes ex moderno stylo Curiæ in literis Doctores alloquantur numero plurali: Ihr/ Euch/ cùm tamen Nobiles numero singulari interpellent du/ dir: Besold. *dissert. de Stud. cap. 9.* quòd si in Civitate S. Princeps versetur, Doctoribus vehiculò uti permissum sit, quod aliis passim non conceditur. *l. 1. C. de Honorator. vehic.* Clariss. D.D. Hermes *d. c. 37. num. 179.* quòd testimonii, vel jurisjurandi causâ non debeant ad tribunal evocari, sed domi coram Actuario examinari, ibique jurare possint, arg. *l. ad personas. 15. ff. de Jurejur.* quòd injuria Doctoribus illata reputetur atrox, graviúsque punienda sit, quàm contumelia plebeio facta, arg. *§. pœna. 7. & § 9 Inst. de Injur.* Benius *p. 2. privil. 47. & 48.* Utrùm autem Doctores militibus, & Nobiles ex literis Nobilibus ex sanguine traduce anteferendi sint? accuratè discutiunt Johann Dietrich Fregißmont *de Doct. dignit. c. 5. per tot.* & P. Otto Aicher in *cit. auct. Instit. Ethic. cap. 2. disc. 3.* quos, si lubet, consule.

Quintum privilegium consistit in immuni-20
tate, quâ Doctores eximuntur à muneribus tam realibus, quàm personalibus. Guid. Pap. *decis. 169. & 184.* Natt. *consiliô 486. num. 1.* Surd. *consiliô 525. n. 13.* Luculentus ad hanc rem textus est in *l. 6. C. de Professoribus & Medic.* in qua Imperator Constantinus pia non minùs, quàm Imperatoria Majestate digna voce rescripsit: *Literatos, & Doctores legum, unà cum uxoribus & filiis, nec non rebus, quas in Civitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel civilibus, vel publicis immunes esse præcipimus.* Quæ constitutio Constantini corroboratur per rescriptum Impp. Honorii, & Theodosii in *l. 11. C. Eod.* ibi: *sint ab omni functione, & ab omnibus muneribus immunes.*

Ubi

Ubi reiteratio voculæ *omnis* enixam, & expressam voluntatem declarat. Quare Doctores nec tenentur ad vectigalia, & Gabellas, cùm libros, résque alias transferre opus habent per *auth. habita. C. Ne filius pro patre.* Besold. *Dissert. de Stud. c. 9.* Subjacent tamen, ut opinor, oneribus patrimonialibus, quæ premente necessitate belli imponuntur, quotempore omne privilegium dormit. Gail. *2. observ. 52. num. 26.* Mund. *de Munerib. tit. 6. n. 376.* Quod & Recessus Imperii confirmant, dum neminem, quocunque etiam immunitatis privilegio munitum, à Turcicis contributionibus immunem esse volunt. *R. J. de Anno 1495. 1500. & 1524. §.* Und nemlich sollen: item *de Anno 1613. §.* Nachdem es nun.

11 *Sextum* privilegium commune Doctorum absolvit temperamentum pœnarum, dum mitiùs, quàm plebeii puniendi sunt, arg. *c. fin. de Pœn. l. 16. §. fin. ff. Eod.* Hinc omni carceris periculo vacant, licèt propter inopiam æs alienum dissolvere nequeant, arg. *l. medicus. 6. C. de Professorib. & med.* criminis capitalis suspecti ex arbitrio Judicis potiùs domi cum certa custodia militū custodiri, vel etiam remotâ custodiâ in certo loco arresto constringi, quàm in carcere publico detineri debent, arg. *l. de Custodia. 1. ff. de Custodia reor.* cruciatibus & torturis, præterquam in criminibus exceptis, veluti læsæ Majestatis, proditionis, hæresis &c. subjiciendi non sunt, arg. *l. 4. C. Ad leg. Jul. Majest.* Gilhaus. in *arb. judic. crim c. 6. part. 7. sect. 1. n. 13.* nec pœnâ triremium, fustibus, laqueo, aut alio simili ignominiosiori genere pœnæ, sed, si delictum ultimô supplicio dignum sit, gladiô puniri debent, arg. *l. 9. §. 11. ff. de Pœnis. l. 5. C. Ex quib. caus. infam.* Besold. *d. Dissert. de Stud. cap. 9.* Imò nullus Doctor potest pœnâ mortis affici, nisi priùs solenniter degradatus. Johann Dietrich Fregißmont *l. cit. c. 3. n. 48.* cum laudatis.

Porro de *Magistris Philosophiæ*, an iis re- 22
censita hactenus. aut similia privilegia accommodari possint, est, quod dubites. Favere illis videtur, quòd sub nomine Magistri in generali significatione Doctores, & Licentiati comprehendantur per *l. cui. 57. ff. de V. S.* Econtra Doctores præ Magistris privilegiatos esse, innuit *Recessus Imperii de Anno 1577. tit. 12.* Ego quoniam hanc quæstionem à nullo decisam vidi, aliis lampada trado. Illud certum est, quòd sicut Licentiati & Doctores, ita Magistri in hac Alma nostra Universitate promoti ex Bulla Urbani VIII. & Diplomate Ferdinandi II. re & nomine ubique gaudeant *omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, honoribus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus alii in Universitatibus studiorum generalium, Italiæ, Gallia, Germaniæ promoti, de jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, absque ulla differentia, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illa Universitati huic & personis in ea promotis specialiter, & nominatim concessa forent.*

Ad *peculiaria* privilegia Doctorum illa refero, quæ concessa sunt *Professoribus*, id est, iis, qui publicè in Academiis docent. Hæc inter *primum* est, quòd Professores quantumvis juniores præferantur Doctoribus non Professoribus etiam senioribus, arg. *l. 1. C. de Consulib.* Alex. & Jason. in *l. cùm quis. C. de Reb. cred.* Clariss. D. D. Hermes in *Fasc. Jur. Publ. d. c. 37. sub. n. 179.*

Alterum est, quòd pro Professoribus mili- 23
tet singularis peritiæ præsumptio, ut patet ex *Ordin. Cam. p. 1. tit. 4. §.* aus denselben. ubi Jurisconsultos in Academiis Cameræ Assessores præ aliis eligendos esse jubetur.

Tertium est, quòd Magistri, seu Professores, qui etiam extra suas Ecclesias Theologiam

giam docent, quamdiu in docendo persistunt, fructus beneficiorum suorum integrè percipere possint, acsi in sua Ecclesia residerent. *c. quia nonnulli. 4. h. t.* Trident. *sess. 5. de Reform. c. 1.* Rebuff. in *Prax. benefic. tit. dispensatio de non resid. num. 25.* Nec refert, quod in *c. fin. h. tit.* hoc ad quinquenium restringi videatur: siquidem quinquenium illud refertur ad discentes, seu studentes, non ad docentes, ut benè notat Barb. in *d. c. fin. n. 5.* Quod de Magistris Theologiæ dictum, ex paritate rationis ad Professores SS. Canonum communiter extendunt DD. cum Panormit. in *c. licèt. 32. num. 5. de Præbend.* Imò idem aliarum facultatum Professoribus, si in Publica Universitate doceant, conceditur per Bullam Eugenii IV. quam ad omnem approbatam Universitatem trahi posse, post Barbos. in *Consult. can. lib. 3. resol. 88. dub. 1.* docet P. Engl *h. t. n. 4.* An, & quatenus verò Canonicus Lector Theologiæ, aut SS. Canonum nedum fructus annuos, sed etiam distributiones quotidianas lucretur? consule Jacob. Pignatell. *tom. 1. consult. 134. & 346.*

24 *Quartum* privilegium Professorum est, quòd iis, qui senectute, vel morbo impediuntur, quò minùs officio suo præesse queant, integrum debeat solvi salarium, ac si viribus integri essent. Speckhan. *cent. 2. class. 1. q. 10.* spectat enim ad curam Principis, ne ii, qui consenuerunt in officio aliquo digniore, indigeant in senectute. arg. *l. Lucius. 11.* ibi: *veteranis in præmia. ff. de Evictionib.* Clariss. D. D. Hermes *d. c. 37. n. 23.* ubi *num. 22.* tradit, Professorem infra annum mortuum totius anni salarium ad hæredes transmittere, tametsi præstatio salarii per angarias, aut menses fieret. Cui accinit Jacob. Benius *de Privileg. Fctor. p. 1. privileg. 22.* an usus quoque, subsisto.

Quintum privilegium est, quòd si quis Professor per vicennium publicè jura professus sit, Illustribus annumeretur ex communi D. D. sententia, arg. *l. un. C. de Professorib. qui in urbe Const.* Benius *d. p. 1. privil. 14.* cum Barthol. Bald. & aliis, quos citant *n. 1.* Nec restringenda est *d. l. un.* ad Professores Urbis Constantinopolitanæ, cùm ratio legis generalis sit, ut advertit Clariss. D.D. Hermes *d. c. 37. sub. n. 179.*

In facto *quæsitum* memini, num Doctores Bullati à Comite Palatino creati, dignitate & privilegiis pares sint illis, qui in Academiis publica solennitate promoti sunt? 25

Affirmativa placet multis ob paritatem potestatis, & auctoritatis sive Pontificiæ, sive Cæsareæ, qua ad hoc honoris fastigium Candidatos suos æquè Comes Palatinus, ac Universitates educunt. Cui non magis in uno, quàm altero casu citra sacrilegii crimen obviare licet. Text. in *l. sacrilegii. 5. C. de Divers. rescript.* & in *l. disputare. 3. C. de Crim. sacrileg.* In quam sententiam propendent Treutl. *vol. 1. disp. 1. th. 7. lit. B.* Arumæ. in *discurs. ad Aur. Bull. 1. th. 5.* Matth. Steph. *lib. 2. de Jurisd. p. 1. c. 6. n. 9.*

Ego cum Clariss. D.D. Hermes sæpè *d. cap. 37. num. 184.* Benio *p. 2. in præm. num. 6.* Besoldo *dissert. de Stud. c. 10 prop. fin.* aliisque libentiùs irem in negativam: *primò* per *l. 7. C. de Professorib. & med.* ubi duo duntaxat modi promotionis doctoralis probantur, auctoritas scilicet Principis, & judicium Ordinis, quod se absente Julianus Imperator præcisè exegit. *Secundò* per *Ordinat. Cam. p. 1. tit. 3. & 18.* juxta quam Bullati Doctores in Camera ab Assessorum Ordine, ejúsque Commissariorum excluduntur. Ruland. *lib. 1. de Commiss. cap. 14.* *Tertiò* per Constitutionem Pii V. *Quamvis à Sede.* editam Kal. Junii Anno 1568. quâ revocavit facultates Comitum Palatinorum, & aliorum gradus concedendi, simúlque declaravit, promotos ab illis quoad dignitates, aut alia beneficia

neficia nullâ gradûs prærogativâ frui, & gaudere posse, vel debere. Maximè verò *quartò* per Decretum Trident. *sess. 22. de Reform. c. 2.* quod desiderat, ut assumendus ad Ecclesias Cathedrales antea in *Universitate* studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel jure Canonico meritò sit promotus, ut publicô alicujus Academiæ testimoniô idoneus ad alios docendos ostendatur. *Quintò* per declarationem S. Congregationis Concilii, quâ hanc sententiam amplexa est, & in *una Clem. die* 17. *Jan.* 1643. declaravit, requiri, ut gradus Doctoratûs sit receptus in Universitate publica.

Neque inflector argumento in contrarium oppositô: quia quamvis gradus etiam in Academiis Principis auctoritate conferantur, non tamen aliter conferuntur, quàm prævio publico examine; quod cùm Doctores Bullati non sustineant, non præsumuntur habere sufficientem scientiam, arg. *d. l. 7. C. de Professorib. & Med.* & *l.* 11. §. 1. *C. de Advoc. diverf. judic.* Ruland. *d. c.* 14. *num.* 8. Neque verò Doctoratus simplex dignitas est, ut nobilitas, sed fundatur in eruditione, ejúsque debita, & publica exploratione. Bachov. ad Treutl. *vol.* 1. *disp.* 1. *th.* 7. *lit. B.* Et certè aliàs quivis pecuniâ Gradum emercari, & ita Ecclesiæ, ac Reip. imponere posset. Jacob. Pignatel. *tom.* 1. *consult.* 224. *num.* 10.

Porro illud pro judicato est, quòd Doctor promotus in Academia præferendus sit Bullato: quandoquidem is dignior est, qui dignitatem accepit, non solùm à digniore. *c. per tuas. de Majorit. & obed.* sed etiam coram Nobilioribus, & in loco nobiliori. Decian. *resp.* 84. *num.* 25. *vol.* 5. Alex. *consil.* 203. *n.* 4. *vol.* 3.

§. XI.

26 *Affines* Magistris, seu Doctoribus sunt *Licentiati* & *Scholares*, seu *Studiosi*.

Licentiati dicuntur, quibus, quandocunque volunt, supremam lauream, & insignia Doctoratûs, aut Magisterii petere licet, Petr. Greg. Tholosan. *de art. jur. c.* 34. *n.* 18. Hi quamvis cæteris paribûs Doctoribus posthabeantur. Besold. in *Thes. Pract. V. Licentiat.* cum Doctoribus tamen paria pene jura faciunt, & in favorabilibus iisdem privilegiis gaudent, cùm proximè cingendi pro cinctis habeantur. *l. penult. ff. de Testament. milit.* Clariss. D D. Hermes *d. c.* 37. *num.* 166. cum communi. Hinc Trident. *d. sess.* 22. *c.* 2. *& sess.* 24. *c.* 12. in assequendis dignitatibus Ecclesiasticis Doctoribus æquiparat Licentiatos. Item Licentiati possunt esse Cameræ Imperialis assessores, Advocati, & Procuratores. *Ordin. Cam. p.* 1. *t.* 3. Ruland. *d. c.* 14. *in fin.* Præterea si statutô, ut passim in Germania, cautum sit, ut in Collegium, vel Ordinem Ecclesiasticum, sive civilem nonnisi Doctores cooptentur, Licentiati admitti queunt. Nolden in *Disc. de nobil. c.* 5. *num.* 18. Et sic de aliis. Benè verò advertit Johann Diet. Fregißmont *de Doct. dig. c.* 6. *num.* 29. nomine Licentiatorum eos solùm venire, qui ritè, & solenniter tales creati sunt; non illos, qui legitimè duntaxat examinati, & gradu digni judicati fuerunt, quos *Candidatos* vocitamus.

Studiosi, seu *Scholares* appellantur, qui in 27
Academiis, ac scholis, ubi publicè exercentur literarum studia, versantur Colligitur ex *auth. habita. C. Ne filius pro patre.* Ut verò verè pro Studiosis habeantur, & privilegiis Academicis, quorum 180. recensetPetrus Rebuffus, gaudeant, præcipuè tria requiruntur.

I. Ut commorentur in Academiis appro- 28
batis, in quibus ex privilegio, & concessione Principis, ad quem hæc potestas pertinet, literæ docentur per *cap.* 2. *de Privil. in* 6. Quamobrem Clerico fructus, quib⁹ alioquin studii Theologici, vel, quod addo, Canonici causâ ablens per quinquenium gaudere

potest.

potest, *c. fin. h. tit.* non præstantur, si se conferat ad loca, in quibus non est exercitium studii publicii. *c. tua. 12. de Cleric. non resid.* nec alii privatim, aut in scholis particularibus studentes, aliis Scholarium privilegiis gaudent. Gilken. ad *d. authent. habita. n. 25.*

II. Requiritur, ut studiorum causâ venientes per Rectorem, intra tempus immatriculationi destinatum, in matriculam recipiantur, arg. *l. 6. §. 4. ff. de Excusat. tut. l. ex eo. 42. ff. de Testam. milit.* Ante hanc immatriculationem saltem specialibus illius Academiæ, in qua versantur, privilegiis non gaudent, prout in quibusdam Universitatibus, & in hac nostra Salisburgensi expressô statutô cautum est. Aliud dixeris de privilegiis juris communis, ex quo *d. auth. habitâ. C. Nesilius pro patre.* immatriculationis non meminit, & usus ostendit, eos quoque defendi, qui non sunt inscripti, modò studiorum gratiâ in Academiis vivant. In qua professione juris illius meritò se ruetur Academicus Magistratus. Besold. *de Studios. cap. 1. ¥. sed magis est.*

III. Omnino necessarium est, ut literis, puta Theologiæ, Juri, Medicinæ Philosophiæ, vel aliis liberalibus studiis operam navent: studia quippe sunt principalis causa, ob quam Scholaribus privilegia concessa sunt per *d. auth. habitâ.* Hinc pro studiosis habendi non sunt vagabundi, & circumforanei. Gail. 2 *observ.* 118. *n.* 9. ut & qui planè nihil olei literis impendunt, arg. *d. l. 6. §. 4. ff. de Excus. tutor. l. sub. pretextu. 3. C. de Ss. Ecclesiis.* Clariss. D. D. Hermes in *Fasc. Jur. Publ. cap. 37. num. 192.* Nisi quòd hos quoad jurisdictionem Rectori subjectos esse, scribat Gilken. *ad d. auth. habitâ. num. 13.* Excipiuntur tamen Illustres, qui licèt aliis exercitiis dediti sint, in Academiis tamen tolerari solent ob splendorem, quò amplior sit Studiosorum numerus; cujus rei gratiâ immunitas, & alia jura infringi possunt, arg. *l. 3. §. 2. ff. de Decurionib. l. 11. §. 2. ff. de Munerib. & honor.* Gilken. *l. cit. num. 19.*

PARS II.

Ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SUMMARIA.

29. 30. An liceat aliquid exigere pro licentia docendi? 31. An pro gradibus Academicis? 32. An pro ipsa doctrina?

33. An Prælati teneantur scholas erigere?

IN *altera* hujus Tituli *parte* subjungitur prohibitio, ne cujuscunque consuetudinis obtentu pro licentia docendi, sive pro obtinenda professura aliquid temporale exigatur, ad quem talem licentiam, vel professuram concedere pertinet. *cap. 1. 2. & 3. h. t.* Contraveniens exactum restituere, & promissum remittere tenetur juxta *d. c. 2.* & præterea beneficiô, officiô, ac dignitate privandus est. *d. cap. 1. & 3.* Sed 29

Quæres I. Utrùm vera simonia committatur, si pro licentia docendi aliquid exigatur? 30

Ita putat Honorius *h. t. n. 1.* tum quia scientia est donum Dei. *cap. 11. causâ 1. quæst. 3. c. 65. §. si quis doctus. causâ 16. q. 1.* tum quia dare licentiam est actus jurisdictionis, & ministerii Ecclesiastici, arg. *cap. ad nostram. 21. de Simon.* tum quia huc juxta *c. 2. h. t.* accommodatur illud Christi præceptum: *Gratis accepistis, gratis date.*

Econtra P. Engl *h. t. n. 8.* censet, exactionem hanc pro licentia docendi esse tantùm jure Ecclesiastico tanquam inconvenientem prohibitam, non autem propriè simoniacam, nisi eo casu, quo pro licentia docendi beneficio annexa aliquid exigeretur, ea ratione ductus, quòd professura liberalium artium ex se non sit aliquid spirituale.

Ego pro componendis his opinionibus statuo,

statuo, per se loquendo simoniacum non esse, si quid exigatur pro licentia docendi, etiam Theologiam, absolutè, & secundùm se considerata, eò quòd professura, sive doctura sit officium merè temporale, nihilque spiritualitatis habeat: at secus esse, si pro illa licentia pretium accipitur, prout est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, seu potestatis spiritualis; id quod colligo ex *c. 3. & passim h. t.* ubi agitur de licentia docendi danda à Prælatis & Capitulis, atque ita auctoritate quâdam spirituali. Et facit *c. cùm ab omni. 10. de Vit. & honest. Cleric.* & *d. c. ad nostram. 21. de Simonia.*

31 *Quæres* II. Quo jure in Universitatibus aliquid exigatur pro collatione Graduum, Licentiæ, & Doctoratûs.

Ratio dubitandi est, quòd hæc ipsa Gradûs collatio sit licentia docendi, vel certè eò ordinetur: neque honestum lucrum, sed sordities videatur, à Doctis aliquid exigere pro licentia docendi, & tradendi scientias, ad quod munus eos precibus, & muneribus deceret invitare.

Nihilominus expeditum est, impunè, optimóq; jure pro collatione graduum pecuniam, & quò illi majores sunt, majorem quantitatẽ, & taxam exigi; non tantùm per modum stipendii pro labore examinantium, approbantium, & Universitatis in tali gradu assistentis, sed etiam absolutè per modum pretii, & contractûs onerosi: cùm Gradus nihil aliud sit, quàm publicum testimonium scientiæ, & approbatio ad officium docendi, consulendi, &c. cum pluribus insignibus privilegiis, emolumentis, prærogativis, & honoribus temporalibus, tanto majoribus, quò gradus major. Unde principaliter quidem requiritur dignitas, & scientia in promovendo, atque cæteris paribus iis, qui digni sunt, gradus tanquam publicum testimonium sine injuria denegari non potest, non tamen gratis necessariò conferri debet: quandoquidem graduando non nudum testimonium scientiæ promeritum, sed etiam honores temporales & aliæ prærogativæ pretio æstimabiles tribuuntur.

Rationes in contrarium adductæ nullius roboris sunt, & ex his dictis facilè diluuntur, nimirum gradus duo includit: dignitatem & privilegia, quæ æstimationem, & pretium nullatenus respuunt; & licentiam docendi, pro qua, licèt & ipsa, si non proveniat à potestate spiritualis jurisdictionis, merè quid temporale sit, nihil accipitur, nec honestè quicquam, ut ego quidem reor, accipi posset.

Quæres III. An sicut prohibitum est, aliquid exigere pro licentia docendi, ita etiã pro ipsa doctrina nihil exigi, aut accipi possit? 32

Gloss. in *c. nolite. 86. causâ 11. q. 3.* & Turrecremat. in *c. qui studet. 11. causâ 1. q. 1.* id affirmant. Quibus favere videtur illud *Proverb 23. ℣. 23. Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.* Adde text. in *l. 1. §. 5. ff. de Extraord. cognit.* ibi: *est res sanctissima civilis sapientia, sed quæ pretio nummario non sit æstimanda, nec dehonestanda.* Quòdsi verò doctrina juris civilis omne pretium excedit, ac propterea materiam simoniæ ponit, multò magis hoc obtinebit in doctrina Sacræ Theologiæ, sacrorúmque Canonum.

Verùm hæc sententia passim, & meritò exploditur: quamvis enim ipsa scientia per se, uti ab una in aliam personam transferri nequit, ita nunquam vendi possit, potest tamen vendi & æstimari industria, instructio, & propositio docentis, utpote quæ spiritualis, ac inæstimabilis non est. Nec refert, circa sacra, an verò profana doctrina versetur? cùm non res sacra, sed nudus labor, & industria in æstimationem & contractum veniat. Atque hoc convincit communis usus Academiarum, & Ecclesiarum, quæ stipendia pro Theologia æquè, ac aliis quibuscunq; facultatibus assignant, & eò majora, quò scientia præstantior. Planè si Professor ex pu-

blico condignum stipendum habeat, ut omnes gratis doceat, exigendo aliquid à Discipulis non quidem simoniam, sed injustitiam committit, nisi extraordinarias lectiones, repetitiones, aut collegia privata instituat, quæ pacto, & stipendio comprehensa non sunt. S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 3. Gloss. & Barb. in *cap.* 1. *h. t.* Zoës. *num.* 4. P. Engl *n.* 9. *Eod.*

Ad textus quà Sacræ Scripturæ, quà juris Civilis respondeo, quòd in iis non prohibeatur venditio, sed contemptus sapientiæ, ne scilicet illam parvi pendamus, ut *quæ pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Prover.* 3. ℣. 15. Posses etiam testimonium S. Scripturæ non de naturali, sed de infusa sapientia, quæ appellatur *scientia Sanctorum*, accipere, ut allegatum textum *Proverb.* 3. interpretatur D. Thomas.

33 *Quæres* IV. Num Prælati Ecclesiarum suis, vel Ecclesiæ sumptibus teneantur Scholas erigere, ac Magistros, seu Professores constituere?

Hac de re complura decreta Conciliorum, ac SS. Pontificum extant. Et imprimis quidem in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, item in Collegiatis, quarum facultates sufficiunt, constituendos esse Magistros, qui Clericos, aliósque pauperes saltem in humanioribus literis instruant, & in Ecclesiis Metropolitanis etiam Professorem Theologiæ, assignatis cuilibet Magistrorum unius præbendæ, sive Canonicatûs proventibus, decernitur in *c.* 1. & 4. *h. t.* Quòdsi Prælatus in hoc negligens fuerit, & Magistros in locis congruis instituere neglexerit, jus hos instituendi appellatione remota ad Superiorem devolvitur juxta text. Gloss. & Panorm. in *c.* 2. *Eod.* Hácque omnia confirmavit, ac ampliavit Trident. *sess.* 5. *de Ref. c.* 1. ubi statuit, non tantùm in Metropolitanis, sed & in Cathedralibus, nec non Collegiatis Ecclesiis, quæ sunt in civitate populosa, vel oppido insigni lectionem Theologiæ instituí, & præbendam primò vacantem ad eum usum ipsô factô deputatam intelligi; in monasteriis quoque & Conventibus Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, Abbates per Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ Legatum, compelli debere. Confer. Ernric. Pirthing. *h. t. §.* 1. *per tot.* P. Engl *Eod. n.* 2.

TITULUS VI.

De Judæis, Saracenis, & eorum servis.

Secundum crimen contra *primam Tabulam* est infidelitas, quam habent *Judæi, & Saraceni.*

PARS I.

De Judæis.

SUMMARIA.

1. Judæi quinam dicantur? 2. Sintne inter Catholicos tolerandi? 3. Usque 8. Circa hos quid juris?

§. I.

Judæi dicti, vel à Juda Duce, vel à tribu Ju- 1
da, quæ inter illos erat nobilior, & bellicosior, & ex qua creabantur Reges, & Populi Duces, sicut ex tribu Levi Sacerdotes: sùntque ii, qui Legibus Mosaicis absque fide in Christum Salvatorem adhærent, eásque pervicaci superstitione observant. Vallens. *h. t. n.* 1. & DD. uno ore.

Illud acriter *disceptatur*: num Judæi in 2
Christiana, & bene constituta Rep. recipiendi, ac tolerandi sint?

Argumenta negativæ sunt, quòd ab impietate, injustitia, usuraria pravitate, invidia, & abominandis blasphemiis Judæorum in Christum, & Sanctos ejus nil nisi incommoda, eversiones, & pericula tam Reip. quàm Ecclesiæ

cleſiæ metuenda ſint. Quapropter meritò olim è Provincia hac Salisburgenſi, nuper ex Auſtria, & pridem è Gallia, Belgio, ac tota Hiſpania eliminati ſunt. Cujusmodi expulſiones approbat Marquard. de Suſanis *tr. de Jud. cap.* 11. *n.* 11. relatus apud Jacob. Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 14. *n.* 68.

Verùm Judæos rectè in Rep. Chriſtiana tolerari, communis ſententia, & praxis docet per *c. ſicut. 9. cap. etſi judæos.* 13. *h. t. c. judæi.* 21. *de Teſtib. l. nullus.* 14. *C. h. t. l. Chriſtianis.* 6. *C. de Paganis. Novell.* 146. *cap.* 1. Ratio punctualis eſt, quòd Judæorum inter Catholicos exiſtentia, ac continua obſervantia plurimùm confirmet fidem Chriſtianam, & veritatem illorum, quæ Sacræ Litteræ Veteris Teſtamenti continent, ut cum D. Auguſtino obſervat S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. *in C.* Atque hinc in Imperio noſtro jus recipiendi Judæos inter Regalia numeratur, idque à Carolo V. primitus ſolis Electoribus conceſſum, *Aur. Bull. tit.* 9. deinde verò ad omnes Principes, Status, & alios regalia immediatè ab Imperatore recognoſcentes, translatum eſt. *Ord. Pol. Auguſt. de Anno* 1548. *ſub tit.* Von Juden / und ihrem Wucher. Confer. Jacob. Pignatel. *d. conſult.* 14. *n.* 70.

Argumenta contraria id ſolùm evincunt, quòd legibus, ac pœnis ſacra, & negotiationes Judæorum ita conſtringenda ſint, ne quicquam in contemptum Religionis Chriſtianæ, aut detrimentum Reip. moliri valeant juxta *l.* 8. 11. & 14. *C. h. t.* & ſi ex eorum cohabitatione Chriſtianis periculum, vel ſcandalum immineat, ejici poſſint juxta *d. l.* 11. 14. 16. & 18. *C. Eod. Novel.* 146. *in fin.* Alex. *conſil.* 13. *num.* 2. *vol.* 7. Oldrad. *conſil.* 87. & *conſil.* 264. id quod in prædictis Provinciis factum credimus, & Hiſtoria teſtatur. Cæterùm ſi absque ſcandalo, quietè, ac pacificè ſecundùm leges & ſtatuta vivant, iemel in protectionem recepti expelli non poſſunt: quia ſicut fas eſt, Judæis fidem dare, & ſecuritatem promittere, ita eandem frangere, & violare nefas eſt, arg. *l. ſicut.* 5. *C. de Oblig. & act. l.* 13. *C. h. t.* Decian. in *pr. crim. lib.* 5. *cap.* 11. Rolland. à Vall. *vol.* 3. *conſil.* 25. Vaſq. 1. *Illuſtr. controverſ. c.* 8. *num.* 12.

§. II.

Porro de Judæis, qui inter Catholicos to- 3
lerantur, ita Jus eſt: I. Poſſunt habere Synagogas, veteresque ſervatâ formâ, & ſtatu antiquo reficere, non verò novas, aut ampliores excitare. *c. judæi.* 3. *conſuluit.* 7. *h. t. l.* 18. §. 1. *C. Eod.*

II. Sacra quoque ſua, & ſabbata celebrare 4
permittuntur, neque eo tempore in jus vocari poſſunt, vel aliter impediri debent. *cap.* 9. *h. t. l.* 2. 4. & 13. *C. Eod.* ita tamen ut nihil agant in contemptum religionis. *c.* 4. & 15. *h. t. l.* 11. 16. & 18. *C. Eod.*

III. In protectionem recepti in Imperio ha- 5
bentur pro Civibus, eorúmque juribus gaudent. *l.* 8. & 15. *C. h. t.* Mynſing. *cent.* 5. *obſerv.* 6 Hinc & rerum dominia poſſidere, de bonis ſuis teſtari, matrimonia inter ſe contrahere, liberos in poteſtate habere, contractus & commercia tam inter ſe, quàm cum Chriſtianis liberè exercere, ſolenni modo in judiciis actiones inſtituere, & viciſſim excipere, ut & aliis privilegiis non ſecùs, ac liberi homines frui poſſunt. Beſold. in *Theſ. Pract. V.* Juden. Alex. *vol.* 3. *conſil.* 71. & *vol.* 5. *conſ.* 75.

IV. Ut à Chriſtianis diſcernantur, diſtincto veſtitu uti, & ſigna aperta portare debent. *cap. in nonnullis.* 15. *h. tit. Ordin. Polit. de An.* 1530. Von der Juden Kleidung. Nec eis conceditur, ut familiariter cum fidelibus agant. *cap.* 5. & 8. *h. t.* aut ſervos, ſeu mancipia Chriſtiana habeant. *c.* 1. 2. & *fin. Eod. l.* 1. *C. Ne Chriſtian. mancip.* aut Chriſtianos pro mercede ad domeſticum famulitium

conducant. *d. c.* 8. *&* 13. *h. t.* aut officium publicum inter Christianos gerant. *c.* 16. *&* 18. *h. t. l. ult. C. Eod.*

7 V. Judæi quà actores, & quà rei cum Christianis non coram Judæorum senioribus, sed Christianis judicibus litigare compelluntur. *l.* 15. *C. h. t.* & si in Clericos injurii sint, ac violentas manus injecerint, etiam per Ecclesiasticos Judices ad pœnas pecuniarias, aut alias temporales condemnari possunt juxta *c. postulasti.* 14. *h. t.*

8 VI. Ad fidem Catholicam conversi sollicitè per Principes defendendi sunt, ne propter conversionem suam injuriam, aut damnum sive in corpore, sive in bonis patiantur. Hinc in *c.* 5. *h. t.* sub pœna excommunicationis injungitur Principibus, & Dominis locorum, ut curent, ne conversi possessionibus & bonis in infidelitate ritè quæsitis priventur, vel à portionibus hæreditariis excludantur. Præterea si filius judæi invito patre fidem Catholicam suscipiat, ut servus è potestate dominica, ita filius è potestate patriâ exit, retentis tamen juribus sanguinis, cognationis, & successionis, non secus, quàm si in infidelitate perdurâsset, imò juxta probabiliorem sententiam jus quoque suitatis conservat, in quantum est favorabile, eo modo, quo filius religionem ingrediens, siquidem juxta *d. c.* 5. judæos post conversionem in nullo deterioris, sed melioris conditionis esse oportet, quàm antea. Barbos. *ad d. c.* 5. *n.* 6. *&* 7. Honor. *h. t. n.* 24. ubi id à Paulo III. Pontifice decisum esse, testatur.

PARS II.

De Saracenis.

SUMMARIA.

9. Saracenorum nomine qui veniant? 10. an tolerandi? 11. 12. Utrùm, & quæ communicatio cum his licita? 13. An in bello eorum auxilio uti liceat?

§. I.

Saracenorum etymon aliqui à *Sara* uxore Abrahæ, alii à *Sarraca*, urbe Arabiæ derivant: & sunt illi, qui falsos Deos colunt, maximè verò qui impia Machometis dogmata sectantur; veluti Turcæ, Persæ, Arabes, Tartari, aut similes. P. Engl *h. t. n.* 1. 9

De eo non immeritò *dubitatur*: an sicut Judæi, ita quoque Saraceni in Rep. Christiana ferendi sint? 10

Videbitur primâ fronte, quòd sic: ex quo Judæi Saracenis pejores censentur per *c. nonne.* 37. *causâ* 1. *q.* 1. ibi: *nonne Sodomitæ Ethnici erant, id est, Gentiles? Pejores ergo erunt Judæi, quibus Dominus dicit: tolerabilius erit Sodomis in die Judicii, quàm vobis.*

At verò quamvis Constitutiones Principum Christianorum Paganos æquè, ac Judæos in tutela suâ habeant, & eos jure Civium Romanorum uti permittant. *l.* 6. *C. de Pagan.* Sacrificia tamen, & templa Paganorum velut impia prohibent, eáque protinus claudi, & penitus destrui jubent in *l.* 1. 3. *&* 5. *C. Eod.* permissis Judæorum Synagogis, ac ritibus. *l. fin. C. h. t.* Sed cur tam variè? ideo: quia in ritibus Judæorum olim præfigurabatur veritas nostræ fidei, atque inde aliquod adhuc resultat commodum, dum ab hostibus habemus fidei nostræ testimonium, utpote in figura olim repræsentatum; contra ritus Saracenorum, seu Paganorum, & idololatrica sacrificia nec umbram veritatis habent, nec quicquam utilitatis adferunt, mala autem seu peccata permitti non possunt, nisi vel propter aliquod, quod ex illis provenit, bonum, vel propter aliquod, quod evitatur, malum,

Ex his expedita manet ratio dubitandi: quod enim dictum est, Judæos esse pejores Paganis ac Saracenis, id nonnisi secundùm quid, & quoad forum animæ, atque æterni Judicis tribunal verũ est, non etiam respectu fori

sori temporalis: nam Judæi, dum sunt in synagoga sine fidelium scandalo congregati, licèt gravissimè peccent in Deum, non agnoscendo veram fidem, non tamen ita peccant in proximum, neque ipsam Religionem Christianam, quod Pagani faciunt. Confer. Jacob Pignatel. *tom. 5. consult. 14. n. 79.*

§. II.

Cæterùm de Saracenis, ac Paganis, ceu Re-
11 ligionis Christianæ hostibus, jus ita habet: I. prohibitum est, ut Christiani tempore belli per se, vel per alios cum Saracenis mercimonia instituant, merces ad eosdem transmittendo. *c. 12. h. t.* Ex quo tamen à contrario sensu rectè infertur, tempore pacis stabililiter firmatæ licitum esse non tantùm merces emere, sed etiam ad Turcas & Saracenos transmittere; & jure potiori licitum esse commercia instituere cum iis gentilibus, qui Christianis infensi, vel inimici non sunt, aut certè nocere non possunt, ut puta, qui in orbe novo degunt. Hostiens. in *sum. h. t. n. 3. & 4.* Barb. *add. c. 12. num. 2.*

12 II. Certæ quædam merces absolutè, & tempore pacis quoque ad Saracenos, & Turcas deportari prohibentur, & quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac S. Pontifici reservatæ: illæ nimirum, per quas Barbari contra Ecclesiam armantur, & ad Christianos impugnandos validiores redduntur, ut sunt ferrum factum, vel infectum, galeæ, loricæ, bombardæ, arcus, tela, sagittæ, gladii, naves, aut instrumenta bellica quæcunque. *c. 6. 11. 12. & 17. h. t. Bulla Cœnæ casu 7.* Quibus accedit severa prohibitio juris Civilis in *l. 2. C. Quæres export. non deb.* ubi sub pœna capitali, & confiscationis omnium bonorum inhibetur, ne quis Barbaris cujuscunque gentis etiam sub specie legationis ad civitates Christianorum pervenientibus, aut quâcunque occasione arma qualiacunque aut etiam ferrum adhuc infectum vendat. Sed utinam hæ constitutiones hodie servarentur!

Acerrima inter Politicos pugna est: num 13
Principi Christiano cum Saracenis, ac infidelibus auxilii contra fideles ferendi causâ fœdus inire liceat?

Affirmantibus in suppetias eunt argumenta sequentia. *Primum*: quia fas est, hostes insidiis, & dolo propulsare. *c. Dominus. 2. causâ 23. q. 2.* ergo multò magis auxilio infidelium. *Secundum*: quia unusquisque jure id facere existimatur, quod ad sui tutelam facit, præsertim si se aliter tueri non posse justè timeat. *l. 3. ff. de Just. & jur. l. 45. §. 4. l. 49. §. 1. ff. Ad leg. Aquil.* ergo & Princeps jure ab infidelibus implorat auxilium, quando id facit ob necessariam patriæ, ac Reip. conservationem. *Tertium*: quia fideles in bello justo juvare possunt ipsos infideles, prout Julianus Apostata sub se habuit Christianos milites, qui jussis ejus obsequebantur. *c. Julianus. 94. causâ 11. q. 3.* ergo vicissim infideles etiam ipsos fideles juvare possunt. Assistunt præterea quamplures Authores doctrinâ insignes Panor. in *c. quod super 8. n. 15. de Voto, & vot. redempt.* Bocerus *de Bello, & duello c. 6. n. 16.* Laym. in *Theol. moral. lib. 2. tract. 3. c. 12. n. 6.* & præ reliquis Oldrad. in *consil. 71.*

Negativam propugnant Viri Clariss. D.D. Hermes in *Fasc. Jur. Publ. c. 11. sub. n. 157.* & Rmus P. Martinus Resch *tr. de Jure Patron. cap. 3. n. 9.* in quorum castra intrepidè transeo propter textus S. Scripturæ, in quibus Deus conjunctiones, ac fœdera ejusmodi cum Paganis, ac infidelibus severè prohibuit, ne inde populo Dei quid mali nasceretur, ut *Exodi 23. in fin.* & *34. ℣. 12. & 15. Deut. 7. ℣. 2. Judic. 2. ℣. 2. 2. Paralip. 16. 2. ad Corinth. 6. ℣. 14.* & alibi. Quòd facit, quòd fœdera, & infidelium auxilia Christianis semper fuerint, & sint periculosa propter perversionis, invasionis, aut desertionis periculum. Certè Joannis Palæologi Im-

peratoris Orientis confœderatio cum Amurathe ipsi, & toti Græciæ exitio fuit. Rmus P. Martin. Resch *d. n.* 9. Et Francisci I. Galliarum Regis Posteros post fœdus ab ipso Anno 1542. cum Solymanno contra Carolum V. initum continuis bellis civilibus implicitos, odióque bonorum omnium irretitos, miserandis mortibus obiisse, constat ex Thuano in *Annis* 1559. 60. 72. 73. 84.

Nec argumenta Adversariorum tanti roboris sunt, ut discessionem imperare possint. Et verò ad *primum* ratio disparitatis manifesta est: non enim jure Divino, aut humano infidiis, stratagematibus, aut dolo (si modò fraus, & perfidia absit) hostem opprimere prohibemur, sicuti prohibemur fœdera cum infidelibus conrra fideles inire. *Secundum*, & leges pro eo adductæ procedunt duntaxat de defensione legitima, quæ fit modo, & mediis legitimis: non de impia, qualis foret, si quis cum Saracenis, ac Paganis conspiraret contra æquè fideles. *Tertium* ideo non concludit, quia quòd subditi fideles Principem infidelem juvare, eidémque parere possint, id ipsum permissum & mandatum est; alterum verò, de quo jam controversia, interdictum, imò dum *d. c. Julianus.* 94. *causâ* 11. *q.* 3. prohibet, ne Christiani juvent infideles contra Christianos, satis innuit, quòd minùs Christiani contra Christianos infideles in auxilium advocare debeant. Neque auctoritas DD. dissentientium præsidio est, cùm nullum textum aut efficacem rationem adferant; tantùm autem Doctoribus credendum, quantùm probant, ut cum Harprecht adstruit Rmus. Christoph. Priggl. in *Additam. Man. Pract. de appell. q.* 1. *p.* 477.

Illud porro fatendum est, fœdera pacis, item pacta & confœderationes de non offendendo, de tuendis finibus, de negotiorum, & commerciorum publica utilitate, ac libertate, cum Saracenis, Turcis, Tartaris, aliisque infidelibus salvâ conscientiâ iniri posse, & inita neutiquam esse illicita: quippe pacem, & tranquillitatem indifferenter cum omnibus colere jubet Apostolus *ad Roman.* 12. ℣. 18. *& ad Heb.* 12. ℣. 14. atque id ipsum usus totius orbis ostendit.

TITULUS VII.
De Hæreticis.

SUMMARIA.

1. Hæresis quid nominis? 2. quid rei? 3. 4. 5. quotuplex? 6. quo jure prohibita, & in Imperio tolerata?
7. 8. Hæreticorum nomine qui veniant? 9. quarum rerum, ac propositionum error hæresin inducat?
10. Hæresin constituit error. 11. & pertinacia. 12. an etiam dubium circa fidem?
13. Finis hæresis quis? 14. Quæ pœna hæresis materialis? 15. quæ hæresis mentalis?
16. Usque 20. recensentur hæresis externæ pœnæ spirituales. 21. usque 27. pœnæ temporales. 28. an in Imperio obtineant? 29. Quid & quotuplex sit crimen læsæ Majestatis?

SPecies *infidelitatis* est *hæresis*: etenim qui vel in uno articulo fidei pertinaciter errat, jam formalem fidei rationem, quæ infallibili DEI revelatione consistit, destruit, ac proinde fidem ipsam perdit.

§. I.

Hæresis vox græca est, in Latinorum colo- 1
niam deducta, quæ idem denotat, quod *electio. c.* 27. *causâ* 24. *q.* 3. Hinc olim *hæresis* nomen neque odiosum, neque intame apud vulgum erat, prout hodie. Germanicè Ketzerey, quasi Götzerey idololatria nominatur.

§. II.

Definitur hæresis, prout hic sumitur, quòd 2
sit error voluntarius, & pertinax hominis Christiani contra doctrinam, & veritatem aliquam fidei Catholicæ. P. Engl *h. tit. num.* 1.

§. III.

Dividitur hæresis I. in materialem, & for- 3
ma-

malem. Materialis est, quando quis vel ex mera ignorantia, vel simplici suâ apprehensione ductus, vel authoritate dicentis, aut consuetudine eorum, inter quos educatus est, vel apparente aliqua ratione veritatis allectus, propositionem aliquam contra Ecclesiam Catholicam tenet, paratus tamen corrigi manifestata veritate. Formalis est, quando quis voluntariè, scienter, & cum pertinacia adhæret alicui errori fidei Christianæ contrario.

II. Hæresis *formalis* subdividitur in internam, & externam. Interna, seu mentalis dicitur, quæ in corde remanet, & nec dicto, nec facto proditur. Externa, cùm error contra fidem verbo, vel alio exteriori signo, aut actu, etiam nemine audiente, vel præsente, manifestatur. Assignantur autem communiter tres conditiones ad constituendam hæresin externam necessariæ. *Prima* est, ut signum, sive actus exterior procedat ex affectu, & intentione profitendi hæresin. Unde pro hæretico externo non habetur, qui, dum legit, narrat, disputat, hæresin internam præcisè lectionis, narrationis, vel disputationis gratiâ ore profert: quia errorem non profert tanquam proprium, sed tanquam alienum. *Secunda:* ut verba, aut signum illud vel suapte natura, vel ex institutione humana, vel ex circumstantiis hæresin mente conceptam determinatè ostendat, unde hæreticus externus non censetur, qui, dum mente premit hanc hæresin: *Christus non est verus DEUS*, exterius talia verba promit: *non est verè DEUS*: quia verba hæc non exprimunt, de quo subjecto loquatur, nisi ex adjunctis colligi possit. *Tertia*, ut actus externus, quo manifestatur hæresis, ex se sit peccaminosus mortaliter, nec satis est, si ex solo animo agentis sit malus. Unde hæreticus externus non reputatur, qui hæresin intra pectus pressam consilji, vel instructionis capiendæ causâ alteri detegit, vel etiam qui affectu hæretico aliquid agit, quod ex se est tantùm veniale peccatum, ut si die vetito parùm carnis comedat. Laym. in *Theol. mor. lib. 2. tr. 1. cap. 14. n. 2. 3. & 4.* Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 8. n. 2. & seqq.* Pirrh. *h. t. n. 16.* quos sequitur Clariss. D. D. Gletle in *tr. de Crim. publ. p. 4. c. 3. §. 1. n. 7.*

III. Hæresis dividi potest in sectas varias, & penè infinitas. Sectas antiquas enumerant SS. Epiphanius & Augustinus *lib. de hæres.* Isidorus relatus in *c. quidam. 39. causâ 24. q. 3.* quibus recentiores quasdam addunt Gregorius IX. in *c. 15. h. tit.* & Clemens V. in *Clem. 3. Eod.* Novarum sectarum capita, & origines latè describit Florimundus Raymundus *lib. de Orig. progressu & interitu hæres. nostri temporis.* Scilicet uti contingit iis, qui semel à recta via aberrant, quod in plures deinde, & diversos viæ errores incidant, ita evenit Hæreticis. Postquam unus Lutherus priore sæculo caput contra Ecclesiam erexit, & indulgentias rejecit, non solùm ipse mox in varios errores lapsus, sed illicò ex ipsius secta innumeræ aliæ prodierunt, quæ hodiedum cum maximo detrimento Ecclesiæ, Imperii, aliorúmque Regnorum grassantur. 5

§. IV.

Causa efficiens hæresis est vel remota, vel proxima. 6

Remota est jus tum Divinum, tum Humanum. Illud: quia sub primo Decalogi præcepto hæresin tanquam peccatum gravius omnibus, quæ virtutibus moralibus repugnant, prohibet, & prohibendo formaliter malam facit. Istud: quia hæresin tanquam crimen Reipublicæ Christianæ perniciosissimum in censum delictorum publicorum refert, publicúmque efficit, & hæreticos severis pœnis coërcet.

Quamvis verò tam de jure Canonico, quàm Civili quicunque hæretici è territoriis Principum Christianorum penitus exterminandi sint. *c. excommunicamus. 13. §. moneantur. h. tit. auth. si verò, auth. Gazaros. &*

pas-

passim. C. Eod. attamen in Imperio Romano per *Pacem Religiosam* in Comitiis Augustanis Anno 1555. discretio inter *Augustanam* Confessionem, aliásque Hæreticorum sectas facta est, & illa Confessio impunè quantùm ad immediatos Status Imperii tolerari cæpit, exclusis ab hac pace Calvinistis, ac aliis Hæreticis. *Pax Relig.* §. doch sollen/ deinde autem Anno 1648. in *Pacificatione Osnabrugensi* privilegia Augustanæ Confessionis Sectatoribus, seu Protestantibus concessa ad Calvinistas extensa sunt, dum unanimi consensu conclusum est, ut quæ vel in Pace Religiosa, vel in ipso instrumento Pacis Osnabrugensis Augustanæ Confessionis Statibus, & subditis tributa sunt, etiam iis, qui inter illos *reformati* dicuntur, competant. *Instrum. Pac. Osnabrug. art. 7. §. unanimi.* Utrùm verò, & quo jure Hæreticis tanta libertas, maximè circa Episcopatus, Monasteria, eorúmque bona permitti potuerit? ut in Germania non sine periculo, ita ab Exteris non sine fundamento disputatur.

7 *Causa efficiens proxima* hæresis sunt hæretici, & qui hæreticos in errore suo juvant.

Hærerici censentur non solùm illi, qui novæ sectæ initium moliuntur, ut Hæresiarchæ, vel qui sectam aliquam ab Ecclesia damnatam sectantur, sed & illi, qui privatim in aliquo etiam minimo, & unico articulo fidei à veritate Catholica deviant pertinaciter negando aliquid, quod vel in sacris Literis expressum, vel à S. Pontifice, aut Conciliis Generalibus definitum est, quantumvis de cætero se ut catholicos gerant, & hunc ipsum suum errorem inter alios disseminare non attentent. Neque verò putandũ inter hæreses dari plùs, aut minùs ratione pœnæ; sed hæreticum etiam in minimo pœnas infrà recensendas incurrere, docet Tyber. Decian. in *Pract. crim. lib.* 11. *c.* 20. *n.* 10. arg. *c.* 13. *& penult. h. t.*

8 Qui hæreticos juvant, sunt I, hæreticorum receptores, qui eos recipiunt, sive id agunt, ne deveniant in manus Judicum. II Hæreticorum fautores, qui iis quà talibus favorem præstant, illos fortè commendando, instruendo, visitando, occultando, vel illorum gratiâ omittendo, quod alioquin officii suscepti ratio exigit. III. Hæreticorum defensores, qui eos defendunt, sive dein argumentis in medium adductis errores illorum firment, sive obicem ponant, ne judicio criminali percellantur. IV. Credentes hæreticis; quo nomine veniunt non illi solùm, qui in particulari hæreticorum errores sectantur, eisve assentiuntur, sed etiam, qui nesciunt, quæ falsa dogmata in particulari teneant, ea tamen approbant, & sic implicitè hæresin profitentur, sintque re ipsâ verè hæretici, ut observat Laym. *d. l.* 2. *Theolog. moral. tr.* 1. *c.* 14. *n.* 5. Clariss. D. D. Gletle. *d. p.* 4. *c.* 3. §. 2. *n.* 14.

§. V.

9 *Materia*, sive *objectum* hæresis sunt propositiones, seu definitiones fidei, circa quas hæreticus errat. Possunt autem hujusmodi definitiones reduci ad septem gradus. *Primus* est earum, quæ in propriis terminis continentur in Sacris Literis, seu Bibliis in vulgari latina editione approbatis. Hinc hæreticus non eris, si id non credas, quod in græcis duntaxat Bibliis, vel interpretatione 70. Interpp. circumfertur, *Secundus* earum, quæ ex Sacris Literis apertè deducuntur. Hinc hæreticus putatur non solùm is, qui negat, *Christum esse hominem*, sed etiam, qui negat, *Christum esse risibilem*: quia negat propositionem, quæ evidenter deducitur ex priore. Sanchez in *Decal. l.* 2. *c.* 8. *n.* 12. *Tertius* earum, quæ habentur ex traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut aut ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt; ut

utloquitur Trident. *Seſſ. 4. in Decret. de Can. Script.* *Quartus* earum, quæ à Conciliis œcumenicis legitimè congregatis, & à S. Pontifice confirmatis determinatæ ſunt, ut perſpicuè probant textus S. Scripturæ. Matth. 18. ℣. 17. Joan. 14. ℣. 16. 1. ad Timoth. 3. v. 15. Act. 15. ℣. 28. *Quintus* earum, quæ tanquam de fide proponuntur à S. Pontifice, utpote ad quem pertinet judicare de fide, & quæ contra eam ſunt, hæretica pronuntiare. *c.* 12. & 14. *causâ* 24. *q.* 1. *c. majores.* 3. *de Baptism.* *Sextus* gradus eſt earum, quæ unanimi conſenſu Patrum tanquam de fide proponuntur, & contra hæreticos aſſeruntur. *Septimus*, quæ evidenter deducuntur ex tribus poſtremis gradibus. Confer. Clariſſ. P. Paul. Mezger. in *Theolog. Schol. tr.* 10. *diſp.* 13. & 14. Porro error in aliis materiis hæreſin non facit, & ideo, qui ſequitur, aut defendit ſententiam malè ſonantem, temerariam, ſcandaloſam, hæreſin ſapientem, vel hujusmodi, hæreticus dici non debet, hòc ipsò, quòd contra definitionem Eccleſiæ non erret. P. Engl *l. t. n.* 1.

§. VI.

10 *Formam* hæreſeos in duobus conſtituo: in errore ſcilicet, & pertinacia.

Errorem, id eſt, aſſenſum falſum ipſius intellectûs requiro: quia ſicut actus fidei in intellectu conſummatur, cùm ſit aſſenſus rationis certus; ſic etiam error fidei contrarius in intellectu completur. Quare licèt quis ſponte, vel metu impulſus ſe Lutheranum, vel cujuscunque ſectæ hæreticum ſimulet, eorum ritus, & cæremonias obſervet, dogmata hæretica ore effutiat, fidem Catholicam, & papatum abjuret, ſi tamen ſeria intentio mutandæ religionis, & perverſa opinio, ſive error circa articulos fidei non accedat, hæreticus proprie non eſt, nec incurrit pœnas fulminatas contra hæreticos in jure, vel in Bulla Cœnæ, ac per conſequens in foro pœnitentiali talis hæreſis in ore ſolùm, non in corde conſiſtens, caſus reſervatus non eſt. Text. & DD. in *c. poteſt. 52. de Pœnit. diſt.* 1. Quamvis in foro externo, ſi ex proteſtatione contraria, aliisque indiciis de ſimulatione non conſtet, talis tanquam hæreticus puniatur: cùm poteſtas humana ex externis de internis judicet per *c. erubeſcant.* 11. *diſt.* 32. *l.* 7. §. *ff. de Supell. leg.* Farin. *de hæreſi. q.* 179. *n.* 55. *& ſeqq.*

Pertinacia, in qua ex parte hæreſin pono, 11
in hoc conſiſtit, ut ex ſcientia, quâ quis novit ſuam opinionem eſſe contrariam ſenſui Eccleſiæ Catholicæ, eidem opinioni adhæreat. Propter defectum hujus ſcientiæ & pertinaciæ ab hæreſi excuſatur, qui errorem aliquem contra fidem tenet, aut defendit ex ignorantia craſſa, aut etiam affectata, dummodo paratus ſit, ſe, ſuámque ſententiam ſubjicere auctoritati Eccleſiæ, nec affectata illa ignorantia proveniat ex falſa opinione contra Eccleſiam; ut ſi putet parvi momenti eſſe ea, quæ in illa creduntur. *c. dixit Apoſtolus.* 29. *c. qui in Eccleſia.* 31. *causâ* 24. *q.* 3. *c.* 2. §. *fin. & ibi* D.D. *de Sum. Trinit.* Vaſquez in 1. 2. *diſp.* 126. *c.* 2. Laym. *in Theol. moral. lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 12. Clariſſ. D.D. Gletle *de Crim. publ. p.* 4. *c.* 3. §. 1. *n.* 8. Et ideo multi ex communi plebe inter Lutheranos, & alios Acatholicos, qui ex ſimplicitate à fide Romanæ Eccleſiæ diſſentiunt hæretici tantùm materiales ſunt, re ipsâ autem Catholici per fidem veram, & habitualem, ſibi in Baptismo infuſam, quam tamdiu retinent, donec malitiosè hæreſim amplectantur, & pertinaciter defendant.

Operoſa *controverſia* eſt: ſitne hæreticus 12
cenſendus, qui in uno, vel altero fidei articulo dubitat?

Affirmant Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 5. Arriaga in 1. 2. *tr. de fid. Div. diſp.* 19. *n.* 75. Clariſſ. P. Paulus Mezger *d. tr.* 10. *diſp.* 20. *art.* 1. *n.* 5. cum communi: tum

propter textum in *c.* 1. *h. tit.* ubi dicitur *dubius in fide infidelis est;* tum ob rationem: quia dubitare propriè circa rem fidei est judicare illam attenta propositione Ecclesiæ adhuc non esse certam, quod judicium est formalissimè hæresis, utpote directissimè oppositum veracitati Divinæ. Accedit, quòd dubitans de fide fidem destruat, cùm fides in homine fideli firmitatem in credendo supponat juxta *c. firmiter.* 1. *de Sum. Trinit.*

Negant Canus *lib.* 12. *de Loc. cap.* 9. Malder. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *memb.* 2. §. 2. & alii nonnulli: eò quòd dubitans nec assensum, nec dissensum præbeat, neque positivè articulum fidei neget, sed judicium suum adhuc suspendat; hæresis autem consistat in actuali, & pertinaci electione erroris contra fidem. Ad *c.* 1. *h. t.* respondent, in effectu id tantummodò velle, quòd in foro externo ille præsumatur hæreticus, qui palàm jactat suam dubitationem circa fidei materiam, & pertinaciter in eadem persistit, non autem quòd eô ipsô de hæresi sit convictus.

Ego utramque opinionem approbo: Affirmantium, quando dubitatio habet conjunctam pertinaciam, & erroneum fundamentum dubitandi. Negantium, si non habeat. Quapropter si quis inter Acataholicos natus, & educatus dubitare incipit, num sua, vel Catholica religio vera sit, etiamsi longo tempore dubius hæreat, antequam nimirum ei veritas Catholica satis sit proposita, propterea non peccabit, nec in formalem hæresin incidet per *c. dixit Apostolus.* 29. *causâ* 24. *q.* 3. Similiter si Catholicus vel ex infirmitate, vel ex defectu sufficientis instructionis circa fidem hujusmodi dubia patiatur, dummodo paratus sit corrigi, & acquiescere revelationi Divinæ per Ecclesiam, & SS. Scripturas propositæ hæreticus non fiet. Econtra si quis sciens aliquid ab Ecclesia expressè definitum, v. g. præsentiam Christi in Evchariſtia, temerè & deliberatè dubitet, adeóque ex pertinacia non velit assentiri hujusmodi articulo fidei tanquam vero, & indubitato, omnino hæreticus erit: siquidem licèt dubitans circa præsentiam Christi in Evchariſtia nondum erret circa istum articulum, attamen in hac deliberata, & pertinaci dubitatione involvitur alius error, quasi videlicet incertum, dubium, aut fide non satis dignum sit, quod Ecclesia definivit; id quod procul dubio, & secundùm se dogma hæreticum est, & pertinaciam conjunctam habet, dum talis Ecclesiæ auctoritati assurgere detrectat, nec credere vult articulum hujusmodi, usquedum proprium judicium, aut rationes ulteriores ab eo indagandæ id suadeant.

§. VII.

Finis, ob quem hæresis assumitur, est commodum aliquod temporale, vana gloria, aut principatus per *c. hæreticus est.* 28. *caus.* 24. *q.* 3. 13

§. VIII.

Effectus hæresis sunt pœnæ, quibus subjacet. Ubi secernenda hæresis materialis à formali, & formalis interna, seu mentalis ab externa. 14

Hæresis *materialis*, sive in invincibili, sive in vincibili ignorantia fundata sit, extra pœnas juris est, atque ideo Hæretici materiales, si ad Catholicam fidem convertantur, non debent absolvi ab excommunicatione, nisi ad cautelam, & sufficit, quòd faciant professionem fidei, suscipiántque Sacramentum Pœnitentiæ, ut observat Layman in *Theol. moral. lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 13. *n.* 4. ubi hanc formulam pro absolutione præscribit: *Absolvo te à vinculo excommunicationis, & speciatim ob hæresin, si incurristi, in quantum possum, & tu indiges.*

Quod attinet hæresin *mentalem*, ea quoque 15 pœnis & animadversioni Ecclesiæ obnoxia non est: quia cogitationis pœnam nemo pati-

patitur, & peccatum, quod in foro externo non apparet, etiam puniri non oportet. *cap. cogitationis.* 14. *de Pœnit. dist.* 1. *c. tua nos.* 34. *de Simon.* Ideóque hæreticus mentalis, donec hæresim, quam intra pectus premit, dicto vel facto profiteatur, & sufficienter promat, excommunicationem non incurrit, nec talis hæresis mentalis casus reservatus est, sed potest absolvi à quolibet Confessario etiam non gaudente privilegio absolvendi à casibus reservatis. Layman *d. tr.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. Bannes, Ledesma, & alii cum Sanchez in *Decal. lib.* 2 *c.* 8. *n.* 8. *&* 10.

16 Pœnæ hæresis *externæ* quædam sunt *spirituales*, quædam *temporales*.

Inter pœnas *spirituales prima* est excommunicatio major S. Pontifici reservata, quam ipsô factô incurrunt omnes hæretici, quibuscunque nominibus censeantur, & omnes eis credentes, receptatores, defensores, & fautores. *c.* 7. 8. 9. *&* 13. *in pr. & §. credentes. h. tit.* Bulla Cœnæ *casu* 1. ubi excommunicatio hæc extenditur etiam ad scienter sine legitima auctoritate imprimentes, defendentes, aut legentes libros hæreticorum, qui hæresin continent, vel de religione tractant, licèt nullum errorem complectantur, nisi parvitas materiæ excuset: item ad retinentes tales libros, quamvis non animo legendi per notabile tempus. Multi verò putant, quoad hoc in nostris partibus Bullam Cœnæ saltem quoad censuras reservatas receptam non esse, etsi lectio, & retentio librorum hæreticorum apud homines præsertim privatos sine licentia superioris ob antiquissimam Ecclesiæ prohibitionem, & periculum corruptionis à peccato excusari vix possint. P. Engl *h. t. n.* 9. *& seqq.* Pirrhing. *n.* 20. Laym. *d. tr.* 1. *c.* 15. *n.* 4. Præterea Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Episcopis pro foro conscientiæ facultatem concessit absolvendi ab hæresi occulta, solúmque uni, vel alteri nota, quæ facultas utrùm per Bullam Cœnæ revocata sit? alibi dicemus.

Secunda pœna spiritualis externæ hæresis 17
est irregularitas, & inhabilitas ad omnia officia, & beneficia Ecclesiastica, quæ similiter credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum comprehendit. *cap.* 4. *& 21. causâ* 1. *quæst.* 7. *c.* 2. *§. hæretici. h. t. in* 6. imò porrigitur quoque ad eorum descendentes usque ad secundam generationem in linea paterna, id est, ad filios & nepotes Patris hæretici, & usque ad primam in linea materna, id est, ad filios matris hæreticæ. *d. c.* 2. *§. hæretici. & cap. statutum.* 15. *Eod. in* 6. Eo tamen discrimine, quòd hæc irregularitas non afficiat descendentes orthodoxos, si parentes eorum ante mortem emendatos, & Ecclesiæ reconciliatos fuisse constiterit. *d. cap. statutum.* at ipsi hæretici saltem manifesti etiam post conversionem memoratâ inhabilitate impediantur. Zoës. *h. tit. num.* 3. Verùm ut advertit P. Engl *Eod. tit. num.* 14. in Germania hæc irregularitas non ita strictè observatur, præsertim circa liberos, si boni catholici sint.

Tertia pœna spiritualis est privatio omni- 18
um Ecclesiasticorum beneficiorum, & dignitatum sive ante, sive post hæresin obtentorum; quæ proportionaliter extenditur ad alios adhærentes, & hæreticorum, seu adhærentium filios, & nepotes. *c. ut commissi.* 12. §. *privandi. h. t. in* 6. Cujus *cap.* verba: *privandi præterea, vel privatos nuntiandi dignitatibus &c.* satis innuunt, quòd inter hæreticos, ac alios recensitos distinctio statuenda sit, & hæretici ipso jure sint beneficiis privati, alii verò tantùm per sententiam privandi, sicut aliàs irregulares privari possunt juxta *cap.* 10. *in fin. de Excess. Prælat.* Id ipsum probat textus in *cap.* 13. *§. credentes. X. h. t.* ibi: *si verò Clericus fuerit* (loquitur de credentibus, receptatoribus &c.) *ab omni officio & beneficio deponatur.* Covar. *var. resol. lib.* 2. *c.* 8. *num.* 4.

19 *Quarta* pœna est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. *c.* 2. *in pr. h.t. in* 6. ubi ii, qui hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ subjacent, nec absolutionis beneficium merentur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & projiciant. Dummodo (quod *ibid.* Glossa addit) possint ab aliorum fidelium corporibus discerni.

20 *Quinta* denique pœnarum spiritualium directè quidem non ipsos hæreticos, sed Catholicos in Ecclesia per preces hæreticorum promotos in odium hæresis afficit, éstque privatio talium beneficiorum hæreticorum precibus acquisitorum, & inhabilitas ad illa, & ad alia, si illa scienter receperunt. *d. c.* 2. *§. ad hæc. h.t. in* 6. ibi: *ex nunc privamus taliter acquisitis;* quæ locutio importat privationem ipso jure.

21 Inter pœnas *corporales primo* loco se sistit infamia juris, quâ tam hæretici, quàm eorum adhærentes, puta credentes, receptatores, defensores, & fautores notantur. *c.* 17. *causâ* 6. *q.* 1. *c. excommunicamus.* 13. *§. credentes h.t. auth. Gazaros. C. Eod. l.* 1. *C. de Sum. Trinit.* Sed ita, ut hæretici pœnam hanc non incurrant, nisi post declarationem criminis à Judice factam, ut cum aliis tradit Azor. *Inst. mor. part.* 1. *l.* 8. *c.* 13. & Laym. *d. tr.* 1. *c.* 16. adhærentes verò non ante, quàm fuerint declarati excommunicati, & ab eo tempore intra annum satisfacere contempserint. *d. c. excommunicamus.* Si ergo intra annum satisfecerint, non erunt infames infamiâ juris; infamia autem facti tam hæreticos, quàm prædictos etiam ante sententiam, si aliunde publici, & notorii sint, sequetur, teste eodem Azorio *l. c.* Sunt, qui pœnam infamiæ etiam ad liberos extendunt. Verùm his occinere possis tritum illud: erubescimus sine lege loqui.

Altera, quæ hanc consequitur, pœna est in-22 habilitas ad omnes actus civiles. *d. c. excommunicamus. §. credentes. h. t. l. Manichæos,* junctâ *auth. credentes. C. Eod.* Quamobrem Hæretici, ac eorum adhærentes nec actores in judicio, nec testes, nec advocati, nec notarii, nec judices esse, vel aliud officium publicum gerere possunt, & si de facto munus publicum gesserint, eorum attentata viribus carent. *d. §. & auth. credentes.* Quamvis interim à muneribus & oneribus sordidis immunes non sint, ne beneficio juris gaudere videantur contra *l.* 7. *C. h.t.*

Tertia pœna temporalis est intestabilitas23 tam activa, quàm passiva, ideóque hæretici, eorúmque adhærentes nec testamentum facere, nec ex testamento alterius etiam parentis sive Catholici, sive hæretici quicquam accipere, minùs ab intestato succedere possunt, sed quidquid iis per testamentum extranei relinquitur, ad fiscum, & quod ex successione ab intestato competeret, ad proximos agnatos defertur. *d. c. excommunicamus. § credentes. h. t. l.* 4. *§.* 2. *auth. credentes. l.* 19. *C. Eod.* Idque in ultimis quoque militum voluntatibus locum habet, sive communi jure, sive militari testentur. *l. fin. C. Eod.*

Quarta pœna temporalis est, quòd Hære-24 tici amittant patriam potestatem in liberos, ita ut latâ sententiâ jam ex die commissi criminis sui juris fuisse intelligantur, & emancipatio subsecuta sit ipso jure nulla. text. in *c.* 2. *§. fin. h. t. in* 6.

Quinta pœna temporalis est, quòd privile-25 gium dotis, quo mulier creditoribus tempore prioribus anteponitur, nec non de tacitis hypothecis, & alia omnia mulieribus à lege data, claudantur his, quæ Catholicam non participant communionem. *auth. item privilegium. C. h.t.* Ex qua generali revocatione arguit Decianus in *Pr. crim. lib.* 5. *c.* 44. *n.* 14. fœminis etiam beneficium SCti Velleiani ademptum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

emptum', imò proportionaliter viris quoque hæresi infectis privilegia, & beneficia juris ſpecialia deneganda eſſe, ut puta beneficium SCti Macedoniani filiisfamilias mutuum accipientibus: tacitam hypothecam iis, qui ad refectionem domûs pecunias crediderunt. Jaſon in *l. creditor. ff. de Reb. cred.* Quò facit *l. 6. C. h. t.* ubi Imperatores videri nolunt, aliquod immunitatis beneficium hæreticis præſtitiſſe.

Sexta eſt, quòd vaſalli, ac ſubditi ipſo jure liberentur à debito fidelitatis hominii, id eſt, homagii, & totius obſequii, quo dominis manifeſtè in hæreſin lapſis tenebantur adſtricti. *c. fin. h. t.* Cui non adverſatur *cap. 13. §. moneantur. Eod.* ubi, ut ſubditi abſolvantur à fidelitate Dominis promiſſa, ſententia exigitur: quia illud, nempe *c. fin.* loquitur de Dominis, qui ipſi hæreſi contaminati ſunt; iſtud de Dominis, qui ſunt ignavi, & negligentes in compeſcendis hæreticis, cum quibus, cùm minùs peccent, quàm ipſi hæretici, meritò mitiùs agitur. Gonzal. ad *d. c. fin. num.* 1.

26 *Septima* pœna eſt, quòd bona omnia hæreticorum non ſecus, quàm eorum, qui criminis læſæ Majeſtatis rei ſunt, ipſo jure confiſcentur, etſi filios catholicos habeant. *c. vergentis.* 10. *c. excommunicamus.* 13. §. *damnari. h. tit. c. accuſatus.* 8. §. *ille quoque. c. cùm ſecundùm.* 19. *h. t. in 6. auth. Gazaros. C. Eod.* ita tamen, ut ex miſericordia ejusmodi bona liberis catholicis relinqui poſſint, ſcilicet benignitatem rigori juris præferendo juxta *d. c. vergentis.* Et hoc ſenſu aliqui exaudiunt. *l. 4. §. 6. l. 13. l. 18. §. 1. l. 19. & auth. idem eſt. C. h. tit.* quæ liberos orthodoxos fiſco præferunt. Quod executionem confiſcationis attinet, ſi reus Clericus eſt, ea de jure fieri debet per Judicem Eccleſiaſticum, & bona cedunt Eccleſiæ, vel Eccleſiis, cui, vel quibus Clericus ſervivit, aut, ſi nullum certum beneficium habuit, fiſco Epiſcopali. *d. c. excommunicamus. §. damnati. & ibi* Gloſſ. & Panor. Si verò reus eſt laicus, poſt factam à Judice Eccleſiaſtico criminis declarationem executio confiſcationis fit per Judicem ſæcularem, & bona pertinent ad fiſcum Principis ſæcularis. *d. c. cùm ſecundùm.* 19. *h. t. in 6.* Planè bona propria liberorum ob hæreſin Patris, aut dos uxoris ob hæreſin mariti ad fiſcum non deferuntur, ut cum communi teſtatur Barb. *d. c. vergentis. n.* 13. *& ſeqq.* Covar. *var. reſol. l. 2. c.* 8. ibi excutiunt: an bona quoque feudalia, emphyteutica, & majoratus confiſcatione factâ publicentur?

Octava pœna eſt ultimum ſupplicium. *l. 5. 27 l. 8. in fin. C. h. t.* & quidem ex communi conſuetudine hæretici formales, & incorrigibiles igne concremantur. Clar. *lib. 5. ſent. §. hæreſis. num.* 7. P. Engl *h. t. n.* 15. Clariſſ. D. D. Braun *de Imper. mer. & mixt. c.* 1. §. 4. *n.* 9. Decian. *in Pr. crim. lib. 5. c.* 42. *n.* 4. §. *hoc autem.* ubi refert Carolum V. Anno 1540. legem promulgâſſe, ut hæretici, qui præfractè, & pertinaciter usque ad mortem in ſecta perſiſtunt, ignis ſupplicio addicantur, reſipiſcentes autem gladio feriantur. Quia verò Eccleſia (cui ſoli judicium de hæreſi, tanquam de delicto Eccleſiaſtico, reſervatum eſt juxta *c.* 18. *h. t. in 6.*) neminem debet ultimo ſupplicio punire, ideo exigente delicti gravitate locò ultimi ſupplicii poteſt, præſertim in Clericos, decernere pœnam perpetui carceris, aut immurationis: vel ſi qui in ſua pertinacia perſeverent, aut denuò relapſi ſint, ſæculari judicio relinquere animadverſione debitâ, id eſt, extremo ſupplicio coërcendos, Clericis priùs à ſuis Ordinibus degradatis. *c. penult. h. t. c. ſuper eo.* 4. juncto *c. accuſatus.* 8. *pr.* §. 1. & 2. *Eod. in* 6. Clariſſ. D. D. Gletle *in tr. de Crim. publ. p.* 4. *c.* 3. §. 2. *num.* 12.

Quæſtio ſupereſt: an, & quæ ex præme- 28
moratis pœnis in Germania, ubi Lutherani,

& Calviniſtæ tolerantur, locum habeant? R. diſtinctè, &

Dico I. Pœnæ ſpirituales hæreticis in noſtris partibus non cenſentur remiſſæ: quia tametſi Lutherani & Calviniſtæ per Pacificationem Oſnabrugenſem tolerentur in Imperio à Statu Politico, per hoc tamen non ſunt tolerati ab Eccleſia, ut quæ nunquam in Pacificationem illam, quatenus hæreticos concernit, conſenſit, quin potiùs totam reſcindere conatus fuit Pontifex Innocentius X. Itaque adhuc hodie, qui formales hæretici ſunt, incidunt in excommunicationem, irregulares remanent, privantur beneficiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, excluduntur à ſepultura Eccleſiaſtica &c. Neque à pœnis his exculandos putem credentes, fautores, & defenſores hæreticorum, qui eos poſitivè in detrimentum religionis Catholicæ manutenere ſtudent; bene verò eorum filios & nepotes, quos conſuetudo Germaniæ, ſi orthodoxi ſint, ad Ordines ac Prælaturas admittit, ut *ſupra n.* 17. inſinuavi.

Dico II. Pœnæ temporales, nempe infamiæ, inhabilitatis ad officia ſæcularia, inteſtabilitatis, privationis patriæ poteſtatis, privilegiorum, bonorum, & vitæ Acatholicos in Germania toleratos non afficiunt. Layman *lib. 2. tr. 1. cap. 16. ſub n.* 4. Ratio eſt: quia per Pacem Religioſam, & deinde Oſnabrugenſem hiſce pœnis *in foro ſæculari* quoad effectum omnino derogatum eſt, ita quidem, ut etiamſi à Poteſtate Eccleſiaſtica harum pœnarum executio Principibus Imperii ſub pœna excommunicationis injungatur juxta *c. 13. §. moneantur. h. t.* eos tamen non obtemperantes neceſſitas excuſet, ex qua Pacem illam iniêrunt, & ſervant.

Addidi: *in foro ſæculari:* enimverò in foro Eccleſiaſtico Epiſcopos, & Prælatos Clericos aut Religioſos ſuos propter hæreſin in carceres conjicere, aut perpetuò imurare poſſe, nullus dubito: ſiquidem licèt in Pace Religioſa, & Pacificatione Oſnabrugenſi omnibus hæreticis proviſum, & impunitas omnibus promiſſa ſit, nihilominus Pax illa utraque Prælatos Eccleſiaſticos, qui nominatim cum hæreticis non tranſegerunt, non aliter quàm in vim legis civilis & conſtitutionis Imperialis obligare poteſt, aliunde autem noti juris eſt, quòd leges civiles, quæ à SS. Canonibus diſcrepant, aut omnino corrigantur, aut quodlibet jus in ſuo foro ſervandum ſit, utut de cætero Prælati Eccleſiaſtici, quatenus Principes, aut Status Imperii ſunt, & temporalem jurisdictionem exercent, Pacificationem Oſnabrugenſem ſervare teneantur, nullâ admiſsâ exceptione ex SS. Canonibus, vel undecunque petitâ juxta *Inſtrum. Pac. Oſnabrug. art.* 17. ℣. *contra hanc.*

§. IX.

Affine hæreſi eſt *crimen læſæ Majeſtatis*, 29
quò quis ſummam poteſtatem in Republica, cui ſubjectus eſt, modis à legibus notatis lædit. *§. 3. Inſtit. de Publ. judic.* Hoc ſi in ipſam ſalutem Principis, vel Reipubl. impingit, dicitur *crimen perduellionis;* quò pertinent conjurationes, ſeditiones, proditiones, & quidquid ad Reip. everſionem, labefactationem, vel etiam eorum, qui Reip. præſunt, interitum attentatur. *l. 1. §. 1. l. 3. & 4. ff. l. 5. C. Ad leg. Jul. Majeſtat.* Sin verò tendat adverſùs Principis, vel Reip. ſuperioritatem, dignitatem, & exiſtimationem, appellatur *crimen læſæ Majeſtatis in ſpecie.* Huc refertur, ſi quis v. g. monetam cudat. *l. 2. C. de Falſa monet.* ſi privatos carceres habeat. *l. un. C. de Privat. carcerib.* ſi milites injuſſu Imperatoris conſcribat. *l. 3. ff. ad Leg. Jul. Majeſtat.* ſi imagines Cæſaris conflet. *l. 4. §. fin. l. 5. 6. & 7. §. ult. ff. Eod.* Si ſalvum Conductum Principis violet, aut ejus ſigillo utatur &c. pœna *perduellionis* eſt ultimum ſupplicium. *l. 5. pr. C. Ad Leg. Jul Majeſtat.* memoriæ rei poſt mortem damnatio. *§. 3. Inſtit. de Publ. jud. Novel. 17. cap. 12.* & bonorum confiſcatio.

l. 5.

l. 5. 6. 7. & fin. C. ad Leg. Jul. Majestat. Insuper & filii, non etiam nepotes, infamiâ notantur, & ab omnibus honoribus, omnibúsque successionibus excluduntur, filiabus tantùm ex materna hæreditate quartâ reservatâ. *d. l. 5. §. 1. & 3. C. Eod. Aur. Bull. tit. 24. §. 1.* Pœna *criminis læsæ Majestatis in specie* pro ratione ipsorum delictorum, aut circumstantiarum variat, & quandoque relegatione, interdum deportatione, frequentiùs pœnâ capitali plectitur. *l. 24. & 40. ff. de Pœn.* absque tamen publicatione bonorum, aut memoriæ defuncti condemnatione, & infamia liberorũ. *l. fin. in fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* Confer. Clar. DD. Gletle *de Crim. publ. p. 4. cap. 2. per tot.*

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

SUMMARIA.

1. Schismatis diversa acceptio. 2. definitio. 3. probitio. 4. 5. Schismatici qui dicantur? 6. Schisma fieri potest à Capite, vel à membris. 7. quomodo differat ab hæresi? 8. Quis finis schismatis? 9. & seqq. Quæ ejus pœnæ?

AD hæresim proximè accedunt, imò ut plurimùm cum hæresi coincidunt. *Schisma & Apostasia.*

§. I.

1 *Schisma*, quod græcum nomen est, scissuram sonat, & cujusvis communionis diruptionem denotat per *c. schisma. 24. causâ 14. q. 1.* At hic pro ea divisione sumitur, quæ in Ecclesia DEI quandoque contingit. In quo sensu

§. II.

2 *Definitur* schisma, quòd sit divisio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum ea est quoddam corpus mysticum, ex universis fidelibus, & Romano Pontifice, tanquam Capite constans. S. Th. 2. 2. q. 39. art. 2.

§. III.

3 *Causa efficiens* schismatis duplex est: remota, & proxima.

Remota est jus tam Divinum, quàm humanum: est enim schisma omni jure prohibitum, & de se peccatum mortale, cùm grave, ac contra obedientiam, charitatémque sit, se ab unitate Ecclesiæ separare. S. Thom. *loc. cit.* Unde & gravissimæ pœnæ in schismaticos statutæ sunt.

4 *Proxima* sunt schismatici, non illi, qui proprium Episcopum è sede Episcopali ejiciunt, vel ab ejusdem obedientia se separant; quæ separatio in latiori acceptione schisma dicitur in *c. denique. 9. causâ 7. q. 1.* sed illi, qui ab unione Ecclesiæ Romanæ se dividunt, & sub uno Capite, ac Christi Vicario per inobedientiam esse, aut membris Ecclesiæ illi subjectis communicare recusant. Sylvester in *Sum. V. Schismaticus. in princ.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 36. num. 1.* Quòdsi quis S. Pontificem caput Ecclesiæ omnino esse neget, nec universalem totius Ecclesiæ Pastorem velit credere, non tantùm schismaticus, sed etiam hæreticus est, ut cum communi notat Panormit. *ad rubr. h. t. n. 3.*

5 *Quæstionis* est: num omnis pro schismatico habendus sit, qui se Pontifici opponit, & quoquo modo inobedientem exhibet?

℟. Negativè: quandoquidem ratio schismatis non consistit in quacunq; inobedientia, sed in ea, quâ quis S. Pontifici, quatenus Christi in terris Vicarius, & Caput Ecclesiæ est, se opponit, & parere detrectat. Barb. in *c. 1. h. t. n. 8.* cum citatis. Hinc nec schisma, nec pœnas schismatis incurris, si ratione rei præceptæ nolis obtemperare Pontifici præcipienti v. g. arma ponere, alienum restituere &c. absque eo, quòd jurisdictionem Pontificiam in dubium voces. P. Pirrhing. *h. tit. num. 3.* Similiter schismaticus non censeretur Princeps, si ob privatas inimicitias in ipsam personam S.

Pon-

Pontificis verbô, aut factô insurgeret, aut ex causa temporali bellum moveret, ut Duces Parmenses moverunt Urbano VIII. dummodo Princeps ille officium, ac jurisdictionnm spiritualem Pontificis in genere agnoscat, eique ut Christi Vicario se subditum profiteatur. P. Engel *h. t. n.* 7. Porro si rationabile dubium subsit de legitima electione S. Pontificis, aut si non constet, quinam è duobus, aut pluribus ritè electus sit, ut tempore Urbani VI. contigit, schismaticus non erit, qui nulli adhæret, sed omnibus obedientiam denegat, quantumvis à parte rei unus eorum sit verus Pontifex, arg. *c. factus. 5. causâ* 7. *q.* 1. Panor. *in pr. h. t. n.* 2. Jul. Clar. *§. fin. quæst.* 77. *n.* 27.

§. IV.

6 *Materia*, seu *objectum* schismatis, est unitas seu corpus Ecclesiæ, à quo separat. Potest verò schisma esse tam à Capite, quàm à Membris: à Capite, quando se quis à Pontifice vero segregat, nec eum vult agnoscere: à Membris, quando quis non vult communicare cum membris, ut Capiti sunt annexa; veluti cum Gallis in religionis cultu, oratione, sacramentis, aliisque spiritualibus functionibus. P. Pirrhing. *h. t. n.* 3.

§. V.

7 *Forma* schismatis stat in voluntaria separatione ab unitate Ecclesiæ. Unde differt ab hæresi: hæc enim fidei, illud charitati opponitur. Gonzal. *ad c.* 2. *h. t. n.* 3. hæc perficitur etiam in sola mente, illud verò propriè dictum actum externum ad sui consummationem requirit. Barb. in *Rubr. h. t. n.* 5. Laym. in *Theolog. moral. lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 11. *n.* 5. Hæresis tamen sine schismate esse nequit, ex quo unitas Ecclesiæ importat unitatem fidei. Quin & schisma plerumque aliquam sibi confingit hæresin, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, prout testatur S. Hieron. in *c. inter hæresin.* 26. *causâ* 24. *quæst.* 3. & docent exempla schismatis Anglicani, & Græcorum.

§. VI.

Finis schismatis est propria, ac privata utilitas, quam schismatici, ut loquitur S. Irenæus 8
l. 4. *c.* 62. potiùs considerant, quàm unitatem Ecclesiæ.

§. VII.

Effectus schismatis sunt pœnæ, quibus schis- 9
matici coërcentur, eæque sequentes.

Primò excommunicantur. *c. nulli fas. 5. dist.* 19. *c. de Liguribus.* 43. *causâ* 23. *q.* 5. Quam censuram, licèt jure communi non constet, an latæ sententiæ sit, hodie schismatici non minùs, quàm hæretici, ipsô factô incurrunt per *Bullam Cœnæ casu* 1. ad eorundem tamen defensores, fautores, & receptatores non extenditur, cùm in Bulla non exprimatur, sicut ea, quæ contra hæreticos decreta est. Laym. *d. cap.* 11. *n.* 7. P. Engl *h. tit. num.* 3.

Secundò ordinationes, collationes beneficio- 10
rum, bonorum alienationes per schismaticos factæ irritæ esse jubentur in *c.* 1. *h. t.* Quod, quantùm ad ordinationes attinet, sic est intelligendum, ut quidem ordinum collatio ratione characteris valeat, dummodo aliàs in forma defectus non sit, ordinatus autem maneat suspensus, donec cum eo dispensetur, ut rectè explicat Gloss. *ib. V. irritas.*

Tertiò Schismatici omnibus beneficiis, offi- 11
ciis, honoribus, dignitatibus, & prælaturis perpetuò privantur: aut si privati sint, siquidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiuntur, si autem ignobiles, non solùm in corpore verberantur, sed etiam exilio perpetuo castigantur. Text. in *c. un. h. t. in* 6. & in *c. qui contra.* 32. *causâ* 24. *q.* 1.

Quarto Vallens. *h. t. n.* 3. Azor. *Instit.* 12
moral. l. 8. *c.* 20. *q.* 7. & alii plures docent, Schismaticos quoque irregularitatem contrahere, adeò ut nec post peractam pœni-

ten-

tentiam ulteriùs in Ordinibus, aut beneficiis deservire valeant. Verùm quia nullus textus id satis clarè exprimit, in materia pœnali strictam interpretationem faciendam, & contrariam sententiam defendendam esse, censeo cum Barb. ad *c.* 1. *h. t. n.* 5. & Zoës. *Eod. n.* 3. Reliquæ pœnæ expressæ in *d. c. un. h. t. in* 6. abrogatæ sunt per *Extrav. un. Eod. inter Comm.*

TITULUS IX.

De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.

SUMMARIA.

1. Apostasia onomatologia. 2. Quid sit apostasia à fide? 3. Quo jure prohibeatur? 4. 5. 6. à quibus committatur? 7. Quomodo differat ab hæresi? 8. Quis finis? 9. Et quæ ejus pœna? 10. Expenditur apostasia inobedientia. 11. Recensentur pœnæ apostasiæ ab ordine. 12. Quæ sint pœna apostasiæ à religione? 13. Quæ sit pœna anabaptismi?

§. I.

1 *Apostasia* Græcis est defectio, & in latiori significatione involvit recessum à DEO. S. Thom. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *in C.* propriè autem, & per antonomasiam designat defectionem à fide, seu apostasiam perfidiæ. In qua acceptione.

§. II.

2 *Definitur* Apostasia, quòd sit temerarius, ac totalis recessus à statu fidei Catholicæ antea propriâ voluntate suscepto. Colligitur ex *l.* 4. *C. h. t.*

§. III.

3 *Causa efficiens* apostasiæ alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Divinum, & humanum, quibus ut hæresis, ita apostasia prohibetur, & punitur: siquidem apostasia hæresin tanquam pattem includit, & non minus propriè hæreticus est, qui à fide Catholica in baptismo susceptâ pertinaciter ex toto recedit, quàm qui ex parte, & in certis tantùm articulis aberrat per *c. contra.* 13. *de Hæret. in* 6.

Proxima sunt Apostatæ, id est, illi, qui à religione Catholica in totũ recedunt transeundo ad judaismum, paganismum, vel sectam machometicam, aliámve peregrinam superstitionem. *l.* 1. 2. *&* 4. *C. h. t.* Gonzal. in *c.* 4. *n.* 4. *Eod.* Qui inter Catholicos nati, postquam actu, & voluntate propria fidem Christianam professi sunt, malitiosè ad sectam aliquam hæreticam desciscunt, vulgò quidem apostatâsse dicuntur, juridicè tamẽ & rigorosè loquendo apostatæ non sunt, nec pœnis specialiter in Apostatas constitutis subjacent, cùm totaliter fidei non renuntiaverint, & in pœnis termini strictè accipiendi sint. Decian. in *Pr. cr. l.* 5. *c.* 71. *n.* 5. 4

Hoc loco *scrupulus* movetur: sitne pro apostata habendus, qui ex metu fidem Catholicam abnegavit, vel idolis sacrificavit, fide in corde retentâ? 5

Respondet Azorius *Inst. mor. lib.* 8. *c.* 21. *quæst.* 5. in foro externo talem Apostatam censeri, & proinde tanquam talem puniri juxta *can.* 61. *Apost.* in foro tamen intetiori, & re ipsâ non esse apostatam, nec excommunicationem, quâ Apostatæ innodantur, incurrere, eò quòd voluntate & animo fidem non deseruerit. Illud in propatulo est, quòd grave peccatum sit, etiam solùm exteriùs Christianam religionem negare: qnoniam *qui negaverit me*, ait Christus apud Matth. *c.* 10. ℣. 33. *coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*: & secundùm Apostolum *ad Rom.* 10. ℣. 10. *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quamvis enim talis nolit Christum abnegare, eligit tamen illum negare potiùs, quàm subire pœnam. *c. non solum.*

lùm. 85. *causâ* 11. *quæst.* 3. *c. meritò.* 1. *causâ* 15. *quæst.* 1. Unde olim Presbyteri, & Diaconi, qui ex metu idolis immolârunt, si postea ad seriam pœnitentiam rediêrunt, ad honores quidem seu beneficium Ecclesiæ, non verò ad officium & ministerium altaris restituebantur. *c. Presbyteros* 32. *dist.* 50.

§. IV.

6 *Materia*, seu *objectum* Apostasiæ est religio catholica, quam deserit, & secta infidelium, quam amplectitur Apostata. Quamobrem qui ab improba secta ad aliam reprobatam se transfert, veluti è paganismo ad judaicam perfidiam, vel machometismum, apostata non dicitur, nec ut apostata puniri potest: cùm, qui militiæ Christianæ nomen nunquam dedit, ejus desertor judicari nequeat. Decianus in *Pr. crim. lib.* 5. *c.* 72. *n.* 5. Gonzal. ad *c.* 4. *h. t. n.* 4.

§. V.

7 *Forma* Apostasiæ sita est in totali desertione fidei Catholicæ; per quam discriminatur ab hæresi, quæ ex parte duntaxat à fide deficit, atque in uno tantùm, vel pluribus articulis aberrat. Ne tamen existimes, apostasiam esse specie ab hæresi distinctam: nam per recessum majorem, vel minorem à fide species non mutatur. Clariss. D. D. Gletle *tr. de crim. publ. p.* 4. *c.* 4. §. 1. *n.* 3. Decian. *d. lib.* 5. *c.* 70. *n.* 3.

§. VI.

8 *Finis* apostasiæ est vel temporale commodum, quod inde sperat, vel evitatio mali, quod alioquin metuit Apostata.

§. VII.

9 *Effectus* apostasiæ sunt pœnæ, quas Apostatæ cum hæreticis easdem incurrunt. *c. contra Christianos.* 13. *de Hæret.* [*in* 6. *l.* 3. & 4. *C. h. t.* Panorm. in *c.* 1. *Eod.* Quin severiùs longè tractantur: enimverò vivi in perpetuum, mortui usque ad quinquennium accusari possunt. *l.* 2. & 4. *C. h. t.* Si errore suo alios corrumpant, cum dispendio fortunarum capite plectuntur. *l.* 5. *C. h. t.* Pœnitentiæ suffragiô non liberantur, quamvis id hæreticis indulgeatur. *d. l.* 3. *C. h. t.* junctô *c. vergentis.* 10. *de Hæret.* Quæ in pace Religiosa, & Pacificatione Osnabrugensi de hæreticis impunè tolerandis in Imperio constituta sunt, nullatenus ad Apostatas extendi possunt, sed hodiedum, si quis sive Catholicus, sive hæreticus in totum à fide desciscceret, & sectam judaicam, machometanam, aliámve profiteretur, pœna infamiæ, confiscationis bonorum, mortis, ac aliûs utroque jure vel nominatim in Apostatas, vel generaliter in hæreticos constitutis plecti posset, & deberet, quas pœnas *supra ad tit. de Hæret.* §. 8. *n.* 14. & *seqq.* recensuimus.

§. VIII.

Affinis apostasiæ à fide est *apostasia inobedientiæ, apostasia ab ordine, apostasia à statu religioso, & anabaptismus.* 10

Apostasia inobedientia omne peccatum dici potest, ut notat P. Engl *h. tit. n.* 2. magis propriè verò est contumax transgressio præcepti Superioris, & inobedientia, seu rebellio contra eum. Hujus pœna est excommunicatio & infamia. *c. si quis.* 3. *causâ* 3. *quæst.* 4. *c. si autem* 11. *causâ* 11. *q.* 3. *c. si quis.* 2. & *c. illud.* 5. *de Majorit. & obed.*

Apostasiam ab ordine committunt Clerici, 11 qui Ordinibus majoribus initiati dimisso habitu clericali ad laicam conversationem, vel etiam statum conjugalem se transferunt. Tales fiunt ipso jure infames. *c.* 23. *causâ* 2. *quæst.* 7. *c.* 2. *causâ* 3. *q.* 4. per graviorem carceris custodiam ad recipiendum habitum cogi. *c. à nobis.* 5. *h. t.* & si incorrigibiles sint, beneficiis privari possunt. *c. præcipimus.* 5. *causâ* 21. *q.* 4. Ad hæc, si habitum non resumpserint, perdunt privilegium canonis, ita ut illi, qui eos persecutiunt, excommunicatio-

nem

nem non incurrant. *c. 1. h. tit. c. perpendimus. 23. de Sent. excom.*

An ex hac causa Clerici quoque perdant privilegium fori? rationem dubitandi suggerit *d. c. 1. h. tit.* maximè verò *c. ex parte 27. de Privil.* ubi perspicuè cavetur, in Clericos sine habitu, & tonsura comprehensos à Magistratu sæculari jurisdictionem exerceri posse. Unde quòd tales Apostatæ sine prævia monitione Episcopi priventur privilegio fori, cum multis tenet Aloys. Ricc. in *Prax. aur. p. 2. resol. 72 num. 2.* Verùm plures, quos citat Barb. in *c. 1. h. tit.* sustinent contrarium propter *c. 25. & 45. de Sent. excomm.* in quibus ad amittendum hoc privilegium trina monitio requiritur. Oppositum *c. ex parte.* Gloss. *ibid. V. in delicto.* accipit de Clericis forte in minoribus constitutis, de quibus non constabat, an essent Clerici, & qui modò habitum assumebant, modò deponebant in fraudem jurisdictionis sæcularis. Confer Fachin. *lib. 9. controv. c. 28.*

12 *Apostasia à religione* fit, si Religiosi Professi dimisso habitu à suo Monasterio, vel Ordine sine licentia Prælati recedunt, absque proposito revertendi. Addidi: *dimisso habitu*; nam qui habitu retento è Monasterio fugiunt, non apostatæ, sed fugitivi sunt. Clar. in *Pr. crim. lib. 5. §. fin. q. 78.* Quin nec apostatæ, nec fugitivi sunt, qui ex causa aliqua è Monasterio animo redeundi abeunt. Si tamen sine justa causa quis fugiat, & habitum quidem, sed sub aliis vestibus tectum portet, talem nihilominùs tanquam apostatam puniri posse, docet Quartana in *Sum. Bullar. V. apostata.* Tales apostatæ ipso facto incurrunt excommunicationem. *c. 2. Ne Clerici, vel Monach. in 6.* Tempore Apostasiæ in Sacris ordinati ab exercitio Ordinum etiam post actam pœnitentiam suspenduntur, donec S. Pontifex dispenset. *c. fin. h. t.* Aliqui volunt, hosce Apostatas perpetuò inhabiles esse ad prælaturas, & dignitates citra specialem dispensationem S. Pontificis, sed sine fundamento, & textu juris. Clariss. D. D. Gletle *d. c. 6. §. 1. n. 6.*

Anabaptismus, seu reiteratio baptismi gra- 13
ve sacrilegium est, & ii, qui dolo malo baptisma iterant, aut recipiunt, jure civili ultimo supplicio addicuntur. *l. 2. C. h. t.* jure verò Canonico repaptizati, & probabiliùs etiam rebaptizantes irregularitatem incurrunt per *c. qui bis. 117. dist. 4. de consecr.* & *c. 2. h. t.* ubi etiam acolytho publicè ministranti eadem pœna infertur; quod & de aliis ministris intelligit Barb. in *d. c. 2. n. 2. & 4.* Covar. in *c. si furiosus. p. 1. in pr. n. 8.*

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

SUMMARIA.

1. Parricidii homonymia. 2. Definitio. 3. Divisio. 4. Atrocitas.
5. A quibus? 6. 7. 8. In quas personas? 9. Quo modo? 10. Ob quem finem admittatur parricidium?
11. 12. 13. Recensentur pœnæ, quibus parricida percelluntur.

DElicta contra *secundam tabulam Decalogi*, vel vitam, vel pudicitiam, vel res familiares lædunt. Vitam lædit *homicidium*, præsertim verò *parricidium.*

§. I.

Voce *parricidii* olim quodvis homicidium, 1
ac delictum capitale venit, arg. *l. 2. §. 23. ff. de Orig. jur.* juxta quam ii, qui præerant rebus capitalibus, quæstores parricidii appellabantur; impræsentiarum autem homicidium in personas conjunctas impiè commissum significat.

§. II.

Definitur parricidium, quòd sit cædes 2
 illius,

illius, qui sanguine, affinitate, vel conjugio junctus est. Colligitur ex *l. 1. ff. Ad leg. Pomp. de parricid.*

§. III.

3 *Dividitur* parricidium in proprium, seu verè tale, & improprium, seu quasi tale. Parricidium verum est homicidium à liberis in parentes, vel à parentibus in liberos commissum. *l. un. C. De his, qui parent. vel lib. occid.* Impropriè tale est homicidium cognatorum collateralium, vel affinium, itémque conjugum. *d. l. 1. ff. Ad leg. Pomp. de parricid.*

§. IV.

4 *Causa efficiens* parricidii est vel remota, vel proxima.

Remota est jus partim naturale, partim humanum. Naturale quidem: quia ipsa natura, & humana clementia id facinus abhorret, & omnibus modis execratur. Gribald. *tr. de homicid. c. 1. n. 5.* Humanum, præcipuè lex Pompeia: quia nefarium hoc scelus in classem delictorum publicorum retulit, eique certas pœnas determinavit. *§. 6. Inst. de Publ. judic.*

5 *Proxima* sunt Parricidæ, qui fata parentum, liberorum, aliarúmque personarum necessitudine junctarum properant. *d. l. 1. & 9. §. 1. ff. Ad leg. Pomp. de parricid.* Quorum primus fuit L. Ostius, qui patrem; Publius Maleolus, qui matrem occidit. Tit. Liv. *hist. Rom. lib. 48.* Hodie autem crimen hoc frequenter committunt fœminæ, quæ illegitimis amplexibus virginitatem Veneri consecrárunt, & ut contumeliam ex hoc facto imminentem declinent, conceptum partum aut in utero, aut clam editum suffocant; quo de vide *constit. criminal. Caroli V. art. 131. & ibi* Interpp.

§. V.

6 *Objectum* parricidii sunt personæ conjunctæ, in quas delictum hoc committitur. Ubi secernendum parricidium verè tale à parricidio impropriè tali.

Parricidium verè tale committitur in *parentes*, & *liberos*, nec legitimos solùm, sed & naturales, imò etiam incestuosos, adulterinos, sacrilegos, sine discrimine sexûs, ætatis, ac gradûs: siquidem charitas sanguinis, & amor naturalis, quem lex Pompeja de parricidiis spectat, hic nullam recipit distinctionem. Alex. in *l. ex facto §. si quis rogat. ff. Ad SCtum Trebell.* Clar. *l. 5. sent. §. homicidium. num. 2.* Excusantur tamen à parricidio ii, qui parentes, vel liberos patriæ rebelles, vel perduelles occidunt, eò quòd pietas patriæ pietati in parentes præferenda sit. *l. minimè. 35. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Item ii, qui liberos, aut parentes interficiunt ad sui defensionem moderamine inculpatæ tutelæ observato, cùm defensio jure naturæ cuivis permissa, & omnis honesta ratio expediendæ salutis sit *l. 3 ff. de J. & J. l. 4. 13. & fin. ff. Ad Leg. Aquil. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm.* Reverendiss. Christoph. Priggl in *Man. pract. de Appel. Obser. 25. n. 4.* Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 2. cas. 356. n. 35.*

Sed quid juris, si mater abortum procuret, 7
& fœtum, qui adhuc in ventre vehitur, abigat?

Expeditum est, matrem, quæ fœtum formatum, & animatum medicinâ, veneno, vel quâcunque aliâ ratione expellit, ac interimit, non minus parricidii ream esse, quàm illam, quæ infantem jam in lucem editum occidit; attamen in pœnis differentiam servari, & plerumque mitiùs puniri matrem, quæ infantem in utero perimit, advertit Decian. in *Pr. crim. l. 9. c. 8. n. 14.* Nec immeritò: licèt enim non minùs impia sit mater, quæ lucem invidet nascituro, & prolem extinguit, antequam in lucem effundat, longè tamen crudelior est illa, quæ filio, quem jam natum vidit, & amplexata est, præsentem adimit vitam, & propterea etiam crudelius supplicium meretur.

tur. Interim etiam priori casu, mater capitali pœnâ plectenda est per *l.* 39. *ff. de Pœn. & constit. crim. Carol. V. art.* 133. Porro si partus, quem mater abegit, nondum fuit vitalis, nec homicidii rea, nec ultimo supplicio afficienda, sed arbitrariè punienda erit, puta relegatione, fustigatione, aut simili per *l.* 8. *ff. Ad leg. Cornel. de Sic. l.* 39. *ff. de Pœn. c.* 8. *& 9. causâ* 32. *q.* 2. *c.* 20. *de Homicid. & const. Carolin. d. art.* 133. Clar. 5. *sent. §. fin. q.* 68. Menoch. *de Arbitr. jud. casu* 357. Berlich. *p.* 4. *concl.* 8.

8 *Parricidium impropriè tale* committitur *primò* in *personas collaterales* nempe *fratrem* & *sororem* non tantùm germanum, sed & consanguineum, aut uterinum: item in *patruum, avunculum, amitam, materteram, consobrinum*, & *consobrinam. l.* 1. *ff. ad Leg. Pomp. de parric. Secundò* in *affines*, qui nuncupatione parentum, aut liberorum veniunt, veluti in *vitricum, novercam, privignum, privignam, generum, nurum, socerum, & socrum. d. l.* 1. *l.* 3. *l.* 4. *ff. Eod. §.* 6. *Inst. de Publ. Judic. Tertiò* in *maritum*, & *uxorem*, quod in specie *maritícidium*, vel *uxoricidium* indigitatur; ut & in *sponsum*, & *sponsam*: licèt enim hæ personæ omissæ sint in Lege Pompeia, sententia tamen legis continentur. *l.* 1. *&* 3. *ff. Ad Leg. Pomp. de parricid.*

§. VI.

9 *Formam* parricidii absolvit animus, & malum propositum occidendi, ac parricidium perpetrandi, & factum ipsum juxta §. 6. *Inst. de Publ. jud.* ibi: *cujus dolò malò factum est*, & *constit. crim. Caroli V. art.* 131. *in pr.* ibi: boßhafftiger/williger Weiß/ꝛc. Hinc si cædes personarum conjunctarum præter intentionem, & animum occidendi eveniat, nunquam ordinaria pœna, sed alia imponitur. Decian. in *Pr. crim. lib.* 9. *c.* 15. *n.* 1. & 35. Planè jure communi quoque conatus hujus criminis ordinariæ pœnæ subjacere videtur, adeóque filius, qui venenum emerat, ut hôc parentem subduceret, quamvis dare non potuerit, aut mors insequuta non sit, lege Pompeiâ tenetur. l. 1. *in fin. ff. Ad Leg. Pomp. de parricid.* Secus de consuetudine, quâ per totum nunc orbem inolevit, ut nisus, vel conatus pro effectu non sit putandus, ut docet Jul. Clar. *d. §. fin. q.* 92. *in pr.* Farinac. *tit.* 14. *q.* 120. *n.* 152. *p.* 4.

§. VII.

Finis patricidii est aut bonum vindictæ pri- 10
vatæ, aut commodum aliquod temporale, ob quod teterrimum hoc facinus admittitur.

§. VIII.

Effectus parricidii consistit in pœnis, circa 11
quas iterum distinguendum est inter parricidium verè tale, & quasi, seu impropriè tale.

Pœna *parricidii verè talis* est, ut parricida, nec non conscius, ac socius criminis, culeo, cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia insutus projiciatur in vicinum mare, vel flumen, quò omni elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. §. 6. *Inst. de Publ. judic. l.* 9. *ff. Ad leg. Pomp. de Parricid. l. un. C. De his, qui par. vel lib.* Verùm hæc pœna plerisque in locis, ac Provinciis Germaniæ non ampliùs observatur propter periculum desperationis, & juxta *Constit. crim. Caroli V. art.* 131. mulier (idem dicendum de aliis parricidis) vivum, & perfectum à se editum infantem dolosè occidens viva defodi in terram, & per ejus corpus stipes, seu palus transfigi; aut, ad evitandam desperationem, aquâ suffocari debet. Quin nec hæc pœna usu recepta est, non solùm ob periculum desperationis, sed etiam, quia ad terrorem incutiendum efficacius videtur, si infanticidæ in publico conspectu hominum cruento supplicio mactentur, quàm si absque sanguinis effusione pereant. Jul. Clar. 5. *sent. §. parricid. n. ult. ℣. & ita pluries.* Christoph. Blumlacher

ad d. constit. Carol. art. 131. *sub n.* 1. ubi testatur, hanc sententiam hic loci communiter secutum fuisse laudatissimum Consilium Aulicum.

12 De jure Canonico dolosè occidens filium in Monasterium detrudebatur ad agendam perpetuam pœnitentiam. *c.* 1. *h. t.* At hodie pœna est arbitraria pro excessu augenda, vel minuenda P. Engl *ad h. t. n.* 1. Quòdsi parentes dormientes tenellum infantem in eodem lecto locatum citra dolum & intentionem, prævia tamen aliquâ culpâ, aut negligentiâ oppresserint, per tres annos pœnitentiam agere, unúmque eorum in pane, & aqua peragere debebant. *c. fin. h. t.* Qui rigor similiter obsolevit. Decian. in *Pr. crim. lib.* 9. *c.* 8. *n.* 20. Menoch. *lib.* 2. *de Arbitr. jud. q.* 356. *n.* 61.

13 Pœna *parricidii impropriè talis* est pœna legis Corneliæ de sicariis, id est, ordinarium homicidii supplicium. *l.* 1. *l.* 9. *§.* 1. *ff. Ad Leg. Pomp. de parricid.* nisi quòd interdum ob circumstantias exasperetur, ita enim reus in casu interfecti conjugis, vel consanguinei proximioris antea forcipibus candentibus adruritur, vel trahæ impositus ad locum supplicii rapitur juxta *Constit. crim. Caroli V. art.* 137. *in fin.* Petr. Theodoric. in *Col. crim. c.* 7. *aphor.* 8. *n.* 26.

TITULUS XI.

De Infantibus, & languidis expositis.

SUMMARIA.

1. Quid sit expositio infantum? 2. Repugnat juri naturali? 3. 4. A quibus? 5. In quos? 6. quo modo? 7. & qua intentione committatur?

8. Quibus pœnis afficiantur ii, qui exposuerunt? 9. Quinam expositum teneantur alere? 10. Quid juris circa expositionem languidorum?

PArricidio proxima est expositio infantum: tam enim nefarium est exponere, quàm necare infantem. *l. necare.* 4. *ff. de Agnosc. & alend. lib.*

§. I.

Definitur expositio infantum, quòd sit de- 1
lictum, quo partus recens à patre, vel matre quasi pro derelicto habitus, exponitur, & fortunæ casibus objicitur.

§. II.

Causæ efficiens expositionis infantum est 2
duplex: remota & proxima.

Remota est jus, quod natura omnia animalia docuit: nam, ut Justinianus in *Novel.* 153. *in pr.* loquitur, expositio infantum est *crimen à sensu humano alienum, quod ne ab ullis quidem Barbaris admitti credibile est.* Sed verò optandum, non sperandum illud sæculum aureum, quô malitia hominum ita deferbuerit, ut hæc, & alia facinora essent inaudita.

Proxima sunt Parentes, qui contra insitam 3
à natura pietatis rationem recens natos abjiciunt, & exponunt, tantò deteriores homicidiô pollutis, quantò calamitosioribus id inferunt. *l. fin. C. h. t. Novel.* 153. *c.* 1. *in fin.*

Quæstio aliquando incidit, an ab immani 4
hoc crimine, ejúsque pœnis excusetur mater, quæ non ex malevolentia erga prolem, sed tantùm ad declinandam infamiam infantem exposuit?

In affirmativam prependet Jul. Clar. *§. Sent. §. fin. q.* 83. *n.* 7. ubi refert, à Senatu Mediolanensi puellam nobilem absolutam fuisse, quæ honoris servandi causâ infantem exposuit, idque rectè judicatum defendit Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *casu* 396. *n.* 6. eò quòd non impietas eam moverit, sed proprius honor, qui non modò filiis, sed & vitæ propriæ antefertur, arg. *l. isti quidem.* 8. *§.* 2. *ff. Quod metûs causâ.*

Verùm displicet hæc sententia: quia licèt honor æquiparetur vitæ, atque ad tuendum ho-

honorem liceat vitam propriam, aut alienam periculo objicere, id tamen solùm procedit contra injustum violatorem, & si ab alio injustè invadatur, vel auferatur honor: econtra ubi justè vel honor læditur, vel etiam vita periclitatur, alium occidere, vel periculo exponere haud licet juxta decantatum illud brocardicum: *ubi justa offensio, ibi injusta est defensio.* Cùm ergo in casu præsenti nemo injustè honorem fœminæ impetat, sed ipsa antecedenter unà cum corpore honorem, quoque suum turpiter, ac sponte prostituerit, ex quo naturaliter prolem nascituram, & inde imminentem infamiam prævidere debuit, non potest ex postfacto cum periculo, aut interitu prolis innocentis famam suam defendere, aut certè pari ratione contra sensum omnium DD. prætextu evitandæ infamiæ excusandæ essent matres, quæ non solùm exponunt, sed positivè jugulant infantes suos: siquidem nihil interest, ferro, vel fame, violentâ manuum injectione, an alimentorum debitorum subtractione infans enecetur. Text. & Gloss. in *l. 2. C. h. tit. d. l. necare. 4. ff. de Agnos. & al. lib. Novel.* 153. *c.* 1.

Et ex his diluitur ratio dissentientium: cùm enim mater à principio rei illicitæ operam dederit, omnium inde subsequentium facinorum justa excusatio nec honoris defensio, nec ulla alia esse potest.

§. III.

5 *Objectum* hujus expositionis sunt infantes à Parentibus, vel ab aliis Parentum jussu expositi, quos in vernacula Findl-Kinder/ Findling / & nonnunquam weggeworffene Kinder nuncupamus. Besold. in *Thes. pract.* V. Findling.

§. IV.

6 *Formam* expositioni infantum tribuit animus, ac propositum eos exponendi, ut per quod ab aliis delictis discernitur, cùm malefica voluntas & propositum delinquentis distinguat. *l. 53. in pr. ff. de Furtis.* Hinc si infans parentibus ignorantibus, aut invitis surripitur, culpæ rei non sunt, quin potiùs furtum, seu plagium commissum esse dicendum est, & patri actio furti competit per *l. 14. §. 13. ff. de Furtis.*

§. V.

7 *Finis* expositionis infantum est, ut vel defectu alimentorum pereant, vel ab aliis commiseratione motis suscipiantur, & educentur.

§. VI.

8 *Effectus* expositionis infantum alius est ex parte exponentium, alius ex parte hos infantes suscipientium.

Exponentes subjicit pœnæ partim civili, partim criminali. Ad *civilem* pertinet, quòd pater exponens, vel consentiens expositioni eô ipsô potestatem patriam amittat, nec jura & nomen patris, aut matris retineat, nisi quatenus filio favorabile est, adeò ut expositus quidem impiis parentibus ab intestato succedat, & ex testamento legitimam prætendere possit, non hi vicissim: quandoquidem filium suum dicere nequeunt quem pereuntem contempserunt. Text. & DD in *c. un. h. t.* & in *l. 2. C. Eod.* Circa *pœnam criminalem* in *l. 2. cit.* Valentinianus, Valens, & Gratianus rescribunt, parentes, qui liberos exposuerunt, subjacere animadversioni, quæ constituta est, nec exprimunt, quæ, & qualis sit animadversio. Carolus V. in *Constit. crim. art.* 132. distinguit, num infans expositus vivus, an mortuus reperiatur? Priore casu locum habet pœna arbitraria è consilio Prudentûm definienda. Posteriori pro qualitate periculosæ expositionis vel pœna corporis afflictiva, vel ultimum supplicium infligi jubetur. Unde mater mortis rea censetur, quæ infantem in sylva, vel alio loco deserto exposuit, ita ut mortem ejus prævideri, eáque secuta sit. Christoph. Blumlacher ad *d. Constit. Carolin. art.* 132. *n.* 1.

Susci-

9 *Suscipientibus* infantes expositos expositio quidem nullam potestatem in illorum personas tribuit juxta *c. un. h. t. l.* 3. *C. Eod.* tribuit tamen jus adversus nefarios Parentes, à quibus repetere poterunt, quæ in alimenta erogârunt per *l.* 1. *C. h. t. l.* 16. *C. de Nuptiis.* Quia nemo præsumitur Parentibus exponentibus beneficium præstare, aut in eorum gratiam filium expositum educare voluisse, utut intenderit donare, actúmque misericordiæ exercere respectu expositi. Stephan. Gratian. *Discept. forens. c.* 267. *n.* 41. Barb. in *c. un. h. t. n.* 8. qui *n.* 4. advertit, quòd expositi, si pro his in Civitate extet hospitale quoddam, in eo ali, ac educari debeant: si verò simile aliquod hospitale non extet, nullúsque è Populo gratis, & sponte occurrat, alimenta ab Ecclesia, aut à Communitate præstanda sint.

§. VII.

10 *Affinis* expositioni infantum est expositio languidorum sive liberorum, sive servorum, quos, cujuscunque ætatis sint, Gregorius IX. *in c. un. h. t.* & Justinianus in *l.* 3. *C. Eod.* libertate donavit, ita ut sibi acquirant, & in posteritatem suam, vel in extraneos hæredes omnia, quæ habuerint, quomodo voluerint, transmittant. Ex quo Menoch. *de Arbitr. Jud. l.* 2. *casu* 396. *n.* 12. *&* 13. deducit, Dominum amittere jus vasallagii, si deserat vasallum periclitantem; & civem jus civitatis, si civitati oppressæ non succurrat.

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario, vel casuali.

SUMMARIA.

1. Homicidii definitio nominalis. 2. Definitio realis. 3. 4. 5. Divisio. 6. Prohibitio. 7. Usque 11. Quinam committant? 12. Usque 15. In quos committatur homicidium? 16. 17. Quo modo voluntarium? 18. Usque 24. Necessarium? 25. 26. Aut casuale homicidium fiat? 27. 28. 29. Referuntur pœnæ homicidii voluntarii. 30. 31. 32. An, & quibus pœnis subjaceat homicidium necessarium? 33. 34. An, & quæ pœna præstitutæ sint homicidio casuali? 35. Quid sit mutilatio, & quæ ejus pœna?

ECquidem *hoc titulo* de omni *homicidio* in genere agitur, specialiter verò de *voluntario*, sive de eo, quod crimen est.

§. I.

Homicidium à cædendo ac cæde deducitur, 1
l. 51. *in pr. ff. Ad Leg. Aquil.* & à Latinis cædes, exanimatio, internecio, aut interfectio hominis; à Germanicis ein Todtschlag / Mord / Mordthat indigitatur.

§. II.

Definitur homicidium, quòd sit corporis 2
humani animati interemptio. Zoël. *h. t. n.* 1.

§. III.

Dividitur homicidium divisione immediatâ in *voluntarium*, quod scienter, sive ex intentione committitur; & in *casuale*, quod præter intentionem accidit. 3

Homicidium *voluntarium* subdividitur in 4
voluntarium in specie, & *necessarium*. *Voluntarium in specie* vocatur, quod dolò malò & animò occidendi quoquo modo factum est, *l.* 1. §. 3. *l. pen. ff. Ad Leg. Cornel. de sicar.* Species hujus sunt *homicidium simplex*, quod contingit in rixa temerè exorta, aut ex subito iræ impetu cum rationis tamen advertentia: *Homicidium deliberatum*, seu *præmeditatum*, cùm quis sedato iracundiæ calore, & prævia animi deliberatione, seu præmeditatè alterì mortem machinatus est: *Homicidium ex insidiis*, cùm quis inimicum suum occultè exspectat in certo loco, eúmque ex improviso venientem aggreditur, & interficit: *Homicidium proditorium*, quo quis simulatâ amicitiâ

citiâ incautum, & sibi propterea non præcaventem occidit: *Veneficium*, cùm quis venena mala necandi causâ vendit, tradit, tractat, vel propinat: *Assassinium*, quod est homicidium ab aliquo mercede conducto, ad alterius mandatum commissum. Homicidium *necessarium* dicitur, quod fit coacta quapiam voluntate, vel auctoritate & jussu Superioris jus gladii habentis, vel ab eo, qui justum bellum gerit, vel pro necessaria defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ.

5 Homicidium *casuale* subdividitur in *culpabile*, seu *culposum*, & *merè casuale*, seu *inculposum*. Casuale *culposum* est, quod præter voluntatem culpa interveniente committitur; ut si quis det operam rei licitæ & suæ negligentia, vel imperitia in causa est, ut hominis mors sequatur: vel si quis det operam rei illicitæ, cui casu quodam homicidium accedit, licèt vel maximè omnem diligentiam, qua internecionem evitaret, adhibuerit. Carpz. in *pr. cr. q.* 27. *n.* 8. *Merè casuale*, seu *inculposum* est, quod casu inopinato, nullo prorsus dolo, nullâque culpa interveniente perpetratur.

§. IV.

6 *Causa efficiens* homicidii alia est remota, alia proxima.

Remota est jus, quà Divinum, quà Humanum, dum utrumque, habito discrimine homicidii, illud vel prohibendo illicitum, vel approbando, aut saltem permittendo licitum efficit, ut patebit ex dicendis.

7 *Proxima* est homo hominem occidens: quandoquidem si animal quadrupes hominem ingenuum, vel servum occidat, non homicidium, sed pauperiem fecisse dicitur. *t. tit. Instit. & ff. Si quadrupes pauperiem.* Neque verò *homicidium voluntarium in specie* homo quilibet, sed is solùm committere potest, qui doli capax est. Hinc infans, vel furiosus, si hominem occiderint, ab omni pœna absolvendi sunt: cùm alterum innocentia consilii tueatur, alterum fati infelicitas excuset. *l.* 12. *ff. ad Leg. Cornel. de sicar.* Sed

Dubitatur I. Utrùm ebrius æquè, ac furiosus ab homicidii delicto, ac pœnis excusetur? 8

Ita fortassis videbitur: nam & in ebrio regnat quasi furor. *cap.* 5. *&* 6. *dist.* 35. & teste Seneca *lib.* 3. *nat. quæst. c.* 20. *epist.* 6. ebrietas, donec exsiccetur, dementia est. Qua de causa actus, qui ex certa tantùm intentione expeditur, interventione ebrietatis nullus redditur, sive actus ille aliàs sit per se licitus, sive illicitus. Alex. & Gloss. in *l.* 6. *C. de Dolo.*

Gail. 2. *Observ.* 110. *n.* 27. distinguit inter ebrietatem Trunckenheit / & inter ebriositatem Vertrunckenheit; quarum illa casu accidit, absque effectu, & principio spontaneo ebrii, quia fortè virtute vini ignorata in eam incidit: at hæc accidit ex malo habitu & consuetudine sese inebriantis. Illa si nimia est, furori comparatur, propter culpam tamen, quâ inebriatus est, pro modo culpæ extra ordinem punitur *c. sanè.* 7. *causâ* 15. *q.* 1. Hæc verò licèt nimia sit, quia ex vitioso voluntatis habitu profluxit, non excusat, sed accusat potiùs, & ignorantia inde orta pro volita habetur, proinde ebriosus non furioso par est, sed ut sciens ordinariè punitur. Angel. *tr. de Malefic. V. scienter. n.* 17.

Ego referre existimem, fuerítne homicida tempore admissi homicidii perfectè, vel imperfectè ebrius? Si perfectè ebrius fuit, & probare potest, vinum rationis usum plenè intercepisse, extra ordinem pro modo captatæ ebrietatis punitur, non autem incidit in pœnas ordinarias homicidii, ex quo taliter ebrius impetu magis, quàm proposito deliquisse censetur, sive deinde rarò, sive frequenter inebriatus fuerit; dummodo non eo

eo fine se ingurgitaverit, ut audacior in scelus rueret, vel impunè cædem committere posset. *cap. 9. causâ 15. q. 1. l. 6. §. 7. ff. per vinum. ff. de Re milit. l. 11. §. 2. ff. de Pœnis.* Quòdsi tantùm imperfectè fuit ebrius, & ebrietas tantum rationis usum reliquit, ut quæ dixit, & egit, probè cognita habuerit, à pœnis ordinariis non liberatur, hôc ipsô, quòd ebrietas improbitatem consilii non adimat, neque animum dolosum suffocet. Clariss. D. D. Gletle in *Jurispr. terr. tom. 1. p. 1. c. un. §. 3. n. 33.* Haunold. *de J. & J. tom. 6. tr. 3. cap. 11. controv. 5. n. 533.* Carpz. *in prax. crim. p. 3. q. 146. per totam.*

9 *Dubitatur II.* Anne is, qui irâ correptus homicidium committit, delinquat, & propterea puniri possit?

Sunt, qui homicidium in calore iracundiæ commissum ab omni, aut saltem ab ordinaria pœna eximant: quandoquidem juxta Philomonem insanimus omnes, cùm irascimur, éstque Sapientum consensus, qui iram furorem brevem, & temporariam insaniam dixerunt. Optimè Senec. *lib. 1. de ira. in pr. aquè*, ait, *ira, ac insania impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax, & intenta, rationi, consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad dispectum æqui, veríque inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressère, franguntur.* Accedit textus in *l. 11. §. 2. ff. de Pœnis.* ubi distinguitur delictum, quod fit ex proposito, ut in publicis latronibus, ab eo, quod fit ex impetu iræ.

Verùm verior, ac communior sententia habet, iram *regulariter* homicidam à pœna ordinaria homicidii non liberare. *Primò* propter textum in *l. aut facta. 16. §. 2. ff. de Pœnis.* ubi dicitur, puniri eum, qui per iram extraneum pulsat. *Secundò* propter *l. 5. C. de Injuriis.* ubi tradunt DD. actionem injuriarum adversùs eum dari, qui in rixam inconsulto calore prolapsus homicidii convicium objecit. Maximè *tertiò* propter *Constitutionem criminalem Caroli V. art.* 137. ibi: Und ein ander / der einen Todtschlag aus Gächheit / und Zorn gethan / und sonst rechtmässige Entschuldigung nit hat / mit dem Schwerd vom Leben zum Todt gestrafft werden solle. Et certè si propter calorem iracundiæ homicidia excusarentur, rarò punitioni locus foret, cùm ira ad omnia fermè homicidia incitet. Limita tamen, ut si justa, & gravis causa iratum ad iram commoverit, & is flagrante illo calore homicidium perpetraverit, arbitraria, ac mitiore pœna coërcendus sit; ut si Pater, aut maritus filiam, uxorem, aut adulterum in adulterio deprehensos occiderit. *l. 38. §. 8. ff. l. 4. C. Ad l. Jul. de Adult.* ubi ratio assignatur: *cùm sit difficillimum justum dolorem temperare* Carpz. *d. p. 3. q. 147. n. 55. & seqq.* Haunold. *d. c. 11. controv. 7. n. 538.*

Neque hujus sententiæ veritas enervatur ex eo, quòd iratus insanire, & ira insania, aut furor, dicatur: quippe talis dicitur non per proprietatem, quasi in totum tollat cognitionem, & rationem voluntatis, cùm ira vix unquam tanta sit, & præsumi possit, quæ judicium rationis penitus absorbeat; sed per quandam analogiam, quatenus iræ impetus quodammodo minuit voluntatem, & consultationem, atque electionem prævenit. Vide Paul. Layman in *Theolog moral. lib. 1. tr. 2. cap. 5. num. 3.* Clariss. P. Paul. Mezger in *Theol. Thomist. Schol. tr. 4. disp. 7. art. 3. §. 1.*

Porro homicidium voluntarium interdum 10 unus, interdum plures committunt, & hi vel æquè principaliter, vel accessoriè.

Si *æquè principaliter* plures ad interfectionem concurrunt, & ignoratur, aut incertus est cædis, aut vulneris lethalis author, refert, an deliberatò, ac communicatò consiliò, & ex

ex propòsito; an verò in rixa subitò, & citra præviam conventionem suborta aliquem interficiant. Casu *priore* omnes indistinctè pœnæ ordinariæ subjacent per *l.* 1. §. 3. *& l.* 14. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar. Constit. crim. Caroli V. art.* 148. Clar. *lib.* 5. *sent. §. homicid. n.* 38. Gail. *lib.* 2. *observ.* 109. *n.* 10. *& seqq.* Berlich. *p.* 1. *concl.* 31. *n.* 49. Quibus opitulatur *l.* 15. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* quæ statuit, nihil interesse, occidat quis, an dolô malô mortis causam præbeat: negari enim non potest, omnes, quotquot animô occidendi interfectum aggressi sunt, causam mortis præbuisse, dum unusquisque suâ assistentiâ alter alterum, & præprimis homicidam audaciorem, occisum verò timidiorem reddidit. Ad hæc juxta *l.* 17. *ff. Eod.* tum demum ictus uniuscujusque in ordine ad ordinariam pœnam infligendam contemplari oportet, si in rixa percussus homo perierit: ergo à contrario sensu, si non in rixa fortuitò scilicet oborta, sed in tumultu animô deliberatô, datáque operâ excitato à pluribus homicidium fuerit perpetratum, spectandum non erit, cujus ictu interemptus ceciderit, sed omnes indistinctè pœnâ ordinariâ tenebuntur. Neque dicas, ordinariæ pœnæ locum non esse, nisi de authore constet: & satiùs esse facinus impunitum relinquere, quàm innocentem damnare. *l.* 5. *ff. de Pœn.* Etenim quamvis omnes ipso actu lethaliter non vulneraverint, attamen lethale vulnus inferentem adjuvando causam mortis præbuerunt, quod idem est, ac si occidissent juxta *d. l.* 15. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Casu *posteriori* probabiliùs nullus ultimô supplicio, sed omnes pœnâ extraordinariâ afficiendi sunt per *l.* 1. §. 3. *l.* 17. *ff. Eod.* & *Constit. crim. Caroli V. art.* 148. Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *casu* 362. *n.* 19.

11 *Accessoriè* ad occisionem alicujus concurrunt *primò*, qui mandant homicidium, nam *mandator cædis pro homicida habetur.* Textus in *l.* 15. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar. Secundò* qui homicidium consulunt, aut ad id occasionem, ac viam monstrant. *c. sicut.* 6. §. *qui verò. h. t. l.* 1. *pr. l.* 3. §. 4. *ff. ad Leg. Cornel. de sicar. l.* 1. §. 13. *ff. Ad SCtum Turpill.* Si modò homicidium fuerit secutum, arg. *l.* 52. §. 19. *ff. de Furt. l.* 53. *in fin. ff. de Verb. signif. Tertiò* qui operam ferunt, & auxilium sive ante, sive in ipso maleficio, arg. *l. un. C. de Rapt. Virg. l. si pignore.* §. *qui ferramenta. ff. de Furt. l. si sciente. ff. Ad. leg. Pomp. de parricid.* atque hi pari pœna percelluntur, si auxilium propinquum fuerit, *d. c.* 6. *h. t.*

§. V.

Objectum homicidii in genere, sicut ho- 12
micidii voluntarii in specie constituit homo, qui occiditur: cùm ergo homo mortuus non sit homo. *l. mortuo bove. ff. de legat.* 2. ipsi caput abscindens non potest accusari homicidii, esto vivum putaverit. Felin. in *c. sicut.* 6. *h. t.* Cæterùm

Non refert I. masculus occidatur, an fœmina: licèt enim masculorum genus fœminarum genere sit dignius. *l.* 1. *&* 8. *ff. de Senatorib.* & naturâ perfectius. Aristot. *lib.* 5. *Polit. cap.* 5. attamen hominis appellatione tam fœminam, quàm masculum contineri, non dubitatur. *l.* 152. *ff. de Verb. signif.* & ubi singulare jus constitutum non reperitur, par est utriusque sexûs fortuna. *l.* 4. *C. de Liber. præterit.* Quidquid Wesenb *tit. Ad Legem Cornel. de sicar. n.* 5. ex *l.* 38. §. 5. V. Mulier, aut homo. *ff. de Pœn.* in contrarium comminiscatur.

Nec refert II. homo natus occidatur, an 13
nasciturus: nam & fœtus in utero matris existens, quando jam est animatus, nomine hominis venit per *l.* 23. *ff. de V. S.* & qui talem fœtum enecat, verè est homicida. *c. sicut ex literarum.* 20. *h. t.* Aliud est, si quis vel

explendæ securiùs libidinis, vel odii causâ quocunque veneficio, vel arte impedit, ne proles concipiatur, vel generetur, aut si puella ad vitandam infamiam expellit fœtum nondum animatum: talis enim propriè homicida non est, gravissimè tamen peccat, & arbitrio judicis in utroque foro extra ordinem punitur. *cap. aliquando. causâ 32. q. 2. c. si aliquis. h. t. l. 8. ff. Ad leg. Cornel. de sic. l. 4. ff. de Extraord. crim.* & ibi Bartol.

Verùm quando fœtus animetur? *dissident* DD. Sunt, qui sustineant, organizationem fœtûs non fieri à virtute, ut appellant, formatrice seminis, sed ab ipsamet anima rationali, quæ, ut Themistius in 1. *de Anim. c. 22.* infit, *ipsa sibi efformat, & præparat domicilium, non efformatum antè, & præparatum subit;* ideóque animam rationalem ordinariè statim infundi circa septimum à conceptione diem. At in praxi prævalet communis opinio ex Aristotele *lib. 7. de Animal. c. 3.* fœtum masculum animari quadragesimo, fœmineum verò octogesimo die à conceptione. In dubio qualisnam fœtus fuerit? aliqui masculum præsumunt, consequenter post quadragesimũ diem ejectum fuisse animatum, ac homicidium patratum; atque ita observare Sacram Pœnitentiariam testatur Obaldus apud Dianam. *p. 7. tr. 5. resol. 6.* Contra verò alii præsumunt, fuisse fœmineum; ac proinde ante octogesimum, vel saltem sexagesimum à conceptione diem ejectum non fuisse animatum, neque homicidium patratum: ut quò minùs potest, gravetur delinquens. Quorum sententiam ideo etiam libenter amplector, quòd præsumptio in dubio desumatur ex illis, quæ communiter & frequenter accidunt: communius autem & frequentius est, partum esse fœminam, quàm masculum, ut probat experientia. Maximè verò procedit in ordine ad pœnas corporales, quando criminaliter agitur; tunc enim, quoad rationabiliter potest, fœtus præsumitur potiùs inanimatus, quàm animatus, ut post alios tenet Barbosa apud Dianam. *l. cit. resol. 41.*

Neque refert III. liber occidatur, an servus? 14
l. 1. §. 2. ff. Ad leg. Cornel. de sicar. Et quamvis antiquitus jure Gentium jus vitæ & necis Domino competierit in servum, §. 1. *Inst. De his, qui sui, vel al. jur. sunt. l. 1. §. 1. ff. Eod.* Illud tamen de constitutione D. Antonini ita limitatum est, ut non liceat Domino servum suum sine causa legibus cognita occidere sub pœna legis Corneliæ de sicariis. §. *fin. Instit. Eod.* & ibi Clarisl. D. Ernest. Frideric. à Someting. §. 4. ℣. *Effectus.* Ex quo alii DD. inferunt, multò magis Nobilem legis Corneliæ pœnæ subjiciendum, si hominem proprium, seu Rusticum occiderit.

Neque refert IV. sive fidelis occidatur, sive 15
infidelis, ideóque à pœna homicidii ordinaria non erit immunis Christianus Judæum occidens: quia homicidium committit non secus, ac si in persona Christiani id perpetrâsset. *c. Clericum. 5. cap. qui verò. 40 dist. 5.* Nec enim ferendum est, ut quis religionis gratiâ insidiis hominum impunè exponatur, nec audiendi sunt, qui sub ejus prætextu in personam Judæi, ceu hominis à fide Christiana alieni, præcipites aliquid admiserint. Et licèt hujus sectæ homines variis sceleribus imbutos esse quis noverit, idcirco tamen fas non est, ut sibi ipsi ultionem arrogare audeat, cùm hunc in finem judiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio sit constituta. *l. 14. C. de Judais.* Decian. in *tr. crim. p. 1. lib. 5. c. 15. n. 1. & 2.*

§. VI.

Forma homicidii alia est homicidii volun- 16
tarii, alia necessarii, alia casualis.

Forma homicidii *voluntarii in specie* consistit in duobus, nempe in animo, sive dolo proposito occidendi, & cæde ipsa; quorum alterum si desit, nec homicidium commissum cen-

censetur, nec ordinariæ homicidii pœnæ locus esse potest. *l.* 1. *§.* 3. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.*

Animus, seu *propositum occidendi* ex facto sive cæde præsumitur, ita ut, si homicida illud abfuisse asserat, probandi onus sustinere cogatur. *l.* 1. *C. Eod.* Gail. 2. *Observ.* 119 *n.* 7. *&* 8. Menoch. *de Præsumpt lib.* 6. *præsumpt.* 35. Nisi aliæ adsint conjecturæ, quæ præsumptionem istam elidant, & probationis onus in accusatorem rejiciant: veluti si homicida occiso consanguinitate, aut intimâ amicitiâ tempore cædis junctus fuit: hoc quippe casu homicidium non tam dolo, quàm casu factum esse præsumitur. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 14. *n.* 15. *&* 16. Card. Tusch. *concl. pract.* 143. *n.* 36. *Tom.* 4. vel si genus armorum, quo homicida ad occidendum usus est, minùs ad id aptum fuerit. *l.* 1. *§. Divus. ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Clar. *lib.* 5. *sent. §. homicidium. n.* 5. maximè verò si aptiora ad occidendum arma ad manus habuerit. Menoch. *de arbitr. jud. casu* 361. *n.* 6. Angel. Aret. *in tr. de Malefic. V. scienter, & dolosè. n.* 18 aut si manu tantùm percutiendo occidat. Gomez *tom.* 3. *var. resol. tit. de homicid. n.* 17. Quanquam hisce, & consimilibus casibus, juramentum, quod purgationis appellant, reo deferendum existimet Barth. Bertazol. *consil.* 85. *n.* 23. *vol.* 1.

17 *Cædem* ipsam quod attinet, ea ante omnia requiritur, nec solùm occidendi conatus sufficit: etsi enim antiquitus conatus pro delicto perfecto habitus fuerit, atque punitus. *l.* 1. *in pr. l.* 3. *in pr. & §.* 1. *l.* 14. *ff. Ad legem Cornel. de sicar. l.* 7. *l.* 8. *l.* 9. *C. Eod. §.* 5. *Inst. de Publ. jud. l.* 1. *ff. Ad. leg. Pomp. de parricid.* ex recepta tamen, & notoria Germaniæ consuetudine conatus homicidii, utut ad actum proximum accesserit, non ampliùs pro homicidio habetur, nec ordinaria, & capitali pœna vindicatur. Mynsing. *cent.* 3. *Observ.* 9. Clarus *d. §. homicidium.* 65. Gail. *de Pac publ. l.* 1. *c.* 14. *n.* 16. *& seq.* R mus P. Martinus Resch. *tr. de Jure patron. c. ult. num.* 9.

Connexa *quæstio* est: an, & quando vulnerans ad ordinariam homicidii pœnam teneatur, si ex postfacto vulneratus moriatur?

Placet, & communibus calculis approbata est hæc distinctio: an vulnus fuerit lethale: vel an non fuerit lethale: vel an non satis constet de lethalitate? Si vulnus fuit lethale, vulnerans de occiso tenetur, pœnisque ordinariis, nisi justam vulnerationis causam habeat, subjicitur, non attentô, utrùm vulneratus brevi, vel ex longo intervallo mortuus sit, nec habita ratione malæ curæ, vel regiminis vulnerati aliarúmve circumstantiarum *c. significâsti.* 18. *h. t. l.* 21. *ff. Ad leg. Aquil.* Gail. 2. *observ.* 111. *n.* 7. *& seqq.* Socin. *consil.* 178. *vol.* 2. Si liquidò constet vulnus non fuisse lethale, vulneratúmque non ex vulnere, sed ex imperitia, aut incuria Medici, vel ex propria culpa, & negligentia, vel alio accidente extrinseco periisse, vulnerans ab homicidio, ac pœnis homicidii absolvendus erit. Socin. *d. Consil.* 178. *col.* 2. Riminal. *consil.* 282. *n.* 7. Bald in *l.* 30. *§.* 4. *ff. Ad leg. Aquil.* Quòdsi simus in dubio, num vulnus lethale fuerit, an non? relictâ eorum sententiâ, qui vulnerantem reum homicidii pronuntiant, eò quòd rei illicitæ operam dederit, & in delictis præsumptio sit contra delinquentem per *l.* 52. *in pr. ff. Ad leg. Aquil.* præfero minorem, quæ reo pœnam extraordinariam dictat, cùm dubiæ probationes ad mortem inferendam non sufficiant. *l. fin. C. de Prob.* Carpzov. *pr. crim. p.* 1. *q.* 26. *n.* 28. Planè quando vulneratus processit de malo in pejus, & intra breve spatium mortuus est, præsumitur ex vulnere obiisse, secus quando per triduum ambulavit. Gloss. in *l. un. in V.*

depulsa. C. de Emend. serv. quam communis usus sequitur. Cæterùm an vulnus lethale, & vulneratus ex eo mortuus fuerit, nec ne? juratis Medicis, aut Chirurgis committitur, eorúmque judicio statur juxta *cap. significâsti. 18. h. t. l. semel. C. de Re milit. Constit. crim. Caroli V. art.* 147. & 149. Carpz. *d. p. 1. q. 26. per tot.*

18 *Formam* homicidio *necessario* partim auctoritas publica, partim necessitas defensionis tribuit, ut per quam differt ab homicidio voluntario in specie, & ab omni dolo, culpa, & pœna absolvitur.

Auctoritate publica nititur homicidium, quando Magistratus, ac Minister justitiæ officio suo debitè utitur, & malefactorem ultimô supplicio afficit, arg. *l.* 13. §. 6. *l.* 15. §. 38. *ff. de Injur.* Quòdsi dolo malo, vel culpa officiô abutatur, ab injusto homicidio haud excusatur. *l.* 1. *in pr. &* §. 1. *l.* 4. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Eadem ratione in bello justo jure occidis hostem. §. 4. *Instit. de Jure person. l.* 5. *ff. de J. & J.* transfugam tanquam hostem. *l.* 3. §. *fin. ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* sicut & illos, qui à Romano Imperio deficiunt. *l. amissione.* §. 1. *ff. de Cap. diminut.* item Bannitos Imperii. *Ordin. Cam. p.* 2. *tit.* 9. §. 1. ibi: Sollen deß / oder derselben Leib / ꝛc. Allermänniglich erlaubet seyn. Gail. 2. *Observ.* 6. *n.* 10. *& seqq.*

19 In *disquisitionem* vocatur: num Princeps cuivis bannitum occidendi facultatem dare, eáque privatus bonâ conscientiâ uti possit? ℟. &

Dico I. Potest Princeps, ac Magistratus, jure nonnunquam uti hoc remedio extraordinario executionis, modò tres conditiones concurrant. *Prima* est, ut de delicto capitali proscripti, seu banniti sufficienter constet. *Altera*, ut ordinario procedendi modo in bannitum præsentem executio fieri nequeat: secus enim obtinet regula juris in contrarium, quòd singulis non sit concedendum, quod per Magistratum publicè potest expediri. *l. non est singulis.* 176. *ff. de Reg. jur. Tertia*, ut periculum aliquod grave ex ejus malitia Reipublicæ immineat; ut si sit proditor, perduellis, prædo, insidiator vitæ Principis, veneficus &c.

Dico II. Quo casu à Principe, seu Magistratu ita justè decreta est proscriptio cum libera potestate occidendi bannitum, justè quoque & licitè is à privato occidi potest, sed cum hisce conditionibus. *Primò* ut occisio non fiat ex privato affectu vindictæ, aut lucri, sed ex zelo justitiæ, & ob bonum publicum. *Secundò*, ut occisio fiat intra, non extra territorium proscribentis, nisi etiam in aliis territoriis sit denuntiatus: Nam sicut auctoritate Magistratûs in reum per Ministros publicos, ita nec per privatum extra territorium executio fieri potest, arg. *l. fin. ff. de Jurisd. omn. judic. Tertiò*, ut persona in bannum declarata non sit singulari jure conjuncta, ut Pater, filius, aut conjunx, quos occidere non licet, nisi ad delendam patriam veniant. *l. minimè.* 35. *ff. de Relig. & sumpt. fun. Quartò*, ut sententia banni, seu proscriptionis non sit per appellationem suspensa; quandoquidem appellatione pendente executio suspenditur, nisi illa notoriè sit invalida, & nullius momenti. Ita Layman in *Theol. mor lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 2. Clar. 5. *sent.* §. *homicidium. n.* 54 cum citatis

Necessitas defensionis homicidium excusat, 20 cùm invasus adversùs vim, ac injuriam, quæ infertur, vel imminet, se aliter tueri non potest, quàm invasorem occidendo. *Clem. 2. h. t. l.* 5. *pr. l.* 45. §. 5. *ff. Ad leg. Aquil. l.* 2. & 3. *C. Ad leg. Cornel. de sicar.* Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. *l.* 3. *ff. de J. & J.* Nec ullum animal tam pusillum est, quod lacessitum sese non cupiat ulcisci; nulla

nulla fera tam abjecta, cui non sit ira, & prompta, si noceas, ad se defendendum alacritas. Reverendiss. Christoph. Priggl, in *Man. Pr. de Apell. Observ.* 25. *n.* 4. In specie, ut justa sit defensio, & moderamen inculpatæ tutelæ servatum censeatur, tria requiruntur: *causa, modus*, & *locus*.

11 *Causa* est injusta aggressoris offensio: Neque enim inculpata potest esse defensio, nisi, qui eam pro se allegat, ab interfecto invasus, & insultatus fuerit. *d. l.* 3. *C. Ad leg. Cornel. de sicar. Constit. crim Caroli V. art.* 139. *& seqq.* Invasus autem dicitur non solùm, qui ab adversario vulnera, verberáve accepit, sed etiam, ad quem invasor stricto ense duntaxat venit. *d. l.* 3. & *Constit. Carolin. art.* 140. ibi: So einer jemand mit einer tödtlichen Waffen, oder Wehr überlaufft. Gail. 2. *Observ.* 110. *n.* 13. ideóque ad necessariam defensionem solum armorum terrorem, sive vim imminentem sufficere, multis rationibus probat Petr. Theodoric. *in Col. cr. cap.* 11. *Aphor.* 5. *lit. E.* Et hoc est, quod dicitur, neminem primum ictum Adversarii, seu invasoris exspectare teneri. *Constit. Carolin. d. artic.* 140. ℣. Ist auch mit seiner Gegenwehr, biß er geschlagen wird, zu warthen nicht schuldig. Jul. Clar. 5. *sent.* §. *homicidium. n.* 33. Carpz *prax. crim. p.* 1. *q.* 29.

12 *Modus* in eo consistit, ut defensio sit proportionata & adæquata offensioni: tanta videlicet, quanta ad vim repellendam satis est. *Clem. un. h. t. l.* 45. §. 4. *ff. Ad leg. Aquil. l.* 2 *C. Ad leg. Cornel. de sicar. Constit. crim. Caroli V. art.* 139. *&* 140. Quare si aggressor ab invaso sit in fugam conjectus, nec periculum mortis ampliùs immineat, non licet invaso adversarium fugientem persequi, vulnerare, vel occidere, sed hoc si facit, terminos legitimæ defensionis excedit, & extraordinariam pœnam subibit, *arg. d. Constit. crim. art.* 142. Gail. *d. Observ.* 110. *n.* 15. Covar. in *repet. Clem. furiosus. p.* 3. §. *un. n.* 3. Nisi fortassis aggressor ad hoc fugam capesseret, quò vires resumeret, séque ad pugnam continuandam pararet. Gail. 1. *de Pac. publ. cap.* 16. *n.* 17. Obrecht *tr. de Necess. defens. c.* 11. *n.* 28. Similiter si invasus sine periculo vitæ, & jactura existimationis evadere, & per fugam se salvare possit, fugam potiùs arripere, quàm dubio prælio se committere, & invadentis sanguine polluere debet per *l.* 5. *in pr. ff. Ad leg. Aquil. l.* 2. *C. Ad leg. Cornel. de sicar. Constit. crim. Caroli V. d. art.* 140. Matth. Berlich. *Concl. pract.* 13. *n.* 31. *& seqq. p.* 4.

Tempus exigit, ut vis illata in continenti, & non demum ex intervallo propulsetur. *l.* 52. §. *tabernarius. ff. Ad leg. Aquil. l.* 3. §. *cum igitur. ff. de Vi, & vi arm.* hoc est, ut illico in ipso aggressu, pugnæque continuatione, flagrante adhuc, & durante insultatione cædes committatur, arg. *l.* 23. §. *ult. ff. Ad leg. Jul. de Adult.* Gail. *d. c.* 16. *n.* 17. Boër. *decis.* 168. *n.* 6. *& seq.* Quapropter si gladiantes aliquamdiu separati fuerunt, & postea invasus invasorem, & hostem suum invadit, occiditque, fustra necessariam defensionem prætendit. Damhoud. in *Pr. crim. cap.* 67. *n.* 11. Idem est, si invasus, ac læsus se se domum confert, indéque arrepto gladio ad aggressorem revertitur, & eum interficit. Tusch. *conclus. pract.* 129. *n.* 15. *tom.* 2.

His defensionis requisitis addunt aliqui armorum paritatem, daß nemblich Beyde / der Benöthigte / und Entleibte / gleiche Wehr und Waffen gehabt / ꝛc. Verùm id haud necessarium esse, sed invasum quibusvis armis, quæ ad manus habuerit, se tueri posse, maximè si inter invasorem, & invasum non si paritas in fortitudine, & conditione statûs, sustinet Berlich. *Concl. pract.* 13. *n.* 56. *p.* 4. Navar. in *Man. c.* 15. *sub n.* 3. P. Engl

h. t.

l. t. num. 17. ubi inde concludit, damnandum non esse, qui contra validum latronem cum fuste venientem sclopetum explodit, vel nobilem, qui contra plebejum non pugnô, sed gladiô se defendit, dummodo à majori violentia, quàm ad sui defensionem necessaria sit, abstineat. Quòdsi tamen conflictus paribus armis factus sit, putem, majorem esse præsumptionem pro eo, qui alterum sui defendendi causâ occidit, quòd moderamen rectè observaverit.

23 *Disceptatur* hìc I. An honorem, & famam contra injuriantem, seu convitiantem perinde, ac vitam, & corpus contra iniquum invasorem armis defendere liceat, si aliter ignominia averti nequeat?

Ita sentiunt Azor. *Inst. moral. p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 16. Sot. *de J. & J. lib.* 5. *q.* 1. *art* 9. Dian. *resolut. moral. Tom.* 8. *tr.* 5. *resol.* 9. *n.* 5. Clariss. P. Paulus Metzger in *Theol. Schol. tr.* 12. *Disp.* 37. *art.* 3. *n.* 8. & alii: quia fama, & vita pari passu ambulant. *l.* 8. *in fin. ff. Quod met. caus. l.* 9. *ff. de Manumiss. vind.* & crudelis in se est, qui famam suam negligit. *c. non sunt audiendi.* 56. *causâ* 11. *q.* 3. *c. nolo.* 9. *caus.* 12. *q.* 1.

Hæc sententia utut à theorica veritate non abhorreat, in praxi tamen rarissimè locum habet. Cùm enim ad defensionem honoris, famæ, & existimationis multa prodita sint legitima remedia, veluti injuriarum actio tam civilis, quàm criminalis, actio ad palinodiam, & retorsio verbalis, idcirco injuriantem ob defensionem honoris interficere vix unquam cogit necessitas; proinde sicut vitam, ac corpus, alio remedio suppetente, cùm internecione invasoris tueri non licet, ita ista honoris defensio, dum alia remedia fermè semper in promptu sunt, licita, aut legitima esse vix potest. Ad hæc ignominiam tolerare non vera ignominia, sed apud DEUM, & homines verè prudentes verus honor, & gloria est, quæ ex virtute, & animi constantia nascitur; imò plerumque ignominia illata, aut inferenda, per occisionem non cavetur, aut tollitur, sed augetur. Unde ad propositum Andr. Gail. *lib.* 2. *Observ.* 100. *n.* 8 ait, magis politicè, quàm Christianè disputari, ac scribi, quòd honoris tuendi causâ occidere liceat, cùm parùm conveniat verbis Christi apud Matth. 5. ℣. 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Sanè illud exploratum est, fas non esse, alium pro defensione honoris occidere, si honoris invasio præsens non est, & quasi in puncto: siquidem Innocentius XI. in *Ind. sent. prohib. prop.* 30. & ante illum Alexander VII *prop.* 17. & 18. prohibuerunt sententiam, quæ docet, licere viro honorato occidere eum, qui *nititur* gravem calumniam inferre: aut qui *minatur* libellis famosis, revelatione injusta veri, falsive criminis, honorem graviter minuere. Vid. Layman in *Theol. moral. lib* 3. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 12. *n.* 79. & 82. Carden in *Christ. Theol. dissert.* 21. *c.* 2.

Nec hisce dictis refragantur jura initiô adducta: etsi enim fama, ac honor respectivè æquiparentur vitæ, in eo tamen maxima disparitas est, quòd honor plerumque alia ratione si non conservari, saltem recuperari possit, per actiones scilicet injuriarum: adeóque cùm habeatur aliquod remedium à jure constitutum, non licebit per viam facti procedere. Econtra vita hominis, nisi in continenti defendatur, semel amissa nulla arte revocari potest. Neque famam suam negligit, ac insuper habet, qui injurias Magistratûs legitimô auxiliô, non per cædes vindicat.

Disceptatur II. Utrùm etiam retinenda 24
rum rerum, ac bonorum causâ hominem mutilare, aut occidere liceat, si ea aliter salvari, aut recuparari non possint?

Pro

Pro negativa facit textus in *c. interfeciſti. 2. h. t.* ubi Clericus, qui pro defensione bonorum homicidium fecit, jubetur agere pœnitentiam usque ad mortem. Item in *c. ſi perfodiens. 3. Eod.* junctâ *l. furem. 9. ff. Ad leg. Cornel. de ſicar.* ubi permittitur occidere furem *nocturnum*, non verò *diurnum*, eò quòd præsumatur illum venisse non solùm ad furandum, sed etiam ad occidendum. Accedit textus in *c. ſuſcepimus. 10. h. t.* ubi dicitur, oportuisse auferenti pallium, & tunicam dimittere, ac potiùs rerum suarum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus, & transitoriis rebus tam acriter in fures exardescere, &c. Ex quibus textibus Covar. in *Clem. furioſus. p. 3. §. un. n. 6. h. t.* Obrecht *de Neceſſ. defenſ. c. 8. n. 2.* & alii plures inferunt, saltem de jure Canonico, aut certè Clericis res suas cum internecione furis, aut raptoris tuendi facultatem non competere; idémque absolutè, & de jure quoque Civili obtinere volunt Harprecht ad *§. item lex Cornelia. n. 135. Inſt. de Publ. jud.* & Matth. Berlich, *concl. pract. p. 4. concluſ. 12. n. 39.*

Verùm quòd furem, aut raptorem, si res sit magni pretii, & aliter recuperari non possit, omnibus sine discrimine occidere liceat, docent Laym. *d. c. 3. n. 4.* ubi id expressim ad Clericos extendit. Clariss. P. Paul. Mezger *art. 3. cit. n. 7.* Gail. 1. *de Pace publ. c. 16. n. 10. 15. & 16.* Clar. *5. ſent. §. homicidium. n. 47.* cum citatis, quorum partes sequor: tum quia bona temporalia quodammodò vitæ comparantur, cùm ad vitam conservandam sint necessaria, arg. *l. Advocati. C. de Advoc. diverſ. jud.* tum quia in *l. 1. C. Unde vi.* perspicuè habetur, quòd etiam ad defendendam possessionem illatam vim propulsare permissum sit: tum quia Carolus V. in *Conſt. cr. art. 150.* inter homicidia inculpata numerat, si quis pro defensione vitæ, vel bonorum alterius hominem occidit: cùm enim Imperator disjunctivè loquatur, & homicidium pro defensione bonorum alterius factum excuset, multò magis pro defensione bonorum propriorum admittere censetur: tum quia licitum est bellum tam offensivum, quàm defensivum, quamvis in eo sæpe aliquot millia hominum pereant. Quid ergo impediat, quò minus licitum sit bonorum aggressorem occidere?

Neque sententiæ oppositæ favet *c. interfeciſti. 2. h. t.* id enim loquitur de eo, qui excessit moderamen inculpatæ tutelæ, quandoquidem ibi sermo est de Clerico, qui *ſe, ſuáque* defendendo occidit, cùm tamen in confesso sit, ad defensionem propriæ personæ aggressorem impunè occidi. In *c. ſi perfodiens. 3. h. t.* & in *l. furem. 9. ff. Ad Leg. Cornel. de ſicar.* non ideo solùm permittitur occisio furis nocturni, quia præsumitur venire ad occidendum, sed quia ordinariè non est alius modus tuendi res suas à fure nocturno, quàm occidendo; interdiu autē plures alii modi esse solent. Ad text. *c. ſuſcepimus 10. h. t.* respondet P. Engl *ibid. n. 22.* eum procedere, si res ablatæ fuerint viles, exigui momenti, & damni: vel si cognitâ personâ raptoris potuerint per Judicem, licèt fortassis non ita facilè, recuperari.

Forma homicidii *casualis* in ea sita est, quòd citra interficientis intentionem, & voluntatem fiat, aliquâ, vel nullâ culpâ interveniente.

Culpa duplici modo intervenire, & homicidii causa esse potest. *Primò*, si quis in *re licita*, ac permissa versatus fuerit, sed non adhibuerit debitam circumspectionem, ac diligentiam. *c. 7. & 8. h. t. §. 5. Inſt. & l. 38. ff. Ad leg. Aquil.* ut si Medicus, aut Chirurgus imperitiâ suâ ægrotum è medio tollat. *§. 7. Inſt. Eod.* Si putator arboris prope viam publicam arbores cædendo, transeuntem clamore suo non præmonitum, ramo dejecto occidat. *l. 7. ff. Ad leg. Cornel. de ſicar.* Si quis infantem nocturno tempore per somnum com-

comprimat: *c.* 20. *causâ* 2. *q.* 5. Si architectus machinam non satis priùs colligatam conscendendo, totius machinæ ruinâ per hoc factâ homini funus paret. Jul Clar. *5. sent. §. homicid. n.* 4. *Secundò*, si quis dederit operam *rei illicitæ*, & illius occasione cædes fiat. Censetur autem *rei illicitæ* operam dare is, qui contra prohibitionem legis exercet actionem ex se periculosam, & propterea sibi prohibitam; veluti si quis ex alto se præcipitando alium supervenientem perimat. *l.* 7. *ff. Ad Leg. Cornel. de sicariis.* Si quis, cui in campo militari jaculis ludendi jus non erat, jaculando prætereuntem trajiciat. §. 5. *Instit. Ad Leg. Aquil.* Si tonsor in platea, vel alio loco tumultuoso, & periculoso tondens, ab alio trusus novaculâ tonsi gulam præcidat. *l.* 11. *in pr. ff. Ad Leg. Aquil.* Si Clericus extra casum necessitatis exerceat chirurgiam per adustionem, vel sectionem, & ægrotus ex curatione moriatur sine ulla etiam culpa medentis. *c. tuanos* 19. *in pr. h. t.* Secus foret, si Clericus, vel Laicus in perfecta, v. g. ebrietate alium interficeret: quia licèt homicidium sequatur ex actione illicita, non putatur tamen dedisse operam rei illicitæ, cùm ebrietas periculum homicidii per se non contineat, nec propterea prohibita sit. Vid. Zoës. *h. t. n.* 69. *&* 70. Barb. in *c. dilectus. n.* 2. *Eod.*

26 Sine *culpa* contingit homicidium casuale, quando quis adhibitâ diligentiâ, quam alii viri prudentes adhibent, operam dedit *rei licitæ*, cui casu quodam homicidium accedit: ut si laicus venator in venando telo in feram misso hominem interfecerit. *l.* 11. *§.* 2. *ff. de Pœn.* Si quis in ludo jaculatorio licitè sagittâ ad scopum ejaculando intervenientem trajecerit: *l.* 9. §. 4. *ff. Ad leg. Aquil.* Si Clericus causâ valetudinis equitaverit', & equus ejus rupto fræno excurrens mulieris occurrentis filium parvulum neci dederit. *c. dilectus.* 13. *h. t.* Si alius me inscio, vel invito, ac prohibente propter me, & in mei gratiam alium trucidaverit. *c. Petrus.* 17. *Eod.*

§. VII.

Finis homicidii *voluntarii* est bonum vindictæ privatæ, aut lucrum aliquod temporale: *necessarii* defensio Reipub. aut personæ propriæ, vel alterius: *casualis* nullus.

§. VIII.

Effectus homicidii pro diversitate, & qua- 27
litate ejus diversi se offerunt.

Effectus homicidii *voluntarii in specie*, seu dolosi spectatur in pœnis à jure tum Civili, tum Canonico in homicidas statutis.

Jure civili homicidæ voluntarii puniuntur pœnâ legis Corneliæ de sicariis; quæ olim in personis vulgaribus erat pœna capitis. §. *item lex Cornelia. Instit. de Publ. jud.* in Nobilioribus deportatio, seu proscriptio. *l.* 3. §. 5. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Hodie verò præsertim jure Carolino homicidia indistinctè, & sine respectu personarum ultimo supplicio coërcentur. *Constit. crim. Caroli V. art.* 137. ibi: Ein jeder Mörder/ oder Todtschläger/ wo er deßhalben nicht rechtmäßige Entschuldigung außführen kan/ hat das Leben verwürcket. Christoph. Blumlacher *add. art.* 137. *n.* 9. Quod ultimum supplicium, si homicidium proditoriè, per insidias, per veneficium, assassinium, aut latrocinium commissum sit, exasperatur, & gladius in rotam, furcam, aut rogum commutatur, vel adjunctis aliis pœnis corporalibus, ut adustione per ferrum candens, forcipibus, truncatione manuum &c. adaugetur. Theodor. in *Coll. crim. c.* 7. *Aphor.* 6. Carpz. in *Pr. crim. q.* 24. *n.* 16.

Rursus præter pœnam hujusmodi homici- 28
dæ, eorúmque hæredes ad refusionem quoque expensarum litis tenentur; quandoquidem in criminalibus etiam causis victus victori in expensas condemnandus venit. Gail. 1. *Observ.* 151. *n.* 1. Clar. 5. *sent.* §. *fin. q.* 62. *n.* 4. An autem ad æstimationem operarum, sumptus cu-

curationis, Medicorum, medicaminum, funeris expensas, & aliud interesse hæredibus occisi obligentur? Negant probabiliter Petr. Heig. *p.* 2. *q.* 23. *num.* 20. & Modest. Pistor. *part.* 1. *q.* 11. *n.* 5. Affirmant probabiliùs Covar. 2. *var. resol. c.* 10 *n.* 7. Farinac. in *pr. crim. p.* 4. *tit.* 14. *q.* 119. *n.* 39. & Rmus P. Honor. Aigner in *Stater. just. p.* 2. *quæst.* 2. *art* 7. *in fin.* eò quòd vindicta publica non tollat civilem persecutionem ad damna, & interesse privatorum per *l. qui nomine.* 15. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* Quamvis plerumque hæredes occisi post supplicium à damnato exactum ultrà nil petere consueverint, & ideo hæredes occidentis restitutionem omittere, aut differre possint, donec exigatur. P. Engl *h. t. n.* 38. & 39.

29 De *Jure Canonico* ex crimine homicidii regulariter in foro externo contra laicos non proceditur, cùm sit crimen fori sæcularis; potest tamen & illis imponi pœnitentia publica juxta *c. sicut dignum* 6. *in pr. h. t.* aut excommunicatio, nisi pœnitentiæ satisfactione crimen commissum diluerint. *c. itaque.* 20. *causâ* 24. *quæst.* 3. Panorm. in *c.* 1. *n.* 2. *h. tit.* Præterea laici æquè ac Clerici incurrunt irregularitatem soli S. Pontifici reservatam, & quidem de via ordinaria indispensabilem, seu non facilè solitam dispensari per *c. miror.* 4. *dist.* 50. *c.* 1. *h. tit. Clem. un. Eod.* Trident. *sess.* 14. *c.* 7. & *sess.* 24 *c.* 6. *de Reform.* Porro Clerici ob homicidium voluntarium etiam ab omnibus beneficiis, & ordinibus deponuntur, & si depositi se non corrigant, sed in idem delictum denuo ruant, excommunicantur, & successivè anathematizantur, & demum, si in profundum scelerum sine spe correctionis demergantur, degradati Curiæ sæculari pro meritis puniendi traduntur. *c. cùm non ab homine.* 10. *de Judiciis.*

30 *Effectus* homicidii *necessarii* alius est, si auctoritate publica, alius, si necessitate defensionis fiat.

Homicidium *publica auctoritate* factum inducit irregularitatem, non propter culpam, & in pœnam, sed propter defectum perfectæ lenitatis in repræsentanda Christi mansuetudine, quæ in Clericis, ceu personis ab Ecclesia ad sacrum Christi ministerium ordinatis relucere debet. Itaque irregularitatem incurrunt, quicunque in bello etiam justo, aut judicio criminali *directè, efficaciter,* & *propinquè* concurrunt ad realem certi hominis occisionem, aut mutilationem: ut Duces belli, & milites, qui propriis manibus unum, aut plures ex hostibus trucidârunt. *c. Clericum.* 5. *dist.* 50. *c. aliquantos* 1. & *c. si quis.* 4. *dist.* 51. *c. petitio tua.* 24. *h. t.* non tamen ii, qui illos ad strenuam pugnam hortando incitârunt, quod etiam Clericis licere videtur per *c.* 7. 8. & 9. *causa* 23. *q.* 8. Item judex, ejúsque assessores, & Consultores, Accusator, & ejus Advocati, & Testes; Notarii sententiam mortis scribentes, dictantes, subscribentes, & ministri justitiæ sententiam exequentes, & omnes alii, qui directè, ac proximè ad mortem rei quoquo modo cooperati sunt. *d. c. aliquantos* 1. *dist.* 51. *c. his, à quibus.* 29. *causâ* 23. *q.* 8. *c. Clericis.* 5. *c. sententiam.* 9. *Ne Clerici, vel Monachi. c.* 2. *h. tit. in* 6. *c. ex litteris.* 10. *de Excess. b. Prælat.* Sylvester *V. homicidium.* 3. *num.* 3.

Homicidium commissum ex *necessitate de-* 31
fensionis privatæ, ut ab omni reatu, ita in foro tam Civili, quàm Canonico ab omni pœna immune est. *Clem un. h. t. l.* 2. & 3. *C. Ad Leg. Cornel. de sicar. Constit. crim. Caroli V. art.* 139. & 140 Adeò ut invasus nec impensas in curam, & medicos factas, nec damnum operarum amissarum, nec quicquam simile hæredibus interfecti resarcire cogatur. *Constit. crim. d. art.* 140. Berlich *p.* 4. *Concl. pract.* 12. *num* 3. Nisi legitimæ defensionis limites, seu moderamen inculpatæ tutelæ excesserit; quo casu pœnâ extraordinariâ,

v. g. fustigatione, relegatione, carcere, aut mulctâ pecuniariâ, nunquam verò ordinariâ, sive ultimo supplicio puniri debet. *Const. Carolin. art.* 142. Menoch. 2. *de Arbitr. jud. casu* 278. Et hoc licèt excessus latâ culpâ commissus fuerit per *l.* 7. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Andr. Tiraquell. *tr. de Pœn. temperand. cauſ.* 1. *n.* 8. Imò etsi probaretur, aut constaret, excessum dolò malò, & cupidine vindictæ esse factum, arg. *l.* 4. *C. Ad leg. Jul. de Adult.* Berlich. *p.* 4. *concl. pract.* 18. *n.* 2. & 14. Clar. 5. *sent.* §. *homicidium. n.* 34. ubi sententiam hanc communem, & receptissimam esse attestatur.

32 *Quæstio* enascitur, an, & quando is, qui servato moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem occidit, irregularitatem incurrat?

Difficultatem facessit textus in *Clem. un. h. t.* ubi dicitur, eum non fieri irregularem, *qui mortem aliter vitare non valens occidit, vel mutilat suum invasorem.* Unde multi irregularitatem impingunt illi, qui alium occidit, aut mutilat pro defensione suorum membrorum, honoris, aut bonorum, vel etiam pro defensione proximi, eò quòd S. Pontifex in *d. Clem. un.* eum duntaxat excipiat, qui propriam vitam armis contra invasorem tuetur. Majol. *de Irregularit. lib.* 5. *c.* 45. §. 1. Laym. in *Theol. moral. lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 4. *c.* 9. *n.* 3. P. Engl *h. t. n.* 56.

Verùm ab eorum sententia recedere, non dubito: quandoquidem ex homicidio privato irregularitas non oritur, nisi *delictum*, aut *culpam* involvat: irregularitas namque ex defectu lenitatis incurritur tantùm ob cooperationem ad homicidium publicâ authoritate factum: ergo quando homicidium privatum est *inculpabile* & sine *delicto*, non inducit irregularitatem, est autem inculpabile, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, sive ad defensionem vitæ, sive bonorum, sive honoris, sive etiam proximi.

Nec moratur, quòd *Clem. un. h. t.* de eo solùm loquatur, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, aut mutilat adversarium: propterea enim alios, qui honorem, membra, aut bona sua, vel proximum cum internecione aggressoris defendunt, positivè non excludit, præsertim cùm alia jura satis exprimant, ad hanc irregularitatem requiri homicidium culpabile; neque una exceptio excludat aliam alibi expressam per text. in *Clem. exivi.* §. *deinde. & ibi* Gloss. *de Verb. signif.*

Circa *effectum* homicidii *casualis* iterum se- 33
cernendum est homicidium culposum à non culposo, seu merè casuali.

Homicidium *culposum*, id est, sine dolo, non verò sine culpa commissum in jure & foro civili parit actionem ex lege Aquilia de damno injuriâ dato liberis, conjugi, sociis, & omnibus, quorum interest, hominem talem occisum esse; de quâ actione agemus *ad tit. de Injur. & damn. dat.* Insuper pœnâ extraordinariâ juxta facti & personarũ qualitatem punitur. *l.* 4. §. 1. *ff. Ad Leg. Cornel. de sicar. l.* 1. *l.* 5. *C. Eod. Constit. crim. Caroli V. art.* 146. adeò ut ne lata quidem culpa ultimo supplicio locum faciat. *l.* 7. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* In foro Canonico principalis hujus homicidii effectus est irregularitas, quatenus non tantùm illi, qui dolò malò hominem occidunt, sed etiam qui per culpam latam, aut levem, non etiam levissimam, causa sunt homicidii, omnino inhabiles reduntur ad SS. Ordines suscipiendos, & susceptos deinceps exercendos, dummodo saltem peccatum veniale concurrat. *c.* 8. 12. & 13. *h. t. c. quæsitum. & ibi* Panormit. *n.* 3. *de Pœnit. & remiss.* Quæ tamen irregularitas dispensabilis est ab Episcopis, vel aliis privilegiatis, si homicidium sit occultum, & nondum deductum ad forum contentiosum per Trident. *sess.* 24. *de Ref. c.* 6. ubi amplum, & generale privilegium concessum est Episcopis dispensandi in omnibus

bus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario, & aliis delictis ad forum contentiosum deductis.

34 Homicidium *meræ casuale*, quod nempe sine omni dolo, & culpa, casu solùm fortuito evenit, nullam prorsus pœnam meretur. *l.* 1. *& 5. C. Ad legem Corn. de sicar. Const. crim. Caroli V. art.* 146. *in pr.*

§. IX.

35 *Affinis* homicidio est *mutilatio*, quæ est imperfectum veluti homicidium, utpote quâ quis alteri rapit non quidem se totum, ut fit per occisionem, sed aliquod sui *membrum: membrum*, inquam, id est, talem partem, quæ distinctum habeat officium in corpore humano; ut manus, pes, oculus, auris; quòdsi enim pars speciale officium in corpore humano non habeat, tametsi aliis opem ferat, ut cartilago, dens, aut digitus, propriè membrum non dicitur, nec ejus abscissio mutilatio, arg. *l.* 10. *ff. de Ædil. edict.* ubi digitus appellatur *aliquid membri.* & *c. exposuisti. de Corp. vitiat.* ubi is, cui dimidia palma manûs cum duobus digitis abscissa est, solùm dicitur *debilis*, & *deformis.* P. Engl *h.t. n.* 52. Covarr. in *repet. Clem. furiosus. h.t. p.* 3. *in pr. n.* 8.

Pœna mutilationis est irregularitas. *c. fin. h.t. in* 6. quoad effectum enim inducendi irregularitatem & ab Ordinibus impediendi mutilationem cum occisione æquiparari videas in *Clem. un. h.t. c.* 4. *de Raptorib. c.* 1. *de Cleric. pug. in duell.* At cave, ne pœnam hanc ad debilitationem extendas, quâ membrum aliquod sine reali separatione à corpore ad suas functiones inutile redditur; quippe hæc debilitatio mutilatio non est, nisi inchoata & impropriè dicta, ad quam dispositio juris Canonici tanquam odiosa porrigenda non est, arg. *c. odia. de Reg. Jur. in* 6.

TITULUS XIII.
De Torneamentis.

SUMMARIA.

1. Quid sint torneamenta? 2. Quæ pœna occidentis, & occisi in torneamentis? 3. Sitne hodiedum prohibita?

UT vitentur homicidia, Ecclesia vitari voluit *torneamenta, duella, & artem sagittariam.*

§. I.

Torneamenta dicuntur nundinæ, vel feriæ, 1
in quibus milites ex condicto convenire, & ad ostentationem virium suarum, ac audaciæ temerè congredi solent. Vallens. *h.t. n.* 1.

§. II.

Pœna in torneamento pugnantium est: Qui 2
alium in torneamentis interficit, reus est homicidii, & quia operam dedit rei illicitæ, fit irregularis per *c.* 10. *&* 20. *de Homicid.* interfectus verò Ecclesiasticâ sepulturâ privatur, si animo ludendi, ac pugnandi accesserit, non si alia de causa. *c.* 1. *&* 2. *h.t.* Alias etiam pœnas statuit Clemens V. quas tamen sustulit Joannes XXII. in *Extrav. un. Eod.*

Ex quo textu colligere est, torneamenta, & 3
hastiludia, prout nostris temporibus inter Nobiles loricis, & galeis munitos quandoque instituuntur, cùm moraliter loquendo nulli inde periculum vitæ immineat, sub prædicta prohibitione non contineri, atque ideo, licèt aliquando præter opinionem contingat, hominem occasione ejusmodi ludi, vel exercitii occidi, nec occiso Ecclesiasticam sepulturam denegandam, nec occidentem, quasi culpabiliter, & ex ludo prohibito necem intulerit, judicandum esse, ut rectè docet Navarr. in *Man. cap.* 15. *num.* 9. *&* 21. Panorm. in *c.* 1. *h.t.* Barb. *ibid. n.* 2. cum communi.

TITULUS XIV.
De Clericis pugnantibus in duello.

SUMMARIA.

1. Duellum quid nominis? 2. Quid rei? 3. 4. Quotuplex? 5. 6. 7. An, & quando sit licitum? 8. 9. Quinam ad duellum concurrant?

10. Usque 14. adducuntur requisita duelli. 15. assignatur duelli finis. 16. & seqq. Recensentur pœnæ duellantium.

§. I.

1 *Duellum* quasi *duorum bellum* dicitur, & latiùs quidem quodcunque duarum partium, strictè verò, & in sensu hujus *rubricæ* denotat singulare certamen duorum, quod græcè *monomachia* appellatur in *c. monomachiam. 22. causâ 2. q. 5.*

§. II.

2 *Definitur* duellum, quòd sit singularis pugna duorum inter se ex condicto susceptæ. Hostiens. *h. t. n. 1.*

§. III.

3 *Dividitur* duellum I. in privatum, & solenne. Privatum est, quod fit absque solennitatibus ex condicto tamen, & statuto tempore, ac loco opportuno. Solenne, quod fit servatâ certâ formâ, & ordine, habitâ loci securitate (*campum francum* vulgò vocant) assistentibus *Patrinis*, seu *Secundantibus*, ut nuncupant, aliisque provocatoriis solennitatibus præmissis. Desselius *h. t. erotem. 2.*

4 II. Dividitur duellum in judiciale, & extrajudiciale. Judiciale est, quod in causis controversis, maximè criminalibus, plenis deficientibus probationibus, litigatores eò pactô ineunt, ut victor eo in duello suam intentionem eâ ipsâ victoriâ probare censeatur. Atque hoc Veteribus venit nomine Kampff/ & Kampff-Recht/ nigróque lapillo notatur in *c. 2. h. t. & c. 1. & 2. de Purgat. vulg.* Extrajudiciale est, quo spretâ judiciorum, & Magistratûs auctoritate multi suæ iræ, ambitioni, vindictæ, & affectibus frœna laxant, & plerumque pro honore asserendo, aliâve injuriâ, vel contumeliâ qualicunque depellendâ, aut eradendâ privato ausu, ac temeritate furiosè decertant. Gonzal. in *c. 2. n. 8. h. t.*

§. IV.

5 *Causa efficiens* duelli est vel remota, vel proxima.

Remota est jus tam Divinum, quàm humanum: quacunq; enim ex causa duellum ineatur, non tantùm jure Canonico, ac Civili sub gravissimis pœnis, sed etiam jure naturali prohibitum est ac illicitum. *c. monomachiam. 22. causâ 2. quæst. 5.* fine dubio ideo: quia duellum non solùm præsens periculum, sed directam quoque intentionem nocendi, & proximum occidendi, aut vulnerandi involvit, atque ut Trident. *sess. 25. de Reform. c. 19.* loquitur, detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus est, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.

6 Duos tamen casus communiter assignant DD. quibus duellum licitum, permissúmque est. *Primus* est, si interesse publicum exigat; ut si duo Belliduces, aut certus militum numerus ex utroque hostili exercitu committantur ad finem dirimendi controversiam Principum, & belli longioris calamitates evitandi. Sic David singulare certamen inivit cum Goliath. 1. *Reg.* 17. Marcus Valerius Gallum duello vicit, à corvo adjutus, unde Corvinus nominatus. Livius *lib. 3. cap. 2.* Ochus contra Carduscios militans Barbarum provocantē dejecit. Justin. *lib. 10.* Eduardus III. Angliæ, & Franciæ Rex provocavit Philippum VI. Valesium: Franciscus Galliæ Rex Carolum V. Imperatorem: Carolus Sueciæ Rex Christianum IV. Regem Daniæ: Carolus Ludovicus Elector Rheni Comitem Turrenium. Extra talem casum verò nec militibus duella sunt permissa, utut Bellidux licentiam dederit, ut con-

consstat ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit. *Illius vices.* Zoëſ. *h. tit. num. 6.* Layman in *Theol. mor. lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 5. num. 3.*

7 *Alter* casus justi duelli est, si provocatus ob defensionem vitæ, honoris, vel bonorum cum aggressore congrediatur; nec alio præsidio tutus esse, aut periculum declinare possit; veluti si ei in continenti duellum offeratur, & nolenti suscipere, fustes, ictus, aut vulnera intententur. Quòdsi intervallum concedatur, atque ad certum locum, aut diem provocatio fiat, causa, quæ vulgò allegari solet, conservandi honorem, & respectum suum, ordinarièque non excusat comparentem: tum quia aliò medio, mediante scilicet Judice competente, honorem suum vindicare, aut conservare potest: tum quia licèt judicio improborum hoc ipsum probrosum putetur, & ignavum, quòd provocatus judicem accedat, duellúmque detrectet, nihilominus, uti aliàs non quovis modo honorem, & reputationem conservare, aut conciliare licitum est, ita neque duellò, quod omnia jura execrantur. P. Engl *h. t. n.* 10.

8 *Causa efficiens proxima* duelli sunt duellantes, quorum alter *provocans*, alter *provocatus* dici solet: & omnes, qui quoquo modo ad id concurrunt, veluti Principes, & quicunque Domini temporales, qui locum ad monomachiam, seu duellum concedunt: duellantium Patrini, seu secundantes: instigantes, consilium, auxilium, arma, favorémque dantes; item spectatores, qui ex composito ad spectandum duellum comparent, ut præsentiâ suâ duellantes animosiores reddant; illi, qui in occulto, vel tantùm in transitu conspiciunt duellantes, aut detinentur animò eos dividendi, propriè spectatores non sunt. De his omnibus agit Trident. *sess. 25. de Reform. c. 19. & ibi* DD.

§. V.

9 *Objectum* duelli sunt corpora duellantium, quæ mortis discrimini objicit. Unde duello se committens quasi duplicis homicidii reus fit: proximi, cui vitam eripere laborat; & sui ipsius, dum vitam suam, cujus DEUS arbiter est, sorti, & morti exponit.

§. VI.

10 *Forma* duelli desumitur à requisitis, quæ duorum sunt generum: quædam duello privato & solenni sunt communia, quædam huic propria.

Inter *communia* requisita duelli *primum* est, ut ex actu deliberato ab utraque parte, & ex condicto suscipiatur. Hinc à pœnis duelli excusantur, qui occasione rixæ ad provocationem devenerunt, & durante calore iracundiæ nullo intervallo morali intercedente ad aliquem locum idoneum se conferunt, ibique digladiantur; siquidem quando provocatio, & pugna ex subito iræ calore procedunt, non sunt duæ, sed una moraliter actio, quæ rixa potiùs, quàm duellum dicenda est, cùm præcipuè principium inspiciendum sit, non finis. Aloys. Ricc. *in prax. rer. for. Eccles. decis.* 634. Cæsar. de Panimoll. *decis.* 144. *num.* 3. & 4. Barb. ad *Trid. d. sess.* 25. *c.* 19. *num.* 10.

11 *Alterum* requisitum commune est designatio certi temporis, & loci, ita ut si condicatur locus duntaxat, vel duntaxat tempus, non sit duellum. Bonacin. *de Excommunic. disp.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 14. Quamobrem excommunicationi, aliisque pœnis duellantium locus non est, si dum duo rixantur, alter dicat: *venè foras; exere gladium; exeamus; exspecta, donec veniam; invito te ad pugnam; tecum pugnabo prima vice, quà per urbem tibi obviam fuero &c.* Tamburin. *lib.* 6. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 12. Jacob. Pignatel. *tom.* 1. *consult.* 317. ubi refert, S. Congregationem Concilii in *una Segobiens. die* 15. *Octob.* 1644. declarâsse, mortuum in ejusmodi rixa sepulturâ Ecclesiasticâ non privari.

Tertiò requiritur tale genus armorum, ac con-

confligendi modus, ut duellantibus probabile periculum mortis immineat. Qua de causa si mulieres inter se verbis, aut evulsione capillorum altercentur, aut viri pugnis, virgâ, vel levi baculo congrediantur, duellum non erit, etsi aliquando mors subsequatur. Bonacin. *d. punct. 1. n. 11.* Filliuc. *tr. 15. c. 5. q. 5. n. 107.* Interim non solùm in illis casibus, ubi duella omnino fatalia, eáque conditione, vel intentione non desistendi, donec alter prostratus jaceat, inita sunt, verùm etiam tunc omnes censuræ & pœnæ obtinent, si inter duellantes, & patrinos leges positæ sunt de dirimendo certamine, quàm primùm alteruter vulneratus fuerit, sive sanguinem fuderit, aut si de certo ictuum, vel congressuum numero conventum & cautum sit, prout expressè declaravit Clemens VIII. in cit. Bulla. *Illius vices.*

13 *Quartò* nonnulli ad duellum requirunt, ut pugna re ipsâ subsequatur, adeò ut etsi ambo ad determinatum locum & ad actum propinquum perveniissent, si tamen pugna defacto quacunque ex causa impedita sit, censuras, aliásque pœnas duellantium non incurrant: eò quòd verba præsertim in pœnalibus cum effectu sint accipienda. *c. cùm super. 23. de Offic. deleg.* P. Engl *h. t. n. 7.* Dian. *p. 5. tr. 14. resol. 102.* Dissentit Tambur. *d. §. 3. n. 15.*

14 *Proprium* requisitum duelli *solennis* in eo consistit, quòd habeatur loci securitas: quòd literæ provocatoriæ, seu denuntiationis chartulæ (vulgò *chartelli*, Cartel dicunt) adversario mittantur: & Patrini, sociique ad id vocentur, ut colligitur ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ad tollendum.*

§. VII.

15 *Finis* duelli est vel demonstratio veritatis, aut innocentiæ, vel decisio litis, vel vindicta ob injuriam illatam. Laym. in *Theol. mor. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5.*

§. VIII.

16 *Effectus* duelli sunt pœnæ, quibus duellantium furor, & concurrentium pravitas compescitur. Sunt autem variæ.

Jure *Decretalium* si Clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, sive victor, sive victus fuerit, de rigore juris est meritò deponendus. *c. 1. h. t.* & quando inde cædes, aut mutilatio sequitur, incurrit irregularitatem, idque non solùm, si in persona propria decertet, sed etiam si per aliam substitutam personam ad duellum compareat, juxta textum, & communem Interpp. in *c. 2. Eod.*

17 Jure *Tridentini* Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, ipsò factò excommunicantur, suáque jurisdictione, ac dominio excidunt. Illi, qui pugnam commiserunt, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò Ecclesiasticâ sepulturâ carere debent. Demum etiam illi omnes, qui consilium in causa duelli tam in jure, quàm facto dederint, aut aliâ quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo tenentur, non obstante quocunque privilegio, seu pravâ consuetudine, etiam immemorabili. Ita Trident. *sess. 25. de Reform. c. 19.*

18 Hanc saluberrimam Tridentini constitutionem Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Ea, quæ à Prædecessoribus.* ampliavit, plures pœnas addendo, nempe pœnas criminis læsæ Majestatis, carceris, inhabilitatis ad testamentum faciendum, & similes. Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Ad tollendum.* extendit ad omnes illos, qui ex condicto statuto

tem-

tempore, & in loco convento congressi sunt, etiam si nulli patrini ad id vocati sint, nec loci securitas habita, nec provocatoriæ literæ præcesserint. Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Illius vices*, extendit, ut locum habeat ubique terrarum, etiam circa milites, ex privata inimicitia inter se duellantes, eorúmque Duces, Italia duella permittentes. Præterea excommunicationis absolutionem Sedi Apostolicæ reservavit teste Barbos. in *c. 1. n. 7. h. t.* P. Engl *n. 5.*

19 Verùm constitutiones, & Bullas hasce in Germania non esse in tanto rigore receptas, notat Laym. *d. p. 3. c. 5. n. ult.* Quod verum puto saltem quoad pœnas temporales, puta proscriptionis, privationis jurisdictionis, & infamiæ, & fortè etiam quoad reservationem excommunicationis, maximè ubi mors non fuerit secuta.

20 In *ambiguo* hæret: num vulneratus in duello, si ante mortem pœnitentiæ signa dederit, & tam à peccatis, quàm à censura absolutus fuerit, in loco sacro sepeliendus sit?

Negat Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 411. n. 9.* & *seqq.* ubi *n. 13.* refert declarationem Cardinalium. Affirmat Fragos. *de Reg. Reipubl. Christ. p. 1. lib. 1. disp. 2. §. 10. n. 91.* ubi testatur ita in praxi servari. Ego referre existimem, an vulneratus in ipso loco duelli, an alibi v. g. ex intervallo domum delatus decesserit? Casu priore verius est, eum à sepultura sacra excludendum esse: quandoquidem privatio sepulturæ est specialis pœna duellantium, quæ non tollitur per pœnitentiam, & absolutionem, & adhuc verificatur dispositio Tridentini, ac Bullarũ Pontificiarum, quibus sepulturâ privantur, qui *in ipso conflictu decesserunt.* Casu posteriori, quamvis eodem, vel alio die receptâ pœnitentiâ mortuus sit, probabilius est, non esse privandum sepulturâ: quia licèt ex duello mortuus sit, in ipso tamen conflictu, vel duello non decesserit, quod in terminis ad incurrendam pœnam privationis sepulturæ in Decreto Tridentini, & Bullis allegatis desideratur.

Jure *Civili*, si alteruter duellantium cecide- 21
rit, ratione pœnæ Criminalistæ communiter distinguunt inter *provocantem*, & *provocatum*, ut si iste occiderit provocatum, pœnâ ordinariâ legis Corneliæ, nempe gladii; ille verò, si provocantem, mitiùs, & extra ordinem puniendus sit ex ratione: quòd ignoscendum sit ei, qui provocatus se ulcisci voluit. *l. qui cùm major. 14. §. si libertus. ff. de Bon. libert.* & quòd provocatis semper jura faveant, cùm difficillimum sit injuriato, dolorem temperare, arg. *l. 4. C. Ad leg. Jul de Adult.* Clar. *5. sent. §. fin. q. 60. n. 18.* Gail. *2. Observ. 110. n. 15.* Berlich. *Pract. concl. p. 5. Concl. 17. n. 9.* Quæ distinctio displicet Antonio Matthæo. *tit. 5. de Sicariis. c. 3. n. 8.*

TITULUS XV.

De Sagittariis.

IN *c. un. h. t.* ab Innocentio III. sub pœna excommunicationis prohibetur ars sagittariorum & Balliſtariorum in bello inter Christianos, & contra Christianos. Erant autem balliſtæ machinæ quædam, quibus olim saxa, & sagittæ majores jaciebantur.

Verùm hæ in usu esse desierunt, & nunc utimur tormentis bellicis, quæ contra Christianos quoque usurpari, jam consuetudo invaluit. Neque horum prodesset prohibitio: cùm in bellis instrumenta vel maximè usui esse soleant, quæ hostibus sunt pernicioſiora. Prohibendum potiùs esset, si fieri posset, ne Christiani inter se bella gererent.

TITULUS XVI.
De Adulteriis, & ſtupro.

DElicta, quæ *vitam* lædunt, excipiunt ea, quæ *pudicitiam* contaminant: *adulterium* ſcilicet, & *ſtuprum*.

PARS I.
De Adulteriis.

SUMMARIA.

1. Adulterii etymologia. 2. Homonymia.
3. Definitio. 4. Diviſio.
5. 6. Quo jure prohibeatur adulterium, & quæ quoad hoc inter jus utrumque differentia?
7. A quibus? 8. 9. Inter quas perſonas? 10. 11. Quo modo? 12. Qua intentione adulterium committatur?
13. Usque 17. Referuntur pœnæ adulterii.
18. 19. 20. Quid ſit Polygamia, lenocinium, & inceſtus, & quæ eorum pœna?

§. I.

1 *Adulterium* ita dictum, quaſi *ad alterum*, ſive *ad alteram* ſit acceſſio, eò quòd maritus ad alteram mulierem, ſeu mulier ad alterum virum accedendo adulterium committat. *c. lex eſt. 2. ℣. adulterium verò causâ* 36. *q.* 1.

§. II.

2 Significatio *adulterii* non eſt uniusmodi: Generaliter ſumptum comprehendit omnem copulam, quæ non habet poteſtatem conjugii. *c. nemo* 4. *§. tolerabilior. causâ* 32. *q.* 4. & ita Lex Julia promiſcuè *ſtuprum* & *adulterium* uſurpat. *l. inter ſtuprum.* 101. *ff. de Verb. ſignif. l.* 6. §. 1. *l.* 13. §. 3. *& 8. ff. Ad Leg. Jul. de adulter.* Specialiter verò & hic accipitur pro violatione thori conjugalis, quam Germani ein Ehebruch nominant.

§. III.

3 *Definitur* adulterium, quòd ſit injuſta violatio thori alieni, ſeu fidei in matrimonio datæ.

§. VI.

4 *Dividitur* adulterium in ſimplex, ſive unilaterale, & in duplex, ſive bilaterale. Simplex eſt: quod vel à marito alieno cum ſoluta, vel ab uxore aliena cum ſoluto committitur. Germanicè ein einfacher Ehebruch. Duplex, ſeu duplicatum dicitur, quod à marito alieno cum uxore aliena perpetratur. Germanicè die Ober-Hurerey / ein gedoppelter Ehebruch.

§. V.

Cauſa efficiens adulterii eſt duplex: remota, & proxima. 5

Remota eſt jus partim naturale, partim humanum. Naturale: quia adulterium iniquè irruit in præceptum illud Decalogi: *non mœchaberis*, éſtque ideo formaliter malum, ac illicitum. Humanum: quia ejus diſpoſitione præſertim *Lege Julia de adulteriis*, facinus hoc in numerum delictorum publicorum tranſcribitur.

Eſt verò ratione adulterii notabile diſcri- 6
men inter jus Civile, & Canonicum. Illo quippe jure, ſi maritus cum virgine, vidua, aut meritrice ſe commiſceat, non adulterii, ſed ſtupri inſimulatur. *l.* 6. *§.* 1. *l.* 34. §. 1. *ff. Ad Leg. Jul. de Adult.* econtra jure Canonico etiam in ſolutam mulierem à conjugato adulterium committitur. *c.* 4. *causâ* 32. *quæſt.* 4. *c.* 19. 20. *& fin. causâ* 32. *quæſt.* 5. Cur tam variè? Quia de jure Civili attenditur præcipuè illa violatio thori, ex qua oritur incertitudo prolis, & ſeminis confuſio; quod tantùm contingit, ſi quis nuptam comprimat. De jure autem Canonico principaliter conſideratur violatio fidei in matrimonio datæ; quod fit ſive conjugatus peccet cum ſoluta, ſive cum conjugata. P. Engl *h. tit. num.* 2. Porro quoad pœnas fundatas in jure Canonico jus Canonicum, quoad pœnas verò à jure Civili, ſtatuto, vel conſuetudine in adulteros conſtitutas, jus Civile ſequendum eſſe reor: quamvis enim jus Civile eatenus correctioni juris Canonici ſubjaceat, ut in ratione pec-

peccati, & in communi loquendi modo etiam conjugatus cum ſoluta verè & propriè adulterium committere dicatur, non tamen ſequitur, quòd iisdem pœnis, quibus nuptam corrumpens coerceri debeat, cùm quòad hoc nihil innovatum ſit, hodiéque propter prolis incertitudinem longè majus nocumentum per adulterium nuptæ cum ſoluto, quàm conjugati cum ſoluta Reipubl. inferatur. Ita Jul. Clar. §. *ſent.* §. *adulterium.* n. 2. Farinac. *de Delict. carn. quæſt.* 141. *n.* 75. Diſſentiunt Menoch. *de Arbitr. jud. caſu* 420. *n.* 106. & plures allegati à Berlich. *Concl. pract. p.* 4. *concl.* 27.] *n.* 44.

7 *Cauſa efficiens proxima* adulterii eſt vir, qui vagam libidinem ſectatur, ac in amplexus alienos ruit. Vir, inquam, tam conjugatus, quàm cælebs: nam & hic ſive juvenis, ſive viduus fuerit, quoties cum uxore aliena ſe commiſcet, toties adulterii reus eſt; quò facit textus generalis in *l.* 6. *ff. Ad Leg. Jul. de adult.* & *l.* 101 *ff. de V. S.*

§. VI.

8 *Objectum* adulterii eſt fœmina, in quam adulterium committitur. Committitur autem jure Civili in nuptam duntaxat, & jure Canonico etiam in ſolutam, ſi cum ea maritus congrediatur, ut ſatis conſtat ex dictis. Sed bifidum hic *dubium* diſcutiendum.

Primum eſt: Anne adulterium committatur in uxorem putativam?

Affirmo per *l. ſi uxor.* 13. §. 1. *ff. Ad Leg. Jul. de adult.* ubi ita diſſerit Ulpianus: *Plane ſive juſta uxor fuit, ſive injuſta, accuſationem inſtituere vir poterit: nam & Sextus Cæcilius ait: hæc lex ad omnia matrimonia pertinet.* Ex quo textu Panorm. in *c. plerumque, de Don. inter vir. & uxor.* arguit, mulierem pro conjugata habitam, ſi dormierit cum alio viro, amittere dotem in pœnam ſui delicti, licèt aliàs probaretur nullitas matrimonii. Idem tenet Gloſſ. in *d. c. plerumque in V. repetere non valebit.* ubi citat alios textus, & ponit hanc regulam: *quòd crimina ſecundùm intentionem judicantur.* Interim non diffiteor, re ipſa, & theologicè loquendo concubitum cum uxore putativa adulterium non eſſe, utut pro tali rigore legum habeatur.

Alterum dubium eſt: An quoque in alienam ſponſam de futuro adulterii committatur? 9

Affirmant Gloſſ. in *c. quemadmodum. V. Sponſa de Jurejur.* Panorm. in *c. diſcretionem. n.* 3. *de eo, qui cogn. conſang. ux. ſuæ.* & complures alii apud Sanchez *lib.* 1. *de Matr. diſp.* 2. *n.* 1. maximè propter textum, & rationem in *l. ſi uxor.* 13. *ff. Ad Leg. Jul. de adult.* ubi cùm in §. 2. dictum eſſet, maritum in uxore ſemper adulterium vindicare poſſe, ſubjungitur in §. 3, *Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt, etiam in ſponſo hoc idem vindicandum, quia nec matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonii violare permittitur.* Similia habentur in eadem *l.* 13. §. *ſi minor.* 8. *ff.* & *l.* 7. *C. Eod.*

Nos haud pœnitet iis aſſiſtere, qui pro negativa concludunt: tum quia de jure Civili adulterium propriè tantùm in nuptam committitur. *l.* 6. §. 1. *ff. Ad Leg. Jul. de adult.* tum quia utroq; jure adulterium nil aliud eſt, quàm acceſſus ad thorum alienum, ſive violatio juris uni conjugum in corpus alterius competentis. D. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. *in C.* Quæ cùm in ſponſis de futuro locum non habeant, nec à ſponſa, nec cum ſponſa adulterium committi poteſt, ſive de ſpecie & gravitate peccati in foro conſcientiæ, ſive de effectibus & pœnis adulterii in foro externo ſermo ſit. Clariſſ. D. D Schonbogen *ad Inſt. de Jud. publ. ſub* §. 4 Covar. 4. *Decretal.* 1. *p.* 1. *n.* 17. Gutierrez *qq. Can. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 18.

Ad textum *cit. l. ſi uxor.* 13. §. 3. DD. variè reſpondent; probabiliſſimè Henric. Caniſ. in *Prælect. Acad. ad tit. de Sponſal. & matr. in pr.* §. *ex his.* quòd ibi ſub nomine adulterii

stuprum sponsæ illatum intelligatur, illúdque vindicare sponso permittatur, sicut marito adulterium; universim enim Lege Juliâ de adulteriis hæc duo inter se confundi, & unum pro altero indifferenter accipi, monet JCtus in *l.* 6. §. 1. *ff. Ad Leg. Jul. de adult. & l.* 101. *ff. de V. S.* atque ita accipi in *d. l. si uxor.* 13. §. 3. satis declarat subsequens §. *si minor.* 8.

§ VII.

10 *Forma* adulterii consistit in dolosa violatione thori conjugalis. Duo itaque requiruntur, ut adulterii quis accusari, & condemnari possit.

Primò dolus, sive propositum adulterandi: Unde si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera; si autem sciat, jam hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Text. in *c. si virgo.* 5. *causâ* 34. *q.* 1. Similiter si uxor fuerit per errorem cognita ab alio, quem putabat proprium esse maritum, vel per vim compressa. *c. proposito.* 4. *causâ* 32. *q.* 5. *c. in lectum.* 6. *causâ* 35. *q.* 1. *l. vim passam.* 39. *ff. Ad Leg. Jul. de adult.* Imò nec ille de adulterio puniendus est, qui re ipsâ nuptam compressit, quam tamen solutam credidit, non obstante illâ regulâ, quòd ignorantia non excuset dantem operam rei illicitæ: siquidem ea solùm procedit, ubi culpa sufficit ad effectum aliquem, & pœnam incurrendam, non autem ubi dolus, sive certa scientia desideratur, prout omnino adulterium sine dolo non committit, textus est in *l.* 12. *& l. pen. ff. Ad Leg. Jul. de adult.* Carpz. *in Pr. crim. p.* 2. *q.* 61. *n.* 42. *& seqq.*

11 *Secundò* requiritur, ut actuali concubitu thorus alienus contaminatus sit, nec sola hîc voluntas, seu intentio sufficit. Et hoc est, quòd JCtus dicit in *l.* 225. *ff. de V. S.* adulterium non ex sola animi propositione, sed adsumpto actu intelligi. Hinc in foro externo pro adultero reputandus non est, qui adulterium animo meditatus solutam polluit, quam conjugatam existimavit: utut enim cogitatione ita adulterium committatur, reverà tamen non committitur, in delictis autem forum externum veritatem, non opinionem spectat, Menoch. *de Arbitr. jud. cas.* 90. *n.* 21. nec quis propter opinionem, vel cogitationem, sed propter factum, & delictum ipsum punitur. *l.* 12. *& ibi DD. ff. Ad Leg. Jul. de adult.* Pari ratione à pœna ordinaria adulterii eximitur ille, qui ex parte sua conatus est thorum alienum conspurcare, atque ad actum propinquum de facto pervenit, si re ipsâ commixtio secuta non fuit, ob rationem partim generalem, quòd consuetudine totius orbis conatus, quantumvis actui proximus, regulariter non puniatur, sicut delictum perfectum. Clar. 5. *sent.* §. *fin. q.* 92. partim ob specialem, quòd confusio sanguinis, & incertitudo prolis videatur locum dedisse ordinariæ pœnæ, quæ hîc cessat. Quare fustigatione, carcere, vel aliâ pœnâ arbitrariâ ejusmodi conatum compescendum esse, docet Carpz. *d. q.* 61. *num.* 2.

§. VIII.

Finis adulterii est restinctio pravæ libidinis: 12 etsi enim per adulterium magna injuria adulteri, vel adulteræ conjugi inferatur, in eo tamen non tam injuria, quàm expletio libidinis spectatur. Clasen. ad *Const. cr. Caroli V. a.* 120. *num.* 2.

§. IX.

Effectus adulterii est pœna huic flagitio præ- 13 stituta, eáque vel privata, vel publica.

Pœna *publica* de jure *Civili* ex Lege Julia olim fuit deportationis, vel exilii per *l. si quis.* 5. *ff. de Quæstion.* Postea Constantinus gladii pœnam induxit in *l. quamvis.* 30. §. 1. *C. Ad Leg. Jul. de adult.* conformiter ad Jus Divinum vetus *Levit.* 20. ℣. 20. & *Deuteronom.* 22. ℣. 22. Quam tamen pœnam Justinianus ob fragilitatem sexûs adulteræ remisit, eám-

eámque virgis cæsam in Monasterium detrudi voluit, quam intra biennium viro recipere licet. *auth. sed hodie. C. Eod. Nov.* 134. *c.* 10. Carolus V. autem nullam specialem pœnam in Adulteros sancivit, sed pœnas à jure Civili constitutas innovavit in *Const. crim. art.* 120. Hodie ferme ubique locorum in foro civili pœna capitalis saltem non prima vice, & adulterio simplici non infligitur, sed plerumque injungitur pœna pecuniaria, relegatio, fustigatio, &c. ut præter experientiam testantur Menoch. 2. *de Arb. jud. casu* 419. *n.* 5. 7. & 74. & Berlich. *p.* 4. *concl.* 27. *n.* 92. Putat tamen Clarus 5. *sent.* §. *adulterium. num.* 7. Principes hujus temporis, qui gravissimum adulterii delictum nimis leviter puniri permittunt, graviter peccare, & quoad hoc Christianitatem reformatione indigere.

De jure *Canonico* nulla adulterii pœna prodita est, nisi quòd laici contumaciter in adulterio persistentes excommunicari possint; *c.* 6. *& ibi* Panor. *h. t.* Clerici verò de adulterio convicti ab officio deponendi, & in Monasterium detrudendi sint. *c. si quis.* 10. *dist.* 81. Quæ tamen detrusio ab usu recessit, nisi alicubi extent Monasteria specialiter pro pœnitentibus erecta.

14 Inter pœnas *privatas* adulterii *prima* est, quòd Patri liceat interficere adulterum unà cum filiafamilias adultera in ipsa turpitudine domi suæ, generíve deprehensos *l.* 20. *&* 3. *seqq. l.* 32. *ff. Ad leg. Jul. de adult.* & marito quoque adulterum uxoris suæ occidere permittatur, non tamen quemlibet, ut patri, sed eum, qui est abjectæ conditionis, quémque cum uxore in domo sua, non etiam soceri, in ipso actu deprehendit. *l.* 24. *l.* 38. *§.* 8. *ff. & l.* 4. *C. Eod.* Verùm hæc juris Civilis dispositio cædem ejusmodi in conscientia & foro canonico nequaquam excusat. *c.* 6. *&* 9. *causa* 33. *q.* 2. neque consentaneum est, ut lex executionem pœnæ capitalis indefinitè contra aliquod crimen committat, antequam de crimine legitimè constet, propter rationes *l. fin. C. de Malef. & mathem. l. inauditum.* 2. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Panor. in *c. si verò. n.* 1. *de Sent. excom.* Jacob Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 81. *n.* 6.

Secunda pœna privata est divortium, seu 15 separatio à thoro, & amissio juris exigendi debitum; inter quæ hæc differentia, quòd separatio debeat fieri authoritate Judicis Ecclesiastici, non propriâ *c.* 3. *de Divortiis.* debitum autem etiam propriâ conjugis innocentis voluntate adultero denegari possit, quamvis occultus adulter debitum petere sine injustitia queat, & alter, si velit, possit reddere, ut advertit Zoël. *h. t. n.* 8.

Hic *indagare* placet, utrùm maritus conscius admissi ab uxore adulterii, eandem dimittere, divortiúmque petere teneatur?

Affirmativam colorare videtur textus in *l.* 2. *C. Ad Leg. Jul. de adult.* ubi Imperator: *crimen lenocinii*, inquit, *contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt.* Atque ideo Claudium Gorgum, Virum Clarissimum, cùm deprehensam in adulterio uxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore damnatum lenocinii, refert Ulpianus in *l.* 2. *§.* 9. *ff. Eod.* Existimem tamen textus hosce accipiendos esse juxta *c.* 3. *h. t.* videlicet maritum, qui scit, uxorem adulterium commisisse, nec pœnitere, sed defacto consuetudinem, pravúmque affectum retinere, teneri eandem accusare, & divortium petere, ne alioquin patronus turpitudinis, & peccati particeps habeatur per *c.* 10. *§. Quòdsi. causa* 32. *q.* 1. Secus, si uxor ex infirmitate lapsa sit, & defacto pœniteat: cùm enim etiam dimissam, si pœniteat, recipere liceat, *c.* 3. *h. t.* nulla sanè ratio est, cur eandem retinere prohibeatur. Zoël. *h. t. n.* 3.

Tertia pœna privata adulterii est amissio 16 donationis nuptialis, aut dotis: enimverò si

uxor adulterium commiserit, retinet maritus dotem, donationem propter nuptias, & liberis non existentibus è cæteris adulteræ bonis tantam portionem, quanta est tertia dotis. *c.* 4. *de Donationib. inter vir. & uxor. Novel.* 117. *c.* 8. Quòdsi maritus adulterium perpetravit, uxor lucratur donationem propter nuptias, dotem recipit, & ex reliquis mariti bonis, tantùm, quantùm tertia pars donationis propter nuptias esse cognoscitur: reliqua bona fisco vindicantur, nisi adsint descendentes, vel ascendentes ad tertium usque gradum, qui fisco præferuntur. *Novel* 117. *cap.* 9. & *Novel.* 134. *c.* 10. *& ult.* An autem uxor adultera post mariti mortem ab ejusdem hæredibus ad amissionem dotis accusari possit? Affirmant Covarr. *ad* 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 7. *§.* 6. *n.* 9. & Klockius *vol.* 4. *consil.* 54. Negant Carpz. in *Pr. crim. p.* 2. *q.* 65. *n.* 3. & Berlich. *p.* 4. *concl.* 30. *n.* 13. quos consule.

17 Cæterùm præter has pœnas oritur etiam respectu adulteri obligatio restitutionis, si proles adulterina ex tali copula sit nata: nam quidquid inde damni marito ratione alimentorum, dotis &c. vel liberis legitimis ratione diminutionis legitimæ & hæreditatis provenit, per se loquendo adulter æquè & adultera (ex quo uterque horum damnorum principalis causa est) compensare teneatur; de quo vid. Layman in *Theol. mor. lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. P. Engl *h. t. n.* 4. *& 5.* Rmus P. Honor. Aiguer. *in Stat. just. p.* 2. *q.* 3. *art.* 4.

§. X.

18 *Affinia* adulterio sunt *Polygamia*, *Lenocinium*, & *Incestus*.

Polygamia est delictum publicum, quo persona conjugata nuptias cum alia adhuc persona celebrat, & per concubitum consummat. Pœna ejus in Imperio nostro est capitalis. *Constit. crim. Caroli V. art.* 121. nisi mas, vel fœmina soluta nesciat alteram personam esse conjugatam. Carpz. *pr. crim. p.* 2. *q.* 66. *n.* 67.

19 *Lenocinium* est delictum publicum, virgines, uxores, liberos, vel alias fœminas, publicè vel occultè aliis prostituendô, vel prostitutionem promittendô, commissum. Pœna ejus, si liberos à Parentibus, aut uxores à maritis prostituantur, probabiliter est pœna gladii, arg. *l.* 2. *§.* 2. *ff. Ad leg. Jul. de adult.* si personæ aliæ, est arbitraria pro qualitate, & circumstantiis delicti modò major, modò minor; veluti præcisio aurium, fustigatio, pœna exilii &c. *Constit. crim. Caroli V. art.* 123. *& ibi* Christoph. Blumlacher.

20 *Incestus* est delictum publicum per concubitum cum consanguinea vel affine matrimoniô jungi prohibitâ admissum. Pœna ejus, si ascendentes, & descendentes incestum scienter commiserint, est pœna gladii per *Constit. crim. Caroli V. art.* 117. Farinac. *pr. crim. tit. de del. car.* 6. *q.* 149 *n.* 68. si collaterales gradu proximi, fustigatione, & relegatione puniuntur. Carpz. *pr. crim. p.* 2. *q.* 73. De pœna incestûs inter affines, vide eundem Authorem.

PARS II.
De Stupro.

SUMMARIA.

21. Stupri diversa acceptio. 22. Definitio. 23. Divisio. 24. Prohibitio.

25. An puella credendum, quæ juvenem de stupro sibi illato accusat? 26. In quam fœminam stuprum committatur, & quæ honesta censeatur? 27. Quo modo? 28. Ob quem finem stuprum fiat? 29. 30. Quæ sint pœnæ stupri?

31. 32. 33. Quid sit fornicatio? quid concubinatus? quid raptus, & quæ horum pœna?

STuprum interdum ita latè accipitur, ut omnem coitum lege prohibitû complectatur per *l.* 6. *ff. ad leg. Jul. de adult.* aliquando verò strictiùs, ita ut eam speciem luxuriæ significet, quæ in virginem, vel viduam honestam committitur. In posteriori hac acceptione.

§. II.

§. II.

22 *Definitur* ſtuprum, quòd ſit illicita defloratio, ſeu corruptio virginis, aut viduæ honeſtè viventis per *d. l. 6. §. 1. & l. 101. ff. de V. S.*

§. III.

23 *Dividitur* ſtuprum in violentum, & non violentum, ſeu voluntarium, illud fœminæ invitæ, ac vi compulſæ; hoc fœminæ ſponte conſentienti infertur.

§. IV.

24 *Cauſa efficiens* ſtupri eſt vel remota, vel proxima.

Remota eſt jus Divinum æquè, ac humanum: nam quòd ſtuprum ſit delictum, & quidem publicum ex jure partim Divino, partim humano venit. Eſt tamen quoad hoc differentia inter jus Canonicum, & Civile. Jure Canonico ſtuprum in ſolam virginem committitur. *cap. lex illa. causâ 36. q. 1.* Jure Civili autem quoque in viduam honeſtam. *§. item Lex Julia. Inſt. de Publ. judic. d. l. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 101. ff. de V. S.* Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 2. caſ. 288. n. 3.*

25 *Proxima* eſt Mas, qui ſolutam, eámque honeſtam fœminam comprimit. Putat verò Mœvius *p. 3. deciſ 73. n. 1.* puellæ ſtupratæ juvenem de ſtupro ſibi illato accuſanti, ſi cæteroquin honeſta, & bonæ famæ ſit, in tantùm credendum eſſe, ut accuſato juramentum purgatorium deferri poſſit. Ego opinioni huic non annuo, niſi ſupponas alia adhuc concurrere indicia v. g. frequentem, vel admodùm familiarem converſationem cum puella interceſſiſſe: aliàs enim honeſtiſſima perſona te de delicto accuſando ſuſpectum reddere non poteſt, ut juramentum purgationis præſtare tenearis: cùm non ſufficiat accuſare, ſed probare, vel ſaltem indiciis gravare, ſine quibus juramento purgatorio locus non eſt, prout in terminis in ſtupri actione rectè ſtatuit Brunneman. *ad l. 9. ff. de Jurejur. num. 27.*

§. V.

Objectum ſtupri eſt fœmina, in quam ſtu- 26
prum committitur. Committitur autem non modò in virginem, ſed etiam viduam honeſtam per jura *n. 24.* adducta. Præſumitur autem viduam ſtupratam fuiſſe honeſtam, & puellam virginem. Panorm. in *cap. 1. h. t.* Barb. *ibid. n. 4.* niſi aliunde conſtet, quòd antea alii ſui corporis copiam fecerit. Petr. Theodoric. in *Colleg. crim. cap. 6. aphor. 4. lit. C.* vel ſaltem præſumptio contra ſtupratam promineat; veluti ſi interdiu, aut noctu alios ad ſe liberè admiſiſſet, aut permiſiſſet non permittenda. Baldus in *l. neque. 10. n. 4. C. de Prob.* Maſcard. *de Prob. concl. 984. vol. 2.* Itaque probatio in contrarium invenit locum, & hoc quidem in caſu per teſtes ſingulares, de diverſis actibus inhoneſtis deponentes: ſiquidem hi actus ex diverſis particularibus tendunt ad probationem generis, ſícque non dicuntur teſtes ſingulares. Fachin. *lib. 1. conſil. 7. n. 9.* Farinac. *q. 136. n. 74. & ſeqq.*

§. VI.

Forma ſtupri ſita eſt in honeſtæ cujusdam 27
mulieris corruptione. Duo itaque concurrant neceſſum eſt, ut ſtupri reus cenſearis. *Primum* eſt animus & propoſitum fœminam honeſtã contaminandi, ideóq; ſtupri condemnari non potes, ſi virginem indutam veſte meretricali defloraſti, arg. *l. 15. §. 15. ff. de Injuriis.* Bajard. in *not. ad Clar. §. ſtupr. n. 4. Alterum* eſt, ut delictum ſit conſummatum; conatus enim, licèt in actum proximum micuerit, arbitrariâ, non ordinariâ pœnâ coërcendus eſt, ſicut in aliis delictis. Burſat. *vol. 1. conſil. 49. n. 31.* Boër. *deciſ. 316. n. 3.*

§. VII.

Finis ſtupri eſt, ut impurô incendiô flagi- 28
tioſæ libidinis ignes extinguantur.

§. VIII.

Effectus ſtupri eſt pœna delicto huic præ- 29
ſtituta; quæ alia eſt, ſi ſpectetur jus Civile, alia, ſi ſpectetur jus Canonicum.

Fu-

Jure Civili ſtuprum *violentum* die Noth-Zucht / ſi perfectum eſt, pœnâ capitis; ſi imperfectum, pœnâ deportationis, aut fuſtigationis coërcetur per *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. crim.* & *Conſt. crim. Caroli V. art.* 119. ubi ob ſtuprum violentum tunc pœna capitalis dictitatur, ſi ſtuprata fuerit eine unverleumbte Eheſrau / Wittib / oder Jungfrau. Ex quo quamplures D.D. colligunt, à pœna mortis exemptum eſſe eum, qui meretricem vi compreſſit. Porro vi ſtuprata nullam pœnam incurrit, nec maculâ aliquâ notatur. *l.* 13. §. 7. *ff.* & *l.* 20. *C. Ad Leg. Jul. de adult.*

Stupri *non violenti*, ſeu *voluntarii* pœna olim erat publicatio dimidiæ partis bonorum in honeſtioribus; in vilioribus verò perſonis fuſtigatio cum relegatione. §. *item Lex Julia. Inſt. de Publ jud.* Sed, ut *ibidem* notat Manz. & Clar. *5. ſent. §. ſtuprum. n.* 3. pœna hæc conſuetudine non ſervatur. Præterea vidua intra annum luctûs ſtupro cognita amittit relicta à priore marito, ſive liberos ex eo ſuſceperit, ſive non. *auth. eisdem pœnis. C. de ſecund. nupt. Novel.* 39. *c.* 2. §. 1. Quam pœnam per SS. Canones abrogatam non eſſe, docent D. D. uno ore.

30 De *Jure Canonico* Clericus ſtuprator jubetur depoſui, & cogi poterit ad dotandam vitiatam. Clar. *d. n.* 3. Bernard. Diaz. in *Pr. Can. c.* 77. *n.* 1. & 8. Circa Laicos in *c.* 1. & 2. *h.t.* ſtatuitur, ut corruptor virginis eam teneatur dotare, & ſimul ducere in uxorem, ſi ipſa, & Pater conſenſerint. Quod idem etiam conjunctim jure Divino requiritur *Exodi* 22. ℣. 17. & 18. & *Deut.* 22. ℣. 28. At noſtris moribus, niſi ſub promiſſione matrimonii Virginem defloraverit, utrumque in arbitrio, ac electione ſtupratoris recumbit, ita ut corruptam, aut in uxorem ducere, aut dotare teneatur. Zoëſ. *h. t. n.* 15. Barb. in *c.* 1. *n.* 2. *Eod.* ubi ad hoc allegat deciſionem Rotæ. Schonbog. ad *d. §. item Lex Julia. de Publ. jud.* Dos autem juxta conditionem & qualitatem defloratæ æſtimanda, & tanta à Judice determinanda eſt, quantam veriſimiliter Pater dediſſet, aut dare conſueviſſet. Carpz. in *Pr. cr. p.* 2. *q.* 68. *n.* 13. Berlich. *p.* 5. *Concl. pract.* 38. *n.* 20. Quodſi dotare non poſſit, & viatam ducere renuat, corporaliter caſtigatus, excommunicatúsque in Monaſterium, ut in eo pœnitentiam agat, detruditur. *c.* 2. *h.t.* quam tamen pœnam in deſuetudinem abiiſſe, teſtatur P. Engl *n.* 12. *Eod.*

Præter dotationem ſtuprator etiam tenetur ad alimentationem prolis, usque dum ex operis, vel alio modo ſe ipſam alere poſſit biß es ſein Brod ſelbſt erwerben kan / arg. *l.* 9. *C. de Patr. poteſt.* Carpz. *d. q.* 68. *n.* 110. *& ſeqq.* aut ſi ipſe abſens ſit, vel bona non habeat, ipſius pater, avúsque paternus, videlicet de portione hæreditaria, quam ſtuprator exſpectat. Richter *deciſ.* 88. *n.* 33. Palæot. *de Noth & ſpur. c.* 41. Ita nimirum, ſi ſtuprum fateatur, & de aliis corrivalibus non conſtet. Secus ſe res habet, quando ſtuprata ex indiciis, & præſumptionibus (nam teſtes, & notarios cœca libido proſcribit) de fornicatione cum aliis ſuſpecta eſt, tunc námque ei juramentum purgationis indicitur, ut ſe liberet à ſuſpicione fornicationis, certúmque infantis patrem indicet, antequam alimentationis onus ſtupratori imponatur. Carpz. *J. E. l.* 2. *tit.* 14. *def.* 239. Fontanel. *de Pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 5. *Gloſſ.* 5. *p.* 1. Mevius *p.* 3. *deciſ.* 73.

§. IX.

Affinis ſtupro eſt *fornicatio*, *concubinatus*, & *raptus*.

Fornicatio, ſchlechte Hurerey / committi 31
dicitur, quando ſolutus cum ſoluta, quæ vel meretrix eſt, vel aliàs vilis, & inhoneſta, ſeſe carnaliter commiſcet. Hæc jure Civili extra omnem pœnam eſt, & ad ſtupra, ac adulteria vitanda permiſſa per *l.* 13. §. 2. *ff.* *l.* 22.

l. 22. & 29. *C. Ad Leg. Jul. de adult.* Jure vero Canonico & prohibetur fornicatio, & punitur, in laico quidem arbitrio judicantis, in Clerico autem depositione ab officio. *c. fornicari. dist.* 80. *c. nemo causâ* 32. *q.* 4. Farinac. *in Pr. crim. p.* 5. *tit.* 16. *de Delict. carn. q.* 137. *n.* 11. Hodie quoque in foro sæculari fornicationem arbitrariè pro modo, & frequentiâ puniri, praxis ostendit.

32 *Concubinatus* dupliciter sumitur. *Primò* pro conjunctione maris & fœminæ, quæ quidem est uxor vera, matrimonio valido de præsenti desponsata, sed tamen sine dotalibus instrumentis, vel solennitatibus, quæ olim ad honestatem matrimonii requirebantur. *c. aliter causâ* 30. *q.* 5. De hoc concubinatu accipiendi sunt textus in *c. is, qui. & seq. dist.* 34. neque huc ea acceptio pertinet. *Secundò* & communiter usurpatur pro cohabitatione unius viri cum una muliere, uxoris locò habita citra affectum conjugalem. *l. nuper C. de Naturalib. lib.* Talis concubinatus olim jure Civili impunitatem habebat. *l.* 3. §. 1. *ff. de Concubinis. l. un. C. Eod. Nov.* 18. *c.* 5. jure verò Canonico, tanquam juri naturali, & Divino adversus, semper reprobatus, & pœnis obnoxius fuit. *cap. audite. dist.* 34. *cap. nemo.* 4. *c. dicat aliquis.* 9. *causâ* 32. *q.* 4. Atque hinc singulatiter Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 9. contra concubinarios quoscunque, etiam laicos, statuit, ut si ter moniti se non emendaverint, & à concubinis separaverint, excommunicatione feriantur, ipsæque concubinæ invocato, ubi opus erit, brachio sæculari ejiciantur, & pro modo culpæ puniantur. Specialiùs deindè pro Clericis idem Concilium *sess.* 25. *de Ref. c.* 14. decernit, ut Episcopus contra tales per privationem fructuum, suspensionem, privationem beneficiorum, & denique, si non resipiscant, ad ipsam excommunicationem procedat. Cæterè de consuetudine in foro etiam civili hodie gravius animadvertitur in concubinarios, quàm in fornicantes, idque meritò, cùm sine dubio consuetudo peccandi gravior sit, quàm simplex peccatum. *c. fin. de Consuet.*

Raptus est delictum, quo virgo, aut fœmi- 33
na alia honesta de uno loco in alium moraliter diversum causâ explendæ libidinis, vi abducitur per *l. un. C. de Raptu virg.* Punitur autem de jure *Civili* raptor cujusvis virginis, nuptæ, vel viduæ honestæ pœnâ capitis, seu mortis cum amissione bonorum; quæ pœna quoque adjuvantibus, & comitantibus raptorem infligitur. *d. l un.* De jure *Canonico* raptor ipso jure incidit in excommunicationem, notatur infamiâ, & si Clericus sit, deponitur: item tenetur raptam dotare, sive eam ducat, sive non. Trident. *sess.* 24. *de Ref. matr. c.* 6. ubi insuper statuitur impedimentum dirimens temporale inter raptorem, & raptam, donec ista in loco libero extra ejus potestatem sit constituta; quamvis de Jure antiquo raptor simpliciter cum rapta matrimonium contrahere potuerit. *c. fin. de Raptorib* Confer. quæ diximus *ad tit. de eo, qui dux. in matr. p.* 3.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

AD classem delictorum, quibus *res familiares* læduntur, pertinent *rapina, incendium, sacrilegium*, seu *violatio Ecclesiarum, furtum, usura*, & *crimen falsi.*

PARS I.
De Rapina, ac Raptoribus.

SUMMARIA.

1. Rapinæ onomatologia 2. Definitio. 3. Quo jure prohibeatur? 4. Raptores qui dicantur? 5. Circa quas res contingat rapina? 6. 7. 8. Quæ sint requisita rapinæ? 9. Quis finis? 10. 11. 12. Quæ pœna? 13. & seqq. affinia rapinæ.

§. I.

1 RApinam à rapiendo dici notissimum etiam his est, qui ultra Grammaticam vix sapiunt. Synonymicè nuncupatur *depradatio*, barbarè *Robbaria*, & *grassatio*, germanicè ein Raub; quamvis aliqui horum verborum differentiam tradant apud Farinac. *p. 7. oper. crim. q. 165. n. 25.*

§. II.

2 *Definitur* rapina, quòd sit contrectatio rei alienæ mobilis fraudulosa, & violenta. Sylvester *V. rapina. in pr.*

§. III.

3 *Causa efficiens* rapinæ alia est remota, alia proxima.

Remota est jus non solùm humanum, sed etiam naturale: quippe sicut furtum, ita rapinam, ceu furtum violentum lege naturali prohibitum est admittere. *l. 1. §. fin. ff. de Furtis.* Unde Cicero *lib. 3. offic. illud*, ait, *natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.*

4 *Proxima* sunt Raptores, grassatores, prædones, prædatores, atque Piratæ, Rauber/ Freybeuter/ Taschenklöpffer/ Buschklöpffer/ und Beutmacher/ qui vî homines aggrediuntur, iisque bona sua violentâ manu auferunt, & rapiunt. Quibus adjungo *Auxiliatores* in crimine rapinæ: parùm enim interest, an quis ipsemet manu sua aliquem rebus suis spoliet, an per alium hoc faciat, alióve medio id efficiat, ut spolii particeps fiat; ideóque auxiliatores eâdem pœnâ, quâ raptores coërcentur per *l. 11. §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. penult. §. ult. ff. de lege Fab. de plag. Novel. 134. c. 10.* Carpz. in *pr. cr. q. 90. p. 2. n. 65.* ubi refert ita judicatum fuisse.

§. IV.

Materiam seu *objectum* Rapinæ constituit 5 *res aliena, mobilis, cujuscunque pretii. Res*, inquam *aliena*, etsi si raptori debita, modò non sit propria: nam rei propriæ raptor vî bonorum raptorum non tenetur, sed aliter multabitur. *text. in l. 2. §. 18. ff. Vi bonorum raptor. Mobilis;* quia immobilis non rapitur, sed invaditur. Unde invaso non succurritur per actionem vi bonorum raptorum. *§. 1. Instit. Eod.* sed per interdictum *unde vi, l. 1. ff. de vi & vi armata*, vel per judicium publicum Legis Juliæ. *l. 3. §. ult. ff. ad leg. Jul. de vi publ. Cujuscunque pretii:* etenim etiam rem minimam vî auferendo rapina committitur, eò quòd delicta non debeant æstimari ex objecto, vel parvitate materiæ, sed ex pravitate affectûs, & animo scelerato. *pr. Inst. de Vibonor. rapt. & ibi* Clariss. D. D. Gletle *n. 3.*

§. V.

Forma rapinæ stat in dolosa, & violenta rei 6 alienæ contrectatione.

Dicitur I. *in dolosa:* Unde qui erravit sive errore facti, putans, rem esse suam, quæ tamen revera existit aliena, sive errore juris, existimans fas esse, detentorem vi dejicere, & ita violenter suum vindicavit, aut proprio ausu sibi jus dixit, is in delictum rapinæ haud incidit, quoniam dolo caret. *d. l. 2. §. 14. ff. Vibonor. rapt.* Ne tamen quis abutatur propria authoritate, legibus constitutum est, ut si creditor suam rem à debitore vi recuperet, jure suo privetur. *l. extat. 13. ff. Quod metûs causa*, ille verò, qui alienam rem ad se haud pertinentem vi occupavit, post restitutionem insuper æstimationem ejus præstare obnoxius sit.

fit. d. §. 1. *Instit. de Vi bonor. rapt. & l. si quis in tantam.* 7. *C. Unde vi.* junctâ *l. si constiterit.* 4. *C. Fin. regundor.* Quæ tamen remedia dictorum textuum hodie fermè in usu esse desiêrunt, ut *ad tit. de Restit. spoliat. n.* 21. insinuavimus.

7 Dicitur II. *violenta*: ut à furto secernatur, *pr. Instit. de vi bonorum rapt.* Est autem hic *violentia* ut æquivoca distinguenda. Alia dicitur *compulsiva*, quando quis ob metum gravem compellitur ad aliquid dandum, vel faciendum: contra quam competit *actio, quod metûs causâ. l.* 1. *ff. Quod metûs causâ.* Alia *expulsiva*, quæ propriè nonnisi in rem immobilem cadit, ut si quis dejiciatur domo, vel possessione sua: quæ coërcetur *interdicto possessorio, unde vi. l.* 1. *§.* 3. *ff. de vi & vi armata.* Alia est *turbativa*, quando duo, vel plures ejusdem rei se possessores prætendunt, & unus turbat alium: contra quam ratione rei immobilis proditum est *interdictum uti possidetis*, ratione rei mobilis verò *interdictum utrubi. §.* 4. *Instit. de Interdict.* Alia est *inquietiva*, quando, qui possessor non est, nec possessionem prætendit, verum & legitimum possessorem vi, aut clam inquietat, nec alium sinit quietè possidere: quæ vindicatur *interdicto quod vi aut clam. t. t. ff. Quod vi, aut clam.* Alia denique est *ablativa*, quâ scilicet res mobilis invito aufertur. Et hæc ad rapinam requiritur *princ. Instit. de vi bonor. rapt.* An armis illata sit, an sine armis? nil refert. *l.* 2. *§.* 1. *ff. Eod.* Molin. *de J. & J. tract.* 2. *disp.* 18. *n.* 2. Imò licèt nulla vis sit actu secundo illata, modò ablatio fiat palàm, & committentes parati sint vim inferre, exinde rapina nascitur. *l,* 1 *§.* 9. *ff. Vi bonor. rapt.* Farinac. *q.* 166. *num.* 31. Carpz. *p.* 2. *Prax. crim. q.* 9. *n.* 68.

8 Dicitur III. *rei alienæ contrectatione*: id est, de loco in locum translatione, sine qua, uti furtum, ita nec rapina fieri potest. *l.* 52. *§.* 19. *ff. de Furt.* Quare non sufficit alia violenta læsio. Dissentit Struvius propter *l.* 2. *pr. & §.* 7. *l.* 4. *§.* 10. *ff. vi bonor. rapt.*

§. VI.

Finis rapinæ plerumque est lucrum, sicut furti. Addidi, *plerumque*: quia quandoque rapina etiam fit injuriæ causâ. 9

§. VII.

Effectus rapinæ est obligatio reparandi damnum, & subeundi pœnam præstitutam. Ubi Jus Civile secernendum à Jure Canonico. 10

Jure Civili, si agatur *civiliter*, raptores *actione vi bonorum raptorum* conveniuntur intra annum utilem in quadruplum, cui rei persecutio, seu simplum jnest, post annum in simplum. *pr. Instit. & l.* 2. *C. de vi bonor. rapt.* Ubi habetur, quod etiam actione furti possint conveniri. Si verò *criminaliter*, & deprædatio cum armis, & tumultu sit facta, plectuntur capite. *l. pœn. ff. ad leg. Jul. de vi publ.* Quod vel maxime de grassatoribus viarum, & spoliatoribus itinerantium procedit, saltem si læpiùs rapinam exercuerint. *l. capitalium.* 28. *§. grassatores.* 10. *ff. de Pœnis.* Imò his etiam pro prima vice ex Constit. Carolina *art.* 126. pœnam gladii inferri, tradunt Criminalistæ.

De *Jure Canonico* tales raptores excommunicari jubentur in *c.* 1, *&* 3. *h. t.* & ii, qui spoliant naufragos, ipsô factô excommunicationem, eámque per *Bullam Cœnæ in Casu* 4. reservatam incurrunt per text. in *d. cap.* 3. ubi Barb. *n.* 8. notat, iniquas esse leges Principum, quibus bona naufragantium alicubi fisco inferuntur. Similiter in *Bulla Cœnæ casu* 3. excommunicatione reservatâ percelluntur Piratæ, seu latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Romanæ Ecclesiæ pertinens; quod etiam ad alios hujusmodi Piratas quidam extendunt. Ego tamen contrarium probabilius existimem cum Barb. 11

add. c. 3. n. 3. Insuper publicis raptoribus denegatur sepultura Ecclesiastica, nisi remediū pœnitentiæ ante mortem seriò postulaverint. Text. & Gloss. in *c. 2. h. t.*

12 Difficilis resolutionis *articulus* est: an Princeps, vel Dominus territorii teneatur resarcire damnum itinerantibus in via publica à Prædonibus illatum?

Affirmant Gail. 2. *observ.* 64. & Mynsing *cent. 5. art.* 70. quos sequor: quandoquidem si Princeps impunè prædones grassari sinat, nec curet iter dare pacatum, in culpa est: utpote qui eum in finem regalia ab Imperatore obtinet, & ab itinerantibus pedagia, gabellas, ac vectigalia exigit, ut eosdem ab injuria grassatorum custodiat, & itinera secura conservet. Quare ad officium Principis pertinet stationarios milites habere ad tuendam popularium quietem. *l. 1. §. 12. ff. de Offic. præfect. urb.* & provinciam suam malis hominibus purgare per *l. 3. ff. de Offic. Præsid.* & curare, ut pacata atque tuta provincia sit, quam regit per *l. 13. pr. ff. Eod.* Meminisse tamen convenit, Principem non teneri ad reparandum damnum, si viator insolito tempore, & viâ inconsuetâ incesserit. Mascard. *de Prob. concl.* 473. *n.* 3. ubi affert præjudicium, vel si prædones sint tam robusti, ut iis resisti nequeat, ut quandoque tempore belli fieri solet, cùm impossibilium nulla sit obligatio. *l.* 185. *ff. de R. J.* Coler. *p. 1. c. 2. n.* 287.

§. VIII.

13 *Affinia* Rapinæ sunt *latrocinium, vis,* & *concussio.*

Latrocinium, aliqui confundunt cum rapina. Sed malè! nam licèt quandoque rapina latrocinium dicatur, ut notat Damhoud, in *pr. rer. crim. c.* 102. re tamen diversissima sunt, ut ostendit Carpz. in *pr. crim. p. 2. q.* 90. Est autem latrocinium delictum, quo spe prædæ homo ab homine occiditur. Nec refert, sive in sylvis, aut viis publicis, sive in privatis ædibus occidatur: sive latro prædam magnam, sive exiguam, sive nullam adeptus fuerit. Pœna ejus est rota. *Const. crim. Caroli V. art.* 130. & 137.

Vis duplex est: privata scilicet, & publica; 14
ille sine armis; hæc armis adhibitis infertur. *§. 8. Inst. de Publ. jud.* Pœna vis privatæ est publicatio tertiæ partis bonorum. *d. §. 8. & l. 1. ff. Ad Leg. Jul. de vi privata.* Pœna vis publicæ est deportatio. *d. §. 8. Inst. de Publ. jud.* interdum ultimum supplicium. *l. pen. ff. & l. 6. C. Ad Leg. Jul. de vi publ.* Hodie pœna utriusque criminis est arbitraria, quæ pro ratione circumstantiarum ad mortem usque extendi potest: ut puta, si contra Magistratum plebs concitata, eique vis illata. *Const. cr. Caroli V. art.* 127. Carpz. in *pr. cr. p. 1. q.* 40.

Concussio est injectio terroris ad aliquid fa- 15
ciendum, vel non faciendum adhibita. Committitur non tantum à privatis, sed etiam & frequentiùs à Magistratibus, aliisque Officialibus prætextu officii & dignitatis aliquid extorquentibus à subdito, aut litigante. Punitur verò præter restitutionem rei ablatæ extra ordinem pro arbitrio Judicis. *l. 1. ff. de Concussione & ibi* Interpp.

PARS II.

De Incendio, & Incendiariis.

SUMMARIA.

16. Incendii definitio. 17. Divisio. 18. Prohibitio. 19. Quinam dicantur incendiarii? 20. Nomine ædium, quæ veniant? 21. 22. 23. 24. Incendium quando dolò, quando culpâ, & quando casu contingat? 25. Quibus pœnis coërceatur?

§. I.

Definitur incendium, quòd sit damnum 16
igne datum. Dissentit Angelus in *tr. de Maleficis. V. incendiario.*

§. II.

§. II.

17 *Dividitur* incendium in dolosum, quod dolo malo; culposum, quod culpâ latâ, levi vel leviſſimâ; & caſuale, quòd caſu fortuito ſubortum, aut excitatum eſt.

§. III.

18 *Cauſa efficiens* incendii duplex eſt: remota, & proxima.

Remota eſt jus partim naturale, partim humanum: utroque enim incendium aut prohibetur, aut vindicatur, & quidem dolosum Lege Corneliâ de ſicariis. *l.* 1. *ff. Ad Leg. Cor. de ſicar.* culposum Lege Aquilia *l.* 27. *§.* 9. & 11. *l.* 30. *§.* 2. *ff. Ad Leg. Aquil.*

19 *Proxima* ſunt incendiarii. Appellantur autem hic incendiarii non tam il, quorum culpâ incendium oritur, quàm illi, qui datâ operâ, & dolo malo ex odio, & vindicta ignem in ædes ſive ſacras, ſive profanas injiciunt, vel qui ad hoc mandatum, auxilium, vel conſilium ſcienter dederunt. *c.* 8. *causâ* 12. *q.* 2. *c.* 32. *causâ* 23. *q.* 8. *c.* 6. *de Injur.* Pirrhing *h. t. n.* 47.

§. IV.

20 *Materia*, ſeu *objectum* incendii ſunt Eccleſiæ, vel alia loca pia, item domus, prædia ac ædificia tam ruſtica, quàm urbana, aut ſegetes, & ſimilia alia, quæ per ignem devaſtantur: nam appellatione ædium omnes ſpecies ædificii continentur. *l.* 9. *in fin. ff. de Incendio, ruinâ, &c.*

§. V.

21 *Forma* incendii ſpectatur in modo, quo contingit. Contingere autem ſolet vel dolo, vel culpâ, vel caſu.

Dolo contingit, quando quis conſultò, datâ operâ, ſciens, prudénsque vel ignem ſubjicit, vel ſtudiosè non impedit, ut latiùs inimicitiarum, aut prædæ causâ ſerpere queat. *l.* 9. & *l. ult.* §. 1. *ff. de Incend. ruin. naufrag. l.* 28. §. 12. *ff. de Pœn.*

22 *Culpâ* incendium accidit, quando ex imprudentia, & negligentia ſuboritur, arg. *l. ſocius.* 72. *ff. Pro ſocio.* idque interdum latâ, interdum levi, interdum etiam leviſſimâ culpâ. Incendii latâ culpâ ſuborti exempla ſunt in *l. ſi fortuitò.* 11. *ff. de Incend. ruin. naufrag. l.* 9. *ſi colonis. l.* 58. *ff. Locati. l.* 27. *§.* 9. & 11. *ff. Ad Leg. Aquil.* Incendii levi culpâ commiſſi exemplum extat in *l qui occidit.* 30 §. 3. *ff. Eod.* Ex quo loco quoque exemplum incendii culpâ leviſſimâ exorti facilè colligere eſt, ut etiam ex *d. l.* 27. *§.* 9. & 11.

Caſu incendium contingit, quando vi quâ- 23
dam majori fit, quæ prævideri, aut averti non potuit. *l.* 52. §. 3. *ff. Pro ſocio l.* 9. §. 3. *l.* 15. *§.* 2. & 3. *ff. Locati.* Qualia incendia eſſe ſolent, quæ divinitus fulmine, & nonnunquam radiis ſolaribus excitantur, quibus prata & ſylvas integras penitus exuſtas conſtat.

De incendio, cujus auctor, & qualiter id 24
excitatum ſit, ignoratur, ſæpè *dubitatur*, an culpâ vel caſu ſubortum præſumi debeat? Aliqui hujusmodi incendium culpâ commiſſum eſſe, nequaquam volunt, & pro caſuali, ſeu inculpato haberi autumant per *l. contractus.* 23. *ff. de R. J.* §. *item ſi.* 3. *ff. ſi quolibet caſu Inſt. Quibus modis re contrah. oblig.* Quibus accedit, quòd præſumptio militet pro patrefam. diligente & gnavo, donec contrarium doceatur. Ita Gail. 2. *obſerv.* 21. *num.* 2. & *obſerv.* 23. *n.* 4. cum citatis. Econtra alii aſſerunt, tale incendium eſſe culpatum, & quidem culpâ inhabitantium ædes illas, vel earum partem, ex quibus exſtitit, eveniſſe præſumendum, donec absque ſua culpa id fuiſſe ſubortum probent per *l.* 3. *§.* 1. *ff. de Offic. Præf. vigil. l.* 11. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* Reverendiſſ. Michaël Felder *Diſp. de mod. contrah. & toll. oblig. c.* 2. *th.* 3. *q.* 7. Menoch. *lib.* 2. *de Arbitr. jud. caſu* 390. *n.* 3. Jacob Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 47. *n.* 6. Ego putarem non poſſe univerſim ſtatui, incendium vel culpâ, vel caſu eveniſſe, ſed multùm

hanc rem pendere à circumstantiis, quæ interdum suadebunt, ut præsumatur incendium culposum; interdum, ut præsumatur inculpatum, seu casuale.

§. VI.

24 *Finis*, qui ad malitiosum, seu dolosum incendium impellit, plerumque est vindicta, & aliquando prædæ cupiditas. Theodoric. in *Col. crim. cap. 7. aphor. 8. lit. C. n. 3.*

§. VII.

25 *Effectus* incendii sunt pœnæ, æque diversi generis.

Ob incendium *malitiosum*, seu *dolosum* jure *Canonico* incendiarius, sicut & is, qui consilium, vel auxilium præstitit, sublata, & incensa restituere debet, tribúsque annis pœnitere, & si priùs mortuus fuerit, sepulturâ Ecclesiasticâ privatur, quousque damnum resarciatur pro modo facultatum suarum. *c. si quis domum. de Injur. c. 31. & 32. causâ 23. quæst. 8.* Præterea incendiarii excommunicari possunt, imò incendiarii Ecclesiarum, locorúmve religiosorum ipso facto excommunicati sunt per text, in *d. c. 31. & 32.* & *c. tua. nos. 19. & ibi DD. de Sentent. excom.* quæ quidem excommunicatio post denuntiationem, & sententiam publicatam S. Pontifici reservata censetur, teste Panorm. *ibid.* & Jacob. Pignatell. *d. consult. 47. n. 12.*

Jus Romanum civile, quod attinet, pœna incendii dolosi non erat uniformis. Si in civitate, vel oppido, seu pago à persona vili excitatum fuit, combustis ædibus vel frumenti acervo, igne fuit vindicatum; honestiores autem capite plectebantur, vel deportatione in insulam. *l. 8. l. fin. §. 1. ff. de Incend. ruin. naufr. l. 28. §. 12. ff. de Pœnis.* In villa verò, seu extra civitatem si incendium commissum, ob *magnum* personæ viles pœnâ capitis, honestiores deportatione; ob *parvum* illæ damnatione in metallum, hæ relegatione multabantur. *l. 1. pr. l. 10. ff. ad leg. Cornel. de sicar. d. l. fin. §. 1. ff. de Incend. ruin. naufr. l. 28. §. 12. ff. de Pœnis.* Mynsing. *6. observ. 88. n. 6.* Jure *Germanico* Constit. scil. criminal. Caroli V. *art. 125.* incendiarii dolosi indistinctè vivi comburendi sunt.

Pœna incendii *culpati* alia est *latâ*, alia *levi*, alia *levissimâ culpâ* admissi. Incendii *latâ culpâ* à persona vili commissi secundùm Jacob. de Arena est pœna mortis; si vero ab honesta persona excitatum sit, aliqua pœna corporalis. A quo meritò divortium facit Baldus in *l. 11. num. 4. C. de his, qui accus. non poss.* contendens, ne vili quidem personæ ob incendium latâ culpâ commissum pœnam mortis infligendam esse, arg. *l 7. ff. ad leg. Cornel. de sic.* sed aliâ aliquâ pœnâ corporali, vel deportatione, aut relegatione juxta arbitrium Judicis, arg. *l. 1. §. 1. ff. de Effractorib.* Ob incendium *levi* & multò magis *levissimâ culpâ* subortum civilis ex Lege Aquilia, & non criminalis persecutio est, neque incendiarius in plus obligatur, quàm ad resarciendum damnum per *l. 9. ff. de Incend. ruin. naufr.* & *l. 28. §. 12. ff. de Pœn.* Cynus in *d. l. 11. C. de his, qui accus. non poss.*

Incendii *inculpati*, seu *casualis*, sicut nulla culpa, ita nulla quoque pœna, aut obligatio restitutionis est. *l. si fortuitò. 11. ff. de Incend Ruin.* Nisi culpa casum fortuitum præcesserit. Marian. Socin. in *c. 6. n. 13. de Injuriis.*

PARS III.

De Sacrilegio, & Violatoribus Ecclesiarum.

SUMMARIA.

26. Sacrilegii definitio nominalis. 27. realis. 28. Prohibitio, & differentia utriusque Juris. 29. Qui dicantur Violatores Ecclesiarum? 30. In quibus rebus? 31. Quomodo? 32. & cur admittatur sacrilegium? 33. 34. Quæ sint pœna sacrilegii?

§. I.

§. I.

26 *Sacrilegium* dicitur quasi *rei sacræ Legium*, id est, furtum: cùm *sublegere* nil aliud sit, quàm furari. Decian. *lib. 6. c. 14. n. 9.*

§. II.

27 *Definitur* Sacrilegium, quòd sit furtum, quo res sacra è loco sive sacro sive profano, vel res profana è loco sacro surripitur. *c. 21. §. sacrilegium. in fin. causâ 17. q. 4.*

§. III.

28 *Causa efficiens* sacrilegii est vel remota, vel proxima.

Remota est jus Divinum æquè, ac Humanum: nam sacrilegium & naturâ probrosum est, arg. *l 42. ff. de Verb. signif.* & jure tam Civili, quàm Canonico punibile; eo tamen discrimine, quòd jure Civili ad sacrilegium requiratur, ut res sacra è loco sacro auferatur, ita ut si res sacra è loco non sacro, vel res profana è loco sacro auferatur, sacrilegium non censeatur. *l. 5. l. 9. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul.* Secus ac jure Canonico juxta *d. c. 21. causâ 17. q. 4.* Cui congruit *Constitutio crimin. Caroli V. art. 171.*

29 *Proxima* sunt fures sacrilegi, qui rem sacram, aut non sacram in loco sacro contrectant. Hi salutantur *violatores Ecclesiarum*; quo tamen nomine propriè loquendo illi solùm fures sacrilegi veniunt, qui Ecclesias, vel alia loca religiosa, & pia violenter effringunt, eáque spoliant. Pirrhing. *h. tit. num. 54.*

§. IV.

30 *Materia*, seu *objectum* sacrilegii est res, tum *sacra*, tum etiam profana. *Res sacra*, id est, Divinis usibus consecrata, atque ita à profanis usibus exempta, v. g. monstrantia, calix, patena, & hujusmodi. *Constit. crim. Caroli V. art. 172. Res profana*, si in ædem sacram deposita surrepta fuerit: quia hujusmodi furtum ex natura rei infert injuriam, ac irreverentiam loco sacro, ac subinde sacrilegium est, & suffurantes in Ecclesia crumenas fures sacrilegi Armilla, Sylvester, Navarr. & alii, quos refert, & sequitur Jacob. Pignatell. *tom. 4. consult. 111. n. 1. & 2.*

§. V.

Formam sacrilegii constituit contrectatio 31
rei sacræ, aut rei profanæ in loco sacro facta; utpote per quam sacrilegium est, quod est, & ab aliis quibusvis furti speciebus discernitur, quæ quascunque res alias mobiles contrectando committuntur, ut *tit. seq.* dicemus.

§. VI.

Finis, qui sacrilegium ad tam immane sce- 32
lus excitat, est illa, quæ nil non mortalia cogit pectora, auri scilicet sacra fames.

§. VII.

Effectus Sacrilegii est ejusdem pœna, 33
quam aliam jus Canonicum, aliam jus Civile dictitat.

De *Jure Canonico* sacrilegi, qui cum effractione spoliant Ecclesias, ipso jure sunt excommunicati, eáque excommunicatio post denuntiationem à Judice Ecclesiastico factam Sedi Apostolicæ reservata est. *c. 107. causâ 11. q. 3. c. conquesti. 22. & ibi* Gloss. & Panorm. *de Sent. excommun.* Alii, qui citra effractionem, & violentam invasionem res ex Ecclesia auferunt, ipso facto excommunicationem non incurrunt, sed sunt excommunicandi per *c. ult. de Furt.* & *c. 16. de For. compet.* Barb. & alii DD. in *d. c. conquesti.*

Jure Civili olim sacrilegi, vel ad bestias con- 34
demnabantur, vel vivi exurebantur, vel furcis suspendebantur, vel pro diversitate circumstantiarum pœnâ perpetui exilii, aliâve arbitriâ puniebantur. *l. 4. §. 2. l. 6. l. 9. pr. l. 10. in fin. ff. ad leg. Jul. pecul.* Jure *Carolino* si quis vas, in quo asservatur SS. Eucharistia, abstulerit, vivus comburitur. *art. 172.* Sin vasa alia subduxerit, vel ædem sacram, aut sacrarium, vel capsam, seu stipem eleemo-

eleemosynariam effregerit furandi animo, juxta consilium Prudentum pœnâ corporali, vel capitali afficitur. *d. art.* 172. & 173. ac ibi Christoph. Blumlach. Clasenius, & alii.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

SUMMARIA.

1. 2. Furtum quid nominis? 3. Quid rei? 4. Usq; to. Quotuplex? 11. Quo jure prohibeatur? 12. An sit licitum in extrema necessitate? 13. 14. 15. Quinam furti teneantur? 16. Usque 19. In quibus rebus? 20. 21. 22. Quo modo? 23. Quo fine furtum admittatur? 24. 25. 26. Quibus remediis furtum coërceatur?

27. Et seqq. Quid sit Plagium, abigeatus, crimen peculatûs, de residuis, &c.?

§. I.

1 *Furtum* dicitur vel à *furvo*, id est, nigro, quòd clam, & plerumque noctu fiat, vel à *fraude*, vel à *ferendo*, vel à verbo græco *phoras*, quod auferre significat. §. 2. *Instit. de Oblig. quæ ex del.*

§. II.

2 Sumitur vel latè, sive ita, ut etiam rapinam, sacrilegium, peculatum, abigeatum, effractionem, expilationem, &c. complectatur; vel strictè, sive ita, ut delictum quoddam speciale privatum designet, prout hic accipitur, &

§. III.

3 *Definitur* furtum, quòd sit *contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus, possessionisve.* Text. *in l.* 1. *§. fin. ff. h. t.*

§. IV.

4 *Dividitur* furtum, multifariàm, præcipuè *à tempore, à re, & à modo.*

A *tempore* furtum aliud est diurnum, aliud nocturnum. Illud interdiu, hoc noctu patratur. Atque hæc divisio eò spectat, ut intelligatur, liceátne furem in ædibus, & locô delicti repertum interficere? De nocturno siquidem affirmatur in *l.* 4. §. 1. *ff. Ad Leg. Aquil.* si scilicet sine vitæ periculo ei parci nequeat. *l.* 9. *ff. Ad Leg. Cornel. de Sicar.* De diurno autem id ipsum negatur, nisi telo se defendat. *d. l.* 4. & *c.* 3. *de Homicidio.*

A *re* furtum dividitur I. in magnum, & parvum. 5 Magnum, ein grosser Diebstal dicitur, quod quinque *solidos*, fünff Gulden, id est, quinque *aureos Hungaricos*, seu *decem thaleros* adæquat, vel excedit. Parvum, ein geringer Diebstal / appellatur, quod dictam summam neque egreditur, neque attingit. *Const. crim. Caroli V. art.* 157. & 160. & *ibi.* Interpp. An autem furtum excedat quinque solidos, id non ex eo, quod forsan ex re furtiva ad furem pervenit, wie hoch er es ohngefehr verkauffet / est æstimandum, sed ex vero valore ipsius rei contrectatæ per *d. Constit. crim. art.* 160. ibi: und in solchen Fällen muß man ansehen den Werth deß Diebstals: & paulò post: und wie schädlich der Diebstal dem Beschädigten seyn mag. Confer. Carpzov. *in Pr. cr. q.* 78. *n.* 51.

II. A *re* furtum dividi potest in furtum rei, 6 furtum usûs, & furtum possessionis per *d. l.* 1. *§. fin. ff. h. t.* Furtum *rei* committitur, cùm res aliqua mobilis aliena domino invito auferitur. Furtum *usûs* est, cùm quis re alienâ utitur aliter, quàm uti deberet. §. *furtum.* 6. *Instit. de Oblig. quæ ex del.* uti si creditor, vel depositarius re oppignoratâ, aut depositâ contra voluntatem domini utatur. *Furtum possessionis* est, cùm ipse dominus alium, cui rei suæ possessio jure competebat, possessione ad illum pertinente privat; ut si debitor creditori invito pignus ante solutionem debiti occultè auferat. §. *aliquando Inst. Eod.* Verùm hæc duo genera furtorum criminaliter puniri non solent, & nomine furti communiter primum genus intelligitur.

A *mi-*

7 A *modo* dividitur furtum I. in manifestum, & non manifestum. Manifestum, ein offentlicher Diebstal est, quando fur cum re furtiva ab aliquo sive domino, sive tertio deprehenditur vel in ipso actu furandi, vel in loco admissi delicti, vel saltem antequam eò pervenerit, quò furtum perferre destinavit. Contra non manifestum, ein heimblicher Diebstal est, quando fur non ita deprehenditur. §. 3. *Instit. de Oblig. quæ ex del. l.* 3. 4. *ff. & 7. ff. h. tit. Constit. crim. Caroli V. art.* 157.

8 II. A *modo* dividitur furtum in simplex, & violentum, seu periculosum. Simplex furtum illud est, quod nudo furandi actu absolvitur citra concurrentiam alterius alicujus delicti. Germanicè, ein gemein / schlechter Diebstal. Violentum, quod cum scalarum adhibitione, aut ædium violentâ effractione, qualis non est, quæ clavi adulterinâ, mit dem Dietrich) / seu conscensione per scalam contingit, ut notat Carpz. *in Pr. cr. q.* 79. *n.* 40. *& seqq.* vel cum telo & armis factum est. Germanicè ein gefliessener / gefährlicher Diebstal mit gewaltsamen Einbrechen. *Constit. crim.* Caroli V. art. 159.

9 III. A *modo* dividitur furtum in primum, & reiteratum, & hoc iterum *in primum, secundum, tertium. Const. Carol. art.* 158. *& seqq.* requiritur tamen ad furtum reiteratum, ut non solùm in rebus diversis, sed etiam distincto tempore sit commissum. Jul. Clar. *5. sent. §. furtum. n.* 14. Menoch. 2. *de Arbit. jud. cas.* 295. *num.* 20. Clariss. D. D. Gletle in *Jurispr. terrib. tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 1. *§.* 2. *num.* 5.

10 Addunt alii divisionem furti in domesticũ, & extraneum, Domesticum vocant, quod fit à personis domesticis, & propinquis, puta abuxore, liberis, servis, &c. quo de agitur in *Const. cr. art.* 165. *&* 170. Extraneum est, quod à quolibet peregrino, qui ad familiam domini non pertinet, admittitur.

§ V.

Causa efficiens furti alia est remota, alia pro- 11
xima.

Remota est jus naturæ, quo furtum admittere prohibitum est. *§.* 1. *Inst. de Oblig. quæ ex del. l.* 1. *§.* 3. *ff. h. t. l.* 42. *ff. de V. S.* Nec obstat, quòd jure naturæ omnia sint communia, nec ab initio fuerit meum, ac tuum: siquidem jus naturæ non tantùm versatur circa ea, quæ *ab initio* introducta, sed etiam, quæ *postea* humanâ voluntate sunt constituta, prout est distinctio dominiorum: & diversa utique sunt, actum omni tempore esse prohibitum, & omni tempore committi posse: sic namque tempore, quo Adam solus cum Eva erat, adulterium committi non poterat, juri tamen naturali erat contrarium. Confer. Clariss. D.D. Gletle *d. c.* 1. *§.* 1. *num.* 3.

Porro illud in confesso est, imminente 12
extremâ necessitate famis, aut egestatis omnem cessare furti prohibitionem, furtúmque permissum esse per *c. discipulos.* 26. *dist.* 5. *de Consecr.* quia in tali casu usus alienarum rerum jure naturæ communicatur, & cùm vitæ conservationem rectæ rationis dictamen injungat, haud dubiè media ad illam necessaria non respuit. Utrùm verò si postea furripiens ad pinguiorem fortunam venerit, ad restitutionem, aut compensationem rei ablatæ teneatur? sub lite est. Affirmat Zoël. *h. t. n.* 17. eò quòd res ablata non tam donata, quàm potiùs credendi animo censeatur esse data, arg. *l.* 21. *pr. ff. de Probat.* Negat probabiliter Barbosa in *c.* 3. *n.* 3. *h. t.* eò quòd non obligetur ratione rei acceptæ, ut quæ supponitur non extare; nec ratione injustæ acceptionis, cùm non injustè consumpserit; nec ratione contractûs, vel quasi contractûs, consequenter ex nullo

capite. Interim quod dictum est de necessitate extrema, ad aliam etiam gravem necessitatem non est extendendum per *d. cap. 3. h. t.* ubi tali casu furantibus imponitur pœnitentia, nisi reddiderint. Accedit, quòd oppositam sententiam damnaverit, ac prohibuerit Innocentius XI. *propos. 36.*

13 *Causa efficiens proxima* furti sunt non tantùm illi, qui per se ipsos furantur, sed etiam qui opem, consilium, vel auctoritatem accommodant. *§. interdum. 11. Inst. de Oblig. quæ ex del.* item qui furti conscii cum fure de re ablata participant, illam scienter recipiunt, aut etiam Domino quærenti non indicant. *c. qui cum fure. 4. h. t. §. 4. in fin. Inst. de Oblig. quæ ex del.* Quò pertinet vulgatum illud: Der Hähler ist so gut/ als der Stehler. Hodie tamen quantùm ad pœnam criminalem mitiùs agitur cum receptatoribus rerum furtivarum, quàm cum ipsis furibus, & nisi aliquid auxilii præstiterint, solùm arbitrariè puniri solent. Carpz. in *Pr. crim. q. 87. n. 51.* Planè furis occulti nomen etiam à sciente propalari non debet, nisi legitimè à Judice interrogetur. Panorm. in *d. c. 4. n. 6.*

14 De eo non dubitamus, quin, si liberi Parentibus aliquid subtrahunt, revera, & inspecta naturali veritate furtum committant, *§. 1. Institit. de Oblig. quæ ex del.* rémque subtractam furti vitiô contaminent, ita ut propterea ad usucapiendum reddatur inepta. §. 12. *Inst. Eod.* §. 8. *Institit. de Usucapionib.* Verumtamen quia Parentes & liberi pro una eadémque persona habentur. *l. 11. C. de Impub. & aliis subst it.* atque dum liberorum, parentum quoque fama periclitatur, ita hos inter actio furti non datur. *d. §. 12. Institit. de Oblig. quæ ex del. l. 16. ff. h. tit.* sed concesso sibi potestatis jure hanc liberorum proterviam coërcere possunt. *l. 17. pr. ff. Eod.* Adeò ut nec Judici ex officio inquirere liceat, & graviore pœna fures domesticos afficere permissum sit, esto Parentes hoc liberorum delictum vindicare negligant. *l. 11. §. 1. ff. de Pœnis. & ibi* Brunneman. Carpz. in *Pr. cr. p. 2. q. 82. n. 39.*

Quod de liberis, idem de uxore statuen- 15
dum: nam si constante matrimonio res mariti amoverit, vel econtra, non furti convenitur actione, sed rerum amotarum: ob honorem enim matrimonii tam turpem, & atrocem actionem dare in personas ita sibi conjunctas lex erubuit. *l. 22. §. 4. C. h. tit. l. 2. ff. Rerum amot.* & in his quoque pœnam furti ordinariam locum non habere, benignius, & humanius est. Wesenb. in *Parat. ad h. t. n. 8.*

§. VI.

Materiam, seu *objectum* furti ponit res fur- 16
to obnoxia; quæ ut talis sit, debet esse *aliena, mobilis*, & *ab alio possessa.*

Aliena: hoc est, ad alterum jure aliquo spectans, quocunque tandem sive dominii pleni, directi, vel utilis tantùm: sive quoad solum usum, vel detentionem legitimam: non enim tantùm, qui vero domino aufert rem propriam, sed etiam qui usurarium, comodatarium, conductorem, aut depositarium invitum privat usu, vel possessione rei sibi concessæ, furtum committere judicatur. *§. 15. & seqq. Institit. de Oblig. quæ ex del. l. 10. 11. & 12. ff. h. t.* Quin & ipse Dominus directus, si rem suam furripiat ei, qui jus illâ utendi, fruendi, vel detinendi habet, ut in commodato, locato, pignore, depositio, furtum committit, sicut & commodatarius, conductor, depositarius pignus obtinens, si contra rationem conventionis sine expresso vel præsumpto consensu domini ejusmodi re utantur, quasi furtum committunt. §. 6. & 10. *Inst. de Oblig. quæ ex del. l. 16. ff. de Condict. furt.*

Mobilis: explosa enim est sententia exist- 17
mantium, etiam fundi, locive furtum fieri. §. 3. *Inst. de Usucap. l. 25. pr. ff. h. t.* tametsi enim res hujusmodi immobiles tangi possint,

non

non tamen possunt de loco in locum moveri, consequenter nec furto surripi.

18 *Et ab alio possessa;* siquidem regulariter per quodlibet furtum possessio interrumpi debet, & ubi non est possessor, ibi nec furto locus est. Unde qui ex hæreditate jacente aliquid sublegit, furti non tenetur, ex quo nullus possessor adfuit. *l.* 1. *§.* 15. *ff. Si is, qui testam. lib. esse juss.* sed hic in peculiare crimen incidit, nimirum expilatæ hæreditatis. *t. t. ff. & C. de Expilat. hæred.* Id buod limitatur in rebus levandæ navis causâ in tempestate ejectis: hæ namque, licèt non possideantur. *l.* 3. *§.* 13. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* attamen, si quis eas in mari repertas, aut fluctibus expulsas lucrandi animô abstulerit, furti reus est. *§. fin. Instit. de Rer. divis.*

19 *Scrupulo* non caret: an furtum fiat auferendo rem minimam? Affirmo per *§.* 16. *Instit. Eod.* quoniam qualitas delicti, non quantitas rei consideranda venit. Interim ex certa Theologorum sententia à gravi peccato furti excusat levitas materiæ. Quænam autem materia sit levis, vel gravis? dissident. Plerique volunt attendendum esse ad conditionem illius, cui res ablata est, atque ideò respectu divitis majorem quantitatem requirunt, quàm pauperis, eò quòd pauperi auferendo decem, vel viginti crucigeros facilè plus damni inferatur, quàm diviti auferendo totidem florenos. Communiter tamen respectu hominum mediocris fortunæ tres floreni pro magna quantitate furti reputantur. Ego hanc disputationem Theologis commendo, & Tu præ aliis consule Clariss. P. Paul. Metzger. in *Theol. Schol. tr.* 12. *disput.* 40. *art.* 1. *§.* 2. *per tot.*

§. VII.

20 *Forma* furti consistit in fraudulosa contrectatione rei alienæ invito Domino, lucri causâ factâ.

Dicitur I. *in fraudulosa,* hoc est, dolo facta: etenim furtum sine dolo, & sine affectu furandi haud committitur. §. 7. *Instit. de Oblig. quæ ex del.* quia animus demum, atque propositum malevolum distinguit delicta, malitiámque tribuit actionibus, ut sic, qui bona fide, ac sine fraude rem contrectavit existimans, dominum consensurum, extra crimen videatur *l.* 46. §. 7. *ff. h. tit.* Si modò probabiles hujus opinionis causæ suffragentur, ut puta singularis amicitia, vel familiaritas; alioquin soli contrectantis assertioni vix creditur, Brunneman. *ad. d. §.* 7. *Instit. de Oblig. quæ ex delict. Ex.* 23. *n.* 2.

Dicitur II. *contrectatione rei alienæ:* Quæ 21
locutio designat corporalem rei apprehensionem, sive motionem de loco in locum, sine qua furtum non intelligitur. Sic igitur fur non est, qui conclave furtum faciendi causâ intravit. *l.* 1. §. 7. *ff. h. tit.* aut qui rem commodatam, vel penes se depositam inficiatur, nisi etiam locô eandem moverit animo intervertendi. *d. l.* 1. *§.* 2. *& l.* 67. *pr. ff. Eod.* sicut nec ille, qui tantùm effregit conclavia, aut arces, nihil tamen adhuc tum abstulit. *l.* 22. *ff. Eod.*

Dicitur III. *invito domino;* adde, vel *justo* 22
rei detentore: enimverò, qui domino sciente, seriò volenterem ejus contrectat, furtum feciśe dici non potest, ut nec ille, qui putat, se invito domino rem contrectare, cùm eo volente fecit. §. 8. *Instit. de Oblig. quæ ex delict. l.* 48. §. 2. *ff. h. tit.* Nisi fortè dominus ideo sciens patiatur fieri contrectationem, ut in ipso facto furem deprehendat, veluti in casu *d.* §. 8. *& l. si quis. C. h. t.*

Dicitur IV. *lucri causâ factâ:* nam

§. VIII.

Finis furti lucrum est: qui alio fine rem al- 23
terius contrectat, non facit furtum, sed injuriam, si facit contumeliæ causâ: damnum, si nocendi animo. *l.* 39. *l.* 53. *ff. h. tit. l.* 41. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.*

§. IX.

24 *Effectus* furti cernitur in remediis juris, quæ vel sunt rei persecutoria, vel pœnalia.

Remedia *rei persecutoria* duo suppetunt: nempe *rei vindicatio*, & *condictio furtiva*.

Rei vindicatio competit Domino ad rei furtivæ restitutionem non solùm adversùs ipsum furem, sed etiam contra quemcunque ejus possessorem. §. 1. *Inst. de Actionib. l.* 36. *ff. de Rei vindic.* sive bonâ sive mala fide, sive justo, sive injusto, sive nullo titulo rem possideat. *l.* 2. *&* 5. *C. h. t.* ita quidem, ut cogatur domino rem restituere etiam non refuso pretio. *d. l.* 2. *& ibi* Sichard. *n.* 1. Covar. *in c. peccatum. p.* 3. *n.* 8. *de R. J. in* 6. idémque procedit, etsi in loco publico, veluti in mercatu, & nundinis publicis rem emerit. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 29. *n.* 22. Quin etiam si protestatus sit, se rem emere, ut domino refuso pretio restitueret. *d. l.* 2. *C. h. t.* Clar. 5. *sent.* §. *furtum. n.* 26. Nisi fortasse cum protestatione alia concurrat bonæ fidei conjectura. Menoch. *ubi supra n.* 17. aut nisi modico pretio rem emat ex animo, ut Domino restituat, quòd alioquin eam vix recepturus sit, arg. *c.* 5. *causâ* 14. *q.* 5. Cov. *l. cit. n.* 5.

Condictio furtiva, quâ rei furtivæ restitutionem, si extet, vel æstimationem, si non extet, omnéque interesse petimus. *l.* 3. *l.* 8. *ff. de Condict. furtiva.* similiter soli Domino datur. *l.* 1. *ff. Eod. l.* 14. §. 16. *ff. h. t.* Et datur tum adversùs ipsum furem, & si plures eandem rem contrectaverint, adversùs singulos in solidum, sic tamen, ut solutione unius reliqui liberentur. *l.* 1. *C. de Condict. furt.* tum adversùs quoscunque hæredes furis, non modò in id, quod ad eos ex delicto defuncti pervenit, sed in solidum. *l.* 9. *ff. Eod.* Clariss. D. D. Gletle in *Jurispr. terrib. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 13. *& seqq.* Quod adeò verum, ut licèt fur ultimo supplicio affectus sit, hæredes tamen ad rerum ablatarum restitutionem, aut æstimationem actione hâc conveniri possint per *Const. crim. Caroli V. art.* 51. 207. *&* 213. Carpz. *p.* 2. *dec.* 190. *n.* 4. Georg. Adam. Struv. *in Observ. crim. cap.* 14. *observat.* 10.

Remedia *pœnalia* sunt *actio furti*, & *accusatio criminalis*.

Actio furti duplex est: furti nempe manifesti, & non manifesti: Illa in quadruplum, hæc in duplum competit. §. 18. *Inst. de Act. §.* 5. *Inst. de Oblig. quæ ex del.* Utraque meram pœnam continet. *§. fin. Inst. Eod.* Utraque illi soli competit, cujus ex honesta causa interest, rem salvam esse, & furtum factum non fuisse. *l.* 11. *l.* 12. *l.* 48. §. 4. *l.* 76. *ff. h. t.* §. *furti autem.* 13. *& seqq. Inst. de Oblig. qua ex del.* Interesse autem hoc loco intelligitur ejus solùm, qui ob eam rem, quòd culpâ ejus perierit, à Domino conveniri potest ad restitutionem, vel æstimationem, ut commodatarius, conductor, depositarius &c. *l.* 14. §. 9. *l.* 49. *ff. h. t.* Utraque contra furem, & non contra hæredes ejus datur, nisi fortè lis cum defuncto fuerit contestata. *§.* 1. *in fin. Inst. de Perpet. & temp. act. l.* 139. *&* 164. *ff. de Reg. Jur.*

Accusatio criminalis tendit ad vindictam publicam: videlicet *Jure Romano* ad pœnam arbitrariam. *l. fin. ff. de Furtis.* Jure Carolino autem certis casibus ad pœnam capitis, ac suspendii: enimverò furtum *non manifestum*, *primum*, *simplex* & *parvum* punitur pœnâ dupli, si fur solvendo sit; si non, pœnâ carceris, jubetúrque rem ablatam restituere cum urpheda. *art.* 157. Ob *Manifestum*, *simplex*, *primum*, & *parvum*, si fur vilis conditionis sit, ad numellas virgis cæditur, & relegatur, factâ prius restitutione rei ablatæ, aut solutione æstimationis; quòdsi autem fur sit honestæ conditionis, & spes non vana emendationis, pœna est quadrupli, vel si solvendo

non

non sit, pœna carceris temporalis. *art.* 158. Furtum *simplex primum, & magnum* arbitrio Judicis coërcendum relinquitur. *art.* 160. Furtum *secundum* aliter multatur, si utriusque summa sit infra quinque solidos, aliter, si eosdem excedat: illius pœna est pro numellis positio, relegatio, vel confinatio; hujus pœna est arbitraria. *art.* 161. *Tertium* furtum etiam *simplex* capitale est, & mas quidem laqueo, fœmina suffocatione in aquis, vel alia quadam simili mortis pœnâ perimitur. *a.* 162. Denique furtum *violentum*, seu, ut alii vocant, *periculosum* sive *parvum*, sive *magnum*, sive *primum*, sive *iteratum*, sive *manifestum*, sive *non manifestum*, plectitur pœna capitali, vel si circumstantiæ aliud suadeant, non capitali. *art.* 159. *& ibi* Christoph. Blumlach. Clasenius & alii.

26 Cæterùm in foro Canonico Clerici ob furtum deponuntur. *c. presbyter.* 12. *dist.* 81 in laicos fertur excommunicatio, non solùm in furem, vel alium injustè detinentem rem furtivam, sed etiam in scientem, & non indicantem furem, ut cum Panorm. tenent communiter DD. in *c. qui cum fure.* 4. *h. t.* Atque eum in finem ab Episcopis, vel eorum Vicariis ad instantiam partis læsæ concedi possunt monitoriæ literæ generales sub excommunicatione contra eos, qui rem alienam vel injustè detinent, vel ab alio detentam scientes non revelant, ita ut si intra certum tempus in iis præfixum non restituant, vel indicent, ipsò etiam factò excommunicationem incurrant. Hæ excommunicationes dicuntur fieri *in finem revelationis*, cavétque de iis specialiter Trident. *sess.* 25. *de Reform. c.* 3. ne ab alio prorsus, quàm ab Episcopo, vel (ut Declarationes Cardinalium *ibidem* habent) ejus Vicario decernantur, ut fiant monitionibus præmissis, & ex re non vulgari deperdita, ac non nisi causâ diligenter cognitâ, nec ex auctoritate Magistratûs sæcularis. Confer P. Engl *ad tit. de Sent. excomm. n.* 22. *& 2. seqq.*

§. X.

Affinia furto sunt *plagium, abigeatus, cri-*27 *men peculatûs, de Residuis, expilatæ hæreditatis, sepulchri violatio, & termini amotio.*

Plagium est crimen publicum, quod committitur vel alienum servum dolosè supprimendo, vel liberum hominem donando. *l.* 3. 4. *& pen. ff. Ad leg. Fab. de Plag.* Pœna plagii olim erat pecuniaria. *l. ult. ff. Eod.* Jure novum interdum est pœna capitalis. *c.* 1. *h. t. l.* 7. *& fin. C. Ad leg. Fab. de Plag.* interdum mitior, puta metalli, vel exilii. §. 10. *Inst. de Publ. jud.* Carpz. in *Pr. cr. q.* 83. *n.* 90. *& seqq.*

Abigeatus est crimen extraordinarium, quod 28 committitur, cùm quis dolò malò de grege, armento, ex stabulo, aut pascuis equum, aut bovem saltem unum, vel oves decem, aut porcos quinque vel quatuor, &c. subtrahit, & quodammodo deprædatur, vel abigendi studium quasi artem exercet. *l. fin. ff. de Abigeis.* Pœna abigeatûs jure communi varia est, & modò damnatio ad metallum, modò relegatio, modò condemnatio ad bestias. *l.* 1. *& 2. ff. Eod.* Hodie solet puniri ut furtum juxta ea, quæ *ibid.* notant DD. communiter.

Crimen peculatûs est crimen publicum, 29 quo pecunia, résve publica ab eo, cujus fidei, & periculo non est commissa, surripitur. *§.* 9. *Inst. de Publ. jud. l.* 1. *l.* 4. *pr. ff. Ad leg. Jul. pecul.* Pœna peculatûs jure Civili, vel est pecuniaria, nempe quadruplum. *l.* 6. *in fin. & l. pen. ff. Eod.* vel alia: & quidem in personis privatis deportatio. *d. §.* 9. *Inst. de Publ. jud.* in publicis ultimum supplicium. *l. un. C. de Crimine peculat.* Hodie pro modo admissi accommodari poterit pœna furti.

Crimen de residuis est delictum publicum, 30 quo pecunia publica ad certum usum publi-

cum destinata ab eo, cujus fidei, & periculo commissa est, retinetur, vel in usum proprium convertitur. *l. 2. l. 4. §. 3. ff. ad leg. Jul. pecul.* Pœna hujus criminis præter infamiam, quæ in omnibus publicis judiciis damnatum sequitur per *l. 7. ff. de Publ. judic.* est restitutio rei ablatæ cum tertia ejus parte, ut adeò qui v. g. 300. imperiales abstulit, 400. restituere necessum habeat. *l. 4. §. 5. ff. ad leg. Jul.* Hodie hujus criminis rei extra ordinem puniuntur, ut *ibid.* advertit Echolt.

31 *Crimen expilatæ hæreditatis* committit, qui ante hæreditatem aditam, vel etiam post aditam, sed necdum possessam rem hæreditariam mobilem surripit: talis enim, quia nullius est possessio, furtum non facit. *l. 70. ff. h. tit.* Pœna hujus criminis arbitraria est, & infligenda pro circumstantiis personarum. *l. 1. & 3. ff. Expil. hæred.* Carpz. in *Pr. cr. p. 2. q. 83. n. 83.* ubi asserit, personas extraneas fustigatione, consanguineas non ultra relegationem puniri posse; nunquam verò putem ultimum supplicium in hoc delicto locum habere.

32 *Sepulchri violatio* accidit, si quis sepulchra non solùm violat, sed & marmora, & alia monumenta aufert, sepultorum cadavera effodit, vel etiam morte punitorum spoliat. *l. 2. & 3. ff. de Sepulch. viol.* Pœna hujus criminis extraordinarii præter infamiam est arbitraria, & quandoque capitalis, præsertim si monumenta violentur, & sacrilegium perpetretur. *l. 1. 3. 7. & fin. ff. & l. 4. C. Eod.*

33 *Amotio termini* fit, quando quis dolò malò terminos, seu lapides finales die Gräntz-Stein/ und Gräntz-Zeichen eruit, aufert, vel ut solùm noceat alteri, vel ut vicino fundo quid detrahat, & suo adjiciat. Pœna hujus criminis est vel pecuniaria 50. aureorum. *l. fin. ff. Termino moto.* vel relegatio, & fustigatio in eo, qui terminorum, & jurium occupandorum gratiâ fines movet. *l. 2. ff. Eod.* Ad capitis verò pœnam in hoc crimine non perveniri, testis est Carpz. *d. q. 83. n. 70.*

TITULUS XIX.
De Usuris.

SUMMARIA.

1. 2. Usuræ definitio nominis. 3. Definitio realis. 4. 5. Divisio. 6. Quo jure prohibeatur? 7. Usurarii quinam?

8. Quanam res in usuram veniant? 9. 10. 11. An in solo mutuo, & in quibus aliis contractibus usura contingat? 12. usque 15. Ex quibus causis liceat aliquid accipere ultra sortem?

16. Finis usura quis? 17. Quæ usurarum pœna?

§. I.

1 USura ab *usu* nomen habet: quia propter usum pecuniæ præstantur juxta *l. 60. pr. ff. Pro socio. l. 7. §. 9. ff. de Administr. & peric. tut.* Aliàs & *fœnus* vocitari solet à fœtu, seu fœtura quadam pecuniæ parientis, atque increscentis. Desselius *h. t. eretem.* 1.

§. II.

2 Sumitur dupliciter: I. Materialiter, seu pro re, quæ in usuram venit, & sic est quædam accessio ad sortem mutuatam, ac debitum principale. II. Formaliter, seu pro actu, conventione, ac contractu usurario. Et sic

§. III.

3 *Definitur* usura, quòd sit actus voluntatis interior, vel exterior conventio dandi, vel accipiendi luerum aliquod temporale ultra sortem ex vi, & causa mutui principaliter. Covarr. 2. *Var. resol. c. 1. n. 2. §. usura.*

§. IV.

4 *Dividitur* usura I. in mentalem, & conventionalem. Mentalis est, quando mutuans citra ullam conventionem ea intentione dat mu-

mutuum, ut ultra sortem, sive id, quod dat, aliquid recipiat, aliàs non daturus. *c. consuluit. h. t.* Conventionalis, seu realis, quando quis pecuniam mutuam credit cum pacto expresso, vel tacito capiendi aliquid ultra sortem. *cap. ult. causâ* 14. *q.* 3.

5 II. Usura *dividi* solet in punitoriam, compensatoriam, & lucratoriam. Punitoria est, quæ solvitur non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium. *l.* 17. *§.* 3. *ff. h. t.* Compensatoria, quæ exigitur ad compensandum lucrum cessans, vel damnum emergens. *l. si commissa.* 13. *ff. Rem ratam haberi.* Dicitur autem lucrum cessans, quando creditor ex eo, quòd mutuaverit, amisit occasionem lucrandi suâ pecuniâ, qua volebat vel domum, vel agrum, vel censum emere, aut aliud lucrum negotiando quærere; damnum emergens, quando creditor ex eo, quòd mutuavit, damnum aliquod in rebus suis passus est, ut puta ruinam ædium. P. Engl *h. t. n.* 4. Lucratoria quæ sola propriè usura indigitatur, & hujus loci est, merum lucrum continet, ut quando præcisè ratione mutuationis auctarium ultra sortem capitur.

§. V.

6 *Causa efficiens* usuræ alia est remota, alia proxima.

Remota est jus: & illud tum naturale, tum Divinum, tum Humanum, tam Canonicum, quàm Civile: quippe jus omne usuram, intellige lucratoriam, aversatur, & prohibet. *Naturale:* quia usurarius ex pecunia mutuò data, quæ ex natura sua est res sterilis, & ejus dominium in mutuarium translatum est, fructum petit, & ultra id, quod dedit, aliquid ampliùs sine omni causa extorquet cum injusto damno proximi ex necessitate mutuum exigentis. Barb. *ad c.* 2. *h. t. n.* 2. *Divinum* Veteris & Novæ Legis. *Exod.* 22. *v.* 25. *Levit.* 25. *v.* 36. *&* 37. *Deuter.* 23. *v.* 19. *Ezech.* 18. *v.* 8. *&* 9. item *Lucæ* 6. *v.* 35. ubi Salvator præcepit; *mutuum date, nihil inde sperantes.* Adde *c.* 3. *&* 4. *h. t.* ubi adstruitur, utriusque Testamenti paginam usuras detestari. *Jus Canonicum per tot. dist.* 47. *& causam* 14. *q.* 4. item *t. t. X. & in* 6. *h. tit. Clem. un.* |*Eod.* ita quidem, ut nec ob piam causam, ac redemptionem captivorum usuras admittat. *c.* 4. *h. t.* ut nec juramento de non repetendis usuris à debitore præstito confirmari possint. *cap.* 13. *h. t.* ut nec consuetudines, ac statuta, quæ permittunt usuras in uno solùm nummo subsistant. *d. Clem. un.* Denique *Jus Civile:* etenim usuras nec jure Civili Romano permissas fuisse, nisi ob id, quod justitiæ æquitate creditoris interesset, sustinent plures apud Jacob. Pignatell. *tom.* 4. *consul.* 75. *n.* 19. certissimum verò est, eas reprobatas esse per constitutiones Imperii de *usurariis contractibus* in Comitiis Augustanis Anno 1500. & postea Anno 1539. & 1548. promulgatas. Gail. 2. *Observat.* 4. *num.* 1.

Proxima sunt Usurarii, qui ex rebus mu- 7
tuò datis usuras accipiunt, & fœnore illicito indigentium opes attenuant. Nec refert Christiani hi sint, an Judæi: nam nec Judæis integrum, immodicas usuras extorquere, sed si quid ampliùs ultra modum lege determinatum, aut consuetudine provinciæ receptum usurarum nomine à debitoribus quocunque prætextu exegerint, id aut in sortem imputare, aut restituere coguntur. *c.* 12. *&* 18. *h. t. Ordinat. Polit. de Anno* 1577. *tit.* 20. §. damit aber die Juden. Gail. 2. *Observ.* 5. *in fin.* Quapropter ut omni fraudi obviam iretur, cautum quoque est, ut Judæi mutuatam Christianis pecuniam non hæbraicâ, sed germanicâ linguâ coram Magistratu loci conscribant, & quid, & quando crediderint, & quale pignus acceperint, adjiciant. *Ordinat. Polit. loc. cit.* §. 3.

§. VI.

§. VI.

8 *Materia*, seu *objectum* usuræ est, quidquid sorti, seu capitali mutato lucri causâ accedit, & ultra id exigitur, sive sit pecunia, sive frumentum, vinum, oleum, sive quæcunque alia res & obsequium naturâ suâ pretio æstimabile. *c.* 1. *& seqq. causâ* 14. *q.* 3.

§. VII.

9 Ad *formam* usuræ duo pertinent: mutuum scilicet, & pactum, vel intentio ex mutuo aliquid pretio æstimabile acquirendi tanquam ratione mutui debitum.

I. Itaque, ut usuræ sua constet indoles, requiritur *mutuum*, puta verum, aut saltem palliatum: nam usura formalis nonnisi in vero contractu mutui committitur, palliata autem etiam in aliis contractibus, in quibus in fraudem mutui contra naturam contractûs aliquid lucri ex parte alterius accipitur: ita enim usurarius censetur contractus, si mercator propter dilatam solutionem merces cariùs vendat. *c.* 6. *h. t.* si quis rem emat eô pactô, ut eandem post tempus restituat venditori, recipiendo aliquid ultra sortem. *c.* 4. *de Pignorib.* aut si quis societatem ineat, & pecuniam eâ lege conferat, ut pars lucri cedat, & quocunque casu emergente sors conferenti salva sit per *l.* 29. *§.* 2. *ff. Pro socio.* & sic de aliis. Tradunt autem Canonistæ communiter hanc generalem regulam: *In quocunque contractu pactum, vel stipulatio de lucro aliquo præter id, quod interest, accedit, juris interpretatione in mutuum* (contractum usurarium) *degenerat, & fictione brevis manûs alius contractus* (usurarius) *celebratus censeri debet.*

10 *Dubitatur*: an cambium, id est, contractus permutationis in pecunia factus, ab usuraria pravitate excusari possit?

Præmitto, cambium aliud esse manuale, seu minutum, aliud locale. Manuale est, quo pro ducatis, vel thaleris alia pecunia minor, v. g. denariorum, sesterciorum, &c. permutatur, quod à mutuo differre, per se claret, quandoquidem in mutuo non fit commutatio, sed unus duntaxat in præsenti pecuniam numerat cum onere restitutionis suo tempore faciendæ. Locale dicitur, quando quis in uno loco, puta Salisburgi mercatori dat pecuniam, ut in alio loco v. g. Viennæ ipse, vel alius pro ea eandem quantitatem recipiat, in quo licèt non statim fiat vicissitudinaria pecuniæ repræsentatio, adhuc tamen obtinet prædicta differentia à mutuo: & accedit alia, quòd mutuum per se ordinetur in gratiam petentis mutuum, cambium verò in gratiam campsarii, sive cambium accipientis. His præmissis.

R. Cum communi, utrumque cambium justè & sine usura fieri posse. Ratio generalis est, quòd officium campsoris, qui in cambio aliis operam, & obsequium locat, gratis exerceri nequeat; ut quod indiget magno capitali, necessariis sumptibus, expensis, & sustentatione famulorum, item continet pericula ob mutuam obligationem inter campsores, quæ omnia sunt pretio æstimabilia. Deinde circa cambium minutum ratio specialis est, quòd licèt major & minor moneta in sua proportione quoad valorem extrinsecum à Principe, vel Rep. impositum æquivaleat, melior tamen, adeóque quoad valorem intrinsecum major potest esse altera, maximè quia plerumque moneta aurea & argentea major ad vehendum est commodior, & utilior ad merces comparandas. Confer Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 23. *dub.* 2. *& seqq.* Laym. in *Theol. mor. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 19.

Porro an in *pignore* usuræ vitium lateat, si ei 11
pactum legis commissoriæ, vel *antichreseos* adjiciatur? in *tit. de Pignorib.* & an *emptio nominum* pro minori pretio, vel *emptio censûs* sit licita, & sine labe usuraria ad *tit. de Empt. vend.* discussimus.

II. Ut

12 II. Ut usura committatur, requiritur *pactum, vel intentio percipiendi lucrum vi mutui.* Si aliqua alia justa de causa creditor lucrum aliquod ultra sortem accipit, in crimen usurariũ, ejúsque pœnas non incidit. Hinc

Primò si debitor gratis, & ex benevolentia nullo pacto ab initio interveniente, & absque exactione aliquid offert, impunè creditor accipere potest, modò lucrum illud non intenderit, & propter id, ceu finem principalem, mutuum dederit, alioquin non daturus. Si enim id intenderit, acceptio remunerationis usuram involvit per textum in *c. consuluit 10. h.t.* quem de illa tantùm intentione aliquid supra sortem recipiendi, tanquam ex justitia debitũ, accipere vix possis, cùm verba ejusmodi: *tanquam ex Justitia debitum*, non exhibeat. Covar: 1. *Var. resol. c. 20. n. 3. & 4.* Atque ita etiam sentire jubet Innocentius XI. qui in *Ind. sent. prohib. n. 42.* hanc propositionem damnavit: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur, tanquam ex justitia debitum.*

13 *Secundò* si creditor quæstum certum facere potuit pecuniâ, quam mutuò dedit, aut eapropter damnum incurrit, non est iniquum, aliquid ultra sortem ratione *interesse* exigere, cùm nemo alteri suo cum detrimento bene facere teneatur. *l. 1. §. item aiunt. ff. de Aqua pluv. arcend.* neque verò officio contrarium est, sic alium juvare, ut te serves indemnem. *l. sed si quis. ff. Quemadmodum testam. aper. l. sancimus. C. de Adm. tut.* Nec ipse quidem Aoostolus Gentium vult, sic nos aliis commodare, ut nobis sit afflictio, 2. *ad Cor. 8. v. 13.* Quare tale interesse meritò tempore mutationis in pactum deducitur, & si non constet, quale, & quantum futurum sit lucrum, quod decedet, aut damnum, quod obveniet creditori, certam summam loco interesse stipulari potest, eo saltem casu, quo plùs vel minùs potest interesse, quàm taxatum est; quandoquidem incertitudo conjuncta cum spe majoris lucri, aut timore majoris damni facit, ut pluris æstimari possit interesse, etsi ex postfacto minùs fuisse appareat, arg. *c. fin. §. ult. h.t.* Quòdsi tempore contractûs de interesse conventum non sit, in foro quidem conscientiæ licitè etiam deinde peti & accipi potest, sed in foro externo, nisi mutuatarius sit in mora, & ratione moræ damnum, vel lucrum cessans emerserit, actio nulla pro usuris datur, ut bene notat Laym. in *Theol. mor. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 10.*

Tertiò potest creditor mutuo adjicere pa- 14
ctum, ut mutuatarius, si tempore, ac termino constituto non reddat mutuum, in pœnam dilationis aliquid ultra sortem principalem solvat, quia pœna talis ultra sortem non solvitur vi mutui, sed ob moram, & culpam non soluti mutui, arg. *l. legem. C. de Pactis.* Zoës. *h.t. n. 11. & seqq.* Less. *de J. & J. lib. 2. c. 20. dub. 15.* dummodo tamen nulla fraus, aut intentio usuraria subsit: nam si mutuans lucrum illud principaliter intendat, & terminum aliquem brevem mutuatario præscribat eo solùm fine, ut causam aliquam lucri ex mutuo captandi prætexere possit, usuram haud dubiè committit.

Controversum est: num Creditori aliquid 15
ultra sortem exigere, aut accipere liceat ratione periculi, cui capitale, seu pecunia mutuata interdum exponitur?

Negativa potissimùm nititur *c. fin. h.t.* ubi S. Pontifex: *naviganti*, inquit, *vel eunti ad nundinas certam mutans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.*

Verumtamen asserere non vereor, mutuantem propter periculum amittendi capitalis aliquid ultra sortem pacisci posse: tam eo casu, quo

quo in genere jacturam sortis rationabiliter timet, puta quia mutuatarius est homo parùm industrius, aliàs obæratus, aut discrimini fortunæ expositus, ut miles, mercator, quàm etiam, & quidem jure potiori casu illo, quo mutuans certum, & speciale periculum v. g. naufragii in se suscipit, paciscendo, ut si navis pereat, vel pecunia per latrones auferatur, nec capitale solvatur, econtra si omnia salva maneant, quinque vel octo pro centum ultra sortem præstentur. *l.* 1. *l. periculi. ff. de Nautico fœn. l.* 1. *&* 2. *C. Eod.* Ratio est: quia tali casu non propter usum pecuniæ, vel propter mutuum, ut sic aliquid accipitur, sed propter periculum, quod pretiò æstimabile est: siquidem boni viri arbitriò, & judiciò prudentûm meliùs, aut saltem æquè utile judicaretur, ejusmodi mutuatario quinque florenos donare, quàm centum mutuò dare cum tanto periculo. Ita Barb. in *cap. fin. h. t. num.* 2. Zoës. *Eod. n.* 4. Layman *d. cap.* 16. *n.* 9. cum Navarro, Molina, Lessio, & pluribus citatis.

Ad text. *c. fin.* varii variè respondent, ut videre est apud Henricum Canisium *de Usuris. cap.* 4. *n.* 5. Aliqui non improbabiliter dicunt, in textu recitato omissam esse particulam *non*, & ita legendum esse: *Usurarius non est censendus*; quam emendationem suadet, quòd omissâ particulâ *non*, non videatur esse bona connexio §. *subsequentis*: cùm subjungatur: *ille quoque, qui dat &c. non debet ex hoc usurarius reputari.* Alii probabiliùs asserunt, decisionem *d. c. fin.* tunc locum habere, ideóque pro susceptione periculi aliquid exigendo usuram committi, quando quis aliter mutuare non vult, nisi periculum in se recipiendo, ut sic ultra sortem possit quid accipere, ubi involvi videtur intentio usuraria.

§. VIII.

16 *Finis* usuræ est lucrum; quippe sine spe lucri usura non committitur per *c.* 1. *causâ* 14. *q.* 3.

§. IX.

Effectus usuræ est obligatio restituendi usu- 17
ras acceptas, & subeundi pœnas in usurarios constitutas.

Obligatio restituendi usuras non tantùm Christianis, sed etiam Judæis incumbit. *cap.* 12. *h. t.* & transit quoque in hæredes. *cap. tua nos. Eod.* nec solùm propter usuram realem, verùm & mentalem imponitur. *c. consuluit.* 10. *h. t.* Debet autem restitutio usurarum fieri his, à quibus extortæ sunt, aut eorum hæredibus, vel his non existentibus erogandæ sunt in pauperes. *cap.* 5. §. *super his. h. t.* Quòdsi tamen repetens usuras, & ipse usuras exercuerit, ab usurario in foro externo repelli potest per exceptionem, ita ut non audiatur, quousque ipse usuras restituat. *cap. quia frustra.* 14. *h. t.*

Pœnæ usurariorum sunt I. Clerici usu- 1
rarii per sententiam Judicis deponi, & officio privari possunt. *cap. quoniam. causâ* 14. *q.* 4. *cap.* 1 *h. t.* vel saltem suspendi. *cap.* 7. *h. t.* II. Magistratus condentes, aut scientes retinentes statuta, per quæ usuræ approbantur, excommunicationem ipso facto incurrunt. *Clem. un. h. t.* III. Usurarii manifesti neque ad communionem altaris, neque ad sepulturam Ecclesiasticam, neque ad oblationes & confessionem peccatorum faciendam admittuntur, nisi vel de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem idoneam præstent. Insuper Clerici accipientes ab ipsis oblationes, aut eos sepulturæ tradentes ab officio suspensi arbitriò Episcopi puniuntur. *cap.* 3. *h. t. cap.* 2. *Eod. in* 6. IV. Usurarii 3
manifesti conspergunter labe infamiæ. *l. improbum.* 20. *C. Ex quib. cauf. infam. cap. infames.* 2. §. *porrò. causâ* 3. *q.* 7. *cap. inter dilectos. de Excessib. prælat.* Hinc nobilis usuras exercens dignitatem suam perdere dicitur. Bartol. in *l.* 1. *C. de Dignit.* V. Testamenta & ultimæ voluntates usurariorum ma-

manifestorum penitus irrita sunt, nisi ante mortem nsuras actualiter restituerint, vel saltem de restituendo idoneè caverint. *d. c. 2. §. nullus. h. t. in* 6. Covar. 3. *Var. resol. cap.* 3.

TITULUS XX.

De Crimine falsi.

SUMMARIA.

1. Criminis falsi definitio. 2. 3. Divisio. 4. Quâ lege vindicetur? 5. Falsarius quis dicatur? 6. Quomodo crimen falsi committatur circa personas? 7. Quomodo circa res? 8. 9. 10. 11. Assignantur requisita hujus criminis. 12. Finis. 13. 14. Et pœna.

§. I.

1 *Crimen falsi* est delictum publicum, quo in alterius præjudicium veritas dolosè immutatur, quódque speciali lege tanquam falsum notatur. *l.* 15. 22. *&* 23. *ff. l.* 20. *C. Ad leg. Cornel. de falsi.*

§. II.

2 *Dividitur* crimen falsi I. in verum, & quasi tale. Verum est, quod *Lege Cornelià de falsis* notatur, ut quod committitur circa testamenta, & nummos. *l.* 1. *§.* 2. *l.* 14. *l.* 15. *pr. & §.* 1. *l.* 30. *pr. §.* 8. 9. *&* 10. *ff. Eod.* Quasi tale dicitur, quod non hâc lege, sed aliis *constitutionibus Principum*, & SCtis vindicatur, ut si quis rationes, instrumenta falsaverit. *l.* 1. *§.* 4. *l.* 9. *§.* 3. *l.* 27. *l.* 2. *ff. Eod. l. pen. C. de Probat.*

3 II. Dividitur crimen falsi in personale, & reale. Personale est, quod circa personam committitur; ut mutatio nominis, suppositio partûs, testium subornatio, judicis corruptio. Reale, quod committitur circa res; éstque vel verbale, quod fit verbîs, vel scriptum, quod fit scripturâ, vel reale, quo res ipsa falsatur, vel in totum, vel pro parte.

§. III.

4 *Causa efficiens* criminis falsi duplex est: remota, & proxima.

Remota est lex Cornelia, quæ crimen hoc in classem delictorum publicorum retulit. Hæc lex in *l.* 1. *ff. de Publ. jud.* dicitur *de testamentis*, atque inde passim *testamentaria*, eo quòd principaliter lata, & scripta sit *de testamentis falsò conscriptis, suppressis, resignatis, subductis, interletis* dolô malô *l.* 2. *ff. Ad leg. Corn. de Falsi.* quamvis postea interpretatione JCtorum *SCtis, & Imperatorum rescriptis ad alia falsitatis genera lex illa extensa* fuerit. *l.* 16. *ff. Eod. & ibi* Zoës. *n.* 1. *&* 2. Vallens. *h. t. num.* 2.

5 *Proxima* est falsarius, sive Clericus, sive Laicus, sive nobilis, sive ignobilis, qui dictô, aut scriptô sciens, & dolô malô falsum committit, & veritatem in fraudem alterius corrumpit. *l.* 23. *ff. Eod.*

§. IV.

6 *Materiam*, seu *objectum* criminis falsi constituunt *persona* & *res*, circa quas hoc crimen committitur.

Circa *personas* committitur crimen falsi, si fœmina partum alienum supponat. *l.* 19. *l.* 30. *§.* 1. *ff. l.* 1. *C. Ad leg. Cornel. de falsi.* Si quis nomen, aut cognomen fraudulenter & in alterius præjudicium mutet. *l.* 13. *ff. Eod. l. un. C. de mutat. nom.* nec interest, num quis alterius nomen falsò assumat, ut pro eo haberi possit, vel proprium nomen dissimulet in damnum tertii. Carpz. in *pr. cr. p.* 2. *q.* 39. *n.* 34. *&* 35. Si quis aliud genus familiæ, alios parentes fingat, quò quid alienum intercipiat, possideátve. Gothofr. ad *l.* 13. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* Si quis pro nobili se gerat, vel alios titulos honoris sibi vendicet, veluti Clerici, Doctoris, Magistri, Notarii, Procuratoris, Advocati, &c. *l.* 27. *§.* 3. *ff. Eod.* Si quis alterius decipiendi gratiâ alienis insignibus utatur. per *l. un. C. de Mut. nom.*

uti si homo vilis, seu turpis notæ Clarissimi viri, seu familiæ, aut opifex vulgaris egregii alicujus artificis insignia usurpet, mercésque suas designet, arg. *c.* 14. *de Excessib. Prælat.* Imprimis autem plebeii non possunt uti galeis apertis, quia illa doctoralem, equestrémque dignitatem insigniunt. Limn. *Jur. Pub. l.* 6. *c.* 6. *n.* 43. Item si quis falso diplomate vias commeat. *l.* 27. §. 2. *& ibi* Gothofr. *ff. Ad leg. Corn. de falsi.*

7 Circa *res* falsum committitur, si testis in judicio falsum perhibet testimonium, vel verum supprimit dolô malô, vel subornat, & adducit alium ad dicendum falsum. *c.* 1. *h. t. l.* 16. *l.* 20. *l.* 27. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* Si quis testamentum, testimonium, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit, falsô sigillô instruxerit. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 16. *&* 23. *ff. Eod. t. t. C. de his, qui sibi adscrib. in testam.* Si quis falsificaverit instrumenta vera, Bullas, Rescripta, literas Pontificis, Principum, vel Magistratûs, cujus falsificationis novem modi enumerantur in *c. licet.* 5. *h. t.* Si quis falsas literas scienter recipiat, & iis utatur, maximè in judicio, ubi sententiæ ex falsis instrumentis, vel documentis latæ sunt ipso jure nullæ. *c.* 2. *h. t. l.* 1. *&* 2. *C. Si ex falsi. instr.* Si quis falsam monetam percusserit, nummósque falsos conflaverit, finxerit, tinxerit. *l.* 8. *l.* 9. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi. Const. crim. Caroli V. art.* 111. Si quis pondera, & mensuras publicè probatas corruperit. *l.* 32. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi. Const. crim. Caroli V. art.* 113. Si quis alterum scienter per contractum decipit, & eandem rem in solidum duobus vendit. *l.* 21. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* De quibus, aliísque modis passim. DD. agunt.

§. V.

8 *Forma* criminis falsi consistit in dolosa veri commutatione in præjudicium alterius: unde ria sunt hujus criminis requisita.

Primum est dolus: dolus enim falsi causa proxima. *l.* 27. *ff. l.* 21. *C. Eod.* & sine eo non committitur. *l.* 20. *C. Eod.* Nec sufficit dolus præsumptus, sed verè illum adfuisse probari debet. Carpz. *p.* 2. *q.* 39. *n.* 7. in dubio namque error potiùs, quàm dolus in crimine falsi præsumitur. *l.* 5. *C. de his, qui sibi adscr. in test. l.* 6. *C. de Dol.*

Secundum est veritatis immutatio: nisi enim 9
veritas mutetur, & pervertatur, falsum non committitur, etsi dolus fuerit adhibitus, unde si testis doloso animo sub specie falsi verum deponat, id est, si nesciat aliter, quàm se falsum dicere, cùm tamen verum sit, in animo quidem peccat, & conscientiam lædit, cùm autem corpus verum delicti non adsit, nec veritas possit in perniciem alterius, vel justitiæ vergere, hoc casu, ut falsarius coërceri non potest. *l.* 23. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi. Nov.* 73. *in præfat.*

Tertium requisitum est præjudicium alte- 10
rius: falsitas enim, quæ alii non affert, vel saltem afferre potest nocumentum, lege Cornelia de falsis punienda non est, ut est communis DD. sententia apud Mascard. *de Prob. conclus.* 739. *n.* 12. Clar. 5. *sent. §. falsum. n.* 36. Sylvester *V. falsarius. n.* 1.

Quartò requirunt alii, ut lege aliqua sta- 11
tutum sit, talem immutationem veri esse punibilem pœnâ falsi: ideo enim post legem Corneliam de falsis tot constitutiones & Senatusconsulta sunt prodita, ut casus lege Cornelia non expressi supplerentur, & ad falsorum classem redigerentur, quorsum facit. *l.* 15. *&* 23. *ff. Ad leg. Cornel. de falsi. l. ff. de Publ. judic.* Quamobrem testis, qui aliquid affirmavit extra judicium, & postea contrarium attestatus est in judicio, non incurrit crimen, ac pœnam falsi, sed ut mendax puniendus est, cùm lege non demonstretur, pœnam falsi hoc casu testi irrogandam esse. Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *casu.*

casu 312. Hipol. de Marsil. *in l. eos.* 27. *n.* 9. *& seq. ff. Ad leg. Cornel. de falsf.*

§. VI.

12 *Finis* criminis falsi est, ut immutatione veritatis alter decipiatur. Boër. *decis.* 82. *n.* 8.

§. VII.

13 *Effectus* criminis falsi est obligatio ad pœnam, quæ alia de jure Civili, alia de Jure Can. infligitur.

Pœna criminis falsi *Jure Civili Romano* in homine nobili est deportatio cum bonorum omnium publicatione: in persona vili damnatio ad metallum: in servo ultimum supplicium. *l.* 1. *§. fin. ff. l.* 22. *in fin. C. Ad leg. Cornel. de falsf. §.* 7. *Inst. de Publ. jud.* Exceptis quibusdam casibus in *l.* 1. *ff. Ad leg. Cor. de sic. l.* 1. *& 2. C. de Falsa monet. l.* 1. *l.* 22. *C. Ad leg. Cornel. de falsf Nov.* 17. *c.* 8. *& Nov.* 134. *c.* 13. Jure hodierno non malè quis dixerit, pœnam falsi esse arbitrariam juxta *Const. crim. Carol V. in art.* 112. 113. *&* 115. sic tamen, ut pro facinoris gravitate ad mortem, ultimúmque supplicium extendi possit. Carpz. in *pr. cr. p.* 2. *q.* 93.

14 *Jure Canonico*, qui vel in causa civili vel criminali falsum dixerit, infamiam incurrit per *c. constituimus.* 9. *causâ* 3. *q.* 5. Clerici quoque deponendi, & ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium vel carcerem detrudendi sunt. *c. si Episcopus. dist.* 50. si modò falsum scienter, & circa causæ substantialia cum aliorum præjudicio dixerint, ut observat Clarus *d. §. falsum. n.* 9. Qui falsum committit in litteris Apostolicis tam justitiæ, quàm gratiæ, percellitur excommunicatione reservata Papæ, quam quicunque, etiam laici, literas Apostolicas per se, vel per alios falsificantes ipsô factô incurrunt per *c.* 7. *h. t.* junctâ *Bulla Cœnæ casu* 4. Insuper si Clerici sint, omni officio, & beneficio perpetuò privantur, & si falsi crimen per se exercuerint, degradandi, & curiæ sæculari tradendi sunt, quò legitimâ pœnâ puniri queant. *d. c.* 7. *h. t. & ibi* Pirthing *§.* 5. *per tot.*

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIA.

1. Quid sit sortilegium? 2. Quotuplex? 3. Quo jure prohibeatur? 4. Sortilegi qui dicantur? 5. Ex quarum rerum inspectione desumatur sortilegium? 6. Quæ sit forma? 7. Quis finis? 8. 9. Quæ pœna sortilegii? 10. Affinia.

CRimini falsi proxima sunt *sortilegium*, & *collusio*: quia & his falsitas inest.

§. I.

Definitur sortilegium; quòd sit divinatio, 1
quâ per falsam, vel superstitiosam doctrinam ex quibusdam signis conjecturando, vel ex dæmonum consultationibus per ludificationes occulta manifestantur.

§. II.

Dividitur sortilegium in diversas species. 2
Si fiat per terram, *Geomantia*; si per aërem, *Aëromantia*; si per aquam, *Hydromantia*; si per ignem; *Pyromantia*, si per animalium interiora, *Haruspicium*; si per avium volatum, *Auspicium*, si per avium garritus ac voces, *Augurium*; si per inspectionem pedum, *Pedomantia*; si per inspectionem manuum, *Chiromantia*; si per hominum voces, *Omen*; si per eorum somnia, *Onyrocritia*; si per signa totius corporis, *Physiognomia*; si per signa spatulæ, *Spatulamantia*; si per signa frontis, *Metoposcopia*; si per homines vivos arreptos, *Phytonia*; si per corpora assumpta mortuorum, *Necromantia*; si per inspectionem astrorum, *Astrologia judiciaria* indigitatur. Bordonus *tom.* 1. *resol.* 40. *n.* 11.

§. III.

Causa efficiens sortilegii est vel remota, vel 3
proxima.

Remota est jus quà Divinum, quà Humanum: cùm enim sortilegium ad superstitionem, vel idololatriam, vel ad dæmonis cultum expresse, aut tacitè inducat, utroque jure prohibetur: Divino *Exod.* 22. ℣. 18. *Levit. c.* 19. ℣. 31. & *cap.* 20. ℣. 6. & 27. *Deuter.* 18. *Num. c.* 23. & 1. *Reg.* 23. ℣. 9. Humano tam Canonico in *c.* 6. & 4. *seqq. causâ* 26. *quæst.* 2. *c.* 1. & 2. *h. tit.* quàm Civili in *l. t. C. de Malefic. & Mathemat.*

4 *Proxima* sunt sortilegi, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum vocant, sortes divinationis scientiam profitentur, & ex mediis planè inutilibus futura contingentia, aut res occultas prædicunt, aut cognoscere volunt. *c. sortilegi. causâ* 26. *quæst.* 1. Aliàs vocantur *Vates, Chaldæi, Magi, Mathematici, Malefici, Aruspices, Augures, Præstigiatores &c.* Germanicè Wahrsager / Chrystallen-Gucker / Zeichen-Deuter / Zigeuner / Schwartz-Künstler / &c.

§. IV.

5 *Materia*, seu *objectum* sortilegii sunt elementa, syderum motus, & constellationes, aliæque res, ex quarum consideratione, vel potiùs inspectione superstitiosa divinatio desumitur, & futura contingentia, vel occulta perveſtigantur. *c. illud.* 6. *causâ* 26. *quæst.* 2. *c. igitur, causâ* 26. *quæst.* 4. Censentur autem ejusmodi res, quæ neque ex natura sua, neque ex ordinatione Divina aliquam connexionem habent cum effectu: ut si quis in tabulis, vel codicibus, aut per inspectionem astrolabii furta requirat. *cap.* 2. *hoc tit.* Si quis ex fortuitis volæ linearum ductibus velit prædicere futuram fortunam, vel præteritos, aut præsentes occultos effectus pro certo denuntiet. Sixtus V. in *Bulla*: *Cœli, & terra.* Si quis ex horoscopo nativitatis alicujus (*thema* vocant) bonum aut malum hominis successum, vitæ, mortisve genus conjectare, & certò divinare conetur. *c.* 1. *causâ* 26. *quæst.* 3. Sixtus V. in *d. Bulla*: *Cœli & terra.* Aliud est, si aliqua naturalem haberent connexionem cum effectu, & à communiter accidentibus colligi possint, esse connexa: ita minimè superstitiosè percontamur infirmorum somnia ad indagandum naturalem complexionem corporis: ex avium volatu, vel garritu, aut colore lunæ, vel aëris temperie cognoscimus futura contingentia, puta secuturas pluvias, serenitates: ex syderum motibus, aut conjunctionibus terræ fertilitatem, salubritatem, vel luem prædicimus. Idem dicendum est de signis physiognomicis, seu quando ex Physiognomia alicujus elicitur, aliquem esse talis, vel talis inclinationis &c. ut quæ sæpe connexionem naturalem habent cum effectu; etsi cautè quoque in talibus sit procedendum. Confer Chariss. meum Confratrem P. Benedict. Behamstein in *Discurs. Philos. Jurid.* 2. 3. 4. & 5. ubi de observatione *somniorum, physiognomia, chiromantiæ, & genethliologia* non minùs curiosè, quàm doctè discurrit.

§. V.

Forma sortilegii posita est in inordinata, & 6
superstitiosa inquisitione rerum aliquarum vel occultarum, vel futurarum, quas homo hic & nunc nonnisi ope, & ministerio dæmonis cognoscere potest per *c.* 6. 7. 8. & 9. *causâ* 26. *q.* 2.

§. VI.

Finis sortilegii est cognoscere aliquid oc- 7
cultum sive præteritum, sive futurum.

§. VII.

Effectus sortilegii spectatur in pœnis in sor- 8
tilegos statutis.

Jure *Canonico* in foro conscientiæ sortilegis imponitur pœnitentia 40. dierum. *c.* 1. *h. t.* in foro contentioso Clerici sortilegi, ficut & consulentes depositi ab omni ordine sacro, & exuti officiis, ac beneficiis in Monasterio crimen admissum perpetuâ pœnitentia luere de-

debent, nisi simplicitas & bonus zelus pœnæ mitigationem suadeat. *c. 2. h. t. c. si quis. 5. causâ 26. q. 5.* Laici, si moniti emendationem detrectent, servi, & viles verberibus compescendi sunt: liberi ac honestiores relegantur, vel in carcerem detruduntur. *c. contra 10. causâ 26. q. 5.* Roman. *singul. 660.* Præterea, qui divinationes, quæ hæresin sapiunt, exercent, puniuntur ut hæretici, atque incorrigibiles facti curiæ sæculari puniendi traduntur. Facit *c. recusatus. §. sanè. de Haret. in 6.* Crilland. *tr. de Sortileg. quæst. 11. n. 1. & 6.*

9 *Jure Civili* pœna mathematicorum, ariolorum, augurum & vatum est capitalis, & aut concremantur, aut ultore gladio feriuntur. *l. 3. & 5. C. de Malefic. & Math.* De *consuetudine* pœna utroque jure arbitraria est juxta qualitatem delicti imponenda.

§. VIII.

10 *Affines* sortilegio sunt *fores divisoriæ*, & *consultatoriæ*.

Sortes divisoriæ sunt, quibus ex prævia conventione, aut consensu hominum inquiritur, cui in dubio res aliqua attribuenda sit; ut si hæredes in divisione hæreditatis inter se sortem mittunt, cui hæc, vel illa res cedat. Hæ sortes, si nihil superstitionis, aut injustitiæ contineant, sunt licitæ. *l. 2. C. Quando & quibus quart. pars. l. 14. ff. de judic. l. si qui sunt. ff. Famil. ercisc.* De jure tamen Canonico reprobantur in electionibus ad dignitates Ecclesiasticas. *c. fin. h. t.* & in provisionibus beneficiorum, ne detur vitiosus, & non canonicus ingressus contra *c. 1. de Reg. Jur. in 6.* Unde nec lis de beneficio per sortes terminari debet, ut bene docet cum Suarez Zoës. *h. t. n. 6.*

Sortes consultatoriæ sunt, quibus inquiritur DEI consilium circa res agendas, vel cavendas, ut factum est in electione S. Matthiæ Apostoli *Act. 1.* Et hæ sortes, tanquam non temerè usurpandæ, ab Ecclesia prohibentur. *c. non sit atim. & seqq. causâ 26. q. 2.* quamvis nulla specialis pœna pro iis reperiatur imposita. Imò in casu necessitatis, & ex speciali DEI instinctu, atque cum debita reverentia usurpatæ, prout ab Apostolis factum, licitæ esse possunt. D. Thom. & Cajetan. quos refert, & sequitur Franciscus de Arauxo in *Decis. moral. de Stat. civil. disp. 3. §. 5.*

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIA.

1. Quid? 2. & quotuplex sit collusio? 3. Quo jure vindicetur? 4. Quinam colludere possint? 5. In quibus casibus sit locus collusioni? 6. Quomodo? 7. Ob quem finem fiat collusio? 8. Quæ sint pœnæ colludentium?

§. I.

Definitur collusio, quòd sit fraudulosa conventio, quâ hoc inter actorem & reum agitur, ut reus absolvatur. Colligitur ex *c. si quem. 8. causâ 2. q. 3.* 1

§. II.

Dividitur collusio in prævaricationem, & tergiversationem. Prævaricatio admittitur, si accusator post cæptam accusationem subdolè reo favet, proprias probationes dissimulando, & falsas rei accusationes admittendo, ne puniatur. *l. 1. §. 1. l. 6. ff. de Prævaricat.* item minùs propriè, si advocatus, vel procurator clientis sui causam alteri prodat, & cùm vincere posset, se vinci patitur. *d. l. 1. §. 1.* Tergiversatio fit, quando ab accusatione accusator omnino fraudulenter desistit absque legitima causa, & judicis sententia: in hoc quippe, quòd ab accusatione cœpta desistat, quasi tergum vertere videtur, ut delictum pœnæ subtrahatur. 2

§. III.

Causa efficiens collusionis alia est remota, alia est proxima. 3

Re-

Remota est Lex Julia, quæ contra prævaricatores, & SCtum Turpillianum, quod contra tergiversatores latum est. *l.* 3. *§.* 1. *& 2. ff. de Prævaricat.*

4 *Proxima* sunt, qui colludunt. Possunt autem colludere non modò personæ principales, scilicet actor & reus, sed etiam Procuratores, & Advocati, ut docet Hostiens. in *Sum. h. t. num.* 2.

§. IV.

5 *Materia*, seu *objectum* collusionis sunt causæ criminales. In civilibus (exceptis beneficiis Ecclesiasticis. *c.* 3. *h. t.*) regulariter collusio locum non habet: siquidem in illis licita est concordia, & amicitia litigantium, cùm de privato duntaxat eorum interesse agatur, ut notat Mascard. *de Prob. concl.* 322. *n.* 6.

§. V.

6 *Forma* collusionis stat in modo, quo committitur. Committitur autem vel omittendo veras probationes, vel admittendo falsas defensiones, vel cœptam accusationem deserendo.

§. VI.

7 *Finis* collusionis est absolutio rei, vel certè condemnationis evitatio injusta, quandoque etiam pœnæ tantùm imminutio.

§. VII.

8 *Effectus* collusionis est pœna colludentium, quæ arbitraria, seu extraordinaria est pro qualitate criminis variè à Judice aut exasperanda, aut moderanda. *l.* 2. *ff. de Prævar. l.* 1. *§. si quis.* 7. *l.* 3. *ff. Ad SC. Turpill. Const. crim. Caroli V. art.* 115. Præterea *Prævaricator* sit infamis, & posthac ab accusatione repellitur. *l.* 4. *ff. de Prævaricatorib.* In *tergiversatorem* ex SCto Turpilliano statuitur mulcta quinque librarum auri. *l.* 3. *§.* 2. *ff. Eod.* isque similiter ab ulteriori accusatione excluditur. *l.* 2. *ff. Ad SCtum Turpill.* Interim Judex contra reum ex officio potest procedere. *c.* 1. *&* 2. *h. t.* imò reus etiam absolutus ex collusione, ab alio denuò accusari, & contra eum inquiri valet. *c. fin. Eod.* Quòdsi collusio super beneficio facta fuerit, uterque colludens tali beneficio perpetuò privatur. *c.* 3. *h. t.* Quomodo autem collusio detegatur, pluribus tradit Menoch. *de Præs. l.* 5. *præs.* 27. Mascard. *loc. cit.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

SUMMARIA.

1. An, & quomodo delictis obstringantur infantes? 2. Infantiæ proximi? 3. Pubertati proximi? 4. Minorennes?

HOc *titulo* disquiritur: ánne Pueri delictis, quæ hactenus expendimus, obstringantur? Ad quam *quæstionem* distinctè *n.* & 1

Dico I. Infantes, id est, pueri septennió minores. *l.* 18. *C. de Jure delib.* non obligantur ex delictis, & propterea nec conveniri inde, nec puniri possunt pœnâ aliquâ propriè dictâ. *Clem. un. de Homicid. l.* 5. *§.* 2. *ff. Ad leg. Aquil.* cùm eos excuset & tueatur innocentia consilii. *l.* 12. *ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* Addidi: *pœnâ propriè dictâ*: nam si interdum infantes à Parentibus castigantur, hoc fit eo fine, quo equus calcari, canis fuste, ut nempe apprehensione doloris faciant, quod exigitur, vel omittant, quod improbatur. Haunold. *de J. & J. tom.* 6. *tr.* 3. *c.* 10. *n.* 519.

Dico II. Pueri infantiæ proximi, id est, infantiâ non multùm majores æquiparuntur infantibus, & neque illi delinquunt, nec pœnam aliquam propriè dictam incurrunt: siquidem & in hos dolus non cadit, cùm perfecto judicio, ac deliberatione de rebus agendis, vel fugiendis careant, & non multùm à furiosis distent. *§.* 9. *Inst. de Inutil. stipul.* Adde *l.* 1. *§.* 15. *ff. Depositi. l.* 3. *§.* 26. *ff. de Dol. mal. & met. except. l.* 3. *§.* 1. *ff. de Sepul. viol. l.* 111. 2

l. III. *ff. de R. F. l.* 1. *in fin. C. de falſ. monet.* Clariſſ. D. D. Gletle *in Furispr. terrib. tom.* 1. *p.* 1. *c. un.* §. 3. *n.* 26. Carpz. in *pr. cr. p.* 3. *q.* 143. *n.* 30. Severiùs tamen nonnunquam compeſcendi ſunt, præſertim ubi doli capacitas haud obſcuris ſignis in iis conſpicitur, ſi quid delinquant, ne delinquere adiueſcant. Sfort. Odd. *de reſtit. in integr. p.* 2. *quæſt.* 80. *n.* 45.

3 *Dico* III. Pueri pubertati (quæ in materia criminali in fœminis æquè, ac in maſculis exacto anno 14. æſtimatur juxta *Conſt. cr. Caroli V. art.* 164. Clariſſ. D. D. Someting. *ad Inſt. diſſert.* 2. §. 1.) proximi, quia doli ſunt capaces, delinquere, & delinquendô obligari poſſunt. *c.* 1. *h. t. l.* 14 *ff. de SCto Silan. l.* 23 *ff. de Furt. d. l.* III. *ff. de R. F.* Sed ita, ut quantumcunque delinquant, mitiùs puniri debeant. *c.* 1. *&* 2. *h. t.* ideóque, tametſi crimen capitale commiſerint, pœnâ mortis tamen afficiendi non ſint, imò nec pœnaliter torquendi. *l.* 10. *ff. de Quæſtionib. l.* 1. §. 33. *ff. de SCto Silan.* Afficiuntur proinde pœnâ extraordinariâ mitiore arbitriô judicis, idque ob infirmitatem judicii, & hinc probabiliter creditam minorem animi perverſitatem. Farin. *tom.* 3. *tit. de Pœn. temperand. q.* 92. Interim non repugnat, quin, ſi crimina ſint omnino enormia, & valde pernicioſa, atque malitia ætatem ſuppleat, nec ulla ſpes conſtantis emendationis alluceat, veluti in veneficis, etiam mortis pœna infligi queat per *l.* 14. *ff. de SCto Silan. Conſt. Carolin. d. art.* 164. Quod in crimine læſæ Majeſtatis admittit Decian. apud Farinac. *d. q.* 92. *n.* 107.

4 *Dico* IV. Minorennes, hoc eſt, qui jam exceſſerunt annum 14. nondum verò 25. regulariter ſolo minorennitatis prætextu à pœna ordinariâ delicti commiſſi nullam excuſationem merentur per *l.* 9. §. 2. *l.* 37. §. 1. *ff. de Minorib. l.* 1. *C. Si adverſ. delict.* Addidi: *regulariter*: Judex namque ob minorennitatem pœnam ordinariam mitigare poteſt per *d. l.* 37. §. 1. *ff. de Minorib.* & pœnam mortis qualificatam convertere in pœnam mortis ſimplicem, vel hanc in pœnam fuſtigationis aut relegationis, ſi modò hujus mitigationis habeat juſtam, & probabilem cauſam. Carpz. *d. q.* 123. *n.* 80. *& ſeqq.*

TITULUS XXIV.
De Clerico venatore.

SUMMARIA.

1. Cur? 2. 3. Et ſub qua pœna Clericis prohibita ſit venatio?

POſt delicta quibusvis perſonis communia ſequuntur delicta propria Clericorum, quæ inter *primum* eſt *venatio*.

§. I.

Venatio, id eſt, ferarum occupatio, licèt jure 1
Divino, Gentium, & Civili omnibus liberè permiſſa fuerit, attamen Clericis prohibita eſt. *c.* 1. *&* 2. *h. t.* tum ne per eam à Divinis officiis abſtrahatur. *c.* 1. *Ne Clerici, vel Monach.* tum quia propter armorum uſurpationem, cædes, clamores, curſus, ſtatui eorum, qui gravitatem morum deſiderat, minùs reſpondet. Zoëſ. *h. t. n.* 1.

§. II.

Pœna Clerici venatoris variat: ſi Epiſcopus 2
in venatione ſæpiùs detentus fuerit, tribus menſibus; ſi Presbyter, duobus menſibus à communione; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpenditur. *c.* 1. *h. t.* ſi Monachus, & quidem Abbas, vel Prior, per annum à collatione beneficiorum; ſi alius, per annum ab adminiſtratione, ſi quam habet, ſuſpenditur; ſi nullam habet, per annum ad adminiſtrationem, aut beneficium obtinendum inhabilis redditur. *Clem.* 1. §. *porro. & ſeq. de Statu Monach.* Reliqui arbitriô judicis, ita tamen,

ut vindictam præcedat trina admonitio, puniuntur. Joan. Andr. in *c.* 1. *h. t.*

3 Verùm communi DD. calculo probatum est, *præcitatis Canonibus* Clericis duntaxat inhiberi venationem saltuosam, & clamosam, non eam, quæ quieta, ac modesta est, quæque fit cum retibus, laqueis, paucisque canibus, sive fiat causâ necessitatis, sive exercitii, sive moderatæ recreationis, ut docent Medin. Lessius, Molina, Panorm. & plures alii apud Jacob. Pignatel. *tom.* 3. *consult.* 49. *num.* 5. Quod accedente præsertim consuetudine verissimum puto: neque enim venatio est res intrinsecè mala, quæ non Clericis quoque cum debita moderatione concessa esse queat, dummodo non nimis frequenter, & assiduè, vel cum neglectu Divini officii exerceatur.

TITULUS XXV.
De Clerico percussore.

SUMMARIA.

1. Quam ob causam? 2. Et sub qua pœna Clericis prohibita sit percussio?

§. I.

1 ALterum Clericorum delictum est *percussio;* quæ sanè Clericis non immeritò prohibetur: quia etiam Paulus Apostolus *ad Titum* 1. ℣. 7. voluit, Episcopum non esse percussorem: & quia indecens est, manus DEO consecratas, quibus Numini supplicandum est, aliis violenter injicere. Quod tamen de injuriosa percussione intelligendum est, non de ea, quæ fit causâ correctionis, aut disciplinæ; quamvis nec hanc per se ipsam exercere debeat Episcopus maximè in Clericos. *c. non liceat. dist.* 86.

§. II.

2 *Pœna* hujus delicti est, quòd Clericus percussor jubeatur deponi. *c.* 1. *h. tit.* ubi Panormit. advertit, id obtinere in percussione sæpiùs frequentata, ejus videlicet, qui calore iracundiæ passim contra alios commotus pro levissima causa ad verbera procedere consuevit, nec sæpius monitus emendatus est.

TITULUS XXVI.
De Maledicis.

SUMMARIA.

1. Quid sit maledictum? 2. Quotuplex? 3. Qua sit pœna detractionis? 4. Quæ blasphemia?

PErcussoribus adnumerantur *maledici:* quippe & maledictum est percussio, quæ fit linguâ juxta Jerem. c. 18. ℣. 18.

§. I.

Definitur maledictum, quòd sit crimen quo 1
malum aliquod de præsenti, vel præterito dicitur. Ita Bartolus in *l. Item apud Labeonem. §. ait Prator. ff. de Injuriis.*

§. II.

Dividitur maledictum in *detractionem* & 2
blasphemiam. Detractio est injusta ablatio, seu denigratio alienæ famæ per verba, aliáve signa occulta, vel clam, seu quasi absente, & inscio illo, qui infamatur, facta. *Blasphemia* est, cùm DEO aliquid negamus, quod ei convenit, aut aliquid DEO tribuimus, quod ei minimè convenit, aut cùm convitium in DEUM profertur, aut contumelia, maledictióve in ipsum, aut Virginem DEIparam, vel Sanctos effunditur.

§. III.

Effectus maledicti est obligatio ad pœnam, 3
quæ variat.

Pœna *detractionis* est arbitraria, severior tamen, si maledictum cedat in injuriam Superiorum per *c.* 1. *h. t.* ubi dicitur, quòd maledicens Papæ ita sit puniendus, ut pœna illius aliis terrorem incutiat. Neque diversum statuunt

tuunt Imperatores in *l. un. C. Si quis Imperat. maledix.* quia dum maledicentem sibi pœnæ nolunt subjugari, neque durum aliquid, neque asperum sustinere, jubent quoque rem ad suam scientiam referri, ut ex personis hominum dicta pensare, & ex arbitrio parcere, aut punire possint; quô ipsô tacitè innuunt, quòd, si injuria tantùm redundet in personam Principis, magnanimiæ virtutis sit, si Princeps, etsi punire possit, benignè indulgeat; prout de hoc insigne exemplum Pii V. Pontificis refert Barb. in *d. c.* 1. *num.* 2. si verò injuria in ipsam dignitatem, & officium Principis immediatè illata sit, ne veniat in contemptum, omnino graviter punienda sit juxta *c.* 1. *cit.* & Gloss. *ibid.*

4 Pœna *blasphemiæ* alia est de Jure Can. alia de Jure Civili. De *Jure Canonico* statuitur in *c.* 2. *h. t.* ut Laici blasphemantes solenni pœnitentiâ (quæ ibi fusiùs describitur) & pœnâ pecuniaria coërceantur; quam si renuerint peragere, Ecclesiæ eis interdicatur ingressus, & mortuis Ecclesiastica denegetur sepultura. Clericis tamen videtur hæc publica pœnitentia remissa, pro qua privata eisdem indicitur. *c. quicunque.* 56. *dist.* 50.

De *Jure Civili* pœna blasphemantium est ultimum supplicium per *text. in novella* 77. *c.* 1. prout & in Veteri Testamento. *Levit.* 24. pœna mortis, nempe lapidationis blasphemis inferebatur. Mortis pœnam pro gravi blasphemia quoque constituit Carolus V. In levioribus autem præcisionem linguæ, mulctam pecuniariam, vel pœnam carceris, aut aliam arbitrariam, habitâ videlicet ratione circumstantiarum tam personæ blasphemantis, quàm ipsius blasphemiæ. *Constit. crim. a.* 106. Berlich. *p.* 4. *concl.* 1. *&* 2.

Nostris temporibus, proh dolor! pœna blasphemiæ ferè in desuetudinem abiit.

TITULUS XVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

SUMMARIA:

1. Quo modo violetur censura? 2. Qua pœna violantis censuram?

§. I.

TErtium Clericorum delictum est violatio censuræ per usurpationem ministerii ab Ecclesia prohibiti; quod fit, si excommunicatus, suspensus, vel interdictus temerè actum Ordinis exerceat, aut licèt ipse nullâ censurâ innodatus sit, in loco tamen interdicto extra dies ab Ecclesia permissos Divina celebret. 1

§. II.

Pœna hujus delicti est, quòd Clericus, qui censuram, utut occultam, per actum sui Ordinis temerè violavit, eô ipsô citra omnem sententiam irregularitatem incurrat juxta *c.* 1. *de sent. & re judic. in* 6. *cap. is, qui §. si verò. c. is cui.* 20. *de sent. excomm. in* 6. quæ id expressè statuunt de violantibus suspensionem, & interdictum etiam locale, & *c. illud.* 5. *in fin. c. ult. h. tit.* ex quibus DD. communiter colligunt, & Ecclesiæ usus approbat, quòd etiam excommunicatus excommunicatione majore (non minore) ob eandem causam irregularis fiat. Imò amplius, excommunicatus, aut interdictus celebrans Divina, ab ordinibus quoque per sententiam Judicis Ecclesiastici deponi potest. *cap.* 3. *&* 6. *h. t.* & econtra depositus, vel degradatus, si nihilominus ministerium ordinis exercere præsumat, excommunicatur, & si sit incorrigibilis, exiliô damnatur. *cap.* 1. *& 2. Eod.* 2

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

SUMMARIA.

1. Clericus delinquit, si ministret non ordinatus. 2. Quomodo talis Clericus puniatur?

1 QUARTÒ delinquit Clericus, si non ordinatus ministret, & *ordinis majoris*, quem nondum suscepit, ministerium sibi usurpet; velut cùm Sub-Diaconus Diaconi, Diaconus Sacerdotis officiò fungitur, Missam v.g. celebrando, aquas & nuptias benedicendo, absque Sacerdotis commissione solenniter baptizando &c. Addidi: *& ordinis majoris*; nam *minorum* officia ex praxi hodierna Ecclesiæ passim à laicis quoque exercentur.

§. II.

2 *Pœna* hujus delicti est. quòd non ordinatus ministrans fiat perpetuò irregularis ad susceptionem ejus Ordinis, in quo non ordinatus scienter & seriò ministravit. *c.* 1. *&* 2. *h. tit.* Requiretur tamen ad incurrendam hanc irregularitatem, ut quis solenniter, & tanquam ex officio exerceat actum Ordinis non suscepti. Unde irregularitatem non contrahit, qui in officio solenni Epistolam, vel Evangelium canit etiam Dalmatitâ indutus, modò manipulum, & stolam non deferat: cùm proprium insigne Diaconi sit stola, Sub-Diaconi manipulus. II. Diaconus Missam celebrans arbitrio Episcopi per biennium, aut triennium à Diaconatu suspenditur. *c.* 2. *h. t.* alii autem Clerici ordinem non susceptum exercentes deponuntur. *c.* 1. *h. tit.* Potest tamen Episcopus cum malè celebrante dispensare, ut beneficium ad sustentationem necessarium retineat. *d. c.* 2. quemadmodum & cum aliis irregularibus, exigente causâ circa retentionem beneficii dispensare licet per *c. presbyter.* 16. *dist.* 28. *c. studeat* 39. *dist.* 56. III. Hodie ex constitutione Clementis VIII. quilibet non Sacerdos dicens Missam, aut confessionem Sacramentalem excipiens ab Ecclesia abjicitur, & ab ordinibus, si quos habet, ritè degradatus jubetur tradi Curiæ sæculari debitis pœnis plectendus, uti refert Barb. in *c.* 2. *h. t. n.* 2. Quaranta in *Sum. Bullar. V. Ordo.* Quòd si laici tale quid præsumant, in utroque foro tanquam falsarii, & sacrilegi puniri possunt, & gravibus pœnis arbitrio Judicis coërceri, teste Bernard. Diaz. *in pr. crim. can. c.* 12.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

SUMMARIA.

1. Quis dicatur promotus per saltum? 2. Qua sit pœna sic promoti?

§. I.

1 QUINTÒ delinquit Clericus, si non gradatim ad Ordines, sed per saltum, id est, ad majorem, omissô mediô, puta ad Diaconatum ante Sub-Diaconatum, ad Presbyteratum ante Diaconatum promoveri se curet: quamvis enim ejusmodi ordinatio valida sit, excepto Episcopatu, qui essentialiter Sacerdotium præsupponit juxta *c. ex literis.* 10. *in fin. de Excessib. prælat.* attamen illicita est: siquidem tam inter Minores, quàm Majores Ordines subordinatio sit oportet, ita ut prius quis debeat ordinari *ostiarius*, deinde *lector*, postea *exorcista*, *acolythus*, *Sub-Diaconus*, *Diaconus*, *Presbyter*, & demum *Episcopus*. *c. clerat. dist.* 21.

§. II.

2 *Pœna* hujus delicti est, quòd per saltum ordinatus sit suspensus à *suscepti* Ordinis exercitione. *c. sollicitudo. dist.* 52. Zoës. *h. t. nur*

ita tamen, ut Episcopus cum tali dispensare valeat, quò Ordinem omissum suscipiat, & in utroque ministret, ac etiam ad superiores ascendat, modò actus superioris Ordinis ante susceptum Inferiorem non exercuerit. *c. un. h. t.* Trident. *sess.* 23. *de Reform. c.* 14. *in fin.* Quòdsi actus illius Ordinis exercuerit, juxta dicta *ad tit. de Clerico excom. n.* 2. incidit in Irregularitatem, in qua ipsa, si crimen occultum, nec ad forum contentiosum deductum sit, facultatem dispensandi Episcopo concessit Trident. *sess.* 24. *de Refor. c.* 6.

(O)

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

SUMMARIA.

1. Quinam dicatur ordinem furtivè suscipere? 2. Quæ pœna ordinem furtivè suscipientis?

§. I.

1 SExtò denique Clericus delinquit, si furtivè ordinem suscipiat. Dicitur autem furtivè ordinem suscipere, qui vel sine prævio examine, & prævia admissione ad illum Ordinem suscipiendum cum aliis se intrudit, & ordinari permittit: vel qui plures Ordines saltem Majores uno tempore simul suscipit. *c.* 2. & 3. *h. t.* Addidi: *saltem majores:* quandoquidem in pluribus locis consuetudine obtentum est, ut minores Ordines eodem die cum Sub-Diaconatu conferantur, quam consuetudinem communiter approbant DD. apud Barbos. in Trident. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 12.

§. II.

2 *Pœna* hujus delicti est, quòd taliter ordinatus prohibeatur & in ordine sic suscepto ministrare, & ad alium superiorem ascendere nequeat. Potest tamen Episcopus cum eo dispensare in Ordine furtivè suscepto, eundémque habilitare ad alium Ordinem suscipiendum; nisi, ut in pluribus Diœcesibus fieri solet, contra furtivè se ingerentes ante ordinationem promulgata sit excommunicatio, quo casu ob contemptum censuræ aggravatur delictum, & solus Pontifex dispensat, nisi furtivè ordinatus monasterium ingressus ibi aliquamdiu laudabiliter vixerit: tunc quippe etiam ab Abbate, seu Prælato suo cum eo dispensari poterit. *c.* 1. 2. & 3. *h. t.*

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & subditorum.

SUMMARIA.

1. Quinam sint excessus Prælatorum? 2. Quinam subditorum?

QUoniam Clericorum alii sunt Prælati, alii subditi; nunc peculiariter de horum quo que *excessibus* agitur.

§. I.

Excedunt autem Prælati Ecclesiastici I. Quando novos & indebitos census, exactiones, aliáque gravamina subditis suis Ecclesiis imponunt, vel veteres augent, aut subditos censuris injustè subjiciunt, cujus excessûs pœna est arbitraria. *c.* 1. *h. t.* II. Quando sine causa Ecclesiam alteri subjectam ab illius subjectione & obsequio liberant, beneficia aliis conferenda sibi retinent, aut indignis ea conferunt. *c.* 2. 3. & 11. *h. t.* III. Quando à privilegiatis, aut exemptis aliquid exigunt contra tenorem libertatis, aut privilegii eis à Sede Apostolica concessi. *c.* 5. 16. & 17. *h. t. Clem. un. Eod.* ubi specificè plura gravamina Religiosis singulariter mendicantibus ab Episcopis illata recensentur, atque ab iis cessare jubentur. Interim variis in causis

Episcopis potestatem in exemptos delegatam esse, in quos aliàs eis jurisdictio non competeret, constat ex Trident. in *sess. 5. de Reform. cap. 1. & 2. sess. 6. cap. 2. & seqq.* ac passim alibi.

§. II.

2 Subditi excedunt I. Si inferiores Prælati turbent superiores, aut eorum jurisdictionem usurpent, veluti si violent interdicta. *c. fin. h.t.* II. Si indulgentias concedant, Ecclesias uniant, causas matrimoniales cognoscant, utpote quæ ad Episcopos pertinent. *cap. 8. & 12. Eod.* nisi ex privilegio, vel præscriptione, aut consuetudine jurisdictione quasi Episcopali, gaudeant, tunc namque prædicta eis licent. *c. accedentibus. 12. in fin. & ibi* Panorm. *n. 3.* & *c. auditis de Præscript.* III. Si usurpent munera incompetentia. *c. illud. h.t.* aut constituant collegia, & fabricent sigilla sine auctoritate superioris. *c. 14. Eod.* IV. si superioribus debitam reverentiam & obedientiam denegent, eis competentem titulum vel honorem detrahant, coram sæcularibus contra eos deponant, illos invadant, vel invasoribus assistant. *c. gravem. 15. h.t.* ubi tales beneficiis in Ecclesia obtentis indigni & privandi declarantur.

TITULUS XXXII.

De Novi operis nuntiatione.

SUMMARIA.

1. Quid sit novi operis nuntiatio? Quo jure sit introducta? 3. Quinam possint novum opus nuntiare? 4. Quale debeat esse novum opus, quod nuntiatur? 5. Quo modo? 6. Ob quem finem fiat hæc nuntiatio? 7. 8. 9. Qui sint ejus effectus?

INsuper tam Prælati, quàm subditi excedunt, quando de novo ædificant in præjudicium privati, vel Reipublicæ. Cui excessui per *novi operis nuntiationem* obviatur.

§. I.

Definitur novi operis nuntiatio, quòd sit 1
solemnis prohibitio vicino facta, ne in opere novo ædificando pergat, donec de jure ædificandi constiterit.

§. II.

Causa efficiens novi operis nuntiationis est 2
vel remota, vel proxima.

Remota est edictum Prætoris, quo permittitur, ut, sive jure, sive injuria novum opus fieret, per nuntiationem inhiberetur. *l. 1. pr. l. 20. §. 1. ff. h. t.*

Proxima est nuntians. Potest autem in 3
causa privata novum opus nuntiare omnis ille, ad quem res, ob quam nuntiatur, pertinet; vel cujus juri reali, quod habet, vel se habere asserit, novâ ædificatione officitur. *l. 1. §. 19. ff. h. tit.* veluti Dominus verus. *l. un. §. 3. ff. de Remiss.* quasi Dominus, seu bonæ fidei possessor, arg. *l. 136. ff. de R. J.* Dominus utilis, nempe vasallus. *2. feud. 8. & 43.* superficiarius. *l. 3. §. 3. ff. h. tit.* Emphyteuta, arg. *l. 16. in fin. de servit.* item creditor pignoratitius. *l. 9. ff. h. tit.* & qui habet servitutem realem in re, in qua novum opus fit. *d. l. un. §. 3. ff. de Remissionibus.* Circa *res publicas*, quando nimirum in loco publico ædificatur, omnes cives, sive qui de populo sunt, in bonum publicum novum opus nuntiare possunt. *l. 3. §. ult. ff. h. tit.* Ratio est: quia publicè expedit, multos ad defensionem causæ publicæ admitti. Echolt. *ad ff. h. tit. §. 8.*

§. III.

Materia, seu *objectum* nuntiationis novi 4
operis est novum opus. Ex parte cujus, ut locus sit nuntiationi, requiritur I. ut sit opus futurum, unde non potest novum opus nuntiari illi, qui tantùm animo destinavit, opus facere, nec defacto processit ad actum aliquem præparatorium operis. *d. l. 1. §. 1. ff. hoc tit.* II. requiritur, ut sit opus conjunctum lo-

solo, hinc cessat hæc nuntiatio in plantis, arboribus &c. *d. l.* 1. §. 12. III. requiritur, ut sit opus injustum, vel verè, vel saltem probabiliter: nam si notorium est, eum, qui nuntiat non habere jus nuntiandi, potest nuntiatio impunè contemni, adeóque pergi in opere, quandoquidem leges, quæ dicunt nuntiationem tenere, sive jure, sive injuriâ facta sit, intelligendæ sunt de casu, quo de injustitia nuntiationis non manifestè constat, secus in opposito: quia jura nunquam solent favere notoriis injuriis, & versutiis hominum improborum per *l.* 38. *ff. de Rei vindic.*

§. IV.

1 *Forma* nuntiationis novi operis consistit in legitima prohibitione, ne opus novum fiat, Potest autem tribus modis fieri. I. *verbis* enuntiando, & protestando, ut opus non fiat in suum, aut publicum præjudicium, aut ut non continuetur, rationem reddendo, cur in suum, aut publicum præjudicium cedat. Neque necesse est, ut scriptô fiat, sed satis est, si fiat verbis; tutiùs tamen erit, si fiat coram testibus, ut postea probari possit, factam fuisse, destruique jubeatur, quod post eam, & ante remissionem illius fuerat factum. II. *per manum*, id est, per *jactum lapilli*, aut lapillorum in eum locum, ubi opus sit, aut fieri paratur, cum insinuatione verbali, ne opus fiat. III. per judicem eum adeundo, & ab eo petendo, ut novum opus nuntiet, qui postea per se ipsum, aut per tabellionem, aut aliam personam præcipit, ut id opus non fiat, ab eóque cessetur, donec cognitâ causâ, quid factu opus, statuatur. Et verò hoc discrimen inter primum & posteriores duos modos versatur, quòd qui nuntiat primo modo, si in possessione sit ejus, circa quod nuntiatur, illam amittat nuntiator, secus, si nuntiet aliquo ex posterioribus modis, hoc est, per jactum lapidis, vel per prætorem. *l. pupillo. §. meminisse. ff. h. tit.* Andreas Vallens. *h.t. num.* 3. Ratio hujus discriminis datur, quòd qui solo verbo novum opus nuntiat, videatur meticulosus, & relinquere possessionem alteri, possessio verò solo animo eam deserendi amittitur.

§. V.

Finis nuntiationis novi operis proponitur 6
in *d. l.* 1. §. 16. *ff. h. t.* his verbis: *Nuntiatio fit aut juris nostri conservandi causâ, aut damni depellendi, aut publici juris fruendi gratiâ.*

§. VI.

Effectus nuntiationis novi operis utroque 7
jure est, quòd postquam novum opus nuntiatum est, superlederi debeat in ædificii continuatione, & prosecutione, adeò, ut quidquid postea ædificatum fuerit, sive jure, sive injuriâ, expensis ipsius ædificantis destruendum sit. *c.* 1. *&* 2. *h. tit. d. l.* 1. *ff. Eod.* Ratio est, quia nuntiatio hæc est quædam appellatio extrajudicialis, quâ pendente nihil attentandum est. Deinde, quia facta nuntiatione is, cui facta est, juris, non facti viâ se tueri debet.

Ampliatur I. Ut etiam Ecclesia, sive Ca- 8
pella destrui debeat, si sine justa, & legitima causa in præjudicium alterius Ecclesiæ Baptismalis post nuntiationem novi operis exstructa sit. *cap.* 1. *&* 2. *h. tit.* ubi & ratio redditur. Cæsar. de Panimoll. *dec.* 11. *adnot.* 1. *num.* 4.

Ampliatur II. Ut nuntiatus contra volun- 9
tatem nuntiantis non possit etiam præstitâ cautione de opere suis sumptibus demoliendo, si non jure ædificâsse apparuerit, ædificare, nisi nuntians cautionem admiserit, vel nuntiationem remiserit. *cap.* 2. *& fin. h. t. tit.* quòd si neutrum faciat, tenetur nuntiatus expectare per tres menses, donec videlicet denuntians jus suum, seu præjudicium interim plenè probet. *d. cap. f. h. tit.* si transactis tribus mensibus causa finita non sit, poterit præ-

præstitâ cautione de demoliendo suis sumptibus, opus perficere. Barb. in *d. c. fin. n.* 4.

Limitatur tamen prædictus nuntiationis effectus imprimis, ut locum non habeat, nisi quando de jurenuntiantis dubitatur. Panorm. in *c.* 1. *h. tit. n.* 10. Deinde ut non procedat, quando dilatio ædificanti periculum allatura est, tunc quippe cautionem sibi oblatam nuntians novum opus simpliciter acceptare tenetur, ut cum aliis notat Barb. in *c. panult. n.* 2. *h. t.* Gail. 1. *Observ.* 16. *n.* 8.

TITULUS XXXIII.
De Privilegiis, & Excessibus privilegiatorum.

SUMMARIA.

1. Privilegii etymologia. 2. Synonymia. 3. Definitio. 4. Usque 9. Divisio. 10 Quinam possint concedere privilegia? 11. Quomodo privilegia acquirantur concessione? 12. 13. Communicatione? 14. Et præscriptione? 15. 16. 17. Quibus personis, aut rebus dari possint privilegia?

18. Privilegium debet continere favorem specialem 19. Rationabilem tamen.

20. An ad privilegium necessaria sit justa causa? 21. An scriptura? 22. 23. An insinuatio, & notitia ejus? 24. Quis sit finis privilegii? 25. Quinam effectus? 26. & seqq. Quibus modis privilegium amittatur?

EXcessûs quoque species est, cùm privilegiati *privilegiis* sibi indultis abutuntur; quâ occasione hic de *Privilegiis* agitur.

§. I.

Privilegium juxta Isidorum in *c.* 3. *dist.* 3. dicitur quasi *lex privata*, eò quòd respiciat privatam utilitatem illius, cui conceditur; Gregorius in *c. fin. causâ* 25. *q.* 1. ℣. *si ergo.* idem est, ac *privatum legium*: eò quòd privatam legem generet; Panormitanus noster in *c. Abbate. de V. S.* putat, quòd idem sonet, ac *privans legem*: propterea, quia legi generali derogat, & aliquid contra dispositionem ejus indulget.

§. II.

Synonyma privilegii vulgò esse censentur 2 concessio. *l.* 1. *pr. ff. de Testament. milit.* indulgentia. *c.* 31. *h. t.* beneficium. *l.* 68. *ff. de R. J.* dispensatio. *c.* 16. *causâ* 1. *q.* 7. exceptio. *l.* 7. *C. de Vectigal.* specialis largitas, & prærogativa. *l. ult. C. de Fruct. & lit. expens.* constitutio personalis. §. 6. *Instit. de J. N. G. & C.* lex propria. *l.* 21. §. *ult. ff. Ad municip.* lex privata. *d. c.* 3. *dist.* 3. jus singulare, sonderbare Freyheit. *l. jus singulare.* 16 *de Legib.* item indultum, rescriptum, seu diploma principale, favor, gratia, immunitas. Azor. *Instit. moral. l.* 5. *c.* 22. *q.* 1.

§. III.

Definitur privilegium, quòd sit jus singu- 3 lare in certæ alicujus personæ, vel causæ favorem, ac gratiam à Superiore constitutum per *d. l.* 16. *ff. de Leg.* Brevius: quòd sit lex privata aliquid speciale concedens. Zoës. *h. tit. num.* 1.

§. IV.

Dividitur privilegium I. in reale, & personale. Reale est, cui res, seu causa aliqua locum facit, ita scilicet; ut ipsi causæ tribuatur, & competat omnibus, qui in eadem causa sunt; quò pertinent privilegia, quæ competunt ratione Episcopatûs, Clericatûs, Principatûs, Doctoratûs, Nobilitatis, aut similis qualitatis. Personale dicitur, cui personæ conditio locum facit, ita scilicet, ut quamvis detur ob causam, aut motivum aliquod, quod aliis quoque personis potest competere, soli tamen personæ privilegiatæ ex ipsius personæ respectu tribuatur, & cum ea exspiret. *l.* 86. & 196. *ff. de R. J.* Ut verò appareat, personæ, an causæ, vel rei concessum sit privilegium? attendenda sunt verba, num in personam, vel rem

rem directa sint, atque his expensis de intentione privilegiantis judicandum est. Ideóque si in privilegio Apostolico dicatur: *Tibi ob virtutis tuæ merita concedimus exemptionem*, privilegium personale; econtra si dicatur: *Concedimus imposterum Episcopo, Prælato hujus loci, &c. potestatem exercendi pontificalia etiam in aliena diœcesi*, privilegium reale reputatur per *c.* 14. *de Offic. deleg. cap.* 6. *de Præsumpt. l.* 7. §. 8. *ff. de Pactis.*

5 II. Dividitur privilegium in gratiosum, remunerativum, & conventionale. Gratiosum est, quod gratis tribuitur, nullâ habitâ ratione meritorum, vel obligatione reciprocâ privilegiati. Remunerativum, quod alicui ratione meritorum ipsius, vel alterius datur. Conventionale quod conceditur interveniente pacto, seu conventione.

6 III. Dividitur privilegium in favorabile, & odiosum. Favorabile est, quod privilegiatio confert favorem & commodum, nullique affert incommodum & præjudicium, ut est privilegium dispensandi, audiendi Missam tempore interdicti, serviliter haborandi die festo, aut vescendi carnibus tempore quadragesimæ. Odiosum dicitur, quod uni confert favorem & alteri præjudicium, ut est privilegium, quo quis eximitur à solutione decimarum, utpote quod vergit in præjudicium illius, cui solvebantur decimæ.

7 IV. Dividitur privilegium in affirmativum, & negativum. Affirmativum est, quod positivis & affirmativis verbis aliquid concedit, aut etiam aliquid faciendi facultatem tribuit, v. g. jus cudendi monetam, tabellarios creandi, altaria, & calices consecrandi, &c. Negativum, quod privatis verbis quempiam ab onere liberat. v. g. immunitas à gabellis, vectigalibus, vel decimis solvendis,

8 V. Dividitur privilegium, quòd aliud sit clausum in corpore juris, aliud datum per speciale rescriptum. Clausum in corpore Juris appello, quod inter alias leges corpori Juris insertum est, uti est Immunitas Ecclesiarum, privilegium fori, & Canonis; item privilegium studiosorum, pupillorum, Minorennium, mulierum, militum, fisci & similia. Datum per speciale rescriptum voco, quod extra corpus Juris certæ alicui personæ, communitati, vel loco per speciales literas, vel diploma, bullam, vel indultum concessum est. P. Engl *ad h. t. n.* 2. Differentia inter hæc illa est, quòd datum per rescriptum speciale maneat in sua natura communi privilegiorum; clausum autem in corpore Juris transeat in jus ipsum commune, & fiat illius pars. Hostiens. *cap.* 1. *de Sepult.* ita ut hujus dispositio non tam privilegium, quàm jus commune dicatur. Barb. in *Collect. ad auth. quâ in provinc. C. Ubi de crim. agi oport.* Ex quo in ferunt Covar. 4. *decret. p.* 2. *cap.* 8. P. Engl. *ubi supra*, & alii, quòd ejusmodi privilegia non sint strictè interpretanda, sed instar Juris communis extendenda, nisi habeant rationem specialem, ut limitat Gloss. in *c. sanè h. t.* & alii per *c. ea quæ de R. J. in* 6. *l.* 1. ℣. *planè ff. de Constit. Princip.*

9 VI. Privilegia quædam sunt latæ interpretationis, quædam strictæ. Latæ interpretationis esse censentur ea, quæ sunt clausa in corpore juris, ut statim diximus; item ea, quæ in favorem piæ causæ, boni publici, aut religionis principaliter cedunt, arg. *l. sunt personæ. ff. de Relig. & sumptib. fun.* item ea, quæ non contra, sed tantùm præter jus sunt, & continent meram gratiam Principis, nec involvunt præjudicium tertii, ut privilegia dispensandi, absolvendi à casibus reservatis, &c. De quibus procedit regula, quòd beneficium Principis latissimè sit interpretandum *c. quia circa.* 22. *h. t.* Reliqua sunt strictæ interpretationis.

§. V.

Causa Efficiens privilegii alia est remota, alia proxima.

Remota est concedens. Potest autem privilegium concedere, qui legem ferre, & qui legem ferre nequit, nec privilegium concedere potest, siquidem privilegium est quædam lex privata. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 8. Sylvest. in *Sum. V. privilegium. quæst* 2. Hinc privilegia concedere maximè potest S. Pontifex, ut qui habet potestatem legislativam, éstque super omne jus; & quidem in materia *spirituali* indistinctè tam in terris Ecclesiæ, quàm laicorum; circa *temporalia* verò in suo territorio, ubi est dominus temporalis, directè, & per se, in laicorum autem ditionibus tantùm indirectè, quatenus nimirum opus est per ordinem ad spiritualia: aliàs summi Principis est privilegia impertiri, ut colligitur ex *c.* 2. *h. t.* Similiter respectivè & cum proportione privilegia dandi facultas competit Episcopis, & Prælatis per *cap. cùm olim.* 14. *h. t.* Neque dubium est, Imperatores, Reges & Principes temporales in sua materia & ditione privilegia conferre posse, scilicet in immunitatibus, honoribus, ac potestatibus temporalibus, non in spiritualibus, ex quo in illis, non in istis legem ferre queunt. Gonzal. in *cap.* 6. *h. t. n.* 4. Clariss. P. Paul. Mezger in *Theol. Schol. tr.* 8. *disp.* 37. *art.* 5. *n.* 1.

11 *Proxima* sunt modi, quibus privilegium conceditur, & acquiritur, iique tres: *concessio*, *communicatio*, & *consuetudo*, ac *præscriptio.*

Concessio privilegii est actus, quo simpliciter sine respectu ad aliud privilegium præexistens jus singulare conceditur. Et hæc fit vel ad preces, quæ juri, ac stylo Curiæ congruere, sempérque veritate niti debent, ita ut privilegia aliter impetrata nulla sint. *c.* 6. *de Rescript. c. fin. de Fil. Presbyt. l. ult. C. Si contra jus, vel util. publ. Novel.* 82. *c.* 13. vel motu proprio, seu verè ultroneâ liberalitate citra partis supplicationem, seu apparenter, clausulâ *motûs proprii* insertâ, utcunque reverâ ad instantiam partis concedatur. Enenkl. *t. de Privil. c.* 5. *n.* 9. quâ concessio validior quidem efficitur, sub- & obreptionis tamen exceptio integra reservatur, præsertim si vitium personæ inhæreat. Menoch. 2. *de Arbitr. jud. casu* 201. *n.* 79. *& seqq.*

Communicatio privilegii nil aliud est, quàm 12
privilegii iterata concessio; seu concessionis extensio ad nova subjecta: cùm videlicet privilegium, quod primitus uni concessum fuit, iterum alteri conceditur. Et hæc communicatio fieri potest, vel simpliciter, & absolutè, seu *ad instar*, & *pariformiter*, ut dici solet, vel limitatè & ex parte, unde tenor communicationis semper est inspiciendus. Planè in communicatione absoluta is, cui facta est, participat omnia privilegia, & eodem modo, quæ, & quo modo defacto alter habet, vel habuit, cujus privilegia communicantur; non tamen futura, quæ ex postfacto acquirit, nisi communicatio etiam ad futura expressè extendatur. Clariss. D. P. Paul. Metzger *d. disp.* 37. *art.* 4. *n.* 6. neque omnino extraordinaria, quæ Princeps non videtur *in* specie concessurus, ut ex Antonio de Butrio *consil.* 19. notat Fagnan. in *cap. tuarum.* 11. *h. t. n.* 24. multò minùs illa, quæ prohibita sunt, ad alios extendi, quorum communicatio sine speciali mentione fieri non solet. Tamburin. *de Jur. Abb. tom.* 1. *disp.* 17. *q.* 1. *n.* 18. Quibus adde privilegia localia, ut quæ censentur ad certum locum restricta; & illa, quæ ob certum, & specialem causam, seu respectum data sunt, aut quæ in eos, quibus fit communicatio, propter defectum certæ qualitatis non quadrant. Donatus in *Pr. Regul. p.* 1. *tr.* 7. *q.* 14. *&* 15.

Quæstio incidit; an, & qualis communica- 13
tio

tio privilegiorum inter Regulares defacto detur: Sunt, qui tradant, inter omnes Ordines tam mendicantes, quàm non mendicantes mutuam esse privilegiorum communicationem, quod probabile esse, asserit Clariss. D. P. Paul. Metzger *cit. art. 4. n. 9.* Ego existimem, quoad mendicantes id simpliciter verum esse, ut qui ex Bulla Leonis X. generalem inter se communicationem habent, & per alias Bullas Pontifices communicant etiam cum non mendicantibus Ordinibus, ut videre est apud Tambur. *d. disp. 17. q. 2. n. 8.* Circa non mendicantes verò eatenus solùm verum puto, ut Congregationes à S. Pontifice approbatæ, vel illa Monasteria, quæ cum Cassinensi, aut Lateranensi, vel aliis Congregationibus communicationem specialem habent, eâdem communicatione tam cum mendicantibus, quàm non mendicantibus fruantur, non etiam Monasteria à Congregationibus penitus separata. Confer. Tambur. *cit. disp. 17. per tot.* Donat. *cit. tr. 7. per tot.*

14 *Consuetudine, ac præscriptione* sine expressa Principis concessione privilegia comparari posse, docet Gloss. *cap. novit. 13. de Judic.* ubi Innocentius III. consuetudinem cum privilegio æquiparat, & in *c. conquestus. 9. & cap. super quibusdam. ℣. præterea. de V. S.* Eam autem consuetudinem aut præscriptionem aliqui requirunt, cujus initii non extat memoria, non quòd velint semper necessariam, sed quòd hæc certior sit, & quasi generalis, ac per se sola sufficiens sine titulo, modò jus ei non expressè resistat, ut resistit in *cap. quanto. de Consuet.* ubi dicitur, facultatem conferendi minores ordines, vel Sacramentum confirmationis posse ex privilegio committi simplici Sacerdoti, non tamen consuetudine acquiri, & in *cap. ex tuarum. 5. de Auctorit. & usu pallii.* ubi usus pallii extra provinciam non obstante consuetudine expressè prohibetur, nisi ex speciali privilegio. De cætero etiam minori tempore, puta annis 30. contra privatos, 40. contra Ecclesias suppositis reliquis requisitis, privilegium, aut exemptionem aliquam præscribi posse, probat P. Engl. *h. t. n. 13.*

§. VI.

Subjectum, in quo hæret privilegium, est 15
persona, vel res per *l. 68. l. 196. ff. de R. J.*

Persona est subjectum privilegii personalis, quod nempe vel uni propter personam, & meritum suum specialiter tribuitur, aut etiam pluribus, sed expressis illorum nominibus, & tanquam singularibus, seu sub nomine proprio, & individuo cujusque, ut Socrati. Sempronio, & Platoni, &c.

Res est subjectum privilegii realis, eáq; vel 16
corporea, ut *fundus, domus, castrum, Ecclesia, Monasterium;* vel incorporea, ut *Doctoratus, Clericatus, Ordo religiosus, Societas, Universitas, Collegium*, aut aliud *corpus politicum.* Porro si cōmunitati, vel corpori alicui privilegium concessum sit, refert, sitne concessum sub nomine collectivo, & expresso ipsius Collegii, & directè ac immediatè illius corpori, puta Universitatis Salisburgensi? num verò personis, quæ sunt ex tali Collegio, & illud componunt, puta Studiosis Universitatis Salisburgensis? Concessum primò modò censetur concessum Collegio, secundùm quod civiliter facit unum corpus, non verò personis singularibus, ex quibus tale corpus componitur (quà singularibus) ita ut non possint uti suo privilegio quà tales, sed tunc tantùm, cùm suum Corpus collegialiter repræsentant, sive interim omnes simul, sive major pars, aut aliquot ad repræsentandum delegatæ reperiantur. Concessū secundò modò singulis separatim competit, illóque uti possunt singulares personæ independenter una ab altera, & sufficit esse incorporatas tali Collegio. Ita Geminianus. *c. Religioso. de Sent. excom. in. 6.* Ut tamen is, qui se dicit de aliquo Collegio, gaudeat

ejusdem privilegiis, necesse est, ut exerceat artem, ad quam fuit institutum. Barthol. *in l. semper. ff. de Jure immunit.* Sylvest. *V. Argumentatio. n.* 4. Ex quo infert Panorm. *in c. de Quodvultdeo.* 1. *de judic.* quòd Studiosi intrantes Scholam, sed non studentes, non gaudeant privilegiis Scholarium. Et similiter Portelius *in sum. qq. Regul. V. Episcopus. n.* 4. docet, religiosum factum Episcopum non gaudere ampliùs privilegiis regularium, aut sui ordinis.

17 Cæterùm privilegiorum largitio ex parte concedentis superioritatem, ex parte accipientis subjectionem regulariter exigit. *Regulariter*, inquam: siquidem cùm privilegia sint beneficia, ea quoque non subditis concedi valent, atque ita personis Ecclesiasticis & Ecclesiis Principes sæculares multa privilegia concesserunt. *l.* 1. *cum multis aliis. C. de SS. Eccles.* qui ab earum potestate exempti sunt. *cap. Ecclesia S. Mariæ. de Constit. cap. fin. de Reb. Eccles.* Clariss. D. Paulus Mezger *d. disp.* 37. *a.* 5. *n.* 2.

§. VII.

18 *Materia*, seu *objectum* privilegii est favor specialis, justus tamen, & rationabilis.

Dixi I. *est favor specialis*: si enim nihil præter, aut ultra, imò contra jus commune concedatur, privilegium non erit: & hoc est, quod traditur, interpretationem privilegii ita faciendam esse, ut aliquid operetur speciale supra, vel præter jus commune. *c. Abbate. de V. S. c. in his.* 30. ubi Panorm. *h. t. l.* 1. *ff. Ad municipal.* Neque adversatur. *c. quia in causis. de Procuratorib.* quò Universitati Parisiensi creandi Procuratorem, & *c. etsi Christus. §. fin. de Jurejur.* ubi religiosis in propriis causis deficiente alia legitima probatione juramentum suppletorium præstandi, facultas conceditur, quæ jure communi ipsis non negatur. Nam Francis per leges proprias in judicio per Procuratorem litigare sine Principis rescripto, & Monachis S. Benedicti jurare per regulam non licuit, ut in *cit. text.* notat Gonzal. adeóque illis aliquid jure prohibitum indultum fuit, aut saltem declaratum est, indultum jam fuisse, ut *ibidem* Glos. advertit. Ideóque ejusmodi privilegia non concessiva propriè, sed impropriè tantùm dicta sunt, & juris communis declarativa. Suarez *l.* 8. *de legib. c.* 1. *n.* 7.

Dixi II. *Justus tamen, & rationabilis*, ita ut 19 respectu privilegiati, illius usus saltem supposità privilegiò sit licitus, respectu verò aliorú nullum, vel moderatum gravamen contineat, ut secundùm rectam rationem ad illud sustinendum obligari possint. Ne ergo privilegium concedatur contra jus naturale, aut Divinum. *c.* 1. *dist.* 10. quidquid enim bonis moribus adversatur, invalidum est, etsi pactum juratum accesserit. *l.* 4. *C. de LL.* neque in magnum Reip. damnum, vel contra manifestam ejus utilitatem. *l.* 10. *C. de SS. Ecclesiis.* Unde nec contra se concedere privilegia solet Pontifex, quatenus imminuunt ejus dignitatem, ut quam non potest dividere, vel diminuere; nec ulla, quæ sunt Ecclesiasticæ gubernationi contraria: quia foret abusus suæ potestatis, & prodigalitas quædam, quæ in Pontifice non præsumitur. Vix proinde crediderim Pontificem Principibus concessisse, ne sine illorum approbatione rescripta sua effectum habeant, quale tamen privilegium sibi non nulli Principes vendicant.

§. VIII.

Forma Privilegii est vel *essentialis*, vel *ac-* 20 *cidentalis*. *Essentialis* consistit in concessione singulari præter, ultra, aut contra communem juris tenorem, per *supra* dicta. Ad formam *accidentalem* referenda sunt sequentia:

I. *Justa & rationabilis causa.* Et quidem certum est, hanc requiri, ut licitè concedatur privilegium; siquidem concessio privilegii absque causa, si contra jus fiat, adversatur justi-

justitiæ distributivæ, & legali exigenti, ut à communi obligatione sine causa nemo eximatur; si verò præter jus fiat, sapit prodigalitatem, & acceptionem personarum. Suarez *d. l. 8. cap. 21. n. 2.* De valore autem dubitandi ratio est, & desumitur ex indulgentiis, quas absque sufficienti causa invalidè concedi, communiori D D. calculo probatum est. Nihilominus privilegium sine causa validè concedi, placuit Suarez *l. c.* ex ratione, quod lex nulla rationabili causa exigente à legislatore tolli possit respectu omnium, cur igitur eximi nequeant certæ personæ, aut specialis favor eisdem privilegio tribui? Neque est paritas inter privilegium, & indulgentias: has quippe Pontifex concedit non tanquam dominus, sed dispensator thesauri meritorum Christi, qui non censetur consentire, nisi in ejus dispensationem salubriter, id est; ex rationabilibus causis factam. *Extravag. 2. de Pœnitentiis.* Gobat *tr. de Indulgentiis. n. 86.* Cæterùm in dubio præsumitur adfuisse justam causam concessionis, & quæ causa justa sit, arbitrio Principis relinquitur

21 II. *Scriptura*; quæ tamen per se loquendò ad privilegium non requiritur, sed etiam viva voce concessum subsistit, eóque in utroque foro uti licet, modò per testes sufficienter probetur, ut satis constat ex *cap. institutionis. causâ 25. q. 2.* ex *Clem. dudum §. etenim. de Sepult.* ibi: *universa privilegia, gratias, indulgentias, verbô vel scriptô concessa.* & ex *Extravag. etsi, de Pœnit. & remiss.* ibi: *quascunq; concessiones à sua Sanctitate tam scriptô, quàm verbô factas.* Ratio est, partim quia totus valor privilegii pendet ex voluntate concedentis, quæ tam verbis, quàm scripturis manifestari potest; partim verò quia lege nemo tenetur contra voluntatem legislatoris eum obligare nolentis. Quare hôc ipsô, quòd subdito quocunque modo constet de voluntate ejus à legis obligatione eximentis per privilegium, illius obligatio cessabit. Specialiter circa privilegia & gratias, quæ à Sede Apostolica emanant, *regulâ Cancellaria §. 3.* disponitur, ut nulli suffragetur dispensatio in judicio, vel extra, nisi literis expeditis. Et licèt ista regula tantùm loquatur de *dispensationibus*, tamen idem esse etiam circa alias gratias, & privilegia, de stylo Curiæ Romanæ communiter tradunt DD. nominatim Joannes Chokier in *reg. 25. Cancell.* adeóque prædictæ gratiæ ante actualem expeditionem literarum videntur adhuc informes & imperfectæ. Probabile tamen est, in foro conscientiæ etiam ante expeditonem gratiæ, si de ipsius concessione constet, eâ uti licere. Gutierez *lib. 5. pract. qq. in 2. p. nova collectionis. q. 10. & seqq.* Pro foro externo, & ad probationem convenit inter omnes, gratias ante literas expeditas impetranti non prodesse.

III. *Insinuatio*: requiritur enim, ut in- 22
primis privilegium, adversùs alium obtentum, maximè si per illud revocatur jus alteri jam quæsitum, eidem & judici ordinario illius loci insinuetur: præsumendum quippe non est, velle Principem privare aliquem inscium jure suo: quia talis privatio ex una parte bono commmuni, & suavi gubernationi non est leviter contraria, & ex altera parte est valde expediens damnificatum monere, ut possit, si velit, se opponere; quod meô judiciô expressè deciditur in *cap. 19. h. tit. cap. cùm persona. Eod. in 6. cap. si in duobus. de Appellat.* Deinde privilegium aliis quoque insinuari debet, ne à privilegii usu impediant privilegiatum, cùm respectu illorum habeat rationem legis, quæ, ut obliget, debet esse manifesta. *cap. 2. distinct. 4.*

Difficultas est: an quis uti possit privile- 23
gio jam defacto à superiore concesso, sed nondum sibi insinuato?

¶. I. Regulariter quidem non licet uti privilegio ante habitam concessionis notitiam: talis namque imprudenter agit, cùm se exponat periculo faciendi actum illicitum, vel etiam nullum; aliquando tamen urgente necessitate, si probabile sit, privilegium jam concessum esse, usus ejus licitus esse potest. Hinc

¶. II. Privilegium, quod per nuntium, literas, vel procuratorem petitum est ab aliquo, per se habere effectum à die concessionis, & expeditionis illius, seu *à die datæ*, ut vocant, non primùm *à die præsentatæ*. Unde licèt privilegiatus ignoret, privilegium sibi actu esse concessum, tamen juxta privilegium operans validè agit. Idem de dispensationibus procedit. Layman in *Theol. morali l. 1. c. 23. n. 10.* cum communi: Aliud verò statuendum est de privilegio *motu proprio*, & non ad petitionem alicujus concesso. Idem Layman *n. 9.* Azor. *Instit. moral. tom. 1. lib. 5. cap. 3.* Ratio est: quia privilegium se habet instar donationis, in qua requiritur consensus utriusque, donantis scil. & donatarii, ideóque si consensus privilegiati non præcesserit, nullum jus videtur ipsi acquiri ante notitiam, & acceptationem privilegii, arg. *l. qui absenti. 38. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Quod secus est in priori casu: quando enim præcedit petitio privilegii, & subsequitur concessio, jam utriusque consensus adesse intelligitur. Contrariam sententiam probabilem judicat P. Engl in *Manual. Parochorum l. 1. p. 3. cap. 5. n. 17.*

§. IX.

24 *Finis* privilegii alius est immediatus, alius mediatus. Immediatus, seu proximus est bonum privatum privilegiati; mediatus est bonum publicum, arg. *c. 15. & 17. causâ 1. quæst. 7.*

§. X.

25 *Effectus* privilegii est *primò*, quod vim legis, ac juris habeat, arg. *l. 2. & ult. C. de Legib.* ita ut ad observantiam obliget non solùm subditos, sed ipsum quoque concedentem, ejúsque successores ad manutenentiam. Boër. *dec. 204. n. 42. Secundò*, quòd idem operetur, ac consuetudo, & præscriptio, arg. *cap. super quibusdam. 26. ¶. præterea. de V. S. cap. 13. de For. compet.* imò præscriptionem oborientem tollere, illíque derogare valeat, modò contineat clausulam: *non obstante tali jure* per *c. 14. & 19. de Præscript. Tertiò*, quòd privilegium potius, ac fortius sit jure communi, cum sit jus quoddam speciale, in toto autem jure generi per speciem derogetur, & illud potissimum habeatur, quod ad speciem directum est. *l. in toto. 80. ff. de R. J.*

§. XI.

Contraria privilegii sunt modi, quibus privilegium amittitur. Amittitur autem multifariàm.

I. Si pereat, aut destruatur subjectum, cui privilegium inhæret: Sic enim privilegium personale mortuâ personâ. *cap. 7. de Reg. Jur. in 6.* privilegium reale re, puta, Religione, dignitate, ac officio pereunte extinguitur, arg. *c. Abbate. 25. de V. S.* Ea tamen, quæ ædificiis, v. g. Ecclesiæ, aut castro ratione situs, vel loci data sunt, hîs incendiô, aut vastatione destructis, inhærent fundo, quamdiu manet animus ea ædificia reparandi juxta *cap. 2. de Relig. domib. l. 37. ff. de Relig. & sumpt. fun.* & si concessa sint non ratione situs, sed alterius tituli transferibilis, v.g. Ecclesiæ ratione parochiæ, confraternitatis, reliquiarum alicujus Sancti &c. cum istis aliò translatis & ipsa transferuntur. Suarez *de Legib. lib. 8. cap. 5. in fin.*

II. Privilegium, quod datum est *ad certum* 27 *tempus*, vel *sub conditione*, aut cum clausula: *ad beneplacitum: quamdiu voluero &c.* amittitur per lapsum temporis, cessationem conditionis, item per mortem concedentis. *cap. 5. de Rescript. in 6.* Covar. *Var. resol. lib. 3. cap. 15.*

cap. 15. *n.* 2. Aliàs privilegia, & gratiæ actu conceſſæ per mortem concedentis non tolluntur etiam re integra. *c. ſi ſuper.* 9. *de Offic. deleg. in* 6. Unde privilegium conferendi beneficia, quod alicui S. Pontifex conceſſit, non exſpirat, eſto concedens moriatur, antequam ſe offerat occaſio beneficium actu conferendi. *c. ſi cui.* 36. *de Prabend. in* 6. Secus eſt, ſi commiſſio tantùm, vel delegatio facta fuerit ad gratiam alicui concedendam; hæc namque morte delegantis extinguitur, eò quòd gratia nondum ſit facta, ſed facienda. Text. & Gloſs. *in d. cap. ſi cui.* Covar. *Pract. quæſt. c.* 11. *n.* 2.

28 III. Amittitur per revocationem privilegiantis, vel ejus ſucceſſoris: ſiquidem qui gratiam fecit, eam *regulariter* revocare poteſt. Panorm. in *cap. novit. n.* 25. *&* 28. *de Judic.* Gail. 2. *Obſerv.* 60. *in fin.* Vetùm ab hac regula aliqui caſus excipiuntur, in quibus non niſi ex cauſa publicæ utilitatis privilegium revocari poteſt. *Primus* eſt, ſi privilegium cauſâ remunerationis vel cum onere adjuncto conceſſum fuit: quippe tale privilegium vim pacti habet. DD. in *cap. quæ in Eccleſiarum.* 7. *de Conſtit. Secundus*, ſi ex privilegio illo ſecundùm jus gentium privilegiato dominium quæſitum ſit, quo ſine cauſa nemo privari debet. Panormit. *loc. cit. n.* 26. *Tertius*, ſi privilegium conceſſum ſit non ſubdito: quoniam tale tranſit in contractum, ex quo Princeps æquè, ac privatus obligatur. Quamobrem privilegium Eccleſiis, & piis cauſis datum à Principibus ſæcularibus eſſe irrevocabile, poſt alios habet Felin. in *d. c. novit n.* 8.

29 Porro revocatio privilegiorum fieri poteſt vel expreſsè, vel tacitè. Tacita revocatio eſt, cùm Princeps ſciens facit actum contrarium, ut is concedat alteri privilegium contrarium, *facta mentione prioris privilegii*; quod addo: quia nulla mentione facta poſterius privilegium cenſeretur ſubreptitium, per text. in *c. ex parte.* 12. *de Offic. delegati.* Expreſſa revocatio alia eſt generalis, alia ſpecialis. Specialis eſt, cùm vel per decretum ſpeciale privilegium revocatur (cujus inſinuatio fieri debet privilegiato, ut effectum ſortiatur) vel quando revocatur quidem per Legem generalem, ſed facta privilegii mentione in ſpecie. Revocatio generalis fit, quando generaliter derogatur privilegiis conſtitutioni contrariis. Quod iterum fit dupliciter, vel cum clauſula communi: *non obſtantibus privilegiis quibuscunque*: vel cum alia fortiori & ſingulari, ut: *non obſtantibus privilegiis quibuscunque, ſub quacunque verborum forma conceptis*; vel cum addito: *etiamſi eorum de verbo ad verbum mentio fieri deberet.* Si addita ſit clauſula generis poſterioris, cenſetur derogatum omnibus privilegiis, ut benè advertit noſter Panormit. in *c. cum inſtantia. num.* 5. *de Cenſib.* Si prioris generis: non erit derogatum privilegiis clauſis in corpore Juris, neque etiam aliis, quibus inſertum eſt, quòd eorum ſpecifica mentio fieri debeat; quale privilegium datum eſt Ciſtercienſibus in *c. cùm ordinem. de Reſcriptis.* Quòd ſi nulla clauſula revocatoria privilegii addita ſit conſtitutioni generali privilegio contrariæ, illa privilegiis derogare non cenſetur per vulgarem regulam, quòd generale non deroget ſpeciali.

IV. Amittitur privilegium contrariâ conſuetudine, non uſu, vel præſcriptione, ſervatîs tamen conſuetudinis, vel præſcriptionis requiſitîs, inter quæ cùm ſit, ut res ſit apta præſcribi, ideo privilegia merè favorabilia, quæ meram gratiam continent, & meræ facultatis dicuntur; ut privilegia abſolvendi à caſibus reſervatis, celebrandi tempore interdicti, & alia hujusmodi, præſcriptione non tolluntur. DD. *ad l.* 2. *ff. de Via publica. l.* 12. *Cod.*

Cod. de Excusat. tutor. Gloss. & Panorm. in *c. ut privilegia. h. t.* Aliud est de privilegiis onerosis, quæ nempe cedunt in gravamen tertii, ut si quis habeat privilegium accipiendi decimas, visitandi monasteria exempta, exercendi jurisdictionem, merum imperium &c. enimverò hæc non usu perduntur, dummodò interim occasio utendi fuerit. Text. & DD. in *l. 1. ff. de Nundin.* Quòdsi occasio utendi non fuerit, privilegium non usu non amittitur, arg. *l. 34. §. ult. cum. l. seq. ff. de Servitut. præd. rust.* Gail. *lib. 2. observ. 66.* Idem est, si quis commodè saltem privilegio uti non potuerit, quia quod in favorem alicujus introductum est, non debet in odium ipsius detorqueri. *c. quod ob gratiam. de Reg. Juris in 6.*

V. Similiter privilegium extinguitur renuntiatione tacita, vel expressa; quilibet enim favori suo renuntiare potest. *c. statuimus. de Regular.* nisi privilegium in favorem publicum, aut Ecclesiæ principaliter sit concessum; qua ratione privilegio fori & canonis renuntiari nequit. *c. si diligenti. de Foro compet.* Consistit autem renuntiatio expressa in declaratione verbali, vel scripta voluntatis non gaudendi privilegio; tacita verò consistit in non usu, si sit privilegium affirmativum; vel in usu contrario, si sit negativum; & communiter hæc tacita renuntiatio inducitur lapsu 10. annorum per text. in *d. l. 1. ff. de Nundin.* Pro regula tamen hic tenendum, quòd si privilegia expressè renuntiari non valeant, nec tacitè valeant: cùm major sit vis expressi, quàm taciti, arg. *L. nonnunquam. 52. ff. de Condit. & demonstr.*

VI. Cessat privilegium cessante causa finali per text. in *c. tuæ. 12. de Cleric. non resid. c. cessante. de Appell.* Ubi tamen distinguendum inter privilegium, quod unico actu consumatur; quale est, quod datur ad contrahendum matrimonium in ordine ad legitimationem prolis, & privilegium, quod habet tractum quendam successivum reiterabilem; quale est privilegium non solvendi decimas, vectigalia, &c. Prioris generis privilegium non desinit desinente causa finali: quia jam transiit, ac proinde indesinibile est; sic qui habilitatus est ad aliquem actum, non amittit habilitatem illam, licèt cesset postea motivum habilitationis; quod intelligo: licèt nondum actum, ad quem habilitatus est, exercuerit: nam in ea executione non est privilegium, sed tantùm usus privilegii. Sanchez *de Matr. lib. 8. disp. 20. num. 7.* Posterioris generis privilegium ut desinat, causa finalis non debet solum negativè, vel ad tempus, sed contrariè, & quidem in perpetuum cessare. Dicitur autem causa finalis cessare negativè, quando non ampliùs existit; contrarie verò, si circumstantiæ ita mutentur, ut usus privilegii evadat iniquus, & cedat in grave præjudicium Ecclesiæ, vel communitatis. Text. & DD. in *c. 9. de Decimis & cap. 16. de Cleric. non resid.* P. Engl *h. t. §. 3. n. 21.*

VII. Perditur privilegium propter abusum per text. in *c. 9. dist. 74.* ubi dicitur: *privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Plerumque tamen non ipsô factô perditur privilegium, sed per sententiam superioris, nisi hoc sit speciali jure expressum, ut in *c. fin. de Immunit. Eccles.*

TITULUS XXXIV.

De Purgatione canonica.

SUMMARIA.

1. Quid sit purgatio canonica? 2. Unde ejus origo? 3. A quo? 4. Ob quod delictum hæc purgatio indicatur? 5. 6. Quo modo fiat? 7. Et quem ob finem? 8. 9. Qui effectus hujus purgationis?

Delicta,

DElicta, seu crimina interdum purgantur, idque vel *purgatione canonica*, vel *vulgari*.

§. I.

1 *Definitur* purgatio canonica, quòd sit ostensio innocentiæ super objecto crimine juxta præscriptum SS. Canonum facta.

§. II.

2 *Causa efficiens* purgationis canonicæ duplex est: remota & proxima.

Remota est jus Canonicum, à quo ut nomen, ita vim, ac efficaciam suam habet. Origo verò ejus reperitur in SS. literis: nam in Lege Moysis suspectus de furto jurare tenebatur, quòd non extenderit manum in rem proximi sui. *Exod. c. 22.*

3 *Proxima* est Judex, qui purgationem hanc indicit. Indicere autem debet, qui de crimine cognoscit, aut cognoscere debet, de quo quis infamatur. *c. 6. & 10. h. t.* & debet indicere vel ad instantiam ejus, qui purgandus est, vel ex officio ei, qui de gravi aliquo crimine infamatus est, eidémque fide digno, quem verosimile est, non facilè pejeraturum. *c. 1. & ibi* Gloss. *h. t.*

§. III.

4 *Materia*, seu *objectum* purgationis canonicæ est quodvis crimen, vel delictum, non plenè probatum, de quo tamen quis apud bonos & graves viros ex verosimilibus suspicionibus est diffamatus. *c. 4. 6. & 12. h. t.* Notorium non admittit purgationem. *c. penult. h. t.* sicut nec illud, cujus probationem offert accusator, aut denuntiator per *c. si quis. 2.* junctâ Gloss. & *c. moniales. 3. h. t.*

§. IV.

5 *Forma* purgationis canonicæ consistit in legitima, seu canonica demonstratione suæ innocentiæ super crimine objecto, quæ ita habet. Imprimis tactis Sacris Evangeliis jurat reus de veritate, se objectum sibi crimen non perpetrâsse. *c. fin. h. t.* tum jurant etiam conpurgatores non quidem de veritate, quòd sciant, sed de crudelitate, quòd scilicet credant, purgandum verum jurâsse, nec tale crimen admisisse. *c. 7. & 9. h. t.* Debent autem hi conpurgatores esse viri honesti, & fide digni, quique purgandum noverunt familiariter. *d. c. 7.* Et licèt pro purgatione Clerici deberent etiam Clerici conpurgatores regulariter adhiberi, attamen in casu, quo facilè haberi non possunt, sufficiunt quoque laici, teste Zoës. *h. t. n. 6.* Quòdsi aliquis sit peregrinus, qui conpurgatores habere non possit, vel aliàs pauper, ignotus, tunc si persona videatur fide digna, etiam soli ipsi jure merito credi poterit, & talis jurabit, non solùm se innoxium esse, sed etiam conpurgatores habere non posse, ut docet Panor. *in c. inter. n. 7. h. t.*

Fuerunt olim etiam aliæ purgationes canonicæ receptæ, veluti per sumptionem publicam Eucharistiæ, aut Missæ celebrationem. *c. fin. causâ 2. q. 5.* Imò ipsi S. Pontifices aliquando se ita ultroneè purgâsse leguntur, ut cum aliis refert Barb. *in c. 1. h. t.* Sed hodie harum purgationum, & universim purgationis Canonicæ vix est usus, nisi fortè in crimine hæresis iis in partibus, ubi viget inquisitio, teste Claro *5. sent. q. 63. v. solet etiam.* 6

§. V.

Finis purgationis canonicæ est purgare conscientiam de crimine suspecti. 7

§. VI.

Effectus purgationis canonicæ est, quòd, si quis in ea defecerit, quia scil. conpurgatores, quos habere posset, ob malam de ipso suspicionem jurare nolunt, puniatur instar convicti de delicto objecto, sed pœnâ tantùm extraordinariâ, ut præter Panor. *d. c. inter. n. 6.* benè tradit Diaz. *in Pract. crim. can. 149.* 8

Effectus purgationis legitimè factæ est, quòd tollat infamiam ex delicto objecto provenientem, & debeat proinde infamatus absolvi à delicto; quâ absolutione factâ non faci- 9

facilè ampliùs de eodem delicto accusator contra eum admitti deberet, nisi concurrentibus novis indiciis, & nisi accusator se specialiter ad probandum offerat, obligétque, ut habet Panorm. in *c. ex tuarum. ad fin. h. t.*

TITULUS XXXV.
De Purgatione vulgari.

SUMMARIA.

1. Purgationis vulgaris definitio. 2. Origo. 3. Causa efficiens. 4. Materia. 5. usque 8. Quot modis fiat? 9. Ob quem finem? 10. Quo effectu?

§. I.

1 PUrgatio vulgaris *definitur*, quòd sit demonstratio innocentiæ vulgò tantùm & temerè usurpata, & nullo modo approbata.

§. II.

2 *Causa efficiens* purgationis vulgaris est vel remota, vel proxima.

Remota sunt mores vulgi: nam ut ipsum nomen indicat, purgatio vulgaris nullo legitimo usu, sed vulgi quâdam usurpatione, & observatione superstitiosâ fuit introducta, pleraque etiam jure canonico expressè vetita, utpote quòd per eam DEUS tentari potiùs, quam voluntas ejus soleat explorari. *c. consuluisti. 20. causâ 2. q. 5.*

3 *Proxima* est is, qui purgationem hanc injungit, aut suscipit: aliquando enim ejusmodi probatio innocentiæ injungitur, aliquando sponte suscipitur.

§. III.

4 *Materiam*, seu *objectum* purgationis vulgaris constituunt causæ ambiguæ, maximè criminales, in quibus veterum superstitione hæc purgatio inopiam probationum supplebat.

§. IV.

5 *Forma* purgationis vulgaris stat in modo, quo instituitur hæc purgatio. Instituitur autē

I. Per *monomachiam*, seu *duellum. c. 1. & 2. h. t.* Neque verò duellum medium aptum est ad terminandam litem, cùm facilè fieri possit, ut, qui causam habet æquiorem, ob defectum virium, artis aut dexteritatis succumbat; Miracula autem exspectare, est DEUM tentare: nec DEUS unquam pollicitus est, se duellô patefacturum mendaces, & perfidos. S. Th. 2. 2. q. 95. *art.* 8. *ad 3. in fin.* Sylvester *V. duellum. q. 1. n. 2.*

II. Per *aquam frigidam*, quando venefici, 6
vel veneficæ colligatis pedibus, manibúsque aquæ frigidæ injiciuntur, ut si supernatent, nocentes, si fundum petant, insontes habeantur. Zoës. *h. t. n. 2. & 3.* Pirrhing. *num. 4.* Quam probam aquaticam, cùm solida illius ratio omnino dari nequeat, non sine superstitionis præsumptione, & DEUM tentandi proposito fieri, nec eventum sine scrupulo esse posse, cum communi sententia statuit Carpz. in *pr. cr. p. 3. q. 122. n. 69.* Klockius *consil.* 195. *n.* 48. Idem judicium esto de purgatione per immissionem manûs in aquam ferventem per *c. 7. & 20. causâ 2. q. 5.*

III. Per *ferrum candens*, seu *ignitum. d. c.* 7
7. & 20. ubi hæc purgatio dicitur superstitiosa adinventio, nec immeritò, quia ferrum juxta vim naturalem tangentes debet adurere, ac lædere, ideóque per hanc purgationem id intenditur, ut DEUS per miraculum impediat vim naturalem, quod est tentare DEUM. Text. & Pirrhing. *c. 3. h. t.*

IV. Per *cruentationem cadaveris occisi*: ex 8
hac enim multi hodiedum arguunt præsentiam occisoris, eámque purgationem appellant das Baar-Recht. Christ. Besold in *Thes. pract. V.* Baar-Recht. Verùm sanguinis efluxum è corpore interfecti in præsentia rei accusati incertissimum indicium præbet: ex causis siquidem incognitis, & valde abstrusis descendit, & non semel, sed sæpius fefellit, dum interdum sanguis ex cadavere non effluxit, utcunque verus interfector adfuerit, interdum

dum verò effluxit, accedente innocentissimo, ut demonstrat Amandiss. meus Confrater P. Benedict. Behamstein in *Discursib Philos. jurid. disc.* 7. Thesaur. *decis.* 137. *n.* 2.

§. V.

9 *Finis* purgationis vulgaris est, ut illâ in probationis locum suffectâ causæ dubiæ, præsertim criminales, dirimantur.

§. VI.

10 *Effectus* purgationis vulgaris est probatio vana, ac improba. Unde graviter peccat judex, qui contra personam aliquam tanquam proditam ejusmodi signo ad torturam, vel condemnationem, aut si non prodita videatur, idcirco ad absolutionem procedit: siquidem in processu contra reum indiciis, ac probationibus uti oportet, quæ humano & naturali modo deprehendi possunt, quales non sunt effectus illi, quorum origo superstitiosa, vel saltem nobis incognita est. Quemadmodum peccat judex, si procedat contra personas, quas malefici per sortes, divinationem, incantationem, vel similem illicitum modum cognoverunt, & denuntiârunt: ex quo non utitur indiciis humanis, aut naturalibus, sed diabolicâ revelatione. Layman in *Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 5. *n.* 5.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & damno dato.

QUandoquidem crimina sæpe cum *injuria*, & *damno* proximi connectuntur, de iis hîc non incommodè tractatur.

PARS I.

De Injuriis.

SUMMARIA.

1. Injuriæ definitio nominalis. 2. Realis. 3. 4. Divisio. 5. Prohibitio. 6. Quinam inferre? 7. Quinam pati possint injuriam? 8. Injuria famam violat. 9. Nec sine dolo, 10. Ac læsione famæ consistit. 11. 12. 13. Quibus remediis vindicetur? 14. & seqq. Quibus modis remittatur?

§. I.

1 *INjuria* vocabulum vel generaliter accipitur, prout continet omnem læsionem, quæ non jure facta est. *pr. Instit. h. t.* & ita comprehendit quoque damnum contra Legem Aquiliam. *l.* 2. *&* 5. *ff. ad Leg. Aquil.* vel propriè & specialiter, prout idem est, quod contumelia, ein Schmach/ Ehren-Schändung/ Verleumbdung. In quo sensu

§. II.

2 *Definitur* injuria, quòd sit delictum privatum dolô malô in contumeliam alterius admissum.

§. III.

3 *Dividitur* injuria I. In realem, & verbalem. Realis est, quâ quis factô alterius læditur. Verbalis, quâ læditur verbis vel *ore prolatis*, quæ *convitium*, seu injuria *dicta* appellatur, vel *scriptô comprehensis*, quæ injuria *scripta* nuncupatur. Hujus species est *libellus famosus*, quo, omisso nomine Auctoris, certum, & famosum crimen alicui objicitur, & in populum spargitur. *l. un. C. de Famos. libell. Constit. crim. Caroli V. art.* 110. Et hic vulgò *Pasquillus* dicitur.

4 II. Dividitur injuria in levem, & atrocem, quæ distinctio ex circumstantiis desumitur; censetur enim injuria atrox vel ratione *facti*; ut si etiam plebejus vulneratus, vel fustibus cæsus sit. §. 9. *Inst. l.* 7. *in fin. &* 9. *ff. h. t.* vel ratione *personæ* tam injuriantis, ut filii, vasalli. *l.* 17. § 3. *ff. h. tit.* quàm injuriatæ. *l. atrocem. C. Eod.* vel ratione *loci*, tam ubi sit injuria, veluti si fiat in templo, in loco judicii, quàm partis corporis læsæ, ut si in facie fiat. *d. §.* 9. *Inst. h. t.* vel ratione *temporis*, veluti si fiat tempore convivii, vel ludorum. *d. l.* 7. §. 8. *ff. Eod.*

§. IV.

5 *Causa efficiens* injuriæ est duplex: remota & proxima.

Remota est jus tum Divinum, tum humanum, quandoquidem utrumque injuriam aut prohibendô formaliter illicitam, aut sanciendô pœnæ obnoxiam reddit.

6 *Proxima* est is, qui infert injuriam. Potest autem inferre omnis, & solus ille, qui doli capax est. Non igitur de injuria tenetur infans, infantiæ proximus, furiosus, aut mente captus, etsi injuriosi quid dicat, aut faciat. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* item nec dormiens, seu noctambulo, si fortè in somno aliquem verberet, vel injuriosis verbis proscindat, arg. *Clem. un. de Homicid.* & *l.* 209. *ff. de V. S.* Ebrium ab injuria excuso tunc, si præter propositum tantâ ebrietate fuerit oppressus, ut rationis usum amiserit, & sobrius factus pœnitentiâ ducatur per *c. sanè. causâ* 15. *q.* 1. *c. venter. dist.* 35. Aliàs nulla ratio suadet, illi, qui dat operam rei illicitæ, & interdum perversos suos mores non ignorat, quàm molestus, & injuriosus aliis sit, condonari malefacta. Gail. *obser.* 110. *num.* 29.

§. V.

7 *Subjectum* injuriæ est is, qui injuriam patitur. Potest autem injuriam quis pati vel directè, & in se ipso, vel indirectè, & in aliis. Sic enim injuria facta filio redundat in Patrem, & uxori facta in maritum. §. 2. *Inst. l.* 2. *ff. h. t.* Similiter injuria facta Clerico, vel Religioso dicitur redundare in Collegium, & Conventum, ejúsque Prælatum, ut proinde his etiam actio injuriarũ competat per *l. pater.* 41. *ff. Eod.* sed hoc ita, si injuria dictis personis in contumeliam Collegii, aut Monasterii illata sit. Guid. Pap. *dec.* 464. Tusch. *tom.* 4. *concl. pract.* 156. *n.* 5.

§. VI.

8 *Materia*, seu *objectum* injuriæ est fama, & existimatio, quam lædit, & violat, si non in se, certè in opinione, & persuasione hominum. Clariss. D. D. Gletle *ad Inst. h. t. n.* 5.

§. VII.

Forma injuriæ stat in dolosa læsione famæ, & existimationis.

Dixi I. *in dolosa*: nam sine dolo, seu proposito injuriandi nulla intelligitur injuria. *l.* 3. §. 1. *l.* 4. *l.* 11. *l. pen. ff. h. t.* & quanquam aliàs lata culpa dolo æquiparetur, ad hoc tamen, ut injuria illata dicatur, haud sufficit. Clar. *l.* 5. *sent.* §. *injuria.* Farinac. *in pr. cr. p.* 3. *q.* 105. Unde ab injuria excusantur, qui per jocum injuriosi quid fecerunt, aut dixerunt. *d. l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* Astrologi, aut Physiognomici, qui consulti ex astris, lineamentis manuum, aut figura corporis respondent, aliquem esse furem, qui non erat. *l.* 15. §. 13. *ff. h. t.* Qui verum crimen objiciunt, & quidem tale, quod Reip. interest sciri, ut est crimen homicidii, magiæ, &c. & apud Magistratum. *l.* 18. *ff. h. t.* Qui secus objiciunt, puta vel in rixa, vel iracundia, vel tale, quod non interest sciri, non excusantur. Gail. *obsev.* 99. Cæterùm præsumitur, verbum, vel actum ex se injuriosum animô injuriandi factum esse. *l.* 5. *C. h. t.* Nec juvat protestatio addita, utpote facto contraria. Jul. Clar. *d.* §. *injuria. n.* 13. ideóque reus, si injuriandi animum abfuisse asserat, tenetur ad probationem. Gloss. in *d. l.* 5. sicut è contrario, si actio, vel verbum ex sua natura non est injuriosum, injuriandi animus probandus est ab Actore. Zoes. *ad ff. h. t. n.* 5.

Dixi II. *lasione famæ, & existimationis*, 10 quæ fit vel *re*, seu *facto*, vel *verbis*. Re fit, si quem verberes, aut pulses, si quem sputo, vel luto conspurces, si cui barbam expiles, si cui stuprum inferas. *l.* 1. §. 2. *l.* 5. §. 1. *l.* 9. §. *fin. cum l. seq. & passim. ff. & Inst. h. t.* si veste lugubri in contemptum alterius utaris. *l.* 15. §. 27. *ff. Eod.* si vexandi causâ aliquem ad judicium trahi cures. *l.* 13. §. 3. *ff. h. tit.* si do-

domum alicujus vi introëas. *l. 5. §. 2. ff. h. t.* si bona alicujus, quasi debitoris tui, qui tamen talis non est, occupes. *d. l. 15. §. 27.* si manus adversùs aliquem leves, quasi verberaturus. *d. l. 15. §. 1. &c. Verbis* fit, cùm verba contumelioſa in alterius existimationis contemptum dicuntur, aut scribuntur. §. 1. *Inst. h. t.* ut si aliquem appelles bastardum, vel sputium, aut furem, vel homicidam. *l. 5. & pen. C. h. t.* si alteri mendaaium impingas, objiciásque, ipsum mentiri, arg. *l. quæ omnia. ff. de Procur.* Si debitorem tuum ob moram solutionis extrajudicialiter de perfidia, ac perjurio traducas, ac diffames. Gail. 2. *de P. P. c. 20. &c.*

§. VIII.

11 *Effectus* injuriæ est, quæ inde oritur, actio tum civilis, tum criminalis. Liberum enim est injuriato agere, quâ voluerit, vel ad privatum interesse, & ad æstimationem injuriæ sibi adjudicandam, vel ad punitionem injuriantis, aut mulctam fisco applicandam. Si tamen unam ex his intenderit, ad aliam regressus ei non datur: quia utraque actio tendit ad vindictam. §. 10. *Inst. h. t. & l. 6. ff. Eod.* Est autem pœna criminalis injuriarum regulariter arbitraria. *§. in summa. Inst. Eod.* Pro libellis famosis infertur pœna capitalis. *L. un. C. de famos. libell.* quam tamen pœnam capitalem non de ultimo supplicio, sed de pœna exilii, vel deportationis intelligendam, cum aliis statuit Harprecht in §. 1. *Inst. h. t. n.* 161. nisi fortè crimen in libello famoso illatum sit capitale, quo casu pœnam talionis inferri posse, rectè traditur, & sic decisum reperitur in *Constit. cr. Carol. V. art.* 110.

12 Moribôs præterea introducta est actio ad *Palinodiam*, seu *recantationem*, id est, revocationem, quâ injurians cogatur injuriam verbalem alteri factam revocare. Quæ quidem actio non criminalis (ut aliqui volunt) sed civilis est: quia ad recantationem agens non petit, ut reus puniatur in corpore, vel ut pœnam pecuniariam inferat fisco; quæ sunt duæ notæ actionis criminalis: sed petit, ut honor, qui errore vulgi per injuriam ablatus creditur, sibi restituatur, qui est exitus actionis civilis. Gail. 1. *observ.* 61.

Porro ex quacunque actione tam civili, 13
quàm criminali condemnatum sequitur infamia. *l. 1. & 4. ff. de his, qui not. infam. l. 5. & 10. C. Eod.* Nisi fortè injuria sit omnino levis, quo casu infamiam non oriri, verius videtur, & cum citatis docet Harprecht §. *in summa. Inst. h. t. n.* 96. etsi contrarium tradat Julius Clarus *loco cit. n.* 8. Item infamia non incurritur, si quis per procuratorem tantùm in judicio steterit, aut si Judex condemnato honorem reservaverit, quod in hac præsertim materia potest, arg. *l. quid ergo.* 14. §. *pœna gravior.* 7. *ff. de his, qui not. infam.*

§. IX.

Contraria sunt modi, quibus injuria, & ejus 14
actiones tolluntur. Tolluntur autem

I. Morte tam injuriantis, quàm injuriati. *l. 13. l. 28. ff. h. t.* nisi per injuriam etiam simul damnum datum sit: tunc enim actio legis Aquiliæ datur hæredibus damnificati, imò etiam contra hæredes damnificantis, saltem de jure Canonico, etsi lis nondum sit contestata. *c. in literis. de Raptor.* & nos *ad tit. de litis contestat. n.* 21.

II. Dissimulatione, si injuriam passus eam 15
non statim revocet ad animum, hoc est, non ostendat signa ægrè & graviter ferentis animi, ut si fortassis subridendo illam accipiat. §. *fin. Instit. & l. 11. §. 1. ff. h. t.* Non tamen opus est, ut de displicentia sua protestetur, & verba: *revoco ad animum*, proferat. Schneid. ad *d. §. fin. Inst. h. t.*

III. Condonatione, seu remissione ab injuria- 16
to factâ sive expresse, puta per pactum, aut transactionem, sive tacitè, ut si familiariter cum eo egerit, vel conversatus sit. *l. 1. §. 1.*

l. 11. *§.* 1. *ff. Eod.* Ubi observa, quòd si quis sit in potestate alterius, ut Filius in potestate Patris, Religiosus in potestate Prælati, quòd etiam nolente injuriato Pater, vel juxta aliquos etiam Prælatus possit injuriam remittere, econtra nolente Patre, vel Prælato, in quem injuria subditi redundat, iste injuriam remittere nequeat, quin saltem Patri, seu Prælato adhuc injuriarum actio competat juxta *l.* 17. §. 12. *cum seq. ff. h. t.* Layman. *l.* 3. *in Theol. mor. tract.* 3. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 7.

17 IV. Præscriptione, & lapsu temporis, & quidem actio injuriarum cessat lapsu unius anni, cùm sit actio pœnalis prætoria, quæ anno utili extinguitur, ut tradunt DD. *pr. Instit. de perpet. & temp. act.* Excipitur *primò* actio injuriarum realium descendens ex *Lege Cornelia* (quæ datur, si quis verberatus, aut pulsatus, aut domus ejus vi introita fuit. §. 8. *Instit. h. t.*) hæc quippe actio est perpetua. Mynsing. 5. *observ.* 7. *n.* 7. *Secundò* excipitur actio ad Recantationem, seu palinodiam, quæ cùm sit ex consuetudine, & lege nova, similiter censetur perpetua, teste Harprecht. in §. *fin. Instit. h. t. n.* 17. *Tertiò* actio injuriæ scriptæ, seu libelli famosi, quam anno non tolli tradit Gail. *lib.* 2. *observ.* 104. ubi dicit, ita in Camera Imperiali servari. Actionem criminalem ex libello famoso perpetuam esse, inter omnes convenit, cùm detur ex SCto. *l.* 6. §. *pen. & l.* 6. *ff. h. t.*

18 V Retorsione injuriæ v. g. si quis ab altero appellatus sit fur, vel nequam, & retorqueat dicendo: *tu mentiris*, aut: *tu ipse talis es, donec hoc probes*: nam per hanc retorsionem injuriato censetur satisfactum, satisfactione autem tollitur injuria. *l.* 17. *§. si autem. ff. h. t.* Ut autem legitimè retorqueatur injuria, moderamen inculpatæ tutelæ, ut in alia quavis defensione, servandum est, ita scil. ut aliquis non novum, vel majus crimen alteri inferat, quàm ipsi illatum sit: hoc enim esset nova injuria, seu vindicta prohibita. Unde ex tali retorsione mala daretur æquè injurianti actio contra retorquentem, ut bene docet Panorm. in *c. cùm te. n.* 25. *de Sent. & re jud.* Gail. *l.* 2. *observ.* 100. *n.* 9.

PARS II.

De Damno dato.

SUMMARIA.

19. 20. Quid sit damnum? 21. Quis sit auctor legis Aquiliæ? 22. Quis possit damnum inferre? 23. In quibus rebus? 24. & quo modo inferatur? 25. Ad quid detur actio legis Aquiliæ? 26. Quid sit factum dejectionis, & effusionis, item pauperies? 27. An detur obligatio resarciendi damnum in foro conscientiæ?

§. I.

19 *Damnum* dicitur à diminutione patrimonii. *l.* 3. *ff. de Damno infect.* & in præsenti denotat corruptionem, vel deteriorationem rei in patrimonio nostro existentis.

§. II.

20 *Definitur* damnum, quòd sit delictum, quo quis servum, vel quadrupedem alterius occidit, vulneravit, vel alioquin res ejus confregit, rupit, vel læsit.

§. III.

21 *Causa efficiens* damni dati alia est remota, alia proxima.

Remota est lex Aquilia, quam plebiscitum esse, auctorémque ejus Aquilium Tribunum plebis haberi, constat ex *l.* 1. *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.* sed quia plebiscita lege Hortensia legis vim accepêre, quid mirum, plebiscitum legis appellatione contineri?

22 *Proxima* est damnificans. Potest autem damnum injuriâ dare omnis, & solus ille, qui doli capax est. Hinc vindicari nequit damnum datum, ab eo, qui caret dolo, culpâ, & usu rationis, v. g. ab infante, furioso, noctambulone, aut plenè ebrio. *l.* 5. *§.* 2. *ff. ad leg. Aquil.*

§. IV.

§. IV.

23 *Materia*, seu *objectum* damni est servus, vel quadrupes, aut quævis alia res aliena, cui læsio infertur. *l. 2. ff. ad L. Aquil. cap. 1. 2. 3. & 4. h. t.*

§. V.

24 *Forma* damni consistit in læsione, dolô, aut culpâ etiam levissimâ in re aliena factâ. *l. 44. ff. ad leg. Aquil.* damnum illatum absque culpa, vel dolo resarciri non debet. *c. 9. h. t.* Itaque cessat actio legis Aquiliæ, si casu fortuito alicui damnum inferatur, nisi casui isti culpâ alterius occasio data fuerit. §. 3. *Instit. l. 28. l. 31. ff. ad leg. Aquil.* Sicut nec tunc, si damnum datum est jure permittente, aut culpâ ipsius læsi, cùm injuriâ aut culpâ datum dici non possit, arg. §. 2. & 4. *Instit. l. 4. §. 43. ff. Eod.*

§. VI.

25 *Effectus* damni est actio ex *lege Aquilia*, per quam resarciri debet damnum, & æstimatio rei deperditæ restitui. Habet autem lex Aquilia tria capita, quorum duo, scilicet *primum* & *tertium* sunt in usu, *secundum* exoletum. §. 12. & 14. *Inst. de Leg. Aquil.*

Ex *primo capite* datur actio ob occisionem hominis, vel pecudis, id est, animalium, quæ gregatim pascuntur, ut boves, oves, & sues *princip. Inst. Eod.* Atque tunc debetur æstimatio occisi animalis non tantùm, quanti tunc fuit, cùm occisum est, sed quanti retrò fuit per totum annum, & insuper præter æstimationem etiam repetitur totum damnum occasione occisionis contingens. §. *Illud.* 10. *Inst. de leg. Aquil.* Ex *tertio capite* datur actio, si quis hominem, vel pecudem vulneraverit, vel rem alterius quamcunque læserit, ac corruperit, aut alio modo ipsum damnificaverit, vel etiam occiderit animal ipsius, quod gregatim non pascitur, ut sunt canes, feræ &c. Atque tunc petitur æstimatio rei deterioratæ, vel peremptæ, quanti retro in proximis 30. diebus fuerit. §. *illud palam.* 14. *Instit. Eod.* Ex quo patet, quòd hæc actio, quatenus excedit æstimationem pretii, sit pœnalis, licèt aliàs sit rei persecutoria, quatenus continet satisfactionem damni; imò contra negantem damnum datum magis est pœnalis, quia tunc etiam datur in duplum. *l. contra. 4. C. Eod.*

§. VII.

26 *Affine* damno injuriâ dato est imprimis *damnum datum dejectione*, vel *effusione ex cœnaculo*: si enim è domo aliquid vel dejiciatur, vel effundatur, quòd læserit transeuntem, & damnum dederit in rebus, inhabitans actione dejecti, vel effusi tenetur ad duplum: si liberum hominem occiderit, ad 50. aureos: si læserit, tantum, quantum æquum Judici videbitur. §. 1. & *ibi* Interpp. *Instit. de oblig. quæ ex quasi delicto.* Item *pauperies*, si nempe animal ad aliquem pertinens alterius animal læserit, vel occiderit, aliáve ratione damnum dederit; quo casu datur actio noxalis, ut aut animal noxium dedi, vel damnum resarciri debeat, quæ vocatur actio *de pauperie. l. 1. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. cap. 3. & fin. hoc tit.*

27 *Controversia* superest: an in conscientia quoque obligetur quis ante sententiam Judicis damnum etiam culpâ levi, vel levissimâ datum, aut negligentiâ alienâ, vel per sua animalia illatum resarcire?

Affirmativa satis probatur ex *c. fin. h. t.* ubi simpliciter dicitur, aliquem obligari ad restitutionem, sive injuriâ, sive imperitiâ, sive negligentiâ ejus damnum contigerit, nec excusare ignorantiam, si scire debuit ex facto suo injuriam, vel jacturam posse contingere. Additur etiam, si per animalia alicujus damnum datum est, ad satisfactionem eum teneri. Quod similiter ex *c. 21. Exod.* statuitur in *c. si bos. 3. h. tit.* nec distinguitur inter forum

ex

ex-vel internum: neque an culpa sit Theologica, an juridica, an mortalis, an verò venialis? Uti ergo jus non distinguit, ita nec nos distinguere debemus juxta *l. de pretio. ff. de public. in rem. act.*

Nihilominus quòd damnificans in conscientia non teneatur, nisi culpam mortalem, & theologicam, saltem venialem commiserit, aut nisi contractus aliquis intervenerit, docet Innocent. *in c. sicut dignum. de Homicid.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 6.* cum pluribus citatis. Imò etiamsi culpa venialis intervenerit, tamen non oriri obligationem restitutionis, cum aliis tenet Lessius *l. 2. de Just. & Jur. c. 7. n. 27.* Quæ sententia inter Theologos est receptior, prior autem Juri conformior; cui accedit Zoës. *h. t. n. 6.* Porro si grave damnum ex culpa levi per incendium v.g. illatum est, consulit Laym. *d. loc. n. 4.* pro foro conscientiæ, ut ratione compensationis partes inter se transigant.

TITULUS XXXVII.
De Pœnis.

SUMMARIA.

1. Pœna quid? 2. Usque 5. Quotuplex? 6. 7. A quo dictetur? 8. An Judices Ecclesiastici possint imponere pœnam pecuniariam? 9. An alius pro alio? 10. Et an idem propter iteratum delictum sapiùs puniri possit? 11. 12. 13. Referuntur requisita pœnæ legitimæ. 14. Assignatur pœnæ finis. 15. Effectus.

DElicta, ac crimina, ceu eorundem effectus, demum pœna sequitur, vernaculâ die Straffe.

§. I.

1 *Definitur* Pœna, quòd sit delicti, seu criminis debita coërcitio, ultio, aut vindicta; colligitur ex *c. 4. dist. 3. de Pœnit.* ibi: *Pœna propriè dicitur læsio, qua punit, & vindicat, quod quisque commisit.*

§. II.

2 *Dividitur* Pœna I. in ordinariam, & extraordinariam, seu arbitrariam. Illa est, quæ à lege taxata, & determinata est; hæc, quæ Judicis arbitriô imponitur. Zoës. *h. t. n. 14.* ubi *n. 15.* subjicit, in pœna arbitraria, si ita postulet criminis gravitas, licere ad ultimum usque supplicium progredi, idque satis probat text. in *l. sacrilegii. ff. Ad Leg. Jul. peculat.* Eandem sententiam probat Panorm. in *c. ex literis. 11. de Const.* ex ratione, quòd pœna sit imponenda secundùm qualitatem criminis. *c. non adferamus. causâ 24. q. 1.* Sequitur Felin. *in d. c. ex literis. n. 23.* Menoch. *1. de arbitr. judic. q. 86. n. 20.* & alii, quos citat.

3 II. Dividitur pœna in personalem, realem, & mixtam. Personalis est, quæ personam tantùm afficit, ut est *excommunicatio, suspensio, incarceratio, intrusio in Monasterium, depositio, verberatio, characteris impressio, servitus, relegatio ad triremes, &c.* Realis, quæ in odium personæ rebus imponitur: ut *missio in possessionem beneficii*, vel *alterius rei petita, confiscatio bonorum, beneficii privatio, suspensio, item pœna pecuniaria*, aliàs *mulcta, vel emenda* dicta; quæ si applicatur parti læsæ pro delicto privato, dicitur *pœna civilis*, sin autem fisco ad vindictam publicam, vocatur *criminalis*. Mixta denique pœna est, quæ partim est personalis, partim realis, ut *interdictum, proscriptio, exilium*, sive *relegatio*.

4 III. Jure civili dividitur pœna in capitalem, & non capitalem. Capitalis est, quæ admit caput hominis, vitam scil. naturalem, vel civilem. Cujus species juxta *l. 28. ff. h. tit.* sunt *ultimum supplicium*, quod duntaxat de morte naturali prædicatur. *l. 22. ff. Eod. Damnatio in metallum*, & *deportatio*; quibus æquiparatur *exilium perpetuum*, & *bannus imperialis*. Non capitalis est, quæ non ad capitis periculum, sed ad existimationem pertinet. *d. l. 28. §. 1. h. t.* sive, quâ quis salvâ vitâ

vita naturali, & civili, id est, libertate, & civitate, coërcetur; quales sunt *relegatio, fustigatio, membri amputatio, incarceratio, stigmatis inustio, &c. d. l* 28. §. 1.

5 IV. Hodiernis moribus pœna dividitur in criminalem, & civilem. Criminalis est vel capitalis, quæ vitam adimit, vel tantùm corporis afflictiva, vulgò dicitur ein peynliche Straff / Lebens-Straff / so an Haut / und Haar gehet. Civilis est, quæ nec vitam adimit, nec corporis directè infert afflictionem, vulgò nuncupatur ein Burgerliche Straff. Carpz. *Pr. cr. p. 3. quæst.* 128. 129. & 130.

§. III.

6 *Causa efficiens* pœnæ est duplex: remota scilicet & proxima.

Remota est jus, quà Divinum, quà Humanum, tam Canonicum, quàm Civile; quod vel pœnam certam delictis præscribit, vel ex arbitrio pro delicti modo, & exigentia infligendam relinquit.

7 *Proxima* est Judex, qui pœnam lege constitutam, aut, si constituta non sit, pro arbitrio imponit. Non tamen Judex quilibet pœnas etiam legitimas irrogare potest; sed is solùm, qui merum imperium habet, & cæteroquin ratione domicilii, delicti, vel deprehensionis deliquentis competens est. *l.* 3. *ff. l.* 2. *C. de Jurisd. l.* 1. *&* 2. *C. Ubi de crim. agi oport.* & patet ex dictis de *Foro compet. §.* 4. *per tot.*

8 Hic non possum non verbulô saltem attingere illam *controversiam*: an, & quatenus Prælati Ecclesiastici possint imponere mulctas, seu pœnas pecuniarias?

Ratio dubitandi duplex est. *Prima* desumitur ex *c.* 3. *h.t.* quod expressè videtur prohibere, ne Judices Ecclesiastici pro excessibus corrigendis, aut criminibus puniendis à Clericis, vel Laicis pœnas pecuniarias exigant, utique ideo, ne in pœnis irrogandis turpem alicquem quæstum consectari videantur, & quia, ut ait Isidor. in *c. pauper.* 72. *causâ* 11. *q.* 3. *citò violatur aurô justitia, nullámque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat.* *Altera* ratio est, quòd jus fisci ad Principes sæculares, non ad Ecclesiam pertineat.

Sed ut communis, ita verissima sententia docet, de jure pœnas pecuniarias in foro Ecclesiastico non tantùm Clericis, sed etiam Laicis, in quantum Ecclesiastico judicio subsunt, inferri posse per text. & Gloss. in *c. quoniam. dist.* 18. *cap. dilectus.* 18. *de Offic. Ordin.* Fagnan. *ad d. c.* 3. *h.t.* & constat ex Trid. *Sess.* 25. *de Refor. cap.* 3.

Neque angunt rationes in contrarium adductæ: nam *prima* procedit in iis duntaxat casibus, in quibus aliæ pœnæ de Jure sunt statutæ, vel statuendæ: tunc namque tales mulctæ avaritiæ speciem præseferrent, & delictis frænum laxarent, quovis quamvis pœnam auro redimi posse confidente. Ad *secundam* rationem respondeo, etiam Judices Ecclesiasticos habere jus fisci Gloss. & DD. in *c. quia diversitatem. V. prater. de Concess. prebend.* Felin. in *c. irrefragabili. §. caterùm. V. quarta conclus. de Offic. ordin.* Pœnæ tamen huic fisco illatæ non in Episcopi, vel Prælati usus, sed utilitatem Ecclesiæ expendi debent, ut benè monet Fagnan. in *c.* 2. *h.t.* Singulariter ubi à jure statuitur, ut pœnæ pecuniariæ applicentur fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, ut in Trident. *sess.* 6. *c.* 1. *sess.* 23. *c.* 1. & *sess.* 25. *cap.* 14. *de Reformat.* in alium usum converti non debent.

§. IV.

Subjectum pœnæ est reus nocens, qui punitur. Alius pro alio puniri non debet, nisi subsit specialis causa, & ratio boni communis, aut animæ medicina hoc exigat, ut innocens secundùm se propter connexionem cum alio pœnam, & gravamen sustineat: quemadmo- 9

dum in hæreticis, & læsæ Majestatis reis pœnæ parentum transeunt in filios: partim quia sunt aliquid partis, & bonum commune exigit, ut ad terrorem aliorum in atrocioribus hujusmodi delictis parentes non tantùm in se, sed etiam in filiis puniantur: partim quia timetur, ne filii indolem parentum, & peccata imitentur, & sic remanet in illis præsumptio paternæ malitiæ. *c. vergentis, de Hæret. c. statutum. Eod. l. quisquis. 5. §. filii. C. ad Leg. Jul. Majest. & ibi* DD.

10 In *disquisitionem* venit, utrùm reus toties puniri debeat quoties delictum reiterat: Quod affirmo per distertum textum in *c. 1. h. t.* Sed tamen observa *primò* cum Covar. 2. *Var. resol. c.* 10. hoc esse intelligendum de iteratione criminis momentanei ex intervallo: etenim in criminibus successivis, ubi delictum iteratur contra eandem personam, ut fit in adulterio, fornicatione, concubinatu, in ordine ad pœnam censetur unum peccatum, & consequenter unâ pœnâ puniendum, licèt graviori, nisi interveniat interruptio, aut semel crimen fuerit ad Judicem deductum, & punitum. *l. maritus. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* & Gloss insignis in *l. vulgaris. V. fuerit ff. de Furtis.* Cujus opinio omnium calculis communiter recipitur, sive agatur de pœna pecuniaria, aut alia iterabili, sive de capitali. Observa *secundò*, quoties uno actu, vel ex ejus iteratione per intervallum diversa crimina oriuntur, ut plura crimina, non ut unum punienda esse; ut si quis furripiat, & eadem occasione percutiat, vel injuriet proximum, ac tandem occidat, DEUM blasphemet &c. is haud dubiè pœnâ furti, injuriarum, homicidii, & blasphemiæ tenebitur. *l. nunquam plura. ff. de Privat. delict. l. illud. §. ult. ff. ad Leg. Aquil.*

§. V.

11 *Forma* pœnæ consistit in debita, & justa coërcitione delicti seu criminis; ut autem talis sit, in infligenda pœna consideranda est I. qualitas delicti: aliter enim punitur vis publica, aliter privata: *t. t. ff. de Vi publ. vel priv.* aliter furtum manifestum, aliter non manifestum. *§. 5. Instit. de Oblig. quæ ex del. Constit. crim. Caroli V. art.* 157. & 158.

II. Tempus, locus, & eventus; Tempus: quia discernit furem diurnum à nocturno. *l. 4. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* locus: quia facit, ut idem vel furtum, vel sacrilegium sit capite puniendum, vel minore supplicio. *cap. 21. §. sacrilegium. causâ 17. q. 4.* eventus: quia in delictis intentio, etiam quæ in actum propinquum exiit, non habetur pro facto, nec ut factum puniri debet, ut *passim* insinuavimus.

III. Et quàm maximè ratio habenda est personarum: quia deferendum dignitati, aut nobilitati ejus, qui deliquit, ut docet Decius in *c. 1. de Offic. deleg.* Bald. in *l. un. C. de Rapt. virg.* Covar. *var. resol. c. 9. n. 4.* Propterea: quòd juxta proportionem quandam pœna respectu nobilis, utut ex se ipsa sit minor, censeatur major, quàm eadem respectu ignobilis, vel econtra, per textum in *l. 2. C. Ut intra cert. temp. crim.* Hinc pœnâ pecuniariâ graviùs est puniendus nobilis, aut constitutus in dignitate, quàm plebejus, ac econtra, si tractetur de pœna corporali, mitiùs nobilis, quàm plebejus coërcendus est. *l. aut facta. §. personarum. ff. h. tit. l. sacrilegii pœnam. in pr. ff. ad Leg. Jul. pecul. c. pastoralis. de Offic. deleg. c. ult. h. t.*

IV. Tenentur Judices, si criminibus certæ pœnæ à Jure, vel consuetudine statutæ sint, eas sequi; Ecclesiasticus quidem Ecclesiasticas, Laicus civiles: neq; possunt in reis puniendis de via ordinaria recedere. *cap. de causis. 4. de Offic. deleg. c. 1. de Constit. cap. 1. de sent. & re jud. pr. Instit. de Offic. jud.* Sunt tamen plures causæ rationabiles mutandi, vel remittendi pœnam, quas prolixè exponit Jul. Clar. *5. sent. §. fin. q.* 60. & Tiraquell. in *tr. de Pœnis temperand.* quos, si lubet, adi.

§. VI.

§. VI.

14 *Finis* pœnæ est salus Reip. utpote cujus magnopere interest, delicta coërceri. *l.* 6. *C. de Defensorib. civit.*

§. VII.

15 *Effectus* pœnæ est peremptio obligationis ratione commissi delicti constitutæ: sicut enim in civilibus solutione ejus, quod debetur, debiti obligatio tollitur, ita in criminalibus pœnâ, ad quam lex delinquentem obligabat, perpessâ ipsa obligatio simul cum debito aboletur.

Vulgaris *disceptatio* est: an, si ruptô laqueô fur de patibulo deciderit, rursus sit suspendendus? Affirmo, istâ præprimis motus ratione, quòd sententia, quæ in hunc modum fertur: Soll mit dem Strang vom Leben zum Todt gebracht werden / nondum sit executioni mandata: & profectò concessâ liberatione ad evitandam sceleris sui pœnam prona offeretur furibus occasio, aut ipsis, aut consanguineis eorum carnificem corrumpentibus. Sed hoc ita, si criminosus legitimis probationibus convictus fuit: cùm alias in criminalibus, ubi de vita hominis agitur, requirantur probationes luce meridiana clariores. *l. ult. C. de Probat.* Zoës. *ad ff. h. t. n.* 48. Dissentiunt præter alios Wesenbec. & Arumæus.

TITULUS XXXVIII.
De Pœnitentiis, & Remissionibus.

POenis subjiciuntur *Pœnitentiæ*, & *Remissiones*, seu *indulgentiæ*; quarum accurata explicatio, cùm ad Theologos spectet, nobis sufficiet, quæ scitu potiora sunt, libâsse.

PARS I.
De Pœnitentiis.

SUMMARIA.

1. Pœnitentiæ homonymia. 2. Quid sit Sacramentum pœnitentiæ? 3. Quandonam institutum sit?
4. In ministro Sacramenti pœnitentiæ requiritur character Sacerdotalis. 5. Approbatio. 6. Jurisdictio. 7. Bonitas. 8. Scientia. 9. Prudentia.
10. Quinam pœnitentes habeantur dispositi? 11. 12. Quinam teneantur præcepto confessionis?
13. 14. Quanam peccata sint materia confessionis?
15. Quæ peccata reservari possint?
16. Qualis contritio? 17. Qualis confessio? 18. Et qualis satisfactio ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur?
19. Qua sit forma Sacramenti pœnitentiæ?
20. Quis finis? 21. Qui effectus?

§. I.

Pœnitentiæ nomen hic dupliciter sumitur. 1
I. Pro sola satisfactione pœnitenti imposita, ut in *cap.* 2. 3. 6. 7. & 8. *h. t.* Et potissimùm pro ipso *Sacramento*, quod confessione pœnitentis, & absolutione Sacerdotis peragitur. Unde

§. II.

Definitur Sacramentum Pœnitentiæ, quòd 2
sit Sacramentum, in quo Sacerdos Christi vice peccata dimittit, si homo de peccatis doleat, eáque ore confiteatur, & ad congruam satisfactionem paratus sit. Canis. *c.* 2.

§. III.

Causa efficiens Sacramenti pœnitentiæ est 3
duplex: Principalis, & instrumentalis.

Principalis est Christus Dominus, qui Sacramentum hoc tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis suscitatus insufflavit in Discipulos suos, & dixit: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* tunc quippe & illis, & eorum successoribus perfectam dedit potestatem suo nomine, & auctoritate remittendi peccata. Trident. *sess* 6. *de Justif.*

cap. 14. *sess.* 7. *can.* 1. & *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 1. & *can.* 1. 3. & 7. Rmus Maurus Oberascher *in tr. de Pœnit. c.* 1. §. 3.

4 *Instrumentalis* est Minister, in quo plura desiderantur, tum ad validam, tum ad licitam Sacramenti hujus administrationem.

Ad *validam administrationem* in Ministro requiritur I. ut sit *Sacerdos*, aut *Episcopus*. Est dogma fidei. Trid. *d. sess.* 14. *c.* 6. & *can.* 10. & id ipsum satis probant verba illa *Joan.* 20. *accipite spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* ea enim dicta fuerunt Apostolis, solisque eorum in Sacerdotio successoribus, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ, quæ ideo in ordinatione solius Sacerdotis dicit: *Accipe spiritum S. quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* Nec in contrarium faciunt textus in *c.* 88. *dist.* 1. *de Pœnit.* ubi videtur, confessionem in necessitate etiam laico fieri posse, & in *c.* 2. *de Furtis.* ubi præcipitur, ut fur communione non privetur, si Presbytero, vel Diacono fuerit confessus: hi quippe textus non de vera confessione Sacramentali, sed de ostensione contritionis, & signorum pœnitentiæ internæ animi loquuntur, ut explicat Zoës. *h. t. n.* 3. & Barb. in *d. c.* 2. *n.* 2.

5 Præterea II. in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ necessaria est *approbatio*, id est, testimonium Episcopi de idoneitate Ministri ad sacramentale munus obeundum. Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 15. ubi *decernit S. Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotũ audire, nec addi idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quácunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Ex quo decreto relucet, approbationem hanc tantùm ab Episcopo, non ab aliis inferioribus Prælatis concedi posse, nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, quibus idem, quod Episcopis datur in Trid. *sess.* 25. *de Regularib. c.* 11. Fagnan. in *c. omnis. n.* 77. *h. t.* imò nec ab alio Episcopo, quàm ab Ordinario Confessarii, prout declararunt Cardinales ad Trid. *d. sess.* 23. *c.* 15. Paul. Rostmer *tr. de Sacr. pœnit. disp.* 5. *art.* 1. *q.* 7.

Rursus III. in Ministro Sacramenti pœni- 6 8
tentiæ requiritur *jurisdictio pœnitentialis*: quandoquidem absolutio Sacramentalis est actus judicialis, qui in Judice jurisdictionem supponit. Trid. *d. sess.* 14. *c.* 7. Est autem hæc jurisdictio duplex: vel *ordinaria*, annexa scilicet officio curam animarum habenti, qualis competit Papæ per totum orbem, Episcopo per diœcesim, Parochis in suis Parochiis, Prælatis Religionum in suos subditos regulares: vel *delegata*, quæ nimirum concessa est sine officio vel ab Episcopo, vel à S. Pontifice, aut à Jure ipso, qualem potestatem habent Religiosi mendicantes ex *Clem. dudum. de Sepult.* Addit verò Trid. *loc. cit. ne hac ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Unde patet, hìc etiam comprehendi Sacerdotes hæreticos, & schismaticos.

Ad *licitam* Sacramenti Pœnitentiæ *admini-* 7
strationem in Ministro exigitur *bonitas, scientia*, & *prudentia*.

Bonitas, ut, dum Sacramentum istud ad- 9
ministrat, sit, aut saltem putet, se esse in statu gratiæ: quia sancta nonnisi sanctè tractanda sunt. Non est tamen semper necessarium, ut status gratiæ præcedat totam confessionem, sed satis est, si Confessarius in necessitate incipiat audire confessionem cum animo conterendi, & defacto conteratur ante absolutionem. Lugo *de Sacr. disp.* 21. *n.* 69. Bassæus

V. Con-

V. Confessio 4. *n.* 3. Imò aliqui sustinent, Sacerdotem absolventem in statu peccati mortalis tantùm peccare venialiter, quorum opinionem probabilem dicit Christoph. à S. Joseph. *V. Confessio. p.* 4. *Sacr. pœnit. dub.* 14. *n.* 8. *in fin.* Verùm opposita sententia est communis. Vid. Reverend. Maurum Oberascher *tr.* 1. *de Pœnit. c.* 6. §. 8. *concl.* 1.

8 *Scientia*: ut enim sine gravi peccato hoc Sacramentum administret Confessarius, sequentia sciat, oportet: I. quæ sit materia necessaria, quæ sufficiens: quæ forma, & reliquæ partes tam essentiales, quàm integrales Sacramenti pœnitentiæ. II. Unde possit colligi differentia peccatorum tam specifica, quàm numerica. III. Quæ sint circumstantiæ peecatorum, vel speciem mutantes, vel notabiliter intra eandem speciem aggravantes. IV. Quæ peccata saltem ex genere, & objecto suo sint mortalia, aut venialia: quâ ratione ex mortalibus fiant venialia, & econtra. V. Quæ peccata habeant annexam obligationem restituendi bona aliena fortunæ, famæ, corporis &c. Item quæ sint causæ vel liberantes omnino ab onere restituendi, vel restitutioem differentes. VI. Quæ peccata sint reservata S. Pontifici, & Ordinario illius Diœcesis, quæve inter reservationem utriusque differentia. VII. Quæ sint remedia peccatorum tam generalia, quàm specialia. Illud tamen non requiritur, ut Confessarius per se ipsum hæc omnia discernere sciat, sed sufficit, si ea sciat, quæ frequentiùs accidunt, & de aliis sciat dubitare, & doctos, vel libros consulere. Rever. Maurus Oberascher *d.* §. 8. *concl.* 2. Gobat *tr.* 7. *de Sacram. n.* 188.

9 *Prudentia*, quæ in Confessario desideratur, plura capita involvit. *Primum* est, ut Confessarius medendo aliis attendat, ne se ipsum sauciet. *Secundum*, ut dexteritate in examinando inducat pœnitentem ad manifestanda omnia peccata sua, saltem mortalia. *Tertium*, ut noverit in pœnitente verum excitare dolorem, & vitæ anteactæ detestationem, seriúmque illam corrigendi propositum. *Quartum*, ut in promptu habeat remedia vitiis curandis opportuna, eáque pro pœnitentis conditione applicare sciat, ut prosint. *Quintum*, ut dispiciat, sítne danda absolutio, vel neganda, aut etiam differenda. *Sextum*, ut pœnitentem ignoratnem doceat quidem, ast nonnisi valde necessaria, ac hìc & nunc valdè utilia. *Septimum*, ut pœnitentiam injungat verè salutarem, occultam, & discretam, quæ à peccatis quidem retrahat, non tamen Sacramentum reddat odiosum. *Octavũ* est, ut habeat in promptu, & memoriâ teneat regulas, sive aphorismos, & documenta particulariâ, juxta quæ functiones ministerii sui dirigat. Gobat *d. tr.* 7. *de Sacrament. n.* 305.

§. IV.

Subjectum Sacramenti Pœnitentiæ est Pœ- 10
nitens, quem oportet esse dispositum. Si indispositus sit, & incapax absolutionis ex defectu veri doloris, & propositi emendationis, Confessarius absolvere non potest. Præcipuè autem incapaces videntur recidivi, maximè in materia impudicitiæ, perjurii, & injustitiæ, hâc tamen observatâ regulâ: Si qui sæpius in idem peccatum relabantur, iique verum dolorem ostendant, ac simul remedia efficacia adhibeant extirpandæ malæ huic consuetudini, ii possunt sine scrupulo absolvi, juxta illud Christi Domini: *Matth.* 18. *v.* 22. *Non dico tibi septies, sed septuagesies septies.* Si qui verò in peccata relabantur, & ii nullũ ferè dolorem præseferant, aut nulla efficacia remedia adhibeant, ii nullo modo possunt, nec debent absolvi; quales sunt, qui vitare nolunt nocturnos, aut alios periculosos conventus; comercium cum iis personis, quæ ipsos in peccatum impulêrunt; periculosas cohabitationes, famulatus, separationes à suis uxoribus lucri, aut mercaturæ causâ, unde plurima adulteria, aut

etiam turpiora flagitia. Sic etiam qui aliquoties moniti restituere nolunt; aut qui nullam, aut non sufficientem diligentiam adhibent deponendi habitum pejerandi, aut aliàs temerè jurandi. Hujusmodi, inquam, recidivi peccatores, qui aut de peccatis non dolent, aut propositum non habent se emendandi, repellendi sunt, nec donandi sacramentali absolutione, aut saltem hæc differri debet ad duas, trésve hebdomadas, donec emendati revertantur; alioquin Confessarii se complices faciunt alienorum peccatorum.

11 *Quæstionis* est: quos, & quando obliget præceptũ confessionis? Pro cujus resolutione

℟. I. Jure, seu præcepto Divino positivo omnes lapsi post Baptismum obligantur saltem in articulo, vel periculo mortis sua peccata confiteri: siquidem Trident. *sess. 14. c. 5.* docet, ex institutione Sacramenti pœnitentiæ vniversam Ecclesiam semper intellexisse, integram peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis jure Divino necessariam existere, & *can. 6.* anathematizat eos, qui dicunt confessionem non esse ad salutem necessariam jure Divino, aut morem secretè confitendi alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse hominum. Quod præceptum Divinum confessionis si in articulo, vel periculo mortis non impleatur, deinceps certè adimplere quis non poterit, aut minimùm periculo non adimplendi se exponit. Unde & in *cap. 13. h. t.* constituitur, quòd Medici ad infirmos vocati (illos nempe, qui periculoso morbo laborant) debeant eos ante omnia monere, ut etiam Medicos animarum, scilicet Confessarios, advocent. Quod decretum renovatum est per motum proprium Pii V. qui incipit: *supra gregem.* relatum à Barb. in *c. 13. n. 3.* ubi etiam præcipitur Universitatibus, & Collegiis, ut nulli licentia medicinam exercendi concedatur, nisi priùs de hac constitutione servanda juramentum præstet.

℟. II. Ex vi præcepti Ecclesiastici juxta *cap. omnis utriusque 12. h. t.* omnes, & singuli fideles utriusque sexûs, postquam ad annos discretionis pervenerunt, singulis annis saltem semel tenentur confiteri suo proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia, & ad minus tempore paschatis sacram Evchariſtiam accedere; quòdsi quis hoc duplex præceptum Ecclesiæ neglexerit, vivens ab ingressu Ecclesiæ prohibetur, & mortuus Ecclesiasticâ sepulturâ privatur. Ubi adverte, quòd confessio, quæ hodie *paschalis* vocatur, ex *d. cap. omnis.* tantùm per accidens pro festo paschatis peragi debeat, nimirùm propter S. Communionem. Deinde quòd pueri citiùs obligentur ad confessionem, quàm ad communionem: ad illam enim statim obligantur post acceptum usum rationis, quod plerumque contingit circa septennium, ad istam verò major discretio, seu maturitas judicii, ideóque communiter anni 9. vel 10. desiderantur. Sed de hoc prudens judicium Confessarii requirendum est, cujus consilio in *d. cap. omnis.* etiam permittitur, ut ob rationabilem causam à communione paschali liceat abstinere. Vid. Fagnan. Barb. & alii in *cit. c. omnis h. t.* Clariss. P. Maurus Liechtenhaimb. in *Dissert. Theol. de Sacram. Pœnit. disp. 4. a. 1.*

§. V.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ est vel ℟. 13 mota, vel proxima.

Remota sunt omnia peccata personalia post baptismum commissa. Colligitur ex Trident. *sess. 14. de Pœnit. c. 5.*

Dixi I. *peccata personalia;* ut comprehenderem tum peccata *mortalia*, ad quæ præsertim tollenda institutum est hoc Sacramentum; tum peccata *venialia*, quæ, ut ait Trident. *d. c. 5.* rectè, utiliter, citráque omnem præsumptionem dici possunt in confessione, ut patet ex piorum hominum usu; esto sine culpa taceri, & multis aliis remediis expiari queant; tum

tum peccata aliàs *confessa*, quæ etsi non sint materia necessaria hujus Sacramenti, sunt tamen materia sufficiens etiam per se sola, ut liquet ex praxi. Rmus P. Honor. Aigner in *Direct. confess. art. 1. concl. 2.*

14 Dixi II. *post baptismum commissa:* ut excluderem imprimis peccatum *originale*, ut de quo, tanquam alienâ voluntate commisso, non datur dolor, accusatio, aut absolutio: item peccata actualia *ante baptismum* patrata: cùm enim non baptizatus ad Ecclesiæ jurisdictionem non pertineat, illius peccata clavibus Ecclesiæ subdi nequeunt: denique *pœnam temporalem* ex remissione præcedentium peccatorum relictam, eò quòd accusatio fieri debeat de culpa commissa, qualis non est pœna illa. Reverendiss. Maurus Oberascher *d. tr. 1. cap. 2. §. 1. per tot.*

15 Planè ex antiquo Ecclesiæ usu non cuilibet sacerdoti etiam approbato, & curato licentia est absolvendi à quibuscunque peccatis, sed dantur aliqua vel S. Pontifici, vel Episcopo, vel Prælato ordinario ad absolvendum reservata, quæ exinde nuncupantur *Casus reservati*, de quibus Trident. *d. sess. 14. de Pœnit. c. 7.* Debent autem peccata, quæ reservantur, non tantùm esse mortalia, sed ex gravioribus, & externis, non merè internis: venialia enim frustra reservarentur, cùm eorum confessio non sit necessaria. Laym. *in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. cap. 12.* ubi *num. 6.* refert casus, qui ex constit. Clementis VIII. reservari possunt à Prælatis regularibus. Videatur etiam Quaranta *in Summ. Bullar. V. Casus reservati*, qui *ibidem* refert Decretum Clementis VIII. ex quo nulli regulares, vel læculares virtute suorum privilegiorum à Casibus Bullæ Cœnæ Domini, & Episcopo reservatis sine licentia absolvere possunt. Sed si probè totum illud decretum inspiciatur, non extendit se extra Italiam, ideóque in partibus nostris non obligat; quamvis quoad prædictos casus reservatos idem esse extra Italiam, tradat Barb. *in Collectan. ad* Trident. *loc. cit. n. 23.* ubi refert ita postea *An. 1628. die 17. Novemb.* Romæ decisum fuisse. Solent autem Episcopi plerumque Parochis, & aliis Confessariis, si petatur, dare licentiam absolvendi à reservatis, ita ut singulis annis, aut triennìs debeat renovari. Certè in articulo mortis nulla est reservatio, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. Text. in Trid. *d. c. 7.*

16 *Materia proxima* Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, videlicet contritio, confessio, & satisfactio. Trident. *d. sess. 14. de Pœnit. c. 3. & can. 4.*

Contritio juxta idem Trident. *d. sess. 14. c. 4. animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero;* eáque est vel pérfecta, vel imperfecta: Perfecta, quæ antonomasticè *contritio* dicitur, concipitur ex motivo charitatis, dolétque de peccato, quatenus est offensa DEI summi Boni super omnia dilecti. Imperfecta, quæ propriè *attritio* nominatur, concipitur, & peccatum detestatur ex aliquo motivo supernaturali diverso, quàm sit DEUS super omnia dilectus, puta propter peccati turpitudinem, vel metum gehennæ, ac pœnarum. Sufficit autem ad Sacramentum pœnitentiæ contritio hæc imperfecta, seu attritio; quod post Trident. vix in dubium vocari potest: dum enim in *d. c. 4.* attritionem descripsit, mox subjungit: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ita Clariss. P. Maurus Liechtenhaimb in *Dissert. Theol. de Sacram. Pœnit. disp. 3. a. 1.* imò communiter DD. Est tamen summoperè studendum contritioni perfectæ.

17 *Confessio* juxta definitionem Catechismi Rom. Pii V. *p. 2. c. 5. n. 33.* est *legitima, & sa-*

sacramentalis accusatio de propriis peccatis ad eorum veniam virtute clavium obtinendam coram sacerdote facta. Qualis autem confessio esse debeat, exprimunt vulgati hi versus.

Sit simplex, humilis, confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Ex quibus qualitatibus seu conditionibus confessionis magis necessariæ sunt quatuor. *Prima*, ut sit *voluntaria*, quia Sacramenta adultorum non possunt validè conferri sine propria voluntate suscipientis. *Secunda*, ut sit *integra*, hoc est, omnium peccatorum mortalium secundùm speciem, & numerũ, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt. Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 5. *Tertia*, ut sit *fidelis*, ut pœnitens neque augeat, neque minuat numerum, speciem, & circumstantias peccatorum, de quibus se accusat. *Quarta*, ut sit *secreta*, ne absque gravi causa fiat coram aliis, sed ad aures Sacerdotis, qua de causa confessio *auricularis* vocitatur, modò publicè peccata confitendi, olim in Ecclesia usitatò, jam à temporibus Leonis Papæ, & Nectarii Episcopi Constantinopolitani propter gravia scandala penitus sublato. Theologi San-Gallenses *tom.* 10. *tr.* 1. *q.* 4. *dub.* 2.

18 *Satisfactio*, quæ rationem partis integralis in Sacramento Pœnitentiæ obtinet, est opus bonum pœnale à Confessario impositum Pœnitenti in pœnæ temporalis pro peccatis confessis debitæ compensationem. *Debent ergo*, ut ait Trid. sæpe *d. sess.* 14. *c.* 8. *Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes pœnitentias injungere: ne, si fortè indulgentiùs cum pœnitentibus egerint, levissima quadam opera pro gravissimis delictis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant pro oculis, ut satisfactio, quam imponunt non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam in priorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Hæc S. Synodus. Quia verò rusticis, ac operariis vix satisfactoriæ pœnitentiæ imponi possunt, quas non multis excusationibus eludant, tantò magis studebunt Confessarii, ut pœnitentias medicinales imponant, quales sunt breves, sed quotidianæ orationes, leviores eleemosynæ, sed certo hebdomadis die dispensandæ, crebriores confessiones, devitationes certarum domuum, & occasionum, & alia hujusmodi, secundùm quod visum fuerit, arg. *c.* 3. & 8. *h. t.*

§. VI.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis convenienter in hunc modum à Sacerdote prolata: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita definitum est à Florentino in *decreto Un.* dicente: *forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, qua Sacerdos profert, cùm dicit: Ego te absolvo, &c.* & à Trid. *d. sess.* 14. *c.* 3. his verbis: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis staret, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, &c.* Quænam autem sint essentialia hujus formæ verba, & quem sensum, ac efficaciam habeant? disquirant Theologi.

§. VII.

Finis Sacramenti Pœnitentiæ est destructio peccati, & reconciliatio Peccatoris cum Deo.

§. VIII.

Effectus Sacramenti Pœnitentiæ alii se tenent ex parte *pœnitentis*, alii ex parte *Confessarii*, ac aliorum.

Effectus ex parte *Pœnitentis* sunt gratia sanctificans, gratia præveniens, remissio culpæ mortalis, remissio culpæ venialis, remissio pœnæ

pœnæ æternæ, & temporalis, ablatio reliquiarum peccati, & denique reviviscentia meritorum: quemadmodum enim peccatum statim mortificat, ita pœnitentia statim vivificat, & merita animat. De quibus prolixè Rev. Maurus Oberascher in *tr. de Sacr. pœn. c. 8. per tot.* *Effectus* ex parte *Confessarii*, & *aliorum*, qui ex confessione quid didicerunt, est obligatio ad sigillum, seu ad secretissimum silentium eorum, quæ in confessione Sacramentali dicuntur, vel audiuntur. Quæ obligatio fundatur partim in jure Divino, quo Christus Dominus volens condescendere infirmitati fidelium jussit arctissimo sigillo obsignari, quæcunque pœnitens subjicit clavibus Ecclesiæ per confessionem: partim in jure Ecclesiastico. *c. 12. h. t.* ubi violatio sigilli confessionis sub commination pœnæ depositionis, & detrusionis in arctum Monasterium prohibetur. Conf. Clariss. P. Paul. Metzg. in *Theol. Schol. rom.* 4. *tr.* 18 *disp.* 49. *art.* 4. *per tot.* & Rever. Honor. Aign. *in Direct. Conf. p.* 1. *q.* 5.

PARS II.

De Remissionibus.

22. Quid sint remissiones, seu indulgentiæ? 23. 24. 25. Quotuplex? 26. A quo data potestas concedendi indulgentias? 27. Quibus hæc potestas competat? 28. Quibus concedantur? 29. 30. Quæ requirantur, ut legitimè concedantur? 31. Indulgentiarum quis effectus?

§. I.

22 REmissionum nomine intelliguntur *Indulgentiæ* in Ecclesia usitatæ, quæ nil aliud sunt, quàm remissio pœnæ temporalis pro peccatis Deo debitæ facta authoritate Ecclesiasticâ ex meritis Christi, & Sanctorum per applicationem eorundem, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur, arg. *Extrav. unigenit. h. t. inter com.*

§. II.

23 *Dividuntur* remissiones, seu indulgentiæ in plenarias, & non plenarias, seu partiales. Per *plenarias* quis consequitur remissionem totius pœnæ omnibus peccatis suis debitæ, si indulgentias reipsâ lucratus fuerit. Per *non plenarias* tantùm remittitur pars pœnæ pro modo concessæ indulgentiæ. Ex quibus aliæ sunt indulgentiæ *annales*, unius scilicet, vel plurium annorum. Aliæ sunt indulgentiæ *dierum* v. g. 40. pro quibus usurpari solet in concessionibus Apostolicis nomen *quadragena*, vel *carena*, quò olim significabantur pœnitentiæ per quadragesimam, vel aliàs per quadraginta dies implendæ juxta *c. accusâsti. & ibi* Glos. *V. Carena. de Accus.* Barb. *ibid. n.* 3.

II. Etiam plenariæ indulgentiæ *subdividi* 24
possunt in *plenarias simpliciter*, quæ solùm pœnam delent, & in *Jubilæum*, quod alia quoque privilegia conjuncta habet; ut puta, potestatem absolvendi à censuris, & casibus reservatis, commutandi vota, &c. Et pro hoc ab Ecclesia institutus est *Annus Jubilæi*, qui ante tempora Bonifacii VIII. & juxta ejus constitutionem erat annus quilibet *secularis*, seu *centesimus. Extrav. 1. h. t. inter com.* Deinde per Clementem VI. in *Extrav. 2. Eod.* reductus est ad annum *quinquagesimum:* & demum per Paulum II. & Sixtum IV. determinatus est annus *vigesimus quintus. Extrav. 4. Eod.* Atque ita hodie servatur, ut recurrente semper cujusque sæculi anno 25. à primis Vesperis Nativitatis usque ad primas easdem Vesperas sequentis anni per totum annum Romæ celebretur Jubilæum, omnibusque Romam ad limina Apostolorum venientibus tribuatur plenissima remissio peccatorum, suspensis interim extra Urbem omnibus indulgentiis plenariis pro vivis concessis. *d. Extrav. 4.* quæ tamen anno Jubilæi elapso eò ipsò extra Romam suum vigorem recuperant, teste Laym. in *Theol. mor. l. 5. tr. 7. c. 8.* Solent etiam præter hoc Jubilæum ex speciali S. Pontificis concessione plenariæ indulgentiæ ad instar illius Jubilæi ad certum tempus in partibus nostris

concedi, quarum modus ex tenore Bullæ concessionis desumi, & observari debet.

25 III. *Dividuntur* in indulgentias personales, reales, & locales. Personales directè dantur personis abstrahendo à loco, v.g. Religiosis, Sodalibus. Reales conceduntur alicui signo mobili, ut rosariis, medaliis, numismatibus, imaginibus &c. Locales tribuuntur certis locis, & templis, non quòd ea sint capacia, sed homines in talibus locis: visitatio tamen ejusmodi loci est conditio ad lucrandas tales indulgentias. Cæterùm de his idem dicendum, quod de privilegiis traditur, nempe quòd sequantur personas, res, aut loca, quibus conceduntur. Circa indulgentias reales, quæ numismatibus & aliis signis sacris à S. Pontifice dari solent, vel immediatè, vel delegatâ alicui personæ potestate indulgentias applicandi, hodie ex decreto Innocentii X. servatur, ut tales indulgentiæ non egrediantur tertiam manum, ita ut impetrans v. g. numisma, quod indulgentiam habet, primus possit dare alteri, & iste tertio, sed ab hoc si transferatur in alium, pereant indulgentiæ.

§. III.

26 *Causa efficiens* remissionum, seu indulgentiarum est vel remota, vel proxima.

Remota est Christus, utpote à quo potestatē conferendi indulgentias Ecclesiæ concessam esse, statuit Trid. *Sess. 25. decret. de Indulgent.* & probari potest, tum ex illis Christi verbis apud *Matth. 16. quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis;* tum etiam ex continua, & universali praxi Ecclesiæ.

27 *Proxima* est is, qui indulgentias concedit. Potest autem solus S. Pontifex concedere indulgentias plenarias, idque jure Divino per *cap. 14. in fin. h. tit. Extravag. 2. Eod. inter comm.* Legatus de latere in Provincia sibi designata potest dare indulgentias 100. dierum, quæ etiam durant finito officio legationis. P. Engl *de Officio Legati n. 4.* Archi-Episcopus intra suam provinciam *c. 15. h. t.* & Episcopus in sua Diœcesi indulgentias largitur, observato tamen statuto Generalis Concilii. *c. 14. in fin. h. tit. c. 1. & 3. Eod. in 6.* quibus, ne claves Ecclesiæ contemnantur per indiscretas Prælatorum indulgentias, & ne pœnitentialis satisfactio enervetur, decernitur, ut, cùm dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, & in anniversario dedicationis non ultra 40. dies. Abbatibus verò, & similibus inferioribus Prælatis concedere indulgentias non licet, nisi speciali privilegio, vel consuetudine legitimè præscriptâ suffulti fuerint. *c. accedentibus. 12. de Excessib. Prælat.* Imò hodie nulli etiam regulares (nisi fortè jurisdictionem Episcopalem, vel quasi habeant) indulgentias de novo concessas sine Ordinarii licentia publicare possunt. Text. & Declarat. Cardinal. in Trident. *sess. 21. de Reform. c. 9.* Ubi etiam nomen, & usus quæstorum eleemosinarum tollitur, de quibus fit mentio *in d. c. 14. h. t. & in c. 1. Eod. in 6.*

§. IV.

28 *Subjectum* indulgentiarum, seu remissionum sunt illi, quibus conceduntur. Possunt autem à S. Pontifice concedi omnibus fidelibus ritè dispositis, seu contritis; ab Episcopis verò & aliis Superioribus tantùm subditis, non aliis, nisi cum licentia suorum Superiorum; aut nisi sint exempti, & ultrò se subjiciant pro lucrandis indulgentiis. *c. 4. & ibi* Interpp *h. t.* Laym. *loc. cit. c. 1.* Imò S. Pontifex non tantùm pro vivis, sed etiam pro defunctis potest indulgentias concedere, non quidem ex vi jurisdictionis, quam in mortuos non habet, sed per modum suffragii eis applicandas, cùm Christus thesaurum Ecclesiæ æquè pro defunctis quàm vivis dispertiendum summo Pastori reliquerit. Regulariter tamen indulgentiæ à S. Pontifice concessæ non possunt applicari defunctis, nisi hoc sit specialiter in bulla expressum.

§. V.

Forma remissionum, seu indulgentiarum ex

ex requisitis colligitur, quæ alia ex parte *dantis*, alia ex parte *recipientis*.

Ex parte *dantis* præter potestatem concedendi indulgentias requiritur causa rationabilis, eáque vel spiritualis, vel corporalis. Spiritualis, veluti ut fideles à peccatis absoluti orent pro conversione infidelium, & pro pace Christianæ fidei. *Extravag. un. de Celeb. Miss. inter com.* vel ut sanctiùs celebretur festivitas alicujus Sancti. *Clem. un. de Reliq. & vener. Sanct. Extravag.* 1. *Eod. inter com.* Corporalis, velut in dedicatione Ecclesiarum, ut fideles invitentur ad eleemosinas elargiendas illi Ecclesiæ conservandæ. *cap.* 1. *h. t. in* 6. vel ad sustentationem egenorum confluentium ad hospitale. *Extravag. fin. h. t.* vel ad excitandam devotionem visitandô certas basilicas. *Extravag.* 1. *h. t. inter comm.*

30 Ex parte *recipientis* tria desiderantur. *Primum* est, ut quis sit in statu gratiæ, & deseverit peccatum seu veniale, seu mortale, cujus pœnam vult abolere; stante enim culpâ nunquam dimittitur illius pœna; qui ergo plenarias indulgentiass vult consequi, omni culpâ vacet, oportet, quod cùm rarissimè fiat, ob occultos affectus ad venialia, pauciſſimi has indulgentias totas consequuntur. Suarez *tom.* 4. *disp.* 50. *sect.* 1. *n.* 11. *Alterum*, ut quis impleat omnia, quæ in bulla præscripta sunt: quòdsi quid ob impotentiam, vel aliam ob causam exequi omiserit, indulgentiam non consequetur: quia conceditur sub conditione talis operis: concessio autem sub aliqua forma, & conditione, eâ non servatâ corruit, arg. *l.* 54. *& l. Mævius. ff. de Condit. & demonst.* Quod adeò verum, ut nec partem indulgentiæ quis obtinere possit, tametsi partem operis exequatur: hæc quippe est mens S. Ecclesiæ, ut vel totæ indulgentiæ concedantur, vel nihil; si tamen exiguum quid de opere implendo omissum sit, pro nihilo reputabitur. Suarez *d. disp.* 50. *sect.* 5. *n.* 3. *Tertium*, ut opus præscriptum fiat ex intentione lucrandi indulgentias. Quamvis autem optima sit intentio actualis; probabiliter tamen sufficit interpretativa, seu habitualis, si videlicet reipsâ præstes, quod requiritur, etsi ignores, vel oblitus sis, indulgentiam concessam esse. Diana *tr.* 12. *de Indulg. & Jubil. resol.* 6.

§. VI.

Finis & effectus remissionum, seu indulgen- 31
tiarum est relaxatio pœnæ pro peccatis debitæ: vel totalis, si indulgentiæ sint plenariæ; vel partialis, si indulgentiæ sint non plenariæ. Et quidem indulgentiæ certi temporis, v. g. unius anni, habent efficaciam ad delendam pœnam tanti temporis, non solùm illam, quæ per hoc tempus in purgatorio luenda esset, sed etiam illam, quæ per pœnitentiam unius anni in vita factam ex pœnis purgatorii deleretur; plus autem pœnæ delet homo per pœnitentiam, & satisfactionem uno anno, v. g. in vita factam, quàm alias esset eo tempore in purgatorio persolvendum, ut cum communi notat Laym. *lib.* 5. *tr.* 7. *c.* 3. qui *ibid. sub n.* 2. observat, bonum consilium Panorm. *in c. quod autem* 4. *h. t. n.* 8. quòd scribat, licèt per indulgentias concessas is, qui se earum participem facit, etiam diminuere possit pœnitentias à Confessario injunctas, tamen semper consultius sit, talem pœnitentiam integrè implere, & indulgentiæ fructum reservare pro pœnis, quæ alias DEO deberentur.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

IN *sexto Decretalium*, & in *Clementinis* additur insuper: *Suspensionis*, & *Interdicti*, quamobrem hic non solùm de *censura excommunicationis*, sed simpliciter *de Censuris in genere*, & *in specie* agemus.

PARS I.

De Censuris in genere.

SUMMARIA.

1. Censuræ varia significatio. 2. Definitio. 3. 4. 5. Divisio.
6. Potestas censurandi est à Deo. 7. Hujus potestatis quinam sint capaces? 8. Quibus competat? 9. Quæ ejus exercitium impediant?
10. In quas personas? 11. Usque 15. Ob quæ peccata censura ferri possit? 16. 17. 18. Quomodo? 19. Quo fine ferenda sit?
20. Quibus bonis spiritualibus censura privet? 21. Quando eam sequatur irregularitas?
22. Quibus competat potestas absolvendi à censuris?

§. I.

1 *Censura*, sic dicta à censendo, in latiori acceptione significat quamcunque pœnam, imò quodcunque judicium, sive sententiam correctoriam, unde & libri censuræ subjici, & illa in hos ferri dicitur. Propriè autem, & in præsenti sumitur pro pœna Ecclesiastica spirituali, & medicinali.

§. II.

2 *Definitur* censura, quòd sit pœna spiritualis, ac medicinalis, quâ potestas Ecclesiastica delinquenti, & contumaci quorundam bonorum spiritualium usum aufert. Suarez *de Censuris. disp.* 1. *q.* 1.

§. III.

3 *Dividitur* censura vel essentialiter, vel accidentaliter.

Essentialiter dividitur in tres species: nimirum in *Excommunicationem, suspensionem*, & *Interdictum. c. quarenti.* 20. *de Verb. signific.* ubi Innocentius III. *Quarenti*, inquit: *quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cùm hujusmodi clausulam literis nostris apponimus? Respondemus, quòd per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valet intelligi.* Et hoc satis constat ex data definitione censuræ, quæ prædictis duntaxat convenit, non item depositioni, degradationi, aut irregularitati etiam ex delicto, ut quæ non irrogantur per modum pœnæ medicinalis, sive ad eum finem, ut quis à culpa resipiscat, sed per modum pœnæ vindicativæ, & ex se perpetuæ. Bonacin. *de Cens. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *n.* 4. Ex quo deducunt alii, quòd quando in Jubilæo datur potestas absolvendi à censuris, non detur potestas dispensandi in irregularitate, quamvis ex delicto contracta sit. P. Engl *h. t. n.* 26. Navar. in *Man. c.* 27. *n.* 25. ubi testatur, hunc esse Curiæ stylum. P. Corbin. Kham *de Cens. part.* 1. *c.* 23. *n.* 4.

Accidentaliter dividitur censura 1. in eam, 4
quæ est *à Jure*, & in eam, quæ est *ab Homine* lata. Censura *à Jure* lata dicitur, quæ fertur per canones, aut statuta Ecclesiastica lege stabili. Hujus exempla passim in jure occurrunt, & accenseri possunt præcipuè illæ excommunicationes quæ in *Bulla Cœnæ Domini* annuatim promulgantur de quibus vide P. Engl in *Man. Paroch. l.* 1. *p.* 3. *c.* 2. *post n.* 14. Censura *ab homine* est, quæ fertur à Judice, aut Prælato non per modum legis, sed per modum sententiæ judiciariæ, aut mandati temporalis, ac transitorii.

II. Utraque subdividitur in censuram *latæ*, 5
& ferendæ sententiæ. Censura *ferendæ sententiæ* est, quam Jus, aut Judex non vult ipso jure, aut ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. *Latæ* verò *sententiæ*, quam Jus, aut Judex statuit *ipso jure*, vel *ipso facto* sine alia sententia incurrendam. Jus ita statuit, quando constitutioni addita sunt verba: *ipso jure, ipso facto*, vel *eo ipso*, ut in *cap. cupientes. §. cæterùm. h. tit.* & passim. Item si usurpentur verba, quæ ad præteritum, vel præsens referuntur, nec indicant factum hominis subsequens; ut si dicatur: *excommunicamus, suspendimus, anathema sit, excommunicationi se noverit subjacere*, cum similibus. Bonac. *d. punct.* 1. *n.* 6. Quòdsi tales termini in jure non exprimantur, aut dubii sint,

sint, quantumvis pœna censuræ decernatur, erit ferenda ab homine per *c. in pœnis* 49. *de Reg. Jur. in* 6. Laym. in *Theol. mor. lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Judex ejusmodi censuram statuit, quando generalem sententiam profert; ut puta: *qui hoc, vel illud v. g. homicidium fecerit, ipso facto excommunicatus sit.* Qui modus excommunicandi ita generaliter, & indeterminatè pro futuro delicto, nisi rationabilis causa subsit, prohibetur in *c. Romana.* 5. *§. caveant. h. t. in* 6. Sin autem delictum aliquod præcesserit. v. g. si furtum factum sit, cum addito: *nisi intra certum tempus satisfecerint;* conceditur in *eod. §. caveant.*

§. IV.

6 *Causa efficiens* censuræ est vel remota, vel proxima.

Remota stat in principio, unde oritur potestas ferendi censuram. Ubi suppono tanquam certum, quod potestas hæ sit à Deo, idque perspicuè probatur ex *Matth c.* 16. *v.* 19. & *c.* 18. *v.* 18. Ubi Petro, & Apostolis promittitur amplissima potestas clavium ligandi, & solvendi, ad quam spectat fideles suos rebelles pœnis compescere, & punire: ut quæ potestas in omni Rep. & omni Pastori est omnino necessaria. Idem eâdem ratione probari potest ex verbis *Joan.* 21. *v.* 17. *Pasce oves meas.* Confer. P. Corbin Khañ *de Cens. p.* 1. *c.* 1. *n.* 5. *& seqq.*

7 *Proxima* est is, qui fert censuram. Ubi occurrit regula generalis, quòd censuram ferre possit, qui jurisdictionis Ecclesiasticæ capax est, & eam in foro exteriori non impeditam habet.

Dixi, *qui jurisdictionis Ecclesiastica capax est*: quia censura hujusce jurisdictionis, seu ordinariæ, seu delegatæ actus est. Hinc censurare non possunt I. Laici etiam ex delegatione Judicis Ecclesiastici: utpote qui jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt incapaces per *c.* 2. *de Judiciis.* II. Clerici conjugati, quos jure ordinario inhabiles esse, arguit Gloss. ex *c.* 2. *de Cleric. conjug.* III. Fœminæ. *c.* 33. *h. t.* junctâ Glossâ: cùm potestas ligandi, & solvendi illis nullo modo concedatur, & ne quidem auctoritate S. Pontificis concedi valeat per *c. nova.* 10. *Pœnit. & Remiss.*

Addidi: *& eam in foro exteriori non impeditam habet.* 8 Habent autem hanc censurandi potestatem jure ordinario S. Pontifex respectu omnium Christianorum per *c.* 17. *& fin. causâ* 11. *q.* 3. Cardinales in propriis Ecclesiis per *c.* 11. *de Major. & Obed.* Legati, & Nuntii Apostolici respectu provinciarum sibi commissarum per *c.* 2. *de Offic. Legati in* 6. Patriarchæ, Archi-Episcopi, & Episcopi in sua quilibet diœcesi per *cap.* 7. *de Offic. ordin. in* 6. *c.* 7. *h. tit. in* 6. Capitulum Sede vacante per *c.* 14. *de Major. & Obed.* Concilium generale, provinciale, & synodale per *c.* 1. *de Judic. & c.* 29. *de Prabend.* Item Abbates, Prælati regulares, Generales, Provinciales, Præpositi, Rectores, Priores Conventuales, Guardiani, aliáque Religionum Capita respectu suorum subditorum Regularium, & juxta cujusque Ordinis constitutionem per *c.* 10. *de Major. & Obed.* Non etiam Archi-Diaconi, Archi-Presbyteri, aut Parochi. *c.* 5. *de Offic. Archi-Diac.* nisi privilegio, consuetudine, vel præscriptione hanc potestatem acquisiverint juxta *c.* 3. *de Offic. Ordin. c. auditis.* 15. *& c. cùm olim.* 18. *de Præscript.* ubi Panorm. *n.* 7. & Barb. cum citatis advertunt, quòd licèt aliàs regulariter, qui habet potestatem ferendi unam censuram, habeat quoque potestatem ferendi aliam, & absolvendi à censura, id tamen non procedat, si potestas ferendi censuram tantùm per præscriptionem sit obtenta: quippe tunc non plùs erit præscriptum, quàm possessum juxta vulgarem regulam desumptam ex *cit. c. cùm olim.*

9 Porro exercitium hujus jurisdictionis, ac potestatis censurandi impediunt præcipuè appellatio, suspensio, & excommunicatio. *Appellatio* ad eum effectum interponenda est ante sententiam absolute à Judice latam. *cap.* 1. *& 40. de Appell: c. solet 2. h. tit. in 6.* Postquam censura validè in aliquem lata est, ejus effectus per subsequentem appellationem non tollitur, vel suspenditur. *c. 37. & 53. de Appell. c. is, cui. h. tit. in 6. Excommunicatio*, aut *suspensio*, ut censuræ impedimento sit, debet esse publicè denuntiata: siquidem aliàs non tollit jurisdictionem in foro externo juxta *Extravag.* Martini V. *Ad evitanda scandala.* ubi habetur, excommunicatum toleratum in his, quæ ad officium publicum spectant, vitandum non esse etiam ab his, qui sciunt, eum esse excommunicatum. Sayrus *lib.* 1. *de Cens. c.* 5. *n.* 35. Gutierrez *Can. qq. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 81.

§. V.

10 *Subjectum* censuræ sunt illi, qui censuræ subjiciuntur. Possunt autem censuræ subjici solùm baptizati, viatores, ac ferenti censuram subditi. Unde censura nec in non baptizatos, nec in mortuos ferri potest: cùm non subsint clavibus, ac jurisdictioni Ecclesiæ. *c. judæis. dist.* 45. *cap. gaudemus. de Divortiis. pr. causâ* 24. *q.* 2. Quòd verò hæretici post mortem anathematizandi dicuntur in *c. fin. eod. quæst.* 2. accipiendum est non de vera excommunicatione, sed de quadam execratione ad terrorem aliorum, quam per anathema significari, colligitur ex *cap.* 1. *ad Galat. §.* 8. Similiter in advenas, & peregrinos jurisdictioni ordinariæ non subjectos ab Episcopo censura non fertur. *c. à nobis.* 21. *h. tit.* sicut nec in subditos extra territorium, aut in loco exempto existentes per generale statutum. *cap.* 2. *de Constitut. in 6.* Gloss. & DD. *in c.* 1. *§. contrahentes. de Foro compet. in 6.* bene verò per sententiam specialem, aut speciale præceptum cum annexione censuræ per ea, quæ tradit Panorm. in *cap. fin. de Foro compet. n.* 42. & Clarus 5. *sent. §. fin. q.* 39. *num.* 3. Quòd si ipse Superior extra suum territorium existat, pari ratione subditum suum, licèt domi existentem, censurâ ligare nequit, nisi de consensu Ordinarii loci, aut nisi delictum sit notorium, ita ut causæ cognitione opus non sit. Text. & Panorm. in *c. novit. de Offic. legat. n.* 3.

§. VI.

11 *Materia*, seu *objectum* censuræ est *peccatum mortale externum opere completum cum contumacia*, propter quod censura infligitur, ut communiter docent DD. cum P Engl *h. t. n.* 6.

Dicitur I. *Peccatum:* quia cùm censura sit propriè pœna, ubi culpa, seu peccatum non est, locus ei esse nequit, & si defacto feratur, non solùm injusta, sed & invalida erit. Layman in *Theol. mor. lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *c.* 6. *§. secundò redditur.* Sed hoc ita, si causa expressa in sententia sit manifestè falsa, vel insufficiens. *cap.* 46. *causâ* 11. *q.* 3. *cap. per tuas.* 40. *h. tit. cap.* 2. *&* 7. *§. penult. Eod. in 6.* Si causa sit legitimè probata in judicio, sed re ipsâ non subsit, in foro externo justa est sententia, & quamvis in foro conscientiæ non liget, obligat tamen censuratum, ut publicè pro tali se gerat, donec absolutionem impetret; imò si contumaciter contra censuram faceret, posset ex causa contumaciæ de novo excommunicari, atque hâc ratione in *cap.* 1. *&* 27. *causâ* 11. *q.* 3. asseritur, sententiam Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timendam esse.

Dicitur II. *mortale:* Quod intellige de censuris gravioribus, puta de excommunicatione majore, suspensione ab Ordine, interdicto generali &c. ejusmodi enim pœnæ, cùm sint gravissimæ, nonnisi ob culpam gravem imponi possunt, ac debent. *cap.* 41. *&* 42. *causâ* 11. *q.* 3. Trident. *sess* 25. *de Reform. cap.* 3. Ex quo efficitur, nullam incurri censuram graviorem, quandocunque ob ignoran-

rantiam aliquam, aut inadvertentiam, seu imperfectionem actûs peccatum commissum non censetur esse mortale. P. Corbinian. Khamm *de Censur. p. 1. cap. 5. n. 81.* Quod attinet censuras minùs graves, ut excommunicationem minorem, & suspensionem levem, eæ ob peccata venialia ferri possunt per *c. 1. h. tit. in 6.* Bonacin. *de Censur. disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 7.*

13 Dicitur III. *externum*: quia propter peccatum merè internum censura infligi non potest: cùm Ecclesia de occultis, & merè internis non judicet. *cap. tua nos. 34. de Simon.* S. Thom. *1. 2. q. 91. a. 4.* Potest tamen Ecclesia per legem canonicam, aut statutum generale imponere censuram pro peccato externo per accidens omnino occulto, ut patet ex *c. porrò. 7. h. tit. Extravag. 2. de Simon. inter com.* utut non possit aliquem censurâ ferire per modum sententiæ, & nominatim, quamdiu delictum manet occultum, cùm legitimè probari nequeat per *cap. 20. ℣. spontanea. causâ 2. quæst. 5.* Fagundez *de Præcept. Eccles. lib. 1. c. 11. num. 7.* Dian *p. 6. tr. 6. resol. 51.*

14 Dicitur IV. *opere completum:* quoniam ad incurrendam censuram requiritur actus consummatus, eâ nimirum consummatione, quam lex desiderat. Hinc si feratur censura in occisorem, eam non incurret, qui solùm percussit, aut vulneravit: si feratur in vulnerantem, eam non incurret, qui percussit sine vulnere: si feratur in percutientem, non incurret eam, qui percutere conatus est, sed erravit, aut aliàs percutere impeditus fuit, arg. *cap. perpetuò. de Elect. in 6.* Pirrhing. *h. t. n. 33.* Sicut & censura lata contra committentes aliquod delictum non comprehendit mandantes, consulentes, aut faventes, nisi in lege exprimantur. P. Corbin. Khamm. *d. c. 5. n. 94.* cum citatis. Ratio horum est: quia lex pœnalis, tanquam odiosa restringenda est ad genuinum verborum sensum, qui non est, nisi de actu consummato, & actu physico, non morali. Bonacin. *d. q. 1. puncto 6.*

Dicitur V. *cum contumacia:* cùm enim 15
censura sit *pœna medicinalis*, non infligitur per modum ultionis, & vindictæ, sed exhiberur per modum Medicinæ ad hominem à peccato avertendum, & ex consequenti semper præsupponit admonitionem aliquam, quæ sine contumacia respui non potest. *c. 1. h. t. in 6. & ibi* DD. Laym. in *Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 1.* Unde censura ferri non potest ob peccatum præteritum sine contumacia in futurum, & quod consequens est, quando quis ob peccatum merè præteritum suspenditur à Divinis officiis, vel, ut quandóque in Religionibus fieri solet, excommunicatur, hæc suspensio, aut excommunicatio non est propriè dicta censura, sed solùm pœna, nec, qui sic suspensus, aut excommunicatus celebrat, irregularitatem incurrit. P. Engl *h. tit. n. 2.* Bonacin. *d. q. 1. punct. 3 n. 19. & 20.* Christoph. à S. Joseph. *V. censura. sect. 2. §. 2. n. 9.*

§. VII.

Forma censuræ secundùm communem Ec- 16
clesiæ praxin duo principaliter requirit.

Primum est, ut præcedat aliqua admonitio *c. 26. de Appellat. cap. 48. in pr. h. tit. c. 1. 3. & 13. Eod. in 6.* optimâ ratione: quia censura fertur tantùm in contumaces contra Ecclesiam, vel Superiorem: nisi autem admonitio aliqua præcedat, quis contumax censeri non potest. Atque hæc admonitio, ut canonica sit, coram testibus fieri debet ipsi reo, vel saltem eo modo, ut ad ejus notitiam facilè possit devenire. *c. sacro. 48. h. t.* Covar. in *c. alma mater. p. 1. §. 9. n. 4. Eod.* item debet esse trina, vel una pro tribus continens competentia intervalla dierum, nisi facti necessitas suaserit aliter moderanda juxta *cap. 9. h. t. in 6.* Et hoc si censura fertur ob delictum præteritum, aut

præ-

præsens, in quo reus pertinaciter persistit, vel pro eo satisfacere recusat. Si feratur pro delicto futuro, ita ut ipsô factô incurratur, non requiritur monitio à lege, vel prohibitione diversa, cùm ipsa lex per se sufficienter moneat. *d. c. 26. de Appellat.* P. Engl *h. t. n.* 8. P. Corb. Kham *de Censur. p.* 1. *c.* 7. *n.* 143.

17 *Alterum* requisitum est, ut censura feratur in scripto, quo exprimatur species censuræ, quæ infligitur, nomen illius, cui infligitur, & causa, ob quam infligitur. Aliàs ferens censuram solô verbô sine scriptura mortaliter peccat. Bonacin. *de Cens. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 1. & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, quam suspensionem etiam incurrit is, qui parti petenti exemplar latæ sententiæ non concedit intra mensem. *c.* 1. *h. t. in* 6. Eximuntur tamen ab hac suspensionis pœna Episcopi, utpote quorum in *cit. c.* 1. nulla fit mentia, quando autem in censuris suspensionis vel interdicti non fit expressa mentio Episcoporum, in comperto est, Episcopos iis non ligari. *c. quia periculosum. 4. h. t.* Imò censuram latam sine scripto, quamvis illicita sit, esse tamen validam, sustinet communis sententia apud P. Corb. Khamm *d. cap.* 7. *n.* 161.

18 *Tertiò* huc pertinet censuræ denuntiatio, id est, solennitas, seu ceremonia à Jure imperata post censuræ sententiam adhibenda in promulgatione censuræ, de qua vide Interpp. ad *c. Parochianos. h. t.*

§. VIII.

19 *Finis* censuræ est emendatio, seu correctio delinquentis contumacis: quippe hanc censura tanquam pœna medicinalis per se, & suâpte naturâ intendit. *c.* 1. *h. t. in* 6.

§. IX.

20 *Effectus* censuræ est vel primarius, vel secundarius.

Primarius effectus censuræ est *privatio quorundam bonorum spiritualium. Quorundam*, inquam: siquidem censura hominem non privat bonis merè internis, puta, potestate ordinis, vel charactere: nec bonis propriis, ac privatis, puta, gratiâ, fide, spe, charitate, ac aliis virtutibus, & piis operibus, quatenus præcisè personam, & animam operantis concernunt; sed bonis duntaxat publicis, & toti Ecclesiæ communibus; qualia sunt Sacramentorum administratio, & perceptio, spiritualis jurisdictio, beneficia Ecclesiastica, indulgentiæ publicæ, communicatio in precibus, & satisfactionibus totius Ecclesiæ, &c. Quæ bona publica, sicut Ecclesia per suam liberam applicationem fidelibus confert, ita sine dubio rebelles iisdem per censuras privare potest, & privat eo modo, quo dicemus de singulis censuris in specie.

Alter, & *secundarius* effectus censuræ est, 21 quòd Clericus eâ ligatus, si actum sui Ordinis proprium exerceat, irregularis, id est, ad Ordines, Officia, & beneficia Ecclesiastica inhabilis efficiatur, & quidem perpetuò, nisi per S. Pontificem cum eo dispensetur. *c.* 5. *& fin. de Clerico excommunicato. c.* 1. *de Sent. & re judic. in* 6. *c.* 18. *&* 20. *h. t. in* 6.

§. X.

Contraria censuræ est absolutio, per quam 22 tollitur. Ubi secernenda est censura lata à *Jure* ab ea, quæ est lata ab *homine*: & *forum conscientiæ à foro externo.* A censura lata à *Jure in foro conscientiæ* absolvere potest quilibet potestatem habens absolvendi à peccatis mortalibus; at in *foro externo* tantùm Episcopus, seu Ordinarius, & Prælatus proprius. Nisi censura sit S. Pontifici reservata, tunc namque in *foro* quidem *externo* regulariter non nisi S. Pontifex, aut Delegatus, vel Nuntius reo absolutionem impertitur, excepto casu necessitatis, & impedimenti, quo nec S. Pontifex, nec Nuntius accedi potest: tunc enim Episcopum absolvere posse, satis probant textus in *c. mulieres.* 6. *& c. quamvis.* 58. *h. t.*

Si

Si tamen impedimentum sit tantùm temporale, eo cessante ad Apostolicam Sedem, vel ab ea potestatem habentes accedendum est, aliàs talis in censuram reincidet. *c. de catero. c. ea nascitur. h.t.* In *foro conscientiæ* à censura reservata S. Pontifici præter Episcopos, qui eam potestatem habent ex Trid. *Sess.* 24. *de Ref. c.* 6. alii privilegiati, quales sunt Regulares privilegiis Mendicantium gaudentes absolvere queunt, & quidem, servatis servandis etiam, extra Sacramentum pœnitentiæ. A censuris ab *homine* latis nemo potest absolvere, nisi ille, qui tulit, ejúsque Superior eo casu, | quo jurisdictio immediata in censuratum appellatione, aut aliâ ratione ei competit. *c. venerabilibus.* 7. §. *porro. h. t. in* 6. Planè in articulo mortis quicunque Sacerdos potestatem habet absolvendi à quacunque censura tam *Juris*, quàm *hominis*. Suarez *de Censur. disp.* 1. *sect.* 6. *n.* 7. Verùm si absolutus postea reconvalescat, tenetur, quàm primùm potest, se præsentare illi, à quo de jure absolvi debebat, aliàs in censuram reincidet. *c. eos, qui.* 22. *h. t. n.* 6.

PARS II.

De Excommunicatione.

SUMMARIA.

23. Definitur excommunicatio. 24. Dividitur in majorem, & minorem.

25. A quo? 26. In quos? 27. Ob quod peccatum? 28. Quo modo? 29. In quem finem feratur excommunicatio?

30. 31. Quinam sint effectus excommunicationis tam majoris, quàm minoris?

§. I.

23 *Definitur* excommunicatio, quòd sit censura, quâ homo baptizatus à communione fidelium segregatur. Colligitur ex *c.* 32. & 108. *causâ* 11. *q.* 4.

§. II.

24 *Dividitur* excommunicatio in majorem, & minorem. Major (quæ & *anathema* dicitur, præsertim si solemniter cum certis cæremoniis, aut in Concilio fuerit prolata. *c. fin. causâ* 3. *q.* 4. *c. cùm non ab homine.* 10. *de Judiciis*) est illa, quæ omni communicatione Ecclesiasticâ privat tam civili, seu humanâ, quatenus ab Ecclesiæ potestate & voluntate pendet, quàm sacrâ. *c. si quem.* 57. *h. t.* Minor verò, quæ tantùm privat passivâ participatione Sacramentorum. Nomine tamen excommunicationis simpliciter prolatæ venit major. *d. c. si quem.* 57. *h. tit.* quia hæc sola simpliciter extra communionem ponit; etsi in antiquis canonibus subinde etiam intelligatur minor; ut in *cap. cum excommunicato. causâ* 11. *quæst.* 3.

§. III.

Causa efficiens excommunicationis est excommunicans, Jus, aut Judex. Minor tamen excommunicatio hodie à Judice per sententiam ferri non solet, sed tantùm à Jure, & duntaxat incurritur per civilem communicationem cum excommunicato majori excommunicatione. *c. statuimus. h.t. in* 6. Dixi per *civilem*: enimverò si quis scienter communicet in Divinis v. g. in Sacramentis, Missæ Sacrificio, &c. aut in crimine, ob quod alter est excommunicatus, tunc communicans etiam majorem incurrit, ut dicemus *n.* 31. 25

§. IV.

Subjectum excommunicationis est homo Christianus, in quem fertur. Fertur autem in personas solummodò particulares, non item in Collegia, aut communitates, cùm ex parte subjecti semper supponat grave, & proprium peccatum. *c. Romana.* 5. §. *fin. h.t. in* 6. 26

§. V.

Materia, seu *Objectum* excommunicationis est peccatum externum mortale, si excommunicatio sit major. Trid. *Sess.* 25. *c.* 3. *de Refor. c. nemo Episcopor. causâ* 11. *q.* 3. Excommunicatio minor incurri potest ob peccatum veniale, ut patet ex *c.* 1. *h.t. in* 6. & praxi 27

Ecclesiæ: nam dum quis communicat cum excommunicato denuntiato in humanis, politicis, atque usualibus ex communi DD. sententia peccatum tantùm veniale committit, & tamen excommunicationem minorem incurrit. P. Corbin. Kham *de Censur. p. 1. c. 1. n. 9.*

§. VI.

28 *Forma* excommunicationis consistit in modo eam ferendi; qui est, ut determinetur in scriptis, cum expressione causæ, & præcedentibus monitionibus. *c. 48. h. tit. c. 9. & 13. Eod. in 6.*

§. VII.

29 *Finis* excommunicationis est correctio, & emendatio delinquentis; ad hoc enim Ecclesia omnem censuram imponit.

§. VIII.

30 *Effectus* alii sunt excommunicationis *majoris*, alii *minoris*.

31 *Effectus majoris excommunicationis* sunt vel *directi*, vel *indirecti*. Ex illis *Primus* est privatio usûs, & participationis Sacramentorum tam activè, quàm passivè, ita scilicet, ut excommunicatus sine gravi sacrilegio nec recipere, nec aliis conferre Sacramenta possit, donec absolvatur. *c. 32. h. t.* *Secundus* privatio omnium suffragiorum Ecclesiæ: neque enim pro excommunicatis preces, vel Sacrificia publicè offerri debent, etsi privatim pro eorum emendatione, & conversione hoc fieri possit. *c. 28. & 38. h. t.* *Tertius* est privatio omnium rerum Sacrarum, & Divinorum Officiorum: unde excommunicatis nec Missam audire, aut horis canonicis interesse licet. *c. 8. h. tit.* *Quartus* est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, & consequenter omnis honoris, seu solennitatis Ecclesiasticæ ad sepulturam pertinentis. *d. c. 38. h. t.* & hunc effectum hodiedum quoad excommunicatos toleratos obtinere docet Zoël. *h. t n. 79.* *Quintus* effectus est privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, ita ut nullum actum jurisdictionis seu contentiosæ, seu voluntariæ excommunicatus exercere possit, nec per se, nec per alium. *c. 4. causâ 24. q. 1. c. 1. §. ea tamen. de Offic. vicar. in 6.* *Sextus* est inhabilitas ad omnia beneficia, officia, & jura Ecclesiastica, eorúmque exercitium. *c. 7. de Cleric. excommunicato minist.* *Septimus* est privatio omnis communicationis tam forensis, quàm civilis, ubi nomine forensis communicationis intellige officia Judicis, notarii, testis, & alia ad forum publicum pertinentia; nomine autem civilis communicationis venit quælibet conversatio, & societas humana per verba, literas, mensam, consortium, commercia &c. *cap. 24. de Sent. & re jud. cap. 3. & 8. h. tit. in 6.*

Effectus indirectus excommunicationis majoris est, quòd is, qui sine rationabili causa *indebitè* communicat cum excommunicato, incidat in minorem excommunicationem. *d. c. 3. h. t. in 6.* quin etiam in majorem, si in Sacris, id est, in Sacramentis, Sacrificio Missæ, aliisque rebus & Officiis Divinis, vel in ipso crimine, ob quod alter excommunicatus est, participet per *c. 18. 29. & 55. h. t.* Sunt tamen certæ causæ, ex quibus jure quoque antiquo cum excommunicato in foro judiciali, vel alio externo commercio, colloquio, aut convictu communicans excusatur, nempe propter ignorantiam excommunicationis: propter necessitatem suam, vel alienam: propter utilitatem propriam, aut utilitatem spiritualem excommunicati: & propter subjectionem, legem conjugii, aut societatem ante initam; quas causas Gloss. in *c. 15. h. t.* hoc versiculo complectitur:

Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

Imò Martinus V. Pontifex in Concilio Constantiensi per constitutionem, quæ incipit: *Ad evitanda*, hanc prohibitionem communicationis ita mitigavit, ut nullus fidelium à censura immunis teneatur vitare excommunicatum, nisi nominatim denuntiatum, aut no-

notorium Clerici percussorem; quæ constitutio postea in Concilio Basileensi aliqualiter quidem correcta est, sed denuò per Leonem X. in Concilio Lateranensi approbata, & usu etiam recepta. Interea ipsis excommunicatis etiam non denuntiatis per *constitutionem* Martini Papæ nil novi juris, aut commodi tribuitur, ut in ea speciatim expressum, ideóque adhuc ex parte sua tenetur vitare hominum communionem, neque possunt licitè actum Ordinis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ exercere, quin irregularitatem ex actu Ordinis contrahant; nisi à fidelibus, qui cum eis communicare, & ab iis saltem ex rationabili causa, & occurrente necessitate Sacramenta petere possunt, ad hoc requirantur. Covar. in *c. alma mater. p. 1. h. t. in 6.* P. Engl *n.* 62. & 63. *Eod.*

PARS III.

De Suspensione,

SUMMARIA.

32. Suspensionis definitio. 33. 34. Divisio. 35. Quis possit suspendere? 36. Quis suspendi? 37. Ob quam causam? 38. Quo modo? 39. Ob quem finem feratur suspensio? 40. Qui sint ejus effectus? 41. Quid sit depositio, & degradatio?

§. I.

32 *Definitur* suspensio, quòd sit censura, per quam persona Ecclesiastica impeditur ab usu potestatis, seu juris Ecclesiastici.

§. II.

33 *Dividitur* I. Quòd alia sit à beneficio, id est, perceptione fructuum Ecclesiasticorum, alia ab officio, quæ privat exercitio functionum Ecclesiasticarum. Quandoque tamen utraque conjungitur, & si suspensio sit simpliciter lata, accipitur de utraque, ut docet Zoësius *h. t. n.* 114.

34 II. Utraque subdistinguitur in totalem, & partialem. Totalis ab officio est, quando tam ab usu ordinum, quàm jurisdictionis, & officii quis suspenditur. Aliàs si tantùm ab ordinibus, aut aliquo ordine, vel functione suspendatur, est duntaxat partialis. Similiter totalis suspensio à beneficio privat omnibus fructibus; partialis solùm certa parte. Interea simpliciter lata suspensio ab officio, vel ordine, aut beneficio totum officium, vel beneficium, aut omnes ordines complectitur, ut pluribus explicat Zoësius *loc. cit. n.* 115. *& seq.* qui *num.* 117. cum Layman. *de Censuris part.* 3. *c.* 5. & aliis bene advertit, suspenso ab officio conferri novum beneficium non debere juxta *c.* 8. §. *quia nobis. de Consuetud.* collationem tamen actu factam non esse invalidam ipso jure, sed irritandam.

§. III.

35 *Causa efficiens* suspensionis est Judex, aut Jus, ut constat ex dictis *de censuris in genere.* §. 4.

§. IV.

36 *Subjectum* est is, in quem fertur. Potest autem ferri suspensio tantùm in Clericum. In quo differt ab interdicto, & excommunicatione, quibus etiam Laicus ligari potest. Fertur tamen quoque in communitatem. *c. quia sæpè. de Election. in 6.* quo distinguitur ab excommunicatione, quæ singulis duntaxat personis imponitur. *c. Romana. h. t. in 6.*

§. V.

37 *Objectum*, seu *Materia* suspensionis est culpa, & quidem gravis, quia prout communiter ferri solet, est pœna gravis. Secus si ita feratur, ut possit censeri pœna levis; ut si quis suspenderetur ab uno electionis actu, ab aliquo officio exigui momenti &c. tunc quippe culpa levis sufficit. Videatur Layman in *Theolog. moral. tract. 5. p. 3. n. 2.*

§. VI.

38 *Formam*, seu modum infligendi suspensio communem habet cum aliis censuris, nempe quòd sit ferenda in scriptis, præcedente trinâ admonitione &c.

§. VII.

39 *Finis* suspensionis est, ut quis à culpa resipiscat, adeóque suo modo est favorabilis: infligitur enim per modum vinculi ex institutione sua facilè solubilis, positâ emendatione.

§. VIII.

40 *Effectus* suspensionis variat. Nam I. absolutè suspensus ab officio simpliciter privatur omni actione Clerico propriâ. Hujusmodi sunt actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, & omne exercitium Ordinis Clericalis. II. Suspensus ab officio determinato prohibetur solùm eas functiones obire, quæ ei officio conveniunt, aut si qui actus necessariam habent cum iis functionibus connexionem. III. Suspensus à beneficio, vel ordine absolutè, & sine addito, intelligitur suspensus ab omni beneficio, vel ordine, nisi aliunde aliud constet. IV. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ prohibetur exercere in Ecclesia publicum actum cujuscunque Officii Divini, aut ordinis; item audire ibidem Divina Officia, aut dum ea peraguntur, ibi orare, aut psallere.

§. IX.

41 *Affinis* suspensioni est *depositio*, & *degradatio*, per quam persona Ecclesiastica ob enorme aliquod crimen in perpetuum ab omni Ordine, jurisdictione, & beneficio removetur, ita ut quamvis non amittat characterem Ordinis, qui indelebilis est, privetur tamen omni, & quocunque illius usu sine remissionis spe. Hæc, si fiat solis verbis, appellatur *depositio verbalis*; si præter verba quædam aliæ ceremoniæ in Pontificali præscriptæ adhibeantur, *realis depositio*, seu *degradatio* nuncupatur, inter quam utramque hoc discriminis, quòd depositio verbalis non adimat privilegium fori, & canonis; adimat verò degradatio, ita ut degradatus possit à Judice laico instar laicorum plecti. Vid. P. Engl *ad tit. de Pœnis. num.* 11. *& seqq.*

PARS IV.
De Interdicto.

SUMMARIA.

42. *Quid? 43. 44. & quotuplex sit interdictum? 45. à quo? 46. in quos? 47. ob quam culpam? 48. quo modo? 49. propter quem finem feratur? 50. 51. 52. Qui sint effectus interdicti? 53. quid sit cessatio à Divinis?*

§. I.

42 *Definitur* interdictum, quòd sit censura, per quam participatio certorum Sacramentorum, Divinorum Officiorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ prohibetur *per c. non est vobis. de Sponsal.* & *c. quod in se. de Pœnit. & remiss.*

§. II.

43 *Dividitur* interdictum in personale, & locale: ac utrumque *subdividitur* in generale, & speciale. *c.* 17. *de V. S.*

Personale est, quod immediatè fertur in personam, cui inhibetur participatio rerum spiritualium, & quidem, si fertur in personam singularem, dicitur speciale; si verò in communitatem, populum &c. tunc dicitur generale, atque afficit omnia membra talis communitatis, quamdiu ejus partes sunt. *c.* 16. *h. t. in 6.* Quòd si quis desinat esse pars communitatis, liberatur ab interdicto, nisi ei causam dederit, teste Avila *de Censur. p.* 5. *d.* 1. *dub.* 4. *concl.* 4. Hoc interdictum personale est vel totale, vel partiale. Totale est, quod continet omnes effectus interdicti infra enumerandos. Partiale, quòd tantùm aliquos complectitur; quale est interdictum ingressûs in Ecclesiam, quòd in Prælatos ferri consuevit, & est vera censura per *c. sacro.* 48. *h. t.* & *c.* 14. *Eod. in 6.*

44 Interdictum *locale est*, quòd immediatè afficit locum, ut scil. ibi prohibeatur fieri celebratio Divinorum, & Ecclesiasticorum Officiorum; mediatè verò afficit personas, qui in tali loco morantur. Quare si locum interdictum

ctum egrediantur, non prohibentur alibi à Divinis, modò non etiam personaliter interdicti sint. Unde patet, interdictum locale eatenus gravius esse personali, cùm locale istud contineat, non viciſſim: nam cùm interdictum locale non feratur nisi ob culpam personarum talis loci, eô ipsô illi, qui interdicto causam dederunt, personaliter interdicti sunt, atque ideò ubique à rebus Divinis prohibentur. *c. si sententia. h.t. in 6.* Hoc interdictum locale *generale* dicitur, quando fertur in locum plura in se loca continentem; ut est regnum, provincia, diœcesis, civitas, oppidum &c. *Particulare* autem vocatur, cùm una parochia, vel Ecclesia interdicitur. De quibus hoc observandum, quòd I. interdicto loco generali censeantur interdicta particularia loca in eo comprehensa, etsi aliàs quoad jurisdictionem exempta. II. quòd interdicto principali loco etiam censeantur interdicta accessoria; ut interdictâ civitate sunt interdicta suburbia; interdictâ Ecclesiâ etiam capella, & cœmiteria contigua. *c. 17. h.t. in 6.*

§. III.

45 *Causa efficiens* interdicti est ille idem, qui potest censuras ferre, ut sunt Papa, Episcopus & Prælati Religiosorum. Hi tamen non possunt interdictum locale ponere sed tantùm personale: quia ipsorum jurisdictio potiùs cadit in personas, quàm in locum. Sylvester, Navarrus & alii.

§. IV.

46 *Subjectum* sunt provincia, regnum, diœcesis, castrum, Ecclesia, sacellum, & homines, in quos jurisdictionem personalem exercere potest is, qui fert interdictum; & quidem possunt interdici non solùm personæ particulares, sed etiam communitates. *c. si sententia. 6. si civitas. h.t. in 6.*

§. V.

47 *Materia*, seu *objectum* interdicti est culpa ob quam fertur. Et verò, si interdictum fuerit personale speciale, non potest ferri in aliquem, nisi propter ejus peccatum mortale, si interdictum simpliciter, & absolutè feratur. Secus si fuerit limitatum & leve, ut interdictum ab ingressu Ecclesiæ, vel usu communionis ad breve tempus. Interdictum autem personale generale graviorem culpam postulat, non tamen exigit peccatum in omnibus personis, quæ tali interdicto ligantur, sed in corpore morali, ut tale est, vel in magna parte personarum ejus, vel in capite. Certè interdictum locale generale, ut justè imponatur, requirit culpam gravissimam, quæ non tantùm peccatum mortale contineat, sed quòd sit peccatum publicum à communitate, sive ejus capite patratum. Speciale etiam requirit culpam gravem, & aliquo modo communem, quamvis minorem, ut docent Sylvester, Navarrus, Suarez, Sayrus, Dian. & alii.

§. VI.

Forma interdicti certa non datur; debet tamen sufficientibus verbis specificari, & determinari in scriptis cum expressione causæ, & præmissis monitionibus, sicut aliæ censuræ. 48

§. VII.

Finis interdicti coincidit cum fine censuræ, & est correctio, ac emendatio delinquentis. 49

§. VIII.

Effectus interdicti plures occurrunt. 50

Primus est prohibitio usûs Sacramentorum, ordinis videlicet, extremæ unctionis, & sacræ Eucharistiæ, quæ non confertur, nisi moribundis. *c. 11. de Pœnit. & Remiss.* ubi tamen Barbosa *n. 9.* benè notat, extremam unctionem ægris tempore interdicti conferri posse, quando aliud Sacramentum habere nequeunt. Baptismus, ac confirmatio in interdicto non negantur. *c. 19 h.t. in 6.* Nec matrimonium sine solemnitate teste Panor. in *c. non est de Sponsa.* Nec Pœnitentia, exceptis personaliter interdictis, quibus nullum Sacramentum datur, antequam satisfecerint. *c. alma mater. h.t. in 6.*

51 *Secundus* effectus est prohibitio Divinorum Officiorum, tam Sacrificii Missæ, quàm aliarum publicarum orationum in Ecclesia. *d. c. si sententia. h. tit. in 6.* Circa hoc tamen, ne homines ex causa interdicti penitus à rebus Divinis alienentur, moderatio Juris antiqui facta est *in c. ult. Eod. in 6.* ubi interdicto locali generali (non speciali) conceditur imprimis, ut in Ecclesiis, & Monasteriis, etiam interdicto comprehensis, Missæ, & Divina Officia celebrari possint, & debeant, januis tamen clausis, & submissâ voce sine pulsu campanarum, exclusis excommunicatis, & interdictis laicis, etsi personaliter interdicti non sint. *Clem. 3. h. tit.* Præterea in Festivitatibus primariis, Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis B.V. (quibus ex concessione Martini V. & Eugenii IV. additur Festivitas Corporis Christi cum sua octava, teste Covar. in *c. alma mater. p. 2. §. 5. num. 1.*) conceditur etiam publicè & solemniter celebrari Divina, admissis quoque interdictis Laicis, modò interdicto causam non dederint, iique altari non appropinquent. Zoësius *h. t. n.* 140.

52 *Tertius* effectus est, privatio sepulturæ Christianæ. *d. c. quod in se. de Pœn. & remiss.* Hinc in interdicto locali nemini conceditur sepultura in loco Sacro interdicto, nisi Clericis personaliter non interdictis, per *text. cit.* Cæterùm hi effectus hodie post constitutionem Martini V. *Ad evitanda*, non consequuntur, nisi à Judice Ecclesiastico censura interdicti contra personam, locum, vel communitatem fuerit ante publicata, & denuntiata.

§. IX.

53 *Affinis* interdicto est *cessatio à Divinis*, quæ ob enormem injuriam Ecclesiæ, vel honori Divino illatam olim fieri solebat, de qua textus est in *c. 11. de Sponsi. & Clem. 1. h. t.* Non tamen est censura, sed prohibitio merè localis, non continens personalem aliquam prohibitionem. Verùm hujus cessationis, imò & interdicti hodie rarus usus est, de quibus plura Covar. *loc. cit. p. 2. per totam.*

TITULUS XL.
De Verborum significatione.

SUMMARIA.

1. Quid sit Verborum significatio? 2. Quotuplex? 3. Utilitas notitiæ Verborum. 4. Materia Verborum significationis sunt res significatæ. 5. usq. 10. Proponuntur sex regulæ circa Verborum intelligentiam. 11. Quis finis Verborum significationis?

COlophonem *Libris Decretalium* imponunt duo *Tituli* generales: nempe de *Verborum significatione*, & *de Regulis Juris*.

§. I.

Definitur verborum significatio, quòd sit genuinus, ac legitimus vocum, & dictionum sensus. 1

§. II.

Dividitur verborum significatio in propriam, non propriam, & impropriam, seu abusivam. Henric. Hahn in *observat. ad Wesenbec. in ff. lib. 1. tit. 3. n. 8.* ubi propterea verbum, quod plures habet significationes, & in ambas partes agi potest, ambiguum dicit, seu quasi ambivium, eò quòd in ambas vias ferat, & in bivio quodammodo ponat. Arnold. Corvin. *ad ff. de V. S. in rubr. V. significatione.* ubi asserit, verbum aliquod quatuor modis accipi posse: propriè, & impropriè, ex usu loquendi, & per interpretationem, clarèque singula distinguit. 2

§. III.

Causa efficiens verborum significationis aliqua ratione dici possunt jurium interpretes, quibus familiare, non priùs ad rerum manifestationem progredi, quàm verborum, ac nominum onomatologiam, & significationem 3

nem investigaverint; idque non sine fructu, cùm in materiis juridicis etiam quæstiones de nomine sæpe sint maximi momenti, & ab earum resolutione frequenter pendeant decisiones aliæ gravissimæ, ut post alios notat Clariss. D. D. Braun in *sua Jurisprud. p. 1. c. 1. §. 1. n. 1.* & Clariss. P. Jacob. Wex *de Sponsalib. p. 1. s. 1. n. 2.*

§. IV.

4 *Materia*, seu *objectum* Verborum significationis sunt res, quarum significandarum gratiâ nomina & verba reperta sunt. *l. 7. §. 2. ff. de supelect. leg.*

§. V.

5 *Formam* verborum significationi tribuunt sequentes regulæ.

Prima est; verba accipienda sunt secundùm mentem, & intentionem proferentis, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. *c. 6. h. t.* & plerumque, dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur. *c. 8. Eod.* Unde in fraudem legis atque adeò etiam contra legem committere censetur, qui verba secutus contra voluntatem Legislatoris facit. *l. 30. ff. de Legib.* Quod intelligendum, quando de mente loquentis ex subjecta materia, aut ex fine, & ratione principali constat. *d. c. 6. h. t. l. 67. ff. de Reg. Jur.* aliàs in dubio à verbis recedendum non est. *l. non aliter 69. ff. de Legat. 3. c. ex literis de Sponsal.* Reverendiss. Christoph. Priggl in *Man. pract. de Appell. Observ. 6. n. 17.*

6 *Secunda* regula est: verba generalia generaliter sunt intelligenda. *l. 1. §. generaliter. ff. de Legat. præstand.* Hinc privilegium concessum à Papa percipiendi fructus beneficiorum pro relevatione oneris debitorum comprehendit beneficia tam majora, quàm minora, ac proinde nomine beneficiorum veniunt etiam majora juxta *c. tua nobis. 32. hoc tit.* Hinc & illud communiter jactatum axioma juris: *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. l. de pretio. & ibi* Bartol. *ff. de Publiciana.* Nili generalitatem verborum coarctari suadeat subjecta materia. *l. 3. §. si quis heredi. ff. de Statu lib.* quamobrem restringenda sunt verba generalia, si alioquin tollerent gratiam jam datam, vel alius indebitè damnum pateretur, vel dispositio redderetur nulla, & actus petiret per *c. paratus. 2. causâ 23. q. 1.* & *c. sicut. 5. h. t. in 6.* Oldrad. *consil. 288. per tot.*

Tertia Regula est: verba intelligenda sunt 7
cum effectu, & ita, ut aliquid operentur, nec sint superflua. *l. 1. §. hac autem ff. Quod quisque juris c. si Papa de Privil. in 6. c. Abbate. 25. h. t.* Quæ *regula* procedit tam in legibus interpretandis, quàm in testamentis, instrumentis, & attestationibus: item procedit tam in odiosis, & pœnalibus, quàm in sententiis, privilegiis, & rescriptis Principum, imò in his verba sunt potiùs improprianda, ut operentur aliquid, quàm quòd sint superflua, & sine effectu, ut probat Barb. *Axiom. 222. n. 17.* Fallit tamen, si ejus observantia injustum aliquid, aut rationi contrarium induceret, aut verba demonstrationis majoris expressionis, vel dubitationis tollendæ causâ posita essent, non ut aliquid operentur.

Quarta regula est: Quoties idem sermo 8
duas sententias exprimit, ea potissimùm excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est. Textus in *l. 67. ff. de Reg. Jur. c. inspicimus. 45. Eod. in 6.* Sic in legato facto Ecclesiæ, si dubitatur, de qua senserit testator, censetur sensisse de Ecclesia domicilii, quia patria propria omnibus dulcior est. Tusch. *Pract. concl. lit. U. concl. 94. num. 10.*

Quinta regula est: Verba præcedentia de- 9
clarant subsequentia, & è converso. *l. utrum. ff. de Petit. hared.* nam & ex procœmio mentem, & intentionem, ac causam finalem di-

dispositionis colligi, animùmque proferentis declarari, novum non est. Barb. *Axiom.* 192. atque ideo incivile dicitur, totâ lege non perspectâ, de ea respondere. *l. incivile.* 24. *ff. de Leg.* Rever. Christoph. Priggl. in *Man. pr. de Appell. observ.* 34. *n.* 8.

10 *Sexta* denique regula est: verba dubia contra proferentem sunt interpretanda, utpote in cujus potestate fuit, legem apertiùs conscribere. *c. contra eum.* 57. *de R. J. in* 6. *l.* 172. *ff. Eod.* Quæ *regula* præcipuè obtinet in contractibus, ubi is, qui legem dicit, id est, qui partes in pacti constitutione egerit, puta venditor, locator domûs, &c. sibi ipsi imputare debet, quòd obscurum, & inexplicatum pactum reliquerit, eique proinde, si aliter se rem intellexisse dicat, meritò probatio imponitur juxta *l.* 2. *ff. de Probat.* Præterea hæc regula recepta est in probationibus, ut si testes ambiguè, & obscurè deponant, aut verba privilegii duplicem sensũ contineat, id noceant producenti, & contra eum fiat interpretatio per *c.* 6. *in fin. de Condit. appos. c.* 8. §. *quare de Prob.* Porro in sententiis judicum, & aliis actibus judicialibus regula ista non procedit. *l.* 66. *ff. de Judic.*

§. VI.

11 *Finis, & effectus* verborum significationis est, dicentis sententiam exprimere, & quod incognitum est, cognitum facere.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIA.

1. Regula unde dicta? 2. Quid sit? 3. 4. Quotuplex? 5. Quomodo ex jure fiat?
6. Quod sit objectum regulæ juris? 7. Quibus verbis concipiatur? 8. Quis sit ejus finis?
9. Regula juris in quibus casibus? 10. 11. & quatenus jus faciat? 12. Quando nam perdat suum officiũ? 13. Quomodo exceptio debeat esse de regula?

§. I.

Regula à regendo dicta est, vel quòd rectè dicat, nec aliquando aliorsum trahat; vel quòd regat, aut normam rectitudinis præbeat; vel quòd distortum, pravúmque corrigat. *c. regula.* 2. *dist.* 3. 1

§. II.

Regulam juris Paulus JCtus in *l.* 1. *ff. h. t.* ita definit: *regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat*, id est, quæ jus, quod in singulis rebus est constitutum, generalibus verbis, & brevi sententiâ complectitur, ac demonstrat. 2

§. III.

Dividitur regula Juris in generalem, & particularem. Generalis est, quæ nullo certo loco, aut argumento comprehensa per universum jus effunditur, ut hæc: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. c.* 1. *h. t.* Et ista: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura c.* 48. *Eod. in* 6. Particularis dicitur, quæ certo loco, aut materiæ adaptatur, ut hæc: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. c.* 1. *h. t. in* 6. Item ista: *Non est obligatoriam contra bonos mores præstitum juramentum. c.* 58. *Eod. in* 6. 3

Præterea regulæ juris aliæ sunt juris Canonici, aliæ juris Civilis. Harum *ducenta, & undecim* ad finem Digestorum: Illarum *undecim* hic in antiquis, & *octoginta octo* in Sexto Decretalium recensentur; quarum expositionem in præcedentibus passim dedimus, & ubi quæque explicata sit, olim assignabimus, si DEus otium, & vitam concesserit. 4

Causa efficiens regulæ juris est ejusdem Author. Venit autem ab eo authore, à quo jus ipsum descendit: cùm ex jure, quod est, regula fiat. *d. l.* 1. *ff. h. t.* Sic enim quia alibi traditum est, quòd per alium liceat contrahere matrimonium, *c. fin. de Procurat. in* 6. subire judicium. *l.* 1. §. 2. *ff. Eod.* jurisdictionem ordinariam exercere. *c.* 7. *de Offic. ordin. in* 6. &c. 5

inde

inde nata est regula generalis: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum;* quæ est *reg.* 68. *Jur. in* 6. Rursum cùm constitutum esset, fœminas non posse esse judices, non posse magistratum gerere, non posse curatrices existere; ex omnibus his compendiosa regula desumpta est: *Fœmina ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remota sunt;* quæ regula extat in *l.* 2. *ff. h. t.* Et ita porro.

§. V

6 *Materia*, seu *objectum* regulæ juris sunt personæ, res, & actiones; quippe ad hæc tria, ut jus omne, ita omnis regula pertinet.

§. VI.

7 *Forma* regulæ juris consistit in brevi rerum narratione, ac generali quadam definitione: siquidem, ut communiter advertunt DD. cum Henrico Wagnereck *ad rubr. h. t. not.* 4. regulam juris non particulari, sed universali, aut indefinitâ propositione conceptam esse oportet, quæ nempe constet vel *signo universali*, ut *l. omnia quæcunque.* 71. *l. omnes actiones.* 139. & plures allæ *ff. h. t.* item *c. nullus pluribus.* 20. *c. nullus ex consilio.* 62. *Eod. in* 6. vel *verbis indefinitis*, uti pleræque juris utriusque regulæ traduntur: enim verò verba indefinita in jure æquipollent universalibus, arg. *c.* 1. *dist.* 19. *c.* 22. *de Privileg. l.* 43. *in pr. cum l. seq. ff. de Legat.* 2. *l.* 1. §. 1. *ff. de Legat. præst. & l. fin. C. de Hared. vend.* Bartol. & Baldus in *d. l.* 44. *ff. de Legat.* 2. Si modò omnium sub nomine indefinito contentorum eadem sit ratio, conditio, ac paritas; secus est, si non sit, ut in *l. si cui.* 31. *l. quæsitum.* 78. §. 4. *ff. de Legat.* 3. *l.* 31. §. 6. *ff. de Aur. arg. leg.* Dynus *ad hanc rubr. in* 6. *n.* 3. *&* 7.

§. VII.

8 *Finis* regulæ juris est mentem dirigere ad casus decidendos: quemadmodum enim per regulam suam scriptor novit modum rectè scribendi, ædificator modum ædificandi, ita per regulam juris modum rectè judicandi cognoscimus, ait Gloss. in *rub. h. t. in* 6.

§. VIII.

Effectus regulæ juris sunt: I. multorum 9
jurium, ex quibus extracta est, apertam sententiam exprimit, & in causis similibus non decisis, eandémque æquitatem habentibus jus facit juxta *l.* 12. *ff. de Leg.* ubi Julianus: *non possunt*, inquit, *omnes articuli sigillatim, aut legibus aut senatusconsultis comprehendi, sed cùm in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præst, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.* Cui consonant *l.* 13. *ff. Eod. c.* 4. *in fin. de Rescript. & c.* 2. *circa med. de Translat. Episc.* Unde

II. Qui regulam pro se habet, habet inten- 10
tionem fundatam in jure, ac proinde ab onere probandi relevatur, idque transfert in eum, qui limitationem adducit, arg. *c. ad decimas.* 2. *de Rest. spol. in* 6. *l. ab ea.* 5. *ff. de Prob.* Felin. in *c. quoniam frequenter. Ut lite non contest.* Quod adeò verum, ut procedat quoque in præjudicium personæ privilegiatæ, contra quam regula probat, nisi se specialiter exemptam probaverit, & sit privilegiata in materia, quâ de agitur, aut saltem contra regulam extent probabiles conjecturæ. Dec. in *l.* 1. *n.* 9. *ff. h. t.* Mascard. *de Probat. vol.* 3. *concl.* 1268. *n.* 3. *&* 5. cum aliis relatis.

III. Is, pro quo stat regula, jus certum ha- 11
bere dijudicatur, & ideo semper pro eo pronuntiandū, nisi adversarius doceat per expressum casum legis, illud, de quo est quæstio, esse specialiter exceptum à regula per *d. l. ab ea.* 5. *de Probat. & ibi* Bartol. *n.* 1. Rota apud Paul. de Rubeis *decis.* 151. *num.* 8. *tom.* 2. *divers.* aliàs *p.* 7. *Recent.* Gail. *tract. de Pignorat. c.* 14. *num.* 2. Imò sententia contra regulam lata perinde, atque illa, quæ contra leges, aut Canones lata est, est ipso jure nulla. Petr. Peck. *ad rubr. h. tit. in* 6. *num.* 3.

§. IX.

12 *Contraria Regulæ* juris est *exceptio;* utpote quæ regulam limitat, & quoad casus exceptos vitiat, ita ut quoad illos regula perdat officium suum. *l.* 1. *in fin. ff. h.t.* Hinc ob multas, & varias regularum exceptiones in *l.* 202. *ff. Eod.* dicitur: *omnis definitio in jure civili periculosa est: parùm est enim, ut non subverti possit.* Interim tamen, ut vulgari brocardio circumfertur, *exceptio firmat regulam in casibus non exceptis per c.* 6. *causâ* 32. *q.* 7. *c.* 2. *de Conjug. leprof. l.* 12. §. 143. *ff. de Instructo, vel instrum. leg.* Nisi casus non singulariter excepti sint omnino similes exceptis, aut par, vel major ratio exceptionem ad illos extendi postulet, arg. *c. cum dilecta.* 4. *§. nos igitur. de Confir. utili, vel inut.* ibi: *ejusdem æquitatis similitudine provocati.* Panorm. *ibid. n.* 6.

13 Non extra calcem *quæseris*: quomodo procedat decantatũ illud axioma: quòd *exceptio debeat esse de regula*; cùm regulæ detrahat, illam limitet, & vitiet? Dynus ad *rubr. h.t. in* 6. *n.* 17. respondet, quòd exceptio debeat esse de regula, sub eâq; comprehendi, quantùm ad generalitatem verborum: inepta namq; foret exceptio de equo, si regula sonet de homine; non verò quantùm ad vim dispositionis ipsius regulæ: cùm regula suam decisionem ad exceptionem non porrigat. Clariùs fortè sic explicari posset, quòd exceptio sit de regula, ita ut res excepta contineri debeat in ea ex parte subjecti, scilicet tanquã species sub genere, aut pars sub toto, non tamen contineri debeat ex parte prædicati, quia scilicet dispositio regulæ de exceptione prædicari non potest; ut abundè elucescit in exceptione, quâ à communi illa regula: *quod in nullius bonis est, cedit primò occupanti;* liber homo, & res sacra excipitur: nam liber homo, & res sacra in nullius bonis sunt, quod est subjectum regulæ; haud tamen cedunt occupanti, quod est prædicatum. Vid. Everhard. *de loc. legal. loc. ab except. num.* 9. Bartol. in *l. ex his ff. de Legib.* Bart. Cartagen. *ad h. t. observ.* 3.

O. A. M. D. D. V. G. & H.

Index Rerum, & Verborum

In hoc V. Libro Decret. contentorum, ubi prior numerus paginam, alter numerum marginalem denotat.

Abigeatus.

Quid sit, & ejus pœna? pag. 125. num. 28.

Accusatio.

Accusationis onomatologia, p. 3. n. 1. & p. 4. n. 2. Definitio. n. 3. necessitas & obligatio. n. 4. & 5.

Qui possint accusare? p. 4. n. 6. an fœminæ? n. 7. an pupillus? p. 5. n. 8. an minor? n. 9. an servus? n. 10. an filiusfam. p. 6. n. 11. an miles. n. 12. an Clericus. p. 7. n. 13. an Monachus. n. 14. an Magistratus. n. 15. an furiosus vel melancholicus. n. 16. an surdus & mutus. n. 17. an cœcus. p. 8. n. 18. an excommunicatus? n. 19. an infamis? n. 20. an accusatus? p. 9. n. 21. an inimicus? n. 22. an pauper. n. 23. an paganus, hæreticus &c. n. 24 an Filius Patrem? p. 10. n. 25. an Pater Filium? n. 26. an frater fratrem? n. 27. an laicus Clericum. n. 28. an libertus patronum. p. 11. n. 29. an vasallus Dominum. n. 30. an plures unum? n. 31.

Accusari possunt regulariter omnes delinquentes. p. 12. n. 32. an infans vel furiosus? n. 33. an minor annis? n. 34. an servus? n. 35. an

an summus Pontifex. n. 36. an Imperator tanquam summus Princeps. n. 37. an Magistratus? p. 13. n. 38. an absens. n. 39. an ab alio accusatus? n. 40. an semel absolutus vel condemnatus. p. 14. n. 41. 42. 43. an præscriptione munitus? p. 15. n. 44. an mortuus. n. 45. an procurator admittatur? n. 46.

Accusatio de quibus delictis institui possit? p. 16. n. 47. & seqq. qualiter institui debeat? p. 20. n. 52. & seqq. quis ejus finis. p 21. n. 56. quinam effectus ex parte Judicis. n. 57. ex parte accusatoris. p. 22. n. 58. & seqq. ex parte accusati? p. 23. n. 61.

Adulterium.

Adulterii Etymologia. p. 106. n. 1. homonymia. n. 2. definitio. n. 3. divisio. n. 4. quo jure prohibeatur adulterium? & quæ quoad hoc inter jus utrumque differentia? n. 5. & 6. A quibus? p. 107. n. 7. in quas personas. n. 8. & 9. quomodo? p. 108. n. 10. & 11. quâ intentione adulterium committatur? n. 12. Pœnæ adulterii referuntur à n. 13. usque 17. & 62.

Ædes.

Nomine ædium quæ veniant? p. 117. n. 20.

Ambitus.

Quid sit? p. 77. n. 28.

Amotio termini.

Quid sit, & quæ ejus pœna? p. 126. n. 33.

Anabaptismus. vide Baptismi reiteratio.

Apostasia.

Apostasiæ onomatologia. p. 81. n. 1. quid sit apostasia à fide? n. 2. quo jure prohibeatur? n. 3. à quibus committatur? n. 4. & seqq. quomodo differat ab hæresi. p. 82. n. 7. quis finis? n. 8. quæ ejus pœnæ? n. 9.

Quid sit apostasia inobedientiæ? p. 82. n. 10. ab Ordine. n. 11.

Baptismi reiteratio.

Est grave Sacrilegium, qualem pœnam mereatur. p. 73. n. 12.

Blasphemia, vide Maledictum.

Calumnia, Calumniatores.

Calumniæ homonymia. p. 40. n. 1. definitio. n. 2. prohibitio. n. 3. à quibus? p. 41. n. 4. adversus quos? n. 5. circa quæ? n. 6. quo modo? p. 42. n. 8. & 9. ob quem finem committatur calumnia? n. 10. quæ pœnæ in Calumniatores constitutæ sint? n. 11. & seq.

Censura.

Censuræ varia significatio. p. 172. n. 1. definitio. n. 2. divisio. 3. & seqq. Quo modo violetur censura. p. 139. n. 1. quæ pœna violantis censuram? n. 2. Potestas censurandi est à DEO. p. 173. n. 6. quinam sint capaces hujus potestatis. n. 7. quibus competat. n. 8. quæ ejus exercitium impediant? p. 174. n. 9. in quas personas? n. 10. & ob quæ peccata censura ferri possit? n. 11. & seqq. quomodo? p. 175. n. 16. & seqq. quo fine ferenda sit? p. 176. n. 19. quibus bonis spiritualibus censura privet. n. 20. quando eam sequatur irregularitas. n. 21. quibus competat potestas absolvendi à censura. n. 22.

Cessatio à divinis.

Quid sit? p. 182. n. 52.

Clericus furtivè Ordinem suscipiens.

Quis dicatur? p. 141. n. 1. quæ ejus pœna? n. 2.

Clericus Percussor, vide Percussio.

Clericus per saltum promotus.

Quis dicatur? p. 140. n. 1. quæ ejus pœna? n. 2.

Clericus non ordinatus.

Delinquit si ministrat. p. 140. n. 1. quomodo talis Clericus puniatur? n. 2.

Clerici pugnantes in duello, vide Duellum.

Clericus Venator, vide Venatio.

Collusio.

Quid? p. 135. n. 1. & quotuplex? n. 2. quo jure vindicetur? n. 3. quinam colludere possint? p. 136. n. 4. in quibus casibus sit locus collusioni? n. 5. quando n. 6. ob quem finē fiat? n. 7. quæ sint pœnæ colludentium? n. 8.

Concussio.

Quid sit. & ejus pœna. p. 116. n. 15.

Concubinatus.

Quid sit, & quæ ejus pœna? p. 113. n. 32.

Confessio, vide Pœnitentia.

Contritio, vide Pœnitentia.

Crimen de Residuis.

Quid sit, & ejus pœna? p. 126. n. 30.

Crimen falsi.

Ejusdem definitio. p. 131. n. 1. divisio. n 2. & 3. quâ lege vindicetur. n. 4. Falsarius quis dicatur? n. 5. quomodo crimen falsi committatur circa personas? n. 6. quomodo circa res? p. 132. n. 7. Requisita hujus criminis. n. 8. & seqq. Finis. p. 133. n. 12. pœnæ. n. 13. & seqq.

Damnum, vide Lex Aquilia.

Degradatio.

Quid sit? p. 180. n. 41.

Dejectio, vide Lex Aquilia.

Delicta puerorum.

An, & quomodo delictis obstringantur infantes? p. 136. n. 1. infantiæ proximi? n. 2. pubertati proximi? p. 137. n. 3. Minorennes? n. 4.

Denuntiatio.

Quid nominis? p. 34. n. 93. & 94. quid rei? n. 95. quotuplex. n. 96. quæ ejus origo? n. 97. quinam possint aut debeant denuntiare? p. 35. n. 98. & seqq. quinam denuntiari? p. 37. n. 103. quæ delicta denuntianda sint? n. 104. & seq. Requisita denuntiationis Evangelicæ. p. 38. n. 106. & 107. Canonicæ? p. 39. n. 108. Civilis. n. 109. Finis denuntiationis. n. 110. Effectus. n. 111. & seqq.

Depositio.

Quid sit? p. 180. n. 41.

Detractio, vide Maledictum.

Docere, vide Licentia docendi.

Doctores, vide Magistri.

Duellum.

Quid nominis? p. 102. n. 1. quid rei? n. 2. quotuplex? n. 3. & 4. an & quando sit licitum? n. 5. & seqq. quinam ad duellum concurrant? p. 103. n. 8. & 9. Requisita duelli? n. 10. & seqq. Duelli finis? p. 104. n. 15. pœnæ duellantium. n. 16. & seqq.

Effusio, vide Lex Aquilia.

Excessus Prælatorum & Subditorum.

Quinam sint Prælatorum? p. 141. n. 1. quinam subditorum? n. 2.

Excommunicatio.

Ejusdem definitio. p. 177. n. 23. dividitur in majorem & minorem. n. 24. à quo? n. 25. in quos? n. 26. ob quod peccatum? n. 27. quomodo? p. 178. n. 28. in quem finem feratur. n. 29. quinam sint effectus excommunicationis tam majoris quam minoris. n. 30. & 31.

Expilata hæreditas.

Quid sit, & quæ ejus pœna? p. 126. n. 31.

Falsarius, vide Crimen falsi.

Fornicatio.

Quid sit, & quæ ejus pœna? p. 112. n. 31.

Furtum.

Quid nominis? p. 120. n. 1. & 2. quid rei? n. 3. quotuplex. n. 4. & seqq. quo jure prohibeatur? p. 121. n. 11. an sit licitum in extrema necessitate? n. 12. quinam furti teneantur? p. 122. n. 13. & seqq. in quibus rebus. n. 16. & seqq. quomodo? p. 123. n. 20. & seqq. quo fine furtum admittatur? n. 23. quibus remediis furtum coërceatur? p. 124. n. 24. & seqq.

Hæreditas expilata, vide expilata Hæreditas.

Hæresis, Hæretici.

Hæresis quid nominis? p. 70. n. 1. quid rei? n. 2. quotuplex? n. 3. & seqq. quo jure prohibita & in Imperio tolerata? p. 71. n. 6. Hæreticorum nomine qui veniant? p. 72. n. 7. & seq. quarum rerum ac propositionum error hæresin inducat? n. 9. hæresin constituit error. p. 73. n. 10. & pertinacia. n. 11. an etiam dubium circa fidem? n. 12.

n. 12. Finis hæresis quis? p. 74. n. 13. quæ pœna hæresis materialis? n. 14. quæ hæresis mentalis? n. 15. hæresis externæ pœnæ spirituales. p. 75. n. 16. & seqq. an in Imperio obtineant? p. 77. n. 28.

Homicidium.

Homicidii definitio nominalis. p. 88. n. 1. definitio realis. n. 2. est voluntarium. n. 3. est casuale. n. 4. ejusdem prohibitio. p. 89. n. 6. quinam committant? n. 7. & seqq. in quos committatur? p. 91. n. 12. & seqq. quomodo voluntarium? p. 93. n. 16. & 17. quomodo necessarium? p. 94. n. 18. & seqq. quomodo casuale? p. 97. n. 25. & 26. pœnæ homicidii voluntarii. p. 98. n. 27. & seqq. an, & quibus pœnis subjaceat homicidium necessarium? p. 99. n. 30. & seqq. an, & quæ pœnæ præstitutæ sint homicidio casuali? p. 100. n. 33. & 34. quid sit mutilatio, quæ ejus pœnæ. p. 101. n. 35.

Incendium, Incendiarii.

Incendii definitio. p. 116. n. 16. divisio. p. 117. n. 17. prohibitio. n. 18. quinam dicantur incendiarii. n. 19. nomine ædium quæ veniant? n. 20. Incendium quando dolo, quando culpâ, & quando casu contingat? n. 21. & seqq. quibus pœnis coërceatur. p. 118. n. 25.

Indulgentia, vide Remissiones.

Infantes expositi.

Quid sit expositio infantum? p. 86. n. 1. repugnat juri naturali. n. 2. à quibus. n. 3. & 4. in quos. p. 87. n. 5. quomodo. n. 6. & quâ intentione committatur. n. 7. Quibus pœnis afficiantur ii, qui exposuerunt. n. 8. quinam expositum teneantur alere? p. 88. n. 9. quid juris circa expositionem languidorum. n. 10.

Inquisitio.

Inquisitionis diversa acceptio? p. 24. n. 63. definitio. n. 64. divisio. n. 65. 66. necessitas. n. 67. à quo judice? p. 25. n. 68. contra quas personas. n. 69. & seqq. de quibus criminibus inquirendum sit? p. 26. n. 72. & 73. Requisita Inquisitionis generalis? n. 74. inquisitionis specialis. p. 27. n. 75. & seqq. inquisitionis per torturam? p. 30. n. 84. & seqq. quis sit inquisitionis finis? p. 31. n. 87. quinam effectus. n. 88. & seqq.

Injuria.

Ejusdem definitio nominalis. p. 155. n. 1. realis. n. 2. divisio. n. 3. & 4. prohibitio. p. 156. n. 5. quinam inferre? n. 6. quinam pati possint injuriam? n. 7. Injuria famam violat. n. 8. nec sine dolo. n. 9. ac læsione famæ consistit. n. 10. quibus remediis vindicetur? p. 157. n. 11. & seqq. quibus modis remittatur? n. 14. & seqq.

Interdictum.

Quid? p. 180. n. 42. quotuplex? n. 43. & 44. à quo? p. 181. n. 45. in quos? n. 46. ob quam culpam? n. 47. quo modo? n. 48. propter quem finem feratur? n. 49. qui sint ejus effectus? n. 50. & seqq.

Irregularitas, vide Censura.

Judæi.

Quinam dicantur? p. 66. n. 1. sintne inter Catholicos tolerandi? n. 2. I. possunt habere Synagogas, ubi tolerantur. p. 67. n. 3. II. sua sabbata celebrare permittuntur. n. 4. III. In Imperio gaudent juribus civium. n. 5. IV. ut discernantur signa aperta portare debent. n. 6. V. Cum Christianis quà actores quà rei coram Christianis Judicibus litigare debent? p. 68. n. 7. VI. ad fidem Catholicam conversi sollicitè per Principes defendendi sunt. n. 8.

Læsio famæ, vide Injuria.

Læsa Majestas.

Quale crimen & quotuplex sit? p. 78. n. 29.

Languidi expositi, vide Infantes expositi.

Latrocinium.

Quid sit, & ejus pœna? p. 116. n. 13.

Lenocinium.

Quid sit? & quæ ejus pœna? p. 110. n. 16.

Lex Aquilia.

Quid sit damnum? p. 158. n. 19. & 20. quis sit auctor legis Aquiliæ? n. 21. quis possit damnum inferre? n. 22. in quibus rebus? p. 159. n. 23. & quo modo inferatur? n. 24. ad quid detur actio legis Aquiliæ: n. 25. quid sit factum dejectionis, & effusionis, item pauperies? n. 26. an detur obligatio resarciendi damnum in foro conscientiæ? n. 27.

Licentia docendi.

An liceat aliquid exigere pro licentia docendi? p. 64. n. 29. & 30. an pro gradibus Academicis? p. 65. n. 31. an pro ipsa doctrina? n. 32. an Prælati teneantur Scholas erigere? n. 33.

Licentiatus, vide Magistri.

Magistri.

Magistri aut Doctores qui dicantur? p. 56. n. 1. & 2. quid sint? n. 3. quot eorum genera? n. 4. quibus competat jus Doctorandi? p. 57. n. 5. quinam doctorari possint? n. 6. & seqq. ex quibus facultatibus? p. 58. n. 12. quibus ceremoniis. n. 13. & seqq. ob quem finem creentur Magistri, seu Doctores? p. 59. n. 15. Privilegia Doctorum seu Magistrorum? n. 16. & seqq. an his gaudeant Doctores bullati? p. 62. n. 25. an Licentiati? p. 63. n. 26.

Maledictum.

Quid sit? p. 138. n. 1. quotuplex? n. 2. quæ pœna detractionis? n. 3. quæ blasphemiæ? p. 139. n. 4.

Minister Sacramenti Pœnitentiæ, vide Pœnitentia.

Mutilatio.

Quid sit? & quæ ejus pœnæ? p. 101. n. 35.

Novi operis nuntiatio.

Quid sit p. 142. n. 1. quo jure introducta? n. 2. quinam possint novum opus nuntiare? n. 3. quale debeat esse novum opus, quod nuntiatur. n. 4. quomodo? p. 143. n. 5. ob quem finem fiat. n. 6. qui sint ejus effectus. n. 7. & seqq.

Ordinati à Schismaticis, vide Schismatici.

Parricidium.

Ejusdem homonymia. p. 83. n. 1. definitio. n. 2. divisio. p. 84. n. 3. atrocitas. n. 4. à quibus? n. 5. in quas personas? n. 6. & seqq. quomodo. p. 85. n. 9. ob quem finem admittatur parricidium? n. 10. pœnæ parricidarum. n. 11. & seqq.

Pauperies, vide Lex Aquilia.

Peculatus.

Quid sit, & ejus pœna? p. 25. n. 29.

Pelagium.

Quid sit, & ejus pœna? p. 25. n. 27.

Percussio.

Quam ob causam? p. 138. n. 1. & sub qua pœna Clericis prohibita sit percussio? n. 2.

Pœna.

Quid? p. 160. n. 1. quotuplex? n. 2. & seqq. à quo dicletur? p. 161. n. 6. & 7. an Judices Ecclesiastici possint imponere pœnam pecuniariam? n. 8. an alius pro alio? n. 9. Requisita pœnæ legitimæ. p. 162. n. 11. & seqq. assignatur pœnæ finis. p. 163. n. 14. effectus. n. 15.

Pœnitentia, Pœnitentes.

Ejusdem homonymia. p. 163. n. 1. quid sit Sacramentum Pœnitentiæ? n. 2. quandonam institutum sit? n. 3. In ministro Sacramenti Pœnitentiæ requiritur character Sacerdotalis. p. 164. n. 4. Approbatio. n. 5. Jurisdictio. n. 6. Bonitas. n. 7. Scientia. p. 165. n. 8. Prudentia. n. 9. Quinam Pœnitentes habeantur dispositi? n. 10. quinam teneantur præcepto Confessionis? p. 166. n. 11.

&

& seqq. quæ peccata reservari possint? p. 167. n. 15. qualis contritio. n. 16. qualis confessio. n. 17. & qualis satisfactio ad sacramentum Pœnitentiæ requiratur. p. 168. n. 18. quæ sit forma Sacramenti pœnitentiæ. n. 19. quis finis. n. 20. qui effectus. n. 21. & 22.

Polygamia.

Quid sit? & quæ ejus pœna? p. 110. n. 18.

Prælatus.

An teneatur scholas erigere. p. 66. n. 33.

Privilegia & Excessus Privilegiatorum.

Privilegii etymologia. p. 144. n. 1. Synonyma. n. 2. definitio. n. 3. divisio. n. 4. & seq. quinam possint concedere privilegia. p. 146. n. 10. quomodo privilegia acquirantur concessione. n. 11. communicatione. n. 12. & seqq. præscriptione. p. 147. n. 14. quibus personis aut rebus dari possint privilegia. n. 15. & seqq. Privilegium debet continere favorem specialem. pag. 148. n. 18. rationabilem tamen. n. 19. An ad privilegium necessaria sit justa causa. n. 20. an scripturæ. p. 149. n. 21. an insinuatio, & notitia ejus. n. 22. & seqq. quis sit finis privilegii. p. 150. n. 24. quinam effectus. n. 25. quibus modis privilegium amittatur. n 26. & seqq.

Purgatio Canonica.

Quid sit? p. 153. n. 1. unde ejus origo. n. 2. à quo. n. 3. ob quod delictum hæc purgatio indicatur. n. 4. quo modo fiat. n. 5. & 6. & quem ob finem. n. 7. qui sint effectus hujus purgationis. n. 8. & 9.

Purgatio vulgaris.

Ejusdem definitio. p. 154. n. 1. Origo. n. 2. Causa efficiens. n. 3. Materia. n. 4. quot modis fiat. n. 5. & seqq. ob quem finem. p. 155. n. 9. quo effectu. n. 10.

Rapina, Raptores.

Rapinæ onomatologia. p. 114. n. 1. definitio. n. 2. quo jure prohibeatur? n. 3. Raptores qui dicantur. n. 4. circa quas res contingat rapina? n. 5. Requisita rapinæ. n. 6. & seqq. quis finis? p. 115. n. 9. quæ pœnæ? n. 10. & seqq.

Raptus.

Quid sit? & quæ ejus pœna. p. 113. n. 33.

Regulæ Juris.

Regula unde dicta? p. 184. n. 1. quid sit? n. 2. Quotuplex. n. 3. & seq. quomodo ex jure fiat? n. 5. quod sit objectum Regulæ juris. p. 185. n. 6. quibus verbis concipiatur. n. 7. quis sit ejus finis? n. 8.

Regula juris in quibus casibus? p. 185. n. 9. & quatenus Jus faciat? n. 10. & seq. quandonam perdat suum officium? p. 186. n. 12. quomodo exceptio debeat esse de regula? n. 13.

Remissiones & Indulgentiæ.

Quid sint? p. 169. n. 22. quotuplices? n. 23. & seqq. à quo data potestas concedendi Indulgentias? p. 170. n. 26. quibus hæc potestas competat? n. 27. quibus concedatur? n. 28. quæ requirantur, ut legitimè concedantur? n. 29. & 30. Indulgentiarum quis effectus? p. 171. n. 31.

Repetunda.

Quid sint? p. 54. n. 29.

Retorsio, vide Injuria.

Sacramentum Pœnitentiæ, vide Pœnitentia.

Sacrilegium.

Ejusdem definitio nominalis. p. 119. n. 26. realis. n. 27. prohibitio & differentia utriusque Juris. n. 28. in quibus rebus? n. 30. quo modo? n. 31. & cur admittatur Sacrilegium? n. 32. quæ sint pœnæ Sacrilegii? n. 33. & 34.

Sagittarii.

Vide Tit. 15. p. 105.

Sare-

INDEX LIBRI V.

Saraceni.

Quinam horum nomine veniant? p. 68. n. 9. an tolerandi? n. 10. Utrum, & quæ communicatio cum his licita? p. 69. n. 11. & 12. an in bello eorum auxilio uti liceat? n. 13.

Schisma, Schismatici.

Schismatis diversa acceptio. p. 79. n. 1. definitio. n. 2. prohibitio. n. 3. Schismatici qui dicantur? n. 4. Schisma fieri potest à Capite, vel à membris. p. 80. n. 6. quomodo differat ab hæresi. n. 7. quis finis Schismatis? n. 8. quæ ejus pœnæ. n. 9. & seqq.

Schola.

An prælati teneantur Scholis errigere. n. 33.

Sepulchri Violatio.

Quando fiat & quæ ejus pœna? p. 126. n. 32.

Simoniæ.

Unde nomen Simoniæ? p. 44. n. 1. quæ Synonyma? n. 2. quid sit? n. 3. quotuplex. n. 4. & 5. quo jure sit prohibita? n. 6. & seqq. quinam Simoniam committant? p. 45. n. 9. quænam res spirituales, vel spiritualibus annexæ sint materia Simoniæ? p. 46. n. 10. & seqq. quale & quotuplex sit pretium. p. 49. n. 16. Simonia quo pacto? n. 17. & seqq. ob quem finem committatur? p. 51. n. 20. pœnæ Simoniæ mentalis. n. 21. conventionalis. n. 22. & seqq. confidentialis. p. 54. n. 27.

Prælatus committit Simoniam, si vices suas. p. 55. n. 1. & seqq. vel Ecclesias pro annuo Censu concedat. p. 56. n. 4.

Vide Ambitus, Repetunda.

Sortilegi, Sortilegium.

Quid sit? p. 133. n. 1. quotuplex? n. 2. quo jure prohibeatur? n. 3. Sortilegi qui dicantur? p. 134. n. 4. ex quarum rerum inspectione desumatur sortilegium. n. 5. quæ formæ? n. 6. quis finis? n. 7. quæ pœnæ. n. 8. & 9.

Studiosi.

Quinam veniant nomine Studiosorum. p. 63. n. 27. & 28.

Stuprum.

Stupri diversa acceptio. p. 110. n. 21. definitio. n. 22. divisio. n. 23. Prohibitio. p. 111. n. 24. An puellæ credendum, quæ juvenem de stupro sibi illato accusat. n. 25. in quam fœminam stuprum committatur, & quæ honesta censeatur? n. 26. quo modo? n. 27. ob quem finem stuprum fiat? n. 28. quæ sint pœnæ stupri? n. 29. & 30.

Suspensio.

Ejusdem definitio. p. 179. n. 32. divisio. n. 33. & 34. quis possit suspendere? n. 35. quis suspendi. n. 36. ob quam causam? n. 37. quo modo? n. 38. ob quem finem feratur suspensio? p. 180. n. 39. Qui sint ejus effectus? n. 40.

Torneamenta.

Quid sint? p. 101. n. 1. quæ pœna occidentis, & occisi in Torneamentis. n. 2. sintne hodiedum prohibita? n. 3.

Venatio.

Cur? p. 137. n. 1. & sub qua pœna Clericis prohibita sit venatio? n. 2. & 3.

Verborum significatio.

Quid sit? p. 182. n. 1. quotuplex? n. 2. Utilitas notitiæ verborum. n. 3. Materia verborum significationis sunt res significatæ. p. 183. n. 4. Sex regulæ circa rerum significationem. n. 5. & seqq. quis finis verborum significationis? p. 184. n. 11.

Violatores Ecclesiarum.

Qui dicantur? p. 119. n. 29.

Vis.

Quotuplex sit, & ejus pœna? p. 116. n. 14.

Usurarii, Usura.

Ejus definitio nominalis. p. 126. n. 1. & 2. realis. n. 3. divisio. n. 4. & 5. quo jure prohibeatur? p. 127. n. 6. Usurarii quinam? n. 7. quænam res in usuram veniant? pag. 128. num. 8. an in solo mutuo, & in quibus aliis contractibus contingat? num. 9. & seqq. ex quibus causis liceat aliquid accipere ultra sortem? p. 129. n. 12. & seqq. finis usuræ. p. 130. n. 16. quæ usurariorum pœnæ? n. 17.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

KÖNIG
JUS CANO:
TOM. I

Th
4758

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN